15.1.32
15.1.32.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA CHRISTIANA

DE

SACRAMENTO ORDINIS

ET DE

INDULGENTIIS.

Digitized by Google

DOCTRINA CHRISTIANA

DE SACROSANCTIS ECCLESIÆ SACRAMENTIS

AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA

IN TRES TOMOS DISTRIBUTA

AUCTORE

ALBERTO PAPPIANI

IN COLLEGIO FLORENTINO SCHOLARUM PIARUM S. THEOLOGIÆ MAGISTRO, EXAMINATORE SYNODALI, ET SOCIETATIS DOGMATICORUM PRÆSIDE

TOMUS III.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Della Libreria del Convento di Firenze posto dei PP. Minimi S. Giuseppe di l'anno 1779

FLORENTIÆ MDCCLXXIII.

IN TYPOGRAPHIA DOMINICI MARZI, ET SOCIORUM.

Præsidum Adprobatione.

Digitized by Google

Nos, qui rerum magis quam verborum amatores ſumus utilia potius, quam plauſibilia ſectamur; neque id quærimus, ut in nobis ſeculorum Ornamenta, ſed ut ſalubria rerum emolumenta laudentur. In Scriptiunculis noſtris non lenocinia eſſe volumus, ſed remedia, quæ ſcilicet non tam Otioſorum auribus, quam ægrotorum mentibus placeant.

Salvianus in Præfatione Lib. de Guber. Dei.

Digitized by Google

FRANCISCO CAIETANO INCONTRI

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO

ACADEMIAE THEOLOGICO-DOGMATICAE FLORENTINAE

PATRONO PERPETUO ET CONSERVATORI MAXIMO

TERTIUM HOC

DOCTRINAE CHRISTIANAE

DE SANCTIS ECCLESIAE SACRAMENTIS

VOLUMEN

DOCTRINAM CATHOLICAM ET ORTHODOXA DOGMATA

DE SACRIS ORDINIBUS COMPLECTENS

ALBERTUS PAPPIANI S. P. ACADEMIAE PRAESES

UNIVERSO ACADEMICORUM COETU PLAUDENTE

PRAESULI EXTERIS AEQUE AC SUIS

INGENII DOCTRINAE PROBITATIS SAPIENTIAE

VIRTUTUM QUE OMNIUM LAUDE SPECTATISSIMO

D. & C.

ANNO AERAE CHRISTIANAE MDCCLXXIII.

A SOLEMNI ACADEMIAE INSTAURATIONE XV.

ACADEMIAM IPSAM MODERANTIBUS

JOSEPHO MARIA PASQUALI

MOECENATE

VIRO INTEGERRIMO

METROPOLITANAE FLORENTINAE PRAEPOSITO

ET FRANCISCO BUCELLI

S. T. D. CONSULE;

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

ILlud ſemper ſæculorum omnium infortunium fuit, quod vel infideles, vel procaces prodirent homines, qui Doctrinis, aut Moribus inſidiarentur, & naturæ ipſi bellum indicerent, impune ea diſſeminantes, quæ audire fidelibus auribus horrendum eſt, & tueri periculoſiſſimum. Quis enim ignorat homines in Societate ita poſitos fuiſſe, ut minores ſubeſſent majoribus, ſi non Imperii jure, ita tamen docente ratione, ut filii Genitoribus parerent, eoſdemque honore proſequerentur, & Genitores mutuo filiis opitularentur, & ſibi invicem ſinguli non deeſſent in iis, in quibus natura eoſdem ſociavit? Hoc ſemper in more fuit penes ſingulos ſingularum Gentium homines, ex quo in varias Familias abierunt, ex quo Coloniæ prodierunt, aut natæ ſunt Urbes, aut conſtitutæ Reſpublicæ, ut unus præeſſet cæteris, & reliqui obtemperarent, & in ſuis Officiis continerentur omnes. Cur itaque & illa a Chriſto Domino electa, & ſuo Sanguine ſibi deſponſata Eccleſia, in qua Officia ſunt plura, & multorum reliquis Præſidentium inſtituti ſunt Ordines nexum eumdem, compagemque non ſervabit inter Caput, & Membra, ut quemadmodum ab uno Spiritu Communitas tota Sanctificatur, & regitur, ita in ſingulorum cordibus eadem non ſit firma futura Concordia, Animorumque conſenſio, & voluntaria obedientia? Miſerrimum caſum hunc in ipſis ſui ortus exordiis ingemuit Eccleſia, maximeque doluit, cum dilectiſſimos filios contentionibus, & diſſentionibus diſtractos vidit, & hæreſes pedetentim exortas, quod eorum plerique *Dominationem ſpernerent*, *Majeſtatem blaſphemant*, *& ſuas confuſiones deſpumarent*; idque ex eo nos intelligimus, quod

Pa-

Parentes noſtri Apoſtolorum Principes nihil aliud vehementius commendarunt, quam obedientiam, & reverentiam Majoribus, ſingulisque Præpoſitis, qui Dei Perſonam in ſe gerentes *invigilant quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri*. Utinam vero hominum Genus tam nequam, quod Eccleſiam invaſit, vivis adhuc Apoſtolis, ad proximiora nobis tempora non perveniſſet. Cathari, quos & Puritanos media ætas appellavit hoc ſibi arrogarunt, ut omnem tollerent Dominatum, hos imitatus Salmaſius vehementius exarſit in Eccleſiaſticos Ordines, ut abſtulerit omnem Hierarchicum Principatum. Præluxerunt Lutherani, & Calviniſtæ, illumque plures alii inſecuti, adeo debacchati ſunt contra Regale Sacerdotium, ut portentum ſit audire tot audaciſſimos Eccleſiæ Hoſtes tryumphum canere, quod Oves Paſtoribus, & Paſtores dignitate ſua, & gradu privaverint. Id autem ita contigiſſe nullus dubito arbitrabitur. Siquidem quod negatum eſt Portis Inferi, ut contra Eccleſiam prævaleant, non eſt Heterodoxis conceſſum poſſe illius fundamenta dejicere, & formam illam invertere, qua Sponſam ſuam Chriſtus decoravit, & ſuis ornatam monilibus Rex concupivit. Habuit, & adhuc habet Eccleſia Suos Paſtores. Habent Paſtores Oves Suas, quia Chriſtus promiſit ſe cum illis futurum uſque ad exitum ſæculi. Nec inſurgentium inimicorum pavebunt impetus, quia totus terrarum Orbis Catholicus contra inſenſatos pugnabit. Sed quorſum hæc? Scilicet, ut unuſquiſque intelligat quo properat Noſtra Theologorum Academia, & quo noſtri conatus diriguntur, eo nimirum, ut fortes creentur Athletæ, qui Sacro accincti gladio puſilli Chriſti gregis dejiciant adverſarios.

Inimicorum autem, cum quibus præliari oportet tria præcipue ſunt Genera. Primum eſt eorum, qui naturæ humanæ nimium concedentes Viribus naturæ tribuunt bonorum Operum merita, & ipſa bona Opera. Secundum eſt eorum, qui naturam inſpicientes in magnis deficere, niſi per Dei Gratiam adiuvetur, quæ illi tribuat bonum operari, neceſſitatem mediorum confitentur, ſed in illis recenſendis, & eorum viribus explicandis a veritate recedunt. Eſt & tertium genus

genus eorum, qui ut ambulent in adinventionibus ſuis, aut Materiæ, aut Fato totum attribuunt una Dei cognitione contenti, & ita arbitrantur ſe poſſe eſſe beatos. Singulas haſce impietates, & Sectas Academia Noſtra infeſtatur, & dum Catholico Dogmati inſiſtit, quantum ceteri a veritate aberrent oſtendit, legeſque tradit ne quis a captioſa loquacitate fallatur.

Quomodo vero contigerit quod homines ex Eccleſia exierint, qui tam pravas opiniones adamaverint, difficile eſt intelligere. Exierunt certe homines illi ex Eccleſia, ſed non erant de Eccleſia, ſiquidem non intelligentes illud Salomonis: *Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & ne deſpicias Legem Matris tuæ, ut addatur gloria capiti tuo, & torques Collo tuo:* & rurſum illud: *Fili mi attende ad Sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſervent; tumidi, & inflati in viam Cain abierunt ſemetipſos paſcentes, murmuratores, queruloſi, & Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam quæcumque quidem ignorant, quæcumque autem naturaliter, tamquam muta Animalia norunt, in his corrumpuntur. Nos autem, qui memores ſumus Verborum quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis, qui dicebant nobis: quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus, ſegregantes ſemetipſos, Animales, ſpiritus non habentes, hos arguimus judicatos,* & majorum veſtigiis inhærentes Eccleſiam audimus, & Eccleſiarum Paſtoribus nos ſubjicimus, & inſtitutum a Chriſto Ordinem tuemur, & reveremur.

Habes ergo ampliſſime *Præſul* cur Opus hoc *Tibi* nuncupaverim, in quo exponitur *Doctrina Chriſtiana de Sacramento Ordinis ab Heterodoxorum erroribus vindicata*, Tibi uni debebatur, ut qui es Supremus in Florentina Eccleſia *Hierarcha* obſequium in Te meum, & reverentiam experireris, & ut ſupremus Academiæ Theologorum Dogmaticorum & Perpetuus *Patronus* Judex eſſes *Fidei* noſtræ, & *Doctrinæ*.

Id ipſum vos intelligitis Ornatiſſimi *Viri* ex Nobiliſſimo Metropolitanæ hujus Eccleſiæ *Senatu* delecti Accademiæ *Conſervatores*, quare laborem hunc meum, *Veſtro* etiam

nuncupem *Nomini*, nimirum, ut benignitati veſtræ in Academiam, & veſtræ *Liberalitati* in Academicos omnes, tum maxime in illos, quorum conatus non infrequenter excepiſtis, & humaniſſime commendaſtis a Doctrina, a Pietate, a Religione, hoc ego munuſculo qualecumque grati animi mei relinquerem argumentum.

Mihi profecto deerit illa Verborum elegantia, & pondus Sententiarum quod veſtram deceret Sapientiam, id tamen præſtabo ne in his quæ dixero quis advertat quod recte diſpliceat. Cui etenim diſplicere poterit differentem de Sacramento Ordinis a Chriſto Domino inſtituto, ut per il[illegible]d Eccleſia optimo Miniſtrorum delectu fulgeret, & po[illegible]us, qui in Eccleſia eſt vitæ perfectioris attraheret incitamenta? Jucundum eſt cuilibet homini ſcire per quos profecerit in facultatibus, in honoribus, & audire Geſta Majorum: æque eidem homini erit jucundius ſcire unde illi Virtutum Dona provenerint, ampliſſimique Gratiarum Theſauri, qui dividuntur in ſingulos Sacrorum Antiſtitum Miniſterio, quibus eorumdem fuit concredita diſpenſatio, Vetus item intueri, & Novum Eccleſiæ Regimen; & antiqua Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta percurrere. In his itaque recenſendis dabo operam, ne dicendarum rerum vileſcat dignitas, ne alienis juribus aliquid detrahatur, & ut ſola Fidei triumphet veritas *De Sacramento Ordinis ab Hetherodoxorum erroribus vindicata*.

SU-

Digitized by Google

SUPREMA RERUM CAPITA

QUÆ IN HOC TRACTATU EXAMINANTUR QUI SEQUITUR INDEX EXPONIT.

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

N*Eceſſitas Inſtitutionis hujus Sacramenti ſummarie indicatur, varia ejuſdem nuncupatio, ſingularis effectus, Hæreticorum adverſus ipſum conatus, & totius Operis bipartita diviſio.*

PARS PRIMA.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS, ET DE EJUS EFFECTIBUS.

Num. I. *Sententia Catholica traditur, & palmarii Hæreticorum errores notantur.*

§. I. Exiſtit aliquod in nova Lege Sacramentum Ordinis, per quod ſolum veluti per Oſtium intrant legitimi diſpenſatores Myſteriorum Dei.

Num. II. *Argumenta præcipua ſubjiciuntur, quibus hæc veritas demonſtratur.* III. *Ipſa recta ratio eamdem veritatem confirmat.* IV. *Et illa ſingula, quæ non infrequenter occurrunt in Sacra V. T. Hiſtoria, in Prophetis, in Patribus hujus futuri Miniſterii promiſſiones concludunt.*

§. II. Ordinis Sacramentum præter Miniſterii poteſtatem, gratiam quoque producit, ut tam Sacrum, & tam Sanctum Miniſterium ſalubriter exerceatur.

Num. V. *Primum argumentum, quo veritas hæc demonſtratur petitur a Sacris Litteris.* VI. *Secundum ex teſtimonio Conciliorum.* VII. *Tertium ſuppeditat utriuſque Eccleſiæ Traditio.* VIII. *Kemnitii palmarium effugium exponitur.* IX. *Chiritoniam, ſeu manuum impoſitionem non ſemper Sacram*

Ordinationem ſignificare variis animadverſionibus demonſtratur, & inter cæteras exponitur manuum impoſitio in Saulum, & Barnabam, & illa, quæ huic præceſſit in VII. *Diaconos*. X. *Communiter tamen uſurpabatur pro Sacra Actione, qua quis Sacerdotio inaugurabatur, quod variis documentis oſtenditur*. XI. *Et apertius ex Canone* 8. *Nicæni Concilii, quo urgetur vanum Kemnitii commentum*. XII. *Caſtigatur Eraſmus, qui Textum Actuum Apoſtol. cap.* 14. *interpretatur contra verum ſenſum Scripturæ, cum dicit Apoſtolos conſtituiſſe Presbyteros ad Chiritoniam populi, quando revera ibi legitur Apoſtolos Chiritonia uſos fuiſſe in conſtituendis Presbyteris*. XIII. *Demonſtratur manuum impoſitionem augere juſtitiam, & conferre etiam primam gratiam*. XIV. *Ordinatio Apoſtolorum a Chriſto facta non eſt trahenda in exemplum aliarum Ordinationum; Verum etiam Chriſti factum perpenditur, ut magis Kemnitius urgeatur*.

CAPUT II.

DE NUMERO, ET DISTINCTIONE ORDINUM ECCLESIASTICORUM.

Num. I. *Pluralitatem Ordinum Majorum, reperiri in Eccleſia ex Concilio Tridentino probatur*.

§. I. Laicorum cœtus, non ſolum nomine, ſed etiam ſtatu, & conditione a cœtu Miniſtrorum Altaris diſtinguitur.

Num. II. *Exponuntur hujus diſtinctionis fundamenta generalia*. III. *Adducuntur particularia & primo verbi Miniſterium, a quo Laici arcentur*. IV. *Secundo quia Laici ſubjiciuntur Eccleſiæ Miniſtris* V. *Tertio quia nullus, niſi vocatus a Deo tamquam Aaron ad Sacrum Eccleſiaſticorum hominum cœtum admittitur, Laici vero omnes non vocantur a Deo*. VI. *Merito igitur Conſtantienſes, & Tridentini PP. Wiclephum, Lutherum, Calvinum, & Sectarios omnes damnarunt, qui hoc diſcrimen ſuſtulerunt*. VII. *Citatur ab Hæreticis textus Apoſtoli ad Galat.* 3. *& Tertullianus in lib. de exhort. ad Caſtit. ſed parum proficiunt. Apoſtolus, & Tertullianus explicantur*.

§. II. Cum omnes Ordines, ſi prima eorum diſtinctio ſpectetur, creati ſint non tantum ad Sacrificium Eccleſiæ celebrandum, ſed etiam ad bonum ejuſdem Eccleſiæ regimen conſtituendum, ex his fundamentis omnis prodiit diviſio Sacr. Ord. quotquot hactenus in Eccleſia numerari conſueverunt.

Num. VIII. *Hæc Propoſitio fundamentum habet in Trid. Concilio cap.* 8. *Seſſ.* XXIII. *& hic oritur diſcrimen Majorum, & Minorum Ordinum*. IX. *Eccleſia Latina, & Eccleſia Græca eumdem Ordinum numerum non recenſuit; nulla tamen inter Latinos, & Græcos PP. querela fuit ſed Latini, & Græci mutuo alterius Ordinationes probarunt*. X. *Neque conveniunt Eccleſiæ omnes in diſtinguendis Ordinibus Majoribus a Minoribus; quæritur itaque hujus diſcriminis cauſſa, & opportunior eligitur*.

CA-

CAPUT III.

DE MATERIA, ET FORMA SACRARUM ORDINATIONUM.

Num. I. *Exponitur Opinionum varietas, & unde ſit natum apud Theologos diſſentiendi principium.*

§. I. Sola Sacrarum Ordinationum materia, illarum ſcilicet, quas antiqua, & recens Eccleſia Majores habuit, ſemper fuit manuum impoſitio. Reliquas Ordinationes diverſa materia utraque Eccleſia celebravit.

Num. II. *Exponuntur momenta unde hæc praxis Eccleſiæ petitur pro Ordinatione Epiſcopi.* III. *De eodem argumento agitur pro Ordinatione Presbyteri, & eligitur ſecunda manuum impoſitio pro materia hujus Ordinationis.* IV. *Extenduntur fundamenta ad Ordinationem Diaconorum.* V. *In contrarium citantur Sacramentarium Gregorii Magni, Eugenii IV. Decretum, Epiſtolæ Decretales III. Innocentii, Gregorii IX. & denum Theologi illi, qui porrectionem Inſtrumentorum materiam eſſe decernunt Sacr. Ordinationum.* VI. *Singulis argumentis fit ſatis, & efficacius concluditur probatio aſſertæ Propoſitionis.* VII. *Ritus utriuſque Eccleſiæ aſſeritur, & cauſſa diſcriminis, quare in reliquis Ordinationibus minoribus diverſa materia uſa ſit utraque Eccleſia, & præcipue hic agitur de materia Subdiaconatus.* VIII. *Agitur hic de materia reliquorum minorum Ordinum.* IX. *Sint ne tangenda ab initiandis hæc inſtrumenta quæritur, & affirmativa ſententia eligitur, utpote quæ probabilior.* X. *Etiam Eccleſia Græca habet ſua Inſtrumenta, quæ tamen non porrigit more Latinorum, ſed alio more, & in quo differant a Latinis deſcribitur.*

§. II. Forma Sacrarum, & Reliquarum omnium Ordinationum illa ſemper in Eccleſia fuit, per quam ſignificatum eſt proprium earum Miniſterium; quare non hæc verba: *Accipe Spiritum &c.* quæ ab Epiſcopo Conſecratore, & Aſſiſtentibus Epiſcopis proferuntur, ſed Oratio illa, quam ſolus Conſecrator dicit invocans Spiritum S. forma Conſecrationis Epiſcopi demonſtratur.

Num. XI. *Explicatur Concilium Tridentinum, & quidquid poteſt huic Concluſioni adverſari.* XII. *Confutantur Sententiæ reliquæ, ut ab excluſione ceterarum efficacius noſtra probetur.* XIII. *Orientalis Eccleſia Latinæ conſentiens eſt in Oratione, per quam a Conſecratore invocatur Spiritus S. & Epiſcopus ordinatur. Verba adduntur juxta morem Græcorum, & eorum diſciplina in Sacris Ordinationibus.* XIV. *Confirmatur Aſſertio auctoritate PP. Arcudius notatur, & Simeon Theſſalonicenſis explicatur.* XV. *Alia fundamenta afferuntur contra Arcudium, & tandem ſtatuitur utramque Eccleſiam in forma Ordinationis Epiſcoporum convenire.* XVI. *Forma Presbyteratus non ſunt hæc Verba: Accipe poteſtatem &c. nec alia: Accipe Spiritum S. nam prima ex his formis 900. altera 1200. a Chriſto annis apud Græcos audita non eſt, ut conſtat ex Euchologiis, Sacramentalibus, & Ritualibus Li-*

Libris, & Auctoribus Eccleſiaſticis, quod late probatur. XVII. *Auguſtinus qui contrarius citatur explicatur, & Auctor quaeſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti.* XVIII. *Forma Diaconatus non ſunt hac Verba: Accipe Spiritum S. ad robur, ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus in Nomine Domini, & ſubjiciuntur fundamenta, quibus hac propoſitio demonſtratur.* XIX. *Agitur de Forma Subdiaconatus, & aliorum inferiorum Ordinum.* XX. Corollarium *primum. Sacra Unctio, qua fit in Conſecratione Epiſcoporum, & Presbyterorum, & Verba, qua huic unctioni correſpondent, non ſunt materia, & forma harum Ordinationum.* XXI. Coroll. *ſecundum. Traditio Stola, & Dalmatica non pertinet ad eſſentiam Ordinationis Diaconi. Medina, Sichardus, & Paulus Dadrenſis Epiſcopus notantur.* XXII. *In hac controverſia plus aequo tribuitur Scholaſticis, quod notatur & oſtenditur. Tutior videtur Sententia, qua Chriſtum conſtituit Auctorem materia, & forma omnium Sacramentorum, quod ſi Eccleſia utramque determinavit, hac ſemel determinata, non potuit immutari.* XXIII. *Diſſeritur contra illos qui Epiſcopatum, & Diaconatum excludunt a numero Sacramentorum.* XXIV. *De Subdiaconatu, ceteriſque minoribus Ordinibus, ſi hoc velit affirmari non multum a veritate aberrabit, plura in contrarium objiciuntur, ſed ſatisfit ſingulis argumentis* XXV. *Licet Minores Ordines Sacramenta non ſint, nihil tamen impedit, quod ſint Apoſtolici, & Divini Juris, & hoc explicatur, & uberius alterutra controverſia dirimitur.*

CAPUT IV.

DE PERSONIS AD SACROS ORDINES PROMOVENDIS.

Num. I. *Monitum Apoſtolicum ne Epiſcopus cito alicui manus imponat Patres interpretantur, & quanta ſit utilitatis breviter indicatur.*

§. I. Contra Quintilianos, Pepuzianos, Artotyritas, & Prixilianiſtas negamus Mulieres poſſe ullo Ordine initiari.

Num. II. *Concluſio probatur fundamento petito ab univerſali atatum omnium traditione.* III. *Paludanus, & Almainus notantur, qui volunt Pontificem poſſe cum Mulieribus diſpenſare, ut ha minoribus Ordinibus initientur. Argumenta hujus Sententia exponuntur.* IV. *Traditur diſciplina Eccleſia in Ordinatione Diaconiſſarum.* V. *Explicantur earum munera, & hinc petitur reſponſio ad argumenta.* VI. *Earum Ordinationes citius apud Gracos, ſerius apud Latinos deſierunt, nunquam vero ad Clerum pertinuerunt.*

§. II. Nulla aetas, vel Infantilis (*niſi aliter poſitiva Eccleſiaſtica lege praeſcriberetur*) expellit hominem a Sacr. Ordinationibus, itaut ſi quis etiam rationis impos ordinaretur, hujus initiatio, vel conſecratio valida eſſet, & hoc Sacramentum reciperet.

Num. VII. *Durandus Sententia huic contrarius, Paludanus vero Conſenſum Parentum exigit, alteruter impugnatur, & ponuntur fundamenta Concluſionis.* VIII. *Non teneretur tamen ad obſervantiam Legis continentia, qui in* in-

infantili ætate Majoribus Ordinibus initiaretur, & ponitur ratio. IX. *Ætas Canonica pro ſuſcipiendis Ordinibus varia fuit juxta variam Eccleſiarum conſuetudinem, cui tamen conſuluerunt Clemens V. Gregorius XIII. Pius II. & Poſtremo PP. Tridentini.*

§. III. Ultimum quod requiritur ex parte ſuſcipientis Ordines pertinet ad illius qualitates, quæ apparere debent in Moribus, in Doctrina, & in congrua ſuſtentatione.

Num. X. *Oſtenditur qualis integritas morum requiratur.* XI. *Qualis, & quanta Scientia.* XII. *Quid neceſſarium ſit ad eorum ſuſtentationem.* XIII. *Duodecimo Saculo vetus diſciplina immutata eſt, nam Titulis Ordinationum ſubſtituta fuere Patrimonia.* XIV. *Ut fraudes tollerentur Eccleſia præſcripſit Regulas in Beneficiis, & Patrimoniis obſervandas,* XV. *Ex quibus nonnulla inferuntur.* XVI. *Recentes mores indicantur juxta quos etiam ſine titulo, & Patrimonio Ordinationes permittuntur* I. *Canon.* VI. *Concilii Chalcedonenſis reſtituitur, & Hieronymus explicatur.*

CAPUT V.

DE MINISTRO SACRARUM ORDINATIONUM.

Num. I. *Exhibetur quæſtionis Proſpectus, Diſſidium inter Catholicos, & Hæreticos additur, & ſcopus præſentis diſputationis.*

§. I. Jure Divino, & Eccleſiaſtico Epiſcopus Conſecratus Miniſter eſt cujuſcumque Ordinationis ſive Majoris, ſive Minoris.

Num. II. *Fundamentum ponitur hujus Concluſionis in Sacr. Scriptura.* III. *Additur huic argumento Traditio.* IV. *Prævidentur argumenta contraria, ſed eiſdem occurritur, & tandem additur ratio quare in Propoſitione dictum ſit hoc jus ſpectare ad Epiſcopos*, etiam attento jure Eccleſiaſtico.

§. II. Epiſcopus Hæreticus, Excommunicatus, Suſpenſus, & Degradatus verus eſt Miniſter Sacramenti Ordinis; ita ut valida ſit Ordinatio ab eo facta, etiam circa eos qui ipſius juriſdictioni non ſint ſubjecti, dummodo legitimum ſervet Ordinationis Ritum.

Num. V. *Primam Concluſionis partem variis in locis tuetur Auguſtinus & communis eſt apud Patres, & Juris Interpretes.* VI. *Uſus comprobavit Factum poſt tertium Eccleſiæ Sæculum.* VII. *Non deſunt fundamenta, quæ contrariæ favent ſententiæ, quæ ad trutinam revocantur.* VIII. IX. *Explicatur, & ſuperior Aſſertio validius confirmatur.* X. *Agitur de repetitis Ordinationibus, & fuſius hæc Controverſia exponitur.* XI. *Eccleſiæ Græcorum praxis oſtenditur, & quibus innitatur argumentis, & eorum genuina explicatio.* XII. *Agitur de Charactere, qui imprimitur in Ordinatione Epiſcoporum, & aliorum Ordinum: utrum diverſimode ſenſerint Eccleſiarum Paſtores ante Sæculum* XII., *& de Ordinationibus a Stephano IV. aliis VII. repetitis; &*

plu-

plura alia de hoc argumento ſubjiciuntur. XIII. *Poteſtas, & conſecratio, quæ Divino jure alicui confertur ſemel collata perpetuo cum ipſo manet, & nulla Excommunicatione, Degradatione, aut alio modo ab Eccleſia tollitur: Ordinati tamen ab his Epiſcopis interdicuntur miniſtrare. Hic etiam obiter agitur de Ordinatis ab Epiſcopis non ſuis*. XIV. *& de Litteris Dimiſſorialibus, ut aliquis ordinetur ab Epiſcopo non ſuo*.

§. III. Quamvis autem Ordinarius Sacrarum Ordinationum Miniſter ſit Epiſcopus non repugnat tamen alium quoque poſſe extraordinarie creari accedente R. Pontificis conſenſu.

Num. XV. *Propoſitio hæc non habet in Jure contrarium, ut in pluribus demonſtratur*. XVI. *Excipitur Epiſcopalis Ordo, qui a ſimplici Presbytero non poteſt conferri. Utrum vero requirantur tres, an duo Epiſcopi, aut etiam uni tantum committi poſſit novi Epiſcopi conſecratio, ex documentis, quæ citantur, oſtenditur. Damaſus, & Innocentius III. explicatur, & Concilii Reggenſis Decretum*. XVII. *Decreta Antiocheni, & Ancyrani Concilii, quæ citantur ab oppoſita Sententia Auctoribus examinantur, & utrum illis proſint reſolvitur*. XVIII. *Agitur de Ordinatis, ut dicitur, per ſaltum & an hujuſmodi Ordinationes ſint validæ diſputatur, & de pœna, in quam incidunt tum Ordinatores, quam illi qui ſunt Ordinati. Utrum remitti debeat, quando, & a quo, & quid ſit agendum cum taliter Ordinatis*. XIX. *Canonicis quoque pœnis ſubjiciuntur illi Clerici, qui ad Ordines promoventur extra tempora Sacr. Ord. præfixa. Apud* Græcos *eſt diverſa praxis, & alia in Conſecratione Epiſcopi*. XX. *Interſtitia in Ordinationibus requiruntur, in quo conſiſtant, & utrum ſuper his diſpenſetur, & a quo. Græcorum alii ſunt mores. De loco, & de tempore* Sacr. Ordin. *pauca deſcribuntur; & de iis ad quæ tenentur Epiſcopi, tum in Eccleſia Latina, tum in Eccleſia* Græca, *dum celebrant Sacras Ordinationes*.

CAPUT VI.

DE ANTIQUITATE, ET USU LEGIS CONTINENTIÆ SACRIS ORDINIBUS ANNEXÆ TAM IN ECCLESIA GRÆCA, QUAM IN ECCLESIA LATINA.

Num. I. *Commendatur ab Apoſtolo Cælibatus omnibus, qui Deo inſervire cupiunt ſed iis præſertim, qui debent Altari inſervire, & exemplo Apoſtoli, Occidentalis, & Orientalis Eccleſia eumdem retinuit, & commendavit*.

§. I. Nunquam licuit Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis poſt Sacrum Ordinem ſuſceptum Uxores ducere, tam in Græcorum, quam in Latinorum Eccleſia.

Num. II. *Novum, & Vetus Teſtamentum oſtenditur in hoc conſpirare*. III. *Documenta adduntur, quæ utriuſque Eccleſiæ conſenſum oſtendunt*. IV. *Septimo labente Sæculo Trullani Patres diſciplinam veterum immutarunt. Exiſtimarunt alii a temporibus Nicæni primi Concilii ſe habere documenta immutati hujus moris, & propterea laudant hiſtoriam Socratis, cujus quoque*

que meminerunt Sozomenus, Caſſiodorus & Nicephorus. V. *Thomaſini animadverſio traditur in Hiſtoriolam a Socrate relatam: citatur etiam Concilium Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe. Notantur Clemens Alexandrinus, Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, & Syneſius, qui ab adverſariis in ſuam ſententiam trahuntur*. VI VII. *uſque ad* IX. *Vindicantur laudati PP. ab Adverſariorum calumnia explicantur, eorum dicta, & univerſaliter antiqua, & recentior Eccleſiæ Orientalis praxis exhibetur*. X. *Cælibatus in Eccleſia Latina perpetuus. Objicitur Adverſariis Canon. 28. Concilii* VI. *Carthaginenſis, & explicatur*. XI. *Explicatur Canon 23. Concilii Elliberitani. Hoc unum legitur in Antiquis Eccleſiæ Latinæ legibus, ſcilicet permiſſum fuiſſe Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ſuas Uxores domi retinere, ut ſalva eſſet Charitas Conjugiorum, ſed eas caſte, ut Sorores tractabant*. XII. *Apud Latinos hujus diſciplinæ interruptæ argumentum aliquod traditur, ſed Magdeburgenſium narratio refellitur. Citatur Petri Damiani Auctoritas. Citatur Nicolaus II. Citatur cujuſdam Triburienſis Concilii canon; & veritas manet Eccleſiam Latinam illis temporibus cælibem fuiſſe*. XIII. *Moriſ hanc Praxim non cognovit in primitiva Eccleſia; verum ſub temporibus Leonis I. idem mos invaluit, qui in Subdiaconis non permanſit a Sæculo* VI. *ad* XI. *ex Malphitano Concilio*.

§ II. Si non exigitur ab illo, qui ordinatur ſervandæ Continentiæ promiſſio, hanc ſolum ex Decreto Eccleſiæ Sacris Ordinibus adnexam eſſe convincitur.

Num. XVI. *In alterutra Eccleſia ii, qui Sacris Altaribus deſtinabantur conſueverunt Continentiæ votum emittere*. XV. *Ex recenti praxi Votum Continentiæ non emmittitur, nihilominus ſuſcipientes Sacrum Ordinem tenentur ad obſervantiam hujus Voti ex Præcepto Eccleſiæ*. XVI. *Reprobantur illi Theologi, qui docent Continentiam Ordinibus Sacris annexam jure Divino. Utrum Eccleſia poſſit, & debeat hanc legem tollere inquiritur. Pini II. vindicatur, & agitur de diſpenſatione ab obſervantia hujus Voti*. XVII. *Promotus ad Subdiaconatum per vim conditionalem, non tenetur Continentiam ſervare*. XVIII. *Neque ad eamdem continentiam tenetur ille, qui fuit in Pupillari ætate ordinatus ante uſum rationis, niſi concurrant limitationes, de quibus hic agitur*. XIX. *Clerici Minores tam in Eccleſia Græca, quam in Latina olim continentiam obſervarunt. Alia tunc fuit, & alia nunc eſt Eccleſiæ Recentioris praxis. Agitur de Clericis Uxoratis*.

CAPUT VII.

DE TONSURA CLERICALI.

Num. I. *Ut Clerici aliis exemplo eſſent ſemper optavit Eccleſia, & Leges indixit, ut nullus Ordinibus initiaretur, cujus vita, & mores non probarentur. Ad has Leges pertinet præceptum Apoſtoli de non nutrienda Coma, unde Tonſuræ antiquiſſima obſervatio prodiit, qua Pueri præparabantur ad Ordines ſuſcipiendos*. II. *Hæc autem antiquitus cum primo Ordinum gradu conferebatur, & erat pars illius Ceremonialis, ſed a* II. *Toletano Concilio, &* IV.

hac praxis prodiit Miniſtros eligendi, qui hoc tantum externo ſigno inſigniti eſſent.

§. *Unicus*. Licet graviſſima ſint Canoniſtarum fundamenta, quæ probant Tonſuram Ordinem eſſe, & Caracterem imprimere, nihilominus aſſerimus non eſſe æquum Theologorum ſententiam, vel refellere, vel parvi pendere.

A Num. III. *uſque ad* VII. *Argumenta ponuntur, quibus probatur Tonſuram eſſe Ordinem* VIII. *Perpenditur Decretum Concilii Tridentini*. IX. *Verba Cathechiſmi Romani adduntur, ſed ex his nihil demonſtrative concluditur pro Sententia Canoniſtarum*. X. *Theologi contrarium Canoniſtis ſentiunt, & eorum Auctoritas pluris facienda eſt*. XI. *De Pſalmiſtatu quid ſentiant Antiqui Canones, & qua fuerit circa illum Eccleſiæ diſciplina demonſtratur*. XII. *Agitur de Clerici Tonſura, & argumenta recenſentur, quæ illius neceſſitatem oſtendunt, ut Clericus frui poſſit Eccleſiaſticis Privilegiis, & Officiis. Quale ſit crimen non incedere in habitu, & Tonſura oſtenditur, & qua Pœna delinquentes puniantur*. XIII. *De qualitate Veſtium agitur, quas Clerici deferre debent, Tridentini Concilii Decretum expenditur & Epiſcopis hac cognitio relinquitur*.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS

PARS ALTERA

DE SACRO PRINCIPATU.

Indicantur Hæreticorum errores: Controverſiæ ſtatus aperitur, & Diſputationis Ordo.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRI PRINCIPATUS.

Num. I. *Marſilius de Padua, Joannes de Janduno; Joannes de Dominis; coactivam Eccleſiæ in Laicos Poteſtatem traducunt, ſed eorum conatus refellitur*.

§. I. Eſt in Eccleſia poteſtas condendi leges, quæ obbligant Fideles etiam nolentes jubendo ex auctoritate, ut illæ ſerventur, & niſi fiat, in forma judicii procedendi contra tranſgreſſores.

Num. II. *Scriptura, Concilia, & DD. ſuppeditant fundamenta, quibus hæc veritas comprobatur*. III. *Confirmatur idem ex Syſtemate cujuſcunque bene*

Bene ordinatæ Reipublicæ. IV. *Agitur de obligatione cujuſcumque Legis, cui reſiſtere, idem eſt ac reſiſtere Divinæ Ordinationi.* V. *Proponuntur argumenta Adverſariorum.* VI. VII. VIII. *Adverſariorum, & Novatorum Argumentis reſponditur.* IX. *Laudatur B. Bernardus, & ejus Auctoritas explicatur, ſimulque additur Diſciplina Apoſtolica, Patrum Sententia, adducuntur item Concilia.* X. *Eccleſiæ Poteſtas vindicativa ab Auguſtino defenditur contra jui temporis detractores, quorum effugium refellitur; & Sacerdotii, & Imperii concordia in reprimendis audacibus commendatur.* XI. *Forma Judiciorum traditur, & quæ ſint optimi Judicis munera Apoſtolicæ Doctrinæ tradit, & tota quæſtio plenius dilucidatur.*

CAPUT II.

DE FORMA SACRI PRINCIPATUS.

§. I. Cum omnis Principatus, ut docet S. Ignatius Antiochenus in Epiſtola ad Trallianos, rite & ſapienter ordinatus, tribus præſertim conſtare debeat, auctoritate nimirum ad operandum, prudentia ad judicandum, & deliberandum, virtute, & diligentia ad exequendum, triplicem in Eccleſiæ hierarchizantium Ordinem Chriſtus conſtituit Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum; quapropter aberrat a veritate longiſſime, quicumque alienæ Opinionis Sectator reliquos Clericorum inferiores Ordines, aliuſque ſtatus Perſonarum Eccleſiaſticarum, & ipſum Populum Chriſtianum hierarchicis Ordinibus adnumerare contendit.

Num. I. *Silentium omnium præteritarum retro ætatum optimum eſt argumentum Subdiaconos, & inferiores alios Clericos &c. nuſquam in hierarchiæ partem vocatos fuiſſe.* II. *Eorum nomina nullibi aliqua præfixa Principatus nota leguntur.* III. *Nunquam Generalibus Conciliis interfuerunt ad Negotiorum Eccleſiaſticorum tractationem.* IV. *Nunquam Eccleſiarum quarumdam Spirituali regimini, & adminiſtrationi præfecti fuerunt.* V. *Patrum Sententiæ recenſentur, quæ reliquum Chriſtianum populum arcent ab Hierarchicis Ordinibus.* VI. *Argumenta quatuor in contrarium exponuntur.* VIII. IX. X. XI. *Adverſariorum argumentis reſpondetur.* XII. *Monachi collocandi non ſunt in Eccleſiaſtica hierarchia ſtricte ſumpta.* XIII. *Mulieres arcentur penitus, & inter has Diaconiſſæ, & Moniales.*

§. II. Sunt Epiſcoporum varii gradus, non quidem Ordinis, ſed Juriſdictionis poteſtate, & vel majori, vel minori Poteſtatis amplitudine inter ſe diſtincti, partim ex Chriſti ordinatione, & partim Eccleſiæ auctoritate. Ex Chriſti Ordinatione unus ceteris Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Epiſcopis cum plenitudine Poteſtatis præfectus eſt, ſcilicet Petrus Apoſtolorum Princeps, ac totius Eccleſiæ Paſtor, & quicumque ei in Cathedra Succeſſor eſt. Auctoritate Eccleſiæ inſtituti ſunt Archiepiſcopi, & his Superiores Primates, & Patriarchæ.

Num. XIV *Heterodoxi repugnant, ſed conſtans Traditio hanc Aſſertionem confirmat.* XV. *Ejuſdem Traditionis Conſtantia, cujus teſtes ſunt Græci,*

Digitized by Google

ci, & Latini PP. Calvinus impugnator. XVI. *Romanus Pontifex D. Petri Succeſſor in Cathedra, ſuccedit etiam in Privilegio, & Orbi univerſo præſidet*. XVII. *Concilia, & Putres in hoc conveniunt, qui Rom. Pontificem omnes revereutur, & prædicunt Controverſiorum Fidei Judicem, & Appellationum*. XVIII. *Contra Petri Primatum ea, quæ ab Adverſariis objiciuntur ſummarie exponuntur*. XIX. *Summarie etiam ea traduntur, quæ adverſautur Seſſioni Petri in Urbe Roma*. XX. *uſq. ad* XXVI. *Reſpondetur iis, quæ a Novatoribus congeruntur contra Petri Primatum* XXVII. *Licet obſcure, tamen ex Scriptura probatur Petrum Romæ Sediſſe*. XXVIII. *Silentium Apoſtoli Pauli non eſt ratio ſufficiens, ut concludatur oppoſitum*. XXIX. *Diſſidium Scriptorum in definienda Epoca adventus Petri in Romuna Urbe non favet ſententiæ Adverſariorum. Idem dicitur ex quocumque alio capite hoc diſſidium repetatur*. XXX. *Compututio unnorum permanetiæ Petri in Urbe, ejuſdem acceſſus, & diſceſſus ab Urbe Antiochena, licet inconciune tradatur, neque ex hoc infertur qod Novutores arbitrantur*. XXXI. *Agitur de Martyrio D. Petri, & Romæ contigiſſe probatur* XXXII. *Prærogativa Petro conceſſa non adverſantur Patres, & explicuntur opportune ſinguli in iis locis, in quibus videntur favere Novatoribus*. XXXIII. *Culvini calumnia refellitur, & jus Appellutionis ad Rom. Pont. confirmatur, Putrum Sententiæ ſi quæ inveniuntur huic fundamento contrariæ, explicantur*. XXXIV. *Primutus Romani Pontificis ortum non habuit ab Imperutoribus propter excellentiam Urbis Romanæ, præſertim vero a Valentiniano, cujus Novella citatur, & explicatur. Alius eſt Primatus Summi Pontificis, & alius eſt Primatus Patriurchicus Eccleſiæ Romanæ. Traditur Cunon* 28. *Concili Chalcedonenſis, & ad examen revocatur*. XXXV. *Explicatur loquendi modus illorum Patrum, qui aſſerunt Epiſcopos Univerſalis Eccleſiæ curam ſuſtinere. Exponitur Canon* 6. *Concilii Niceni* I.

§. III. Agitur de Archiepiſcopis, qui iidem ſunt ac Metropolitani, & de Patriarchis, qui hodie iidem ſunt ac Primates, & de ſingulorum juriſdictione in Eccleſiaſtica Hierarchia.

Num. XXXVI. *Metropolitanorum Origo, a quibus ſit petenda non facile definitur; tamen oſtenditur antiquiſſima; & plura ſuper hoc argumento notantur*. XXXVII. *Metropolitanorum jura tum antiqua, tum recentiora adduntur, & eorum peculiaria Privilegiu*. XXXVIII. *De Primatibus, eorum origine, & juribus diſſeritur*. XXIX. *Agitur de Putriarchis, & eorum origine, & quanta eſſet Patriarcharum dignitas*. XL. *Memoratur antiquus Patriarcharum numerus, & quomodo hic auctus ſit; ubi plura de Patriarchatu* CS. XLI. *Privilegia Patriarcharum deſcribuntur*.

CAPUT III.

DE SUBORDINATIONE RATIONE JURISDICTIONIS INTER MEMBRA HIERARCHICA.

Num. I. *Subordinatio eſt ſummum quarumlibet Societatum bonum. Avertit Schiſmata dum conſervat unitatem; unde merito quæritur ſub quo regimine tutius conſervetur*.

§. I.

§. II. Monarchicum eſt Eccleſiæ regimen; ſed temperatum ex Ariſtocratia, & Democratia.

Num. II. *Inſinuatur hæc veritas multiplici ratione. III. Explicantur verba Apoſtoli*: Attendite vobis, & univerſo Gregi *&c. ne inferatur Eccleſiæ regimen ab his verbis Ariſtocraticum demonſtrari. Augetur ratio quia Optimates rariſſime interſunt Conciliis. V. Chriſtus heri, & hodie, qui rexit heri, idem hodie regit Eccleſiam, non mutata forma. VI. Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ, qui ſingulis præſunt Eccleſiis, eamdem ſemper Eccleſiæ formam agnoverunt. VII. Omnes in Eccleſiaſtica Hierarchia, & in omnibus a R. Pontifice dependent. VIII. Singuli Paſtores ſuis Juriſdictionibus non abutuntur, neque eaſdem cum aliis confundunt, & quilibet eorum ſuos ſubditos in unitate, & Officio ſuo continet. IX. Mendacia Novatorum deteguntur in variis Propoſitionibus.*

Propoſitio I. Summi Pontificis ſuprema auctoritas, & Canonum obſervantia ſimul vindicatur.

Perpenditur ineptiſſimum Novatorum argumentum petitum ex his verbis: Si peccaverit in te Frater tuus corripe eum: Si te non audierit dic Eccleſiæ, *quibus probare contendunt ſubjectionem Rom. Pontificis Univerſitati Fidelium. X. Non minus ineptum oſtenditur aliud argumentum quo Novatores R. P. univerſitati fidelium ſubjiciunt, quia inquiunt Unitas Fidelium ab univerſali Concilio, excluſo Pontifice, repræſentatur. XI. Vanitas argumentorum oſtenditur ab omnium ætatum nunquam interrupta traditione. XII Ex Verbis Chriſti Domini, & Divini Juris diſpoſitione ſtatuta veritas confirmatur. XIII. Augetur argumentum ab exemplis illorum Conciliorum, quorum Acta Rom. Pontifices reſciderunt. XIV. Caſus hæreſis excipiendus eſſet; verum oſtenditur nullum hactenus ex Pontificibus in hoc crimen incidiſſe. Recenſentur nomina eorum, qui hujus criminis accuſantur, & vindicatur eorum Orthodoxa fides. XV. Laudatur Honorius, & vindicatur. XVI. Temperamentum exponitur, quod ſuppeditant Patres ſi contingeret, quod Papa doceret hæreſim, aut formaliter Hæreticus fieret, ubi plura de hoc argumento notantur. XVII. Eccleſiam Romanam Canonum omnium perpetuo vindicaſſe obſervantiam pluribus momentis oſtenditur. XVIII. Alia proferuntur in ejuſdem argumenti confirmationem.*

Propoſitio II. De plenitudine Juriſdictionis R. Pontifex poteſt in toto Orbe Sacros Miniſtros eligere, & ad Eccleſiaſticos gradus promovere, & licet non utatur hoc jure ſuo, ubi Miniſtri ad inferiores Epiſcopatu gradus promovendi ſunt, tamen quemadmodum nunc, ita antiquitus nullos Orthodoxus Populus agnovit Epiſcopos, quorum electionem, aut Ordinationem non confirmaſſet Apoſtolicæ Sedis Auctoritas.

Num. XIX. *Prima pars Propoſitionis a nemine controvertitur, ſed dubitatur plurimum de altera, an ſcilicet Electio, Vocatio, & Miſſio Epiſcoporum revera pendeat a R. P. XX. Conſtans Eccleſiæ uſus exponitur, qui hanc*

ſa-

facultatem in R. P. ſemper agnovit. XXI. *Aliis graviſſimis monumentis eadem veritas confirmatur.* XXII. *Si aliquando Electiones, Miſſiones, & Conſecrationes Epiſcoporum factæ ſunt ab alio quam a R. P. ex illius commiſſione, & auctoritate factæ demonſtrantur, quæ auctoritas tanta eſt, ut poſſit etiam regulam præſcribere in Electione ipſius Pontificis Romani.*

Propoſitio III. Cum non raro ſuboriri ex Scripturis de Lege, Fide, & Religione dubitationes, Quæſtiones, & Controverſiæ ſoleant; eas ſi inter Chriſti fideles futura eſt fidei unitas, & concordia, Suprema Rom. Pontificis auctoritate neceſſe eſt terminari, definiri judicio, ad quod tantum pertinet illud Chriſti oratione impetratum Privilegium, ne quando deficere poſſet ejus fides ad Fratrum Confirmationem in fide.

Num. XXIII. *Ex ipſa natura rei hac veritas demonſtratur ut fides integra perſeveret, & viciſſitudinibus non adumbretur, ut aliquis inveniatur cujus omnes ſequi oporteat judicium, ne omnes in foveam trahantur.* XXIV. *Sola Scriptura ad dilucidandam veritatem non ſufficit, niſi ſit illius infallibilis interpres, qui audaces coherceat, & ignaros erudiat, & falſitatem expellat.* XXV. *Ex aliorum facto demonſtratur hac veritas, qui hanc viam ſecuti ſunt, ut Caput Eccleſiæ conſulerent, aut in oppoſitam abierunt, proprio marte Scripturas interpretati.* XXVI *Totus Orbis illos habuit hæreticos, quos tales eſſe R Pontifex declaravit, a quo ſolo Eccleſia omnis judicium ſuum, ſententiamque expectavit, independenter a Conciliis Generalibus.* XXVII. *Ex hoc vero quod R. Pontifex dum Judex ſedet Controverſiarum aliorum Sententias audiat, & indicat aliquando Concilium, prudentiæ ſuæ hoc debetur, non ejuſdem Infallibilitatis defectui, cum aliorum Deciſiones a ſola Pontificia dependeant, & per hanc confirmentur.* XXVIII. *Eo pervenit R. Pontificis privilegium infallibilitatis, ut illum non deſerat etiam cum agitur de colendo Divo, quem colere, ſi Divus non eſſet, & cum ratione, & cum Evangelio pugnaret: vel ubi agitur de moribus, & de Sententiis Auctorum, cum illorum Opera proſcribit, & damnat.*

Propoſitio IV. Inter ea, quæ omnium maxima Chriſtianæ Religionis negotia cenſentur, ennumerari ſolet Sancti alicujus Canonizatio, quæ propterea ſolius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidis ſupremo reſervatur judicio, & illius definitivæ Sententiæ.

Num. XXIX. *Gentilium Apotheoſis in multis differt a noſtra Canonizatione Sanctorum: hæc diſcrimina recenſentur, & antiqua Eccleſiæ diſciplina, & praxis exponitur.* XXX. *Agitur de neceſſitate Eccleſiaſtici Judicii ne plebs coerceatur in cultu Defunctorum, quod judicium in primitiva Eccleſia ad Epiſcopos ſingularium Diœceſium ſpectabat, & tantum pro ſuis Diœceſibus.* XXXI. *Annuente R. Pontifice Cultus hic ad totam Eccleſiam extendebatur, donec tandem in hoc negotio graviſſimo fuit diſciplina immutata, quæ jus Beatificationis & Canonizationis Epiſcopis, Metropolitanis, Patriarchis &c. abſtulit, & ſoli R. Pontifici commendavit, atque id contingit Summo Pontifice Joanne* XV. *& Urbanus* VIII. *illud Sedi Apoſtolicæ reſervavit* A. 1634 XXXII. *Nunquam R. Pontifex Cauſſæ Canonizationis definitionem arbitrio aliorum*

dele-

Digitized by Google

delegavit, *neque Generalia Concilia hoc ſibi jus uſurparunt*.

Propoſitio V. Canonum diſpenſationes, quarum eſt in Politia Eccleſiaſtica frequentiſſimus uſus Summo Pontifici præcipue concreditæ, non minus quam ſuperiora convincunt Apicem Auctoritatis ſolum Rom. Pontificibus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Rectoribus convenire.

Num. XXXIII. *Verba*, *& facta Summorum Pontificum per omnes ætates hunc morem ſervandorum Canonum exacte probant*. XXXIV. *Refractorum Canonum Auctoribus aliquando venia conceſſa eſt*, *eoſdemque in ſuos gradus fuiſſe receptos antiqua Eccleſiæ praxis oſtendit*. XXXV. *Non tamen ita frequenter*, *nam Canonum violatores ſtatim Canonica pœna plectebantur*, *niſi manifeſta ratio aliud ſuaſiſſet*. XXXVI. *Mitior Eccleſia fuit in ætatibus recentioribus*, *& demum a Concilio Tridentino forma tradita exhibetur pro diſpenſationibus Canonicis concedendis*. XXXVII. *Explicatur Decretum Concilii Tridentini*, *& uberius agitur de auctoritate Pontificis in concedendis Diſpenſationibus*. XXXVIII. *Diſpenſationes non concedi ad arbitrium Papæ nulla præexiſtente cauſſa*, *aut in vim alicujus introductæ conſuetudinis prolixe oſtenditur contra pravam aliquorum ſententiam*. XXXIX. *Nonnulla alia Adverſariorum effugia dirimuntur*, *& agitur de Jure Inveſtiturarum*. XL. *Romana Sedes*, *quæ non acquievit Refractoribus Sacr. Canonum*, *aliquando Laicas audacias diſſimulavit œconomia quadam*, *& diſpenſatione minime damnanda*, *aut* neceſſitate cogente, aut ſubreptione *fallente* [illegible] *contra Parmen.* XLI. *Oecumenici* VIII. *Concilii teſtimonio concluditur ſoli Rom. Pontifici fuiſſe concreditam in Sacris Canonibus diſpenſandi facultatem*.

§. II. Caſtigantur Novatorum errata circa Epiſcoporum, & Presbyterorum Juriſdictionem.

Num. XLII. *Epiſcopalis*, *& Presbyteralis Poteſtatis ſolus Chriſtus Auctor oſtenditur*. *Elucidatur hæc veritas in aliquibus Propoſitionibus*.

Propoſitio I. Chriſtus Paſtorum omnium caput Paſtoralem Ordinem in nova Lege inſtituit, quem in Veteri ſe daturum Deus, & inſtituturum promiſerat.

Num. XLIII. *Veritas Propoſitionis elucet ex ipſa Scriptura*, *deinde vero ab iis*, *quæ in Veteri Teſtamento Deus ordinavit in electione Aaron & Filiorum ejus*, *& Principum familiarum*, *ut præeſſent rebus Sacris*. XLIV. *& demum ex iis quæ in Novo Teſtamento operatus eſt Chriſtus Dominus*, *cum ſuam Eccleſiam fundavit*.

Propoſitio II. Epiſcoporum Ordinis inſtitutio, tamquam Paſtorum primi gradus, Chriſtum Dominum habet auctorem.

Num. XLV. *Cum Epiſcopatus ad Ordinis Sacramentum pertineat*, *cujus eſt complementum ex hoc ſtatim ſequitur a Chriſto ſuam habere originem*, *& Epiſcopos a Chriſto eſſe inſtitutos*, *neque poſſe aliam originem excogitari*,

neque

neque poſſe a quocunque aliud inveniri quod adverſetur Chriſti inſtitutioni, Apoſtolorum electioni, & eorum ſucceſſoribus in dignitate, & in juriſdictione Paſtorali. XLVI. *Clarius, & uberius oſtenditur Epiſcopalis ſtatus origo vere Apoſtolica, non figurative, & ſimilitudinarie, ut volunt Heterodoxi.* XLVII. *Efficacius contra Novatores demonſtratur hac veritas ex ſucceſſionibus omnium Eccleſiarum, præcipue vero Alexandrinæ, Antiochenæ, Jeroſolymitanæ, & Romanæ.*

Propoſitio III. In Eccleſiis ſingulis ſingulos Epiſcopos ſediſſe, idque Auctoribus eſſe factum Apoſtolis, demonſtratur.

Num. XLVIII. *Primum argumentum ex Traditione petitur.* XLIX. *Augetur argumentum ex Patribus.* L. *Magis augetur argumentis ex Scriptura petitis.* LI. Salmaſius *citatur, & illius fundamentum refellitur.* LII. *Secundum* Salmaſii *argumentum perpenditur, & rejicitur.* LIII. *Caſus abſentiæ examinatur, ſed hic non ſufficit ut ſententia Novatorum eligatur verum additur quid in hoc caſu actum fuiſſet ab Apoſtolis ſalva tamen ſemper unitate Epiſcoporum in Eccleſia.*

Propoſitio IV. Non humana inſtitutione illud ipſum quod nunc cernimus Epiſcoporum, & Presbyterorum diſcrimen introductum eſt, ſed Catholicam ab initio Chriſti Eccleſiam illud agnoviſſe, & recepiſſe ex Apoſtolorum doctrina, & traditione quiſque poteſt luce clarius perſpicere.

Num. *LIV. Argumentum ut hoc probetur ſuppeditat modus ille, quem Chriſtus tenuit in Electione Apoſtolorum, alius ab illo, quo uſus eſt dum 72. Diſcipulos deſignavit. In Apoſtolis cernimus electionem Epiſcoporum, in Diſcipulis reliquis videmus Presbyteros. Additur Apoſtolica Praxis, & mos perpetuus Epiſcopos eligendi ex inferioribus gradibus, ut praeſſent ceteris.* Salmaſius *laudatur, qui non diſentit: Aerius confutatur. LV Non conceditur, ſed firmiſſime contradicitur Novatoribus, qui Presbyteros, & Epiſcopos omnes ab ipſa Ordinatione honore, & poteſtate æquales fuiſſe, & perperam confugiunt ad auctoritatem Pſeudo-Ambroſii in Comm. ad 4. cap.* Epiſt. *ad Ephes. LVI* Evidentius *oſtenditur differentia inter Presbyterum, & Epiſcopum. LVII. Epiſcopatus ſemper fuit Præfectura ſpiritualis, & qui judicandi poteſtatem Epiſcopis detrahit, ſpiritualem illis juriſdictionem adimit. Etiam* Curatio *pertinet ad Epiſcopum, non vero in ſenſu hæretico, ſed Catholico, & qualis ſit explicatur. LIX. Nulla Eccleſia aliter ſenſit, unde quod objicitur a Novatoribus de Regno Scotiæ & Britanniæ ementitæ hiſtoriæ pars eſt, nam contrarium oſtenditur. LX. Nunquam Eccleſia hunc Ordinem immutavit.*

Propoſitio V. Corepiſcopi Ordinatione ſua, non erant Epiſcopi, ſed meri Presbyteri aliquo Iuriſdictionis Epiſcopalis Privilegio adaucti.

Num. LXI. *Corepiſcoporum, & Parœciarum Origo traditur. LXII. Ex Sacris Canonibus demonſtratur Corepiſcopos nunquam fuiſſe Epiſcopos. LXIII. Aliquando nonnulli Corepiſcopi Epiſcopali Charactere inſigniti fuerunt ex alia Cauſſa quam Corepiſcopatus; nam ut Corepiſcopi nunquam Eccleſia illos ad*

Epi-

Epiſcopalem honorem, & gradum vocavit, ſed Epiſcopi ipſi in partem ſollicitudinis Curæ Diœceſis illos appellarant. Quod ſi Epiſcoporum munera peregiſſe inveniantur, & præſertim Presbyterorum Ordinationes, eaſdem inanes, & temerarias judicavit Eccleſia. Ad examen revocatur Epiſtola Decretalis Nicolai I. Rodulpho Archiepiſcopo Bituricenſi A. 864.

Propoſitio VI. Cujuſlibet Eccleſiæ particularis regimen ad breve tempus neceſſitate exigente Presbyteris, & Diaconis committi poſſe, rationibus, & certiſſimæ Fidei hiſtoriis demonſtratur.

Num. LXIV. *Ex praxi Eccleſiæ quid fieri debeat, aut ſoleat dum Epiſcopus moritur. LXV. Hujus praxis memorantur exempla, & præcipuum petitur ex Antiquitatibus Britannicis. LXVI. Explicantur verba Apoſtoli ad Epiſcopos* Attendite vobis, & univerſo Greg., in quo poſuit vos Spiritus S. regere Eccleſiam Dei, *& principalior ſententia confirmatur.*

§. III. Diaconorum in Presbyteros inſurgentium ambitus, & antiquus, & antiquis temporibus natus impugnatur.

Num. LXVII. *Superiores Ordines, inter quos eſt Presbyteratus, inferioribus imperitare, inter quos eſt Diaconatus, & unumquemque in ſuo Ordine eſſe oportere in mutuis probatur. LXVIII. Excipitur Caſus, quo Diaconus locum teneat vel Patriarchæ; vel Metropolitani, vel Pontificis. LXIX.* Nova Pra*xis a Sæculo VI. in Eccleſia invaluit, nam pluribus in locis Archidiaconi præeſſe cœperunt Presbyteris, & ſenſim Prælatis Ordinariis accenſeri cum juriſdictione contentioſi fori. LXX. Archidiaconorum munera recenſentur. Ex recentiori Eccleſiæ praxi Archidiaconatus dignitas confertur Presbytero, ſed juxta veterem diſciplinam, Ordinatus Presbyter dignitate Archidiaconali excidebat. LXXI. Ne Archidiaconorum arbitrio omnia ſubverterentur, & Archipresbyteralis honor ludibrio omnibus eſſet, Eccleſia temperamentum aliquod poſuit inter utramque dignitatem. LXXII. Diaconi alii a Presbyteris, & diverſa ſunt eorum Officia.*

CAPUT IV.

DE PERSONIS ILLIS, QUÆ CONJUNCTIM IN HIERARCHIA STRICTE SUMPTA PONUNTUR, ET JURISDICTIONIS USUM CUM CETERIS HABENT.

Num. I. *Unde petatur Cardinalis nominis Origo, & quinam olim appellarentur Cardinales oſtenditur.*

§. I. Status proprius Cardinalium Rom. Eccleſiæ non eſt ſpecialis Ordo a Chriſto inſtitutus, qui inter ceteros Eccleſiæ gradus numerari debeat, neque ab ipſo tempore Apoſtolorum ullum eorum munus fuit diſtinctum a munere, & Officio aliorum Ordinum.

Num. II. *Exponitur ſententia ſingularis Jo. . o Turrecremata, qui ſtatum Cardinalium ex Divina inſtitutione ad Hierarchiam pertinere tuetur ab ipſis temporibus Apoſtolorum. III. Maximi momenti fundamenta contrariam Turriſcremata opinionem confutant. IV. Ad examen revocatur illa antiqua Eccleſiæ forma ab ipſis Apoſtolorum temporibus recepta cum perſecutione graſſante Eccleſiaſtica negotia agebant Rom. Pontifices. V. Oſtenditur quid contigerit Apoſtolis dum Chriſtus in terris agebat, itemque perpenditur eorum munus, ad quod eoſdem aſſumpſerat, & ex his omnibus Turriſcremata confutatur.*

§. II. Cardinalium dignitas tunc tanti faſtigii putatur, ut abſorbeat aliam quamcumque dignitatem.

Num. VI. *Notatur Calvinus, & Bartholomæus de Martyribus, variiſque fundamentis demonſtratur ceteris omnibus, præter quam Rom. Pontifici, Cardinales præferendos eſſe. VII. Commemoratur fabula de Cardinalitia dignitate S. Hieronymi, nec S. Doctoris verba ad Auguſtinum fucum faciunt Novatoribus. VIII. Explicatur in quo ſenſu dicatur quod Pontifex ſine Cardinalibus nihil agat, ubi breviter indicantur variæ Congregationes Cardinalium IX. Obvius agitur de varietate Congregationum, & earum muneribus. X. Aliarum Congregationum fit mentio, & Cardinalium varius numerus traditur. Quot olim fuerint, & quot modo ſint, & quid ad unumquemque ſpectet: XI De Titulis Cardinalium: de eorum abſentia ab Urbe, itemque in Urbe præſentia, & de Legibus, quibus ſubjiciuntur. XII. De Cardinalium indumentis. XIII. De Privilegiis eorumdem XIV. Potiſſimum Privilegium eſt Electio Rom. Pontificis, de qua hic pauca recoluntur.*

Propoſitio I. Poſſunt Cardinales in Conclavi præſentes convenire ut valeat Electio Rom. Pontificis celebrata a majori parte Collegii: Magis enim conſulitur Eccleſiæ Univerſali cum Electio plurimorum approbatur conſenſu.

Num. XV. *Triplex Compromiſſi forma traditur, & ex his una refellitur XVI. Confirmatur Propoſitio multiplici argumento XVII. Oſtenditur quod in Compromiſſis, quæ probantur nihil reperiatur adverſum Gregorianæ Conſtitutioni.*

Propoſitio II. Cardinales in Conclavi præſentes, etſi licite compromittere in unum tantum ex Sacro Collegio non poſſint, valebit tamen ſi Compromiſſum ita erit abſolutum, & Papæ Electio non irritabitur.

Num. XVIII. *Cauſæ dubitationis oſtenditur. XIX. Juris Interpretes hanc opinionem tuentur, ut diſſenſionibus occurratur, & diuturnæ Vacationi Eccleſiarum, & Perſonatuum. XX. XXI. Proferuntur contraria argumenta in jure fundata. XXII. Sed principalis aſſertio concluditur.*

Propoſitio III. In Perſonas extra Sacrum Collegium, dummodo ſint Clerici, licitum eſt Cardinalibus compromittere, & electus ad Apoſtolatus Officium, ab Univerſali Eccleſia Rom. Pontifex habendus erit.

Num. XXIII.

Digitized by Google

Num. XXIII. *Spiritualis actus transferri non poteſt in laicum cum obſequendi adeſt neceſſitas non auctoritas conferendi. Agitur de differentia inter Electionem, Præſentationem, & Procurationem. quæ duo poſteriora conveniunt Laicis, ſed non primum. XXIV. Plurimum nihilominus in hac re dubitatum eſt a Juris Interpretibus, & exponitur Dubii cauſſa, & exponuntur duæ oppoſitæ ſententiæ in quas abierunt, & prima probatur. XXV. Altera ſententia probatur. XXVI. Quidnam certi ſtatuendum erit, audietur ab Oraculo Pontificis cum Controverſis hac a Papa dirimetur: Probabilior nobis videtur illa ſententia, quæ in Propoſitione ſuſtinetur.*

§. III. De Officialibus Curiæ Romanæ.

Num. XXVII. De Cancellario *agitur, de ejus Origine, & Muneribus. Aliquando Archi Cancellarius appellatus eſt: hodie vocatur V. Cancellarius. Miniſtris quibuſdam praeeſt, quorum nomina, & Officia recenſentur. XXVIII.* De Cardinali Prodatario, *quænam ejus Origo, & quæ præſtare teneatur: Papa ſecundum intentionem Datarii movetur ad Gratias concedendas, vel denegandas. unde vocatur Organum mentis, & vocis Papæ. Agitur etiam de variis Dataria Officialibus. XXIX.* De Cardinali Pœnitentiario. *Quando & quare Cardinalis Pœnitentiarius creatus fuerit. De origine Pœnitentiariæ. De Miniſtris ſubalternis, de Privilegiis Major. Pœnitentiarii. XXX.* De Cardinali Secretario Brevium. *Agitur de Origine, & Officio hujus Secretarii, annumerantur plures alii Secretarii, & illorum diſcrimina, & munera ſingulorum. XXXI* De Cardinali Vicario. *Vicarius Papæ olim erat Epiſcopus, poſtea fuit Cardinalis. Eſt Vicarius Papæ non quatenus eſt Paſtor univerſæ Eccleſiæ, ſed quatenus eſt Epiſcopus Urbis. De illius Muneribus. De Miniſtris ſubalternis, ſive ejus Coadjutoribus.*

CAPUT V.

DE CANONICIS CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM ECCLESIARUM.

Num. I. *Quomodo Canonici in Hierarchia locum habeant, quomodo antiquitus Presbyteri inſervirent Epiſcopis.*

§. I. Canonicorum nomen, tum antiquus eorum Status exponitur, & invariata Profeſſio cum Diſciplinæ exterioris mutatione.

Num. *II. Prærogativa hujus nominis, quibus conveniat, & unde ortum habuerit inquiritur. III. Olim Canonicorum vita fuit communis fere uſque ad Sæculum X. & admodum exemplaris, abjecta deinde communi vita deſierunt eſſe Regulares, & facti ſunt Sæculares, cum maxima Diſciplinæ Canonicalis relaxatione. IV. Quænam præſtare debeant Canonici, ut illorum vita cæteris exemplo ſit copioſe traditur.*

§. II. Canonici tenentur ceſſante legitimo impedimento per ſe integrum Divinum Officium peragere.

Num. V. *Tenentur Canonici Horas Canonicas in Choro perſolvere per ſe, non per ſubſtitutos, & debito tempore ſua obire Officia, & in hoc conveniunt Canonicæ Leges, & Imperatoriæ Conſtitutiones. VI. uſque ad IX. In multis oſtenditur Canonicos non ſatisfacere niſi canant in Choro, & diſtributiones non lucrari. Contraria Conſuetudo ſi reponatur, abuſus eſt, & corruptela. Si obſtet aliquod Statutum, cavendum ne ſit ſubreptitium. Si aliquod Privilegium, non facile acquieſcendum. Si id neceſſitas cogat, cavendum ne falſo amore abripiamur. X. Sacris Canonibus adverſari oſtenditur, quod lucrentur Diſtributiones Canonici illi, qui aliquibus, & non ſingulis Horis, ſive etiam ad breviſſima tantum momenta, Choro interſunt. Quod ſi quæ fuerint Statuta, & Conſuetudines, quæ has diſtributiones concedant Canonicis, illa ſunt reſcindenda, iſta vero ut corruptelæ extirpandæ ſunt, & corrigenda illa vana quorumdam opinio eſt, quod Canonici præſentes donent abſentibus diſtributiones, utpote contraria Tridentino Decreto. XI. Canonicus, qui intereſt eo fine principaliter ut lucretur diſtributiones, Spiritualibus terrena mercari convincitur, & licet veram Simoniam non incurrat, tamen a Simonia Mentali non abſolvitur. XII. Numerantur caſus illi, quibus concurrentibus Canonici, et iam ſi Choro non interſint lucrantur Diſtributiones. XIII. Recenſentur illi Caſus, qui non habentur in Jure expreſſi, vel in lege Fundationis, vel in Statuto Eccleſiæ a Sede Apoſt. approbato, quibus concurrentibus Canonicus non lucratur Diſtributiones. Limitatur Caſus Peregrinationis ad lucrandum Jubilæum, & Caſus Privilegiati.*

§. III. Canonici pro ratione Officii, quod præſtare tenentur, Jure Communi ad Perſonalem Reſidentiam obligantur, niſi juſta, & legitima cauſſa excuſentur.

Num. XIV. *Oſtenditur unde petatur neceſſitas Reſidentiæ, & adduntur illa, quæ ad formam Concilii Trid. vel Fundationis Canonicatuum, aut Statuti Eccleſiarum inſpici debent, ne Canonici ſuæ deſint obligationi. XV. Cauſſæ numerantur, quæ Canonicos a Reſidentia eximunt, Uberius agitur de abſentia ſtudiorum cauſſa. XVI. Reſpondetur Dubio propoſito. Utrum Canonici obtinentes dignitatem in Cathedralibus ſine ullis fructibus, reſidere teneantur. XVII. Generaliter concluditur neceſſitas Reſidentiæ in omnibus Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, & non inſignibus cum limitatione ad Collegiatas non inſignes rurales.*

§. IV. Cum Eccleſiæ externa diſciplina a Sacris Canonibus exprimatur, & ex puriſſimo Scripturarum, & Sanctorum PP. fonte hauriantur fundamenta, quibus hæreſes eliminantur, aliique pernicioſi in doctrina errores, & vitia extirpantur, Canonum notitia, & Theologiæ ſtudium congruere Canonicis luculenter oſtenditur.

Num. XVIII. *Fundamenta hujus Concluſionis unde petantur.* XIX. *Quid nomine* Graduati *in jure Canonico intelligatur.* XX. *Imperialium legum ſcientia*

Digitized by Google

tia multum utilis eſt Graduato in Iure Canonico, & non recedunt a Decretis Conciliorum, & a mente Pontificum ii, qui in Dignitatibus, *& Canonicatibus Cathedralium, & Collegiatarum inſignium illos inſtituunt, qui ſunt in utroque jure graduati, & hoc titulo vere ſunt digni.* XXI. Scholaſtria *vel Scholaſteria dignitas quid eſſet exponitur, & utrum adhuc vigeat in Eccleſiis Cathedralibus. XXII. Agitur de Prabenda Theologali, & de munere illius Canonici, cui hac Prabenda aſſignatur.* XXIII. *Agitur de Archidiacono qui debet eſſe Magiſter, ſeu* Doctor, *aut* Licentiatus *in Theologia, vel in Jura Canonico. XXIV. Agitur de Decanis, & eorum muneribus. XXV. Agitur de Canonico Pœnitentiario. XXVI.* Demum *de more Eccleſiæ Orientalis, unde concluditur quod ex regula Divina Providentiæ, & Eccleſiæ inſtitutione Canonicalis aſſumptio, ſaltem ordinarie loquendo, Doctoratus, & Magiſterii Sacræ Scripturæ officio adnexſa eſt.*

§. V. Canonici, & Cathedralia Capitula ex inſtituto ſuo tenentur Epiſcopis allaborare in regimine Eccleſiæ, & quamtumvis exempta ſint, tenentur ea, quæ honoris, & reverentiæ ſunt, eiſdem exhibere.

XXVII. *Epiſcopi juvari debent Conſilio, & Opera Capitulorum, &* Di*gnitatum, ut verum ſit quod membra Capiti cohaerent, & obſequuntur.* XXVIII. *Explicatur clauſula:* niſi conſulto Capitulo. *XXIX. Canonici, & Capitula, quæ vocantur exempta, non ſunt exempta a jure reverentiali, nec ab onere, & obligatione miniſterii communis, ſed a contentioſa juriſdictione, quare tenentur in omnibus reverentiam, & obſequium præſtare ſuis Epiſcopis.*

CAPUT VI.

DE MONACHORUM, ET REGULARIUM INSTITUTIS.

Num. I. *Unde nomen* Monachus: *Multiplex illorum ſpecies, & varia Inſtitutio.*

§. I. Religioſorum Ordines perperam affirmant Heterodoxi rem eſſe recens in Eccleſia invectam.

Num. II. *Argumenta Novatorum afferuntur, quibus probant Monachatum rem novam eſſe & nihil habere commune cum illis, ſi qui fuerunt* IV. & V. *Eccleſiæ* Sæculo. III. *Sententia noſtra probatur.* IV. *Reſpondetur primæ objectioni, cui inter cetera reponitur Philonis auctoritas ab Euſebio relata.* V. *Theloſphorus, &* Dionyſius *ex Monachis ad* Pontificatum *aſſumpti, ambo fuerunt Martyrio coronati.* VI. *Oſtenditur quod veteres* Scriptores *Monachorum meminerunt, ſi non ſpeciatim, ſaltem confuſim cum* Laicis, *nam Monachi inter* Laicos *illa ætate recenſebantur. Sub vocabulo Tharapeutarum de his ſcripſit Philo. Hoc negat Valeſius, ſed rationibus valde infirmis, quibus reſpondetur.* VII. *Joſephi ſententia corrigitur, in qua contendit Philonem non de Monachis, ſed de Eſſenis ſcripſiſſe. Eſſenorum tria genera indicantur,*

quo-

quorum tertium complectebatur Judæos Chriſtianos factos. Fortaſſe potuit Joſephus interpretari Philonem, tamquam ſcribentem de his Eſſenis. Laudantur Dionyſius Areopagita, Petrus Alexandrinus, & alii, qui de Monachis ſcripſerunt. Thomaſſinius emendatur. VIII. *Conferuntur veteres Monachi cum noſtris.* IX. *Ex Scriptura, & PP. demonſtratur non fuiſſe omnino ignotum in primitiva Eccleſia cujuſque rei vovendæ uſum.* X. *Licet in Teſtamento Novo Voti nomen non habeatur, res tamen habetur cum uſu, & explicatione Eccleſiæ per Concilia approbata, & per communem PP. conſenſum. Confutatur Petrus Martyr. & prava illius expoſitio Verborum Scripturæ.* XI. *Caſtigatur Melancthonus, & Calvinus, quod vel non legerint antiquos PP. vel eoſdem traduxerint in pravos eorum ſenſus, ut negarent veros in primitiva Eccleſia fuiſſe Monachos, & attenditur quod etiam ante Perſecutiones Tyrannorum Monachi in ſolitudinibus floruerunt.* XII. *Etſi Monachi in primitiva Eccleſia caruerint Regulis, vel a Sede Apoſtolica, vel ab Epiſcopis approbatis, vivebant tamen juxta præſcriptum a ſuis Superioribus, & juxta Evangelicam formam.*

§. II. Multiplex in IV. & in ſequentibus Sæculis Monachorum facta propagatio eſt, licet vix fuerit eorum nota diſtinctio uſque ad ſæculum XI.

Num. *XIII. Recenſentur ſingulæ illorum Monachorum Claſſes, quæ in Occidente, & Oriente Monachorum Inſtitutum propagarunt uſq. ad* x. *Seculum. XIV. Agitur de Monachis Sibaritis, quorum Inſtitutum erat omnium imperfectiſſimum. Licet in exteriori Monachorum diſciplina varietas appareret, non propterea inter illos erat varietas Ordinum. XV. A Seculo* x *Ordinum incœpit diſtinctio ſub* S. *Oddone Abbate, ſed major nata eſt* Sæculo XI. *Carthuſianorum, Camaldulenſium &c. exortis familiis. Notantur hæc varia diſcrimina. XVI. Salvianus Maſſilienſis citatur, qui in libro 3. ad Eccleſiam Catholicam hæc diſcrimina notat. XVII. Parentes in hac veteri diſciplina Pueros ante pubertatis annos Vitæ Monaſticæ devovebant; Nec Religioſæ Profeſſionis jugum, ubi adultam ætatem attigiſſent, excutere poterant. Romana Eccleſia hanc diſciplinam immutavit. Laudatur Innocentius* III. *& Carolus Magnus. XVIII. Pro receptione ad Profeſſionem Religioſam pretium exigere, & pro ingreſſu in Monaſterium ſemper vetuit Eccleſiæ diſciplina. Aliquid poſſe accipi pro victu Perſonæ* S. *Thomas, &* S. *Bonaventura docuerunt. XIX. Antiqui Monachi ſuis Epiſcopis obediebant, nonnulli vero paullatim ab ipſis Epiſcopis exemptionem obtinuerant. Proferuntur harum Exemptionum exempla uſque ad Seculum* x. *Sibi tamen ſervarunt Epiſcopi Ordinationum jura. In ſequentibus ſæculis Exemptiones aliæ fuerunt, & tandem Ordines ſinguli Religioſorum immunitatem ab Epiſcoporum juriſdictione impetrarunt. XX. Agitur de Operibus Monachorum quarto, quinto ſæculo, & deinceps. XXI. Agitur de Oratione Monachorum. XXII. De eorum macerationibus, & Jejuniis.*

§. III. Non eſt Profeſſio Monachalis, quæ Monachum ad Hierarchici Status dignitatem extollat: hierarchizare facit Monachum Sacrorum Ordinum cum Monaſtico Statu facta conjunctio.

Num. A .. *Exponuntur antiquæ conditiones illorum, qui Monacatum ample-*

amplectebantur, & varia eorum ratio & diſtinctio traditur in Converſos, & Monachos, & unde hæc ortum habuerit; & utrum in ſubſtantialibus omnes convenerint XXIV. Quæritur utrum Monachatus inter hierarchicos gradus numeretur, & ſtatim oſtenditur quod Pſalmodia, ſeu recitatio horarum Canonicarum nomine publico a Monachis non exercitur. XXV. Auſteritates & mortificationes Monachorum aliquo ſenſu nequeunt hierarchica demonſtrari, cum nemo Monachiſmo initietur, ut pro alio ſatisfaciat. XXVI. Solvitur objectio, & demonſtratur quid ſit Monachos ſuas functiones exequi publica auctoritate. XXVII. Oſtenditur diſcrimen inter Pſalmodiam Clericorum, & Monachorum. XXVIII. Actus dilectionis Dei, nec alia exercitia Pietatis a Monachis peracta hierarchicas eſſe functiones oſtenditur. XXIX. Quando, & quare Monachatui adjunctus eſt Clericatus. XXX. Qui ex Monaſteriis ad Clericatum, vel Epiſcopatum aſſumebantur Monaſticum habitum non dimittebant. XXXI. Monachi inſpecto tantum presbyterali, vel Diaconali gradu inter hierarchas merito recenſentur. XXXII. Eadem propoſitio confirmatur. XXXIII. Accedit quod Ordinatores Monachorum non ſolum ad precum, aut Sacrificii uſum eoſdem Monachos Sacris Ordinibus initiati ſunt, ſed pro exigentia Sacerdotalium functionum, & populos Divinis Sacramentis reficiendis.

§. IV. Religioſorum Ordinum recentior diſciplina proponitur, & de eorum gubernatione diſſeritur.

Num. XXXIV. Agitur de conditionibus explendis ut Regularem vitam, & Profeſſionem quis ingrediatur, & primo definitur tempus Probationis juxta Canonicas Sanctiones. XXXV. De Renunciationibus, quæ fieri debent a Novitio, & de tempore definito a Synodo Tridentina, ut Profeſſio ſit valida. XXXVI. Poteſt Novitius condere Teſtamentum etiam in favorem Religionis, in hoc vero audiendus eſt S. Bonaventura, & hanc diſpoſitionem cavere debent Religioſi, & conſulendæ ſunt Leges Patriæ. XXXVII. Nonniſi elapſo integro anno fieri debet Profeſſio, ſive ſit tacita, ſive expreſſa juxta morem Regulæ, & in hoc diſciplina recentior a veteri diſtingitur. Quod ſi tempus Probationis a Conſtitutionibus Ordinis protrahatur, id temporis impendendum erit antequam Profeſſio emittatur. XXXVIII. Agitur de egreſſu Religioſi a Clauſtro, de Evagatione, & de Apoſtaſia. XXXIX. Manere in vocatione optimum eſt, quod ſi urgens cauſſa mutationem requirat, Sapientis erit mutare Conſilium, dummodo hoc fiat juxta canonicas regulas, & tranſitus ſit a laxiori ad ſtrictiorem ſtatum, qui hic explicatur. XL. Experimentum nullitatis Profeſſionis conceditur Religioſo: quando, & quibus conditionibus, & coram quo Superiore oſtenditur. LXI. Incorrigibiles ſunt ejiciendi ad normam Sacr. Canonum. XLII. Obedientia Religioſi jugum dicitur Religionis. Optimæ igitur Religioſi partes erunt illud non excutere, ſed in omnibus, & ſemper ſui Superioris arbitrio ſe ſubjicere & diſpenſationes ab Obedientia non inquirere XLIII. Agitur de Cælibatu annexo Profeſſioni Religioſæ. XLIV. De abdicatione proprietatis, & de ejus effectibus quo ad Religioſos non autem quo ad Monaſteria uſque ad Sæculum IX. quæ deinde multum obfuit Monaſticæ Vitæ integritati. Agitur de vitio proprietatis, & de ejus origine. XLV. Abdicatio bonorum omnium in Religionibus exortis poſt Sæculum IX. ſub titulo Mendicantium. Quænam ſint illæ Religiones, quæ gaudent hoc titulo.

Digitized by Google

XLVI. *Novi Ordines Mendicantium prodierunt poſt Sæculum* XV. *Theatinorum ſcilicet, Scholarum Piarum, aliorumque, verum ex Pontificiis Conſtitutionibus factum eſt quod modo hi ſinguli Ordines bona immobilia poſſidere poſſint, & non deſinant vocari Ordines Mendicantes.* XLVII. *Unde nomen Abbatis derivatum ſit, & illud Prioris Obedientialis, & Prioris Manualis oſtenditur. Singulorum diſcrimen, & tempus eorum regiminis.* XLVIII. *De regimine Abbatum, quomodo ſe gerere debeant, quæ ſit eorum cura, & quis delectus Perſonarum haberi debeat in gubernatione rerum temporalium Monaſterii.* XLIX. *Quomodo eligendus ſit Abbas.* L. *Confirmatur electio Abbatis a Superiore, vel a Pontifice, qua confirmatione impetrata ſtatim actus juriſdictionales exercere poteſt non expectata benedictione, quæ non eſt de eſſentia, niſi aliud exigat hujus Electionis conditio.* LI. *Eligendus Abbas debet eſſe Presbyter, aut ſaltem intra annum ſufficit, quod ad Presbyteratum promoveri poſſit. Utuntur Pontificalibus Ornamentis, ſenſimque addiderunt alia Pontificalia exercitia, in quo caſu debent eſſe ſolemniter benedicti.* LII. *De Generalibus Comitiis.* LIII. *De Viſitatione Monaſteriorum. Uſque ad Sæculum* IX. *Epiſcopi huic Viſitationi operam dederunt, poſtquam vero Monaſteria fuerunt exempta, per Religioſas, circumſpectaſque Perſonas viſitantur.* LIV *Convocatio Capitulorum triennio citius, vel etiam triennio tardius fieri poteſt juxta propria Statuta Monaſteriorum, quibus Canones non derogarunt; non eſt tamen neceſſaria præſentia Præſidis, nam convocari poſſunt per antiquiorem; neceſſe tamen eſt, quod voventes ſinguli adſint, niſi legitime impediantur.* LV. *Quæritur utrum Capitulum Generale poſſit Statutum aliquod condere excludens Perſonas unius tantum Nationis ab Electione paſſiva? & reſolvitur affirmative ex variis momentis.* LVI. *Augentur argumenta, & reſponſio affirmativa confirmatur.*

CAPUT VII.

DE ACTIONIBUS HIERARCHICIS.

Num. I. *Diſtinguuntur varii Actus in ſuas ſpecies, & illi ſeliguntur, qui ad Spiritualem tantum poteſtatem ſpectant, & ab illa proficiſcuntur, qui ab Ordine, & Juriſdictione ita pendent, ut Principatus Actiones dicantur. Recluſio in Monaſteria legitur Actio omnium antiquiſſima, & Correctio, qua in primitiva Eccleſia fideles revocabantur a culpis, & hic mos perſeveravit uſque ad Sæculum duodecimum.* II. *Circa Sæculum* XII. *Eccleſia externum, & judiciale forum ab interno ſeparavit, nam delinquentes, vel pecunia mulctavit, vel arcta cuſtodia, exilioque a propria Patria. Utrum etiam Deportatione punierit controverſia eſt, quæ reſolvitur.* III. *De Temporalibus pœnis, quia hic non agitur, recenſentur pœnæ ſpirituales, Excommunicatio, Interdictum, Suſpenſio.*

§. I. Opportuna eſt triplex Cenſurarum diſtinctio, ſive delinquentium, ſive delictorum ratio habeatur, exceſſibus, & Perſonis, ceteriſque circumſtantiis provida deliberatione penſatis.

Num. IV. *Diverſitas Opinionum inter Juris Canonici Interpretes ponitur circa*

circa numerum Eccleſiaſticarum pœnarum. V. Vallenſis *fortaſſe Cenſuram non recte definit, ſed ſufficienter ad noſtrum intentum. VI. Etiam Cenſurarum facta diviſio non inconcinna obſervatur, ſi delictis, & delinquentibus pœnæ debeant proportionari. VII. Oſtenditur convenientia mutua Cenſurarum, & earum varius uſus in ſingulis ſpeciebus,*

§. II. Expoſita Cenſurarum diſtinctio multiplicem exhibet illorum effectuum ſtatum, qui ab eiſdem Cenſuris proficiſcuntur.

Num. VIII. *Excommunicationis Pœna omnium graviſſima eſt propter triplex incommodum, quod operatur. IX. Excommunicatio juxta hanc diſciplinam immane variatur ab Excommunicatione priorum ætatum, & alterutrius diſcrimina indicantur. X. Agitur de triplici Communione Fidelium in Eccleſia. XI. Excommunicatus ſegregatur ab extrinſeca Communione, itemque Sacramentorum, & a communi Suffragiorum Eccleſiæ participatione. XII. Explicatur in quo conſiſtat hæc ſeparatio. XIII. Excommunicato nunquam licuit communibus Synaxibus, activo, & paſſivo Sacramentorum uſui intereſſe. XIV. Inanis eſt Beneficii collatio, ſi Excommunicato fiat. XV. Communicatio cum Excommunicato notorio, tum in his, quæ ad Divina pertinent, tum in aliis Omnino eſt probibita. Imo & ipſe Excommunicatus, licet adhuc non notorius nequit cum aliis communicare, Contractus tamen initi ab Excommunicatis cum non Excommunicatis ſuſtinentur, item Matrimonium, & Religioſa Profeſſio. XVI. Hallucinatur Lutherus dum aſſerit Excommunicationem eſſe tantum Pœnam externam; itemque dum infert ex noſtris Principiis pœnam eſſe mortalem, non medicinalem: quare vero dicatur medicinalis oſtenditur. XVII, Aliis argumentis Lutherus impetitur, ut natura hujus pœnæ illi efficacius probetur. XVIII Diſcrimen ponitur inter Excommunicationem majorem, & minorem. XIX. Oſtenditur quinam ſint ii, qui minori Excommunicatione innodantur, & explicantur illi Canones, qui videntur aſſerere communicare cum Excommunicato eadem Excommunicatione irretiri. XX. Agitur de Effectibus minoris Excommunicationis, & cum magis dubitetur de Electionibus per ipſum Excommunicatum factis, hic caſus expenditur, & reſolvitur. XXI. Definitur Suſpenſio, & additur quod perperam inquiritur pœna hæc in primitiva Eccleſia.* XXII, *Suſpenditur aliquis ad tempus, aut indefinite: utriuſque hujus Suſpenſionis aſſignantur diſcrimina.* XXIII. *Violatores Suſpenſionum communiter Irregularitatem incurrunt. Explicatur vox* communiter, *& referuntur Caſus, in quibus* Irregularitas *incurritur.* XXIV. *Suſpenſi privantur jure eligendi.* XXV. *Definitur Interdictum, & illius origo quæritur.* XXXVI. *Multiplex Interdicti ſpecies exponitur.* XXVII. *De effectibus interdicti late diſſeritur.* XXVIII. *Ceſſatio a Divinis explicatur, & pœna additur, quam illius violatores incurrunt.*

§. III, Cum tanta ſit Cenſurarum pœna, ſolus R. Pontifex, & Generalia Concilia decernere Cenſuras poſſunt, eaſdem vero ferre poteſt qui Clericus eſt, & idoneus ad conſequendam Eccleſiaſticam dignitatem, conditionibus iis poſitis, quæ a S. Canonibus præſcribuntur.

Num. XXIX. *Potiſſima ratio traditur, ex qua veritas primæ partis hu-*

Jus Concluſionis elicitur. XXX. Oſtenditur pars altera, & dubium ſolvitur an Sacerdotes, & Parochi ferre poſſint Cenſuras, ſaltem in vi Præſcriptionis, aut Conſuetudinis cum aliqua limitatione. XXXI. Mulieres, & Laici non poſſunt ferre Cenſuras, ſed quid dicendum de R. P. num poſſit his Perſonis facultatem concedere ferendi Cenſuras. XXXII. Ut Cenſuræ ferantur modo licito nonnulla requiruntur conditiones, quæ hic exponuntur, & explicantur nonnullæ dubitationes. XXXIII. Cauſſa exigitur ferendæ Cenſuræ, videlicet peccatum grave externo opere conſummatum. Enucleantur varii Caſus, & late hoc argumentum tractatur. XXXIV. Agitur de ſubjecto Cenſurarum; expenduntur conditiones, & varii caſus ad clariorem rei intelligentiam. XXXV. Sine ſolemnitatibus Canonicis inefficaces redduntur Cenſuræ. Agitur de Monitoriis quid ſint, & quando requirantur. XXXVI. Exemplis reſpondetur, quæ videntur oſtendere Apoſtolum, Patres, & Concilia tuliſſe Cenſuras ſine præviis Monitoriis. XXXVII. Praxis ferendæ Cenſuræ exponitur. XXXVIII. De praxi Denunciationis poſt latam Cenſuram diſſeritur, ut Cenſura operetur quoad exteriores effectus. Additur ritus Denunciationum. & poſtremo obiter agitur de Appellatione a Cenſura, & ejus effectu. XXXIX. Indicantur illi caſus, quibus dubitari poteſt de eventu Cenſurarum, et de duobus præcipue agitur, et primo utrum Excommunicatio ſpeciali Statuto lata pro Actu jam Lege Divina damnato ſtatim afficiat, et liget ejus Actus auctores, qui bene norunt actum illum damnatum eſſe, ſed cenſuram ignorant. XL. Exponitur negativa Sententia. XLI Exponitur Sententia affirmativa. XLII. Deciſio hujus Controverſiæ pertinet ad forum contentioſum. XLIII. Prævalet Sententia affirmativa, pro qua additur efficax argumentum petitum ex principio a D. Thoma Statuto. XLIV Additur alia ratio fundata in natura Legis pœnalis, quæ executioni demandatur etiam ſi delinquens illam ignoret. XLV Excommunicatione non innodatur qui pravum actum operatur, quem neſcit Cenſuræ ſubjectum ignorantia facti. Propoſitio explicatur variis exemplis, quibus alteri dubio ſit ſatis. XLVI. Oritur difficultas utrum defectus Contumaciæ & Scientiæ æque impediant lapſum in Cenſuras? Explicatur duplex Contumacia, & Characteres utriuſque, & quæſtioni reſpondetur. XLVII. Caſtigatur quicumque tuetur ex ipſa indole Cenſuræ Contumaciam includere animum obſirmatum in malo, & vindicatur Cabaſutius ab hoc errore. Abſurda quæ inde ſequerentur indicantur, & demum additur quod Conſcientia erronea non inducit Cenſuram. XLVIII. Agitur de Appellatione, & quæritur utrum qui appellat liber maneat a Sententia Excommunicationis? Appellari poteſt a nullitate, ab injuſtitia: quomodo, & quando: & in quo differant hæ Appellationes indicatur, ſicut & modus, quem Judex obſervare poteſt in citatione Excommunicati. XLIX. Explicatur vox Appellatio, & definiuntur illa tempora, quibus Appellare liceret: indicantur etiam illi caſus, in quibus in judicio appellare licet, & explicantur. L. De conditionibus agitur quæ requiruntur, ut poſſit tentari Appellatio: his adduntur modi illi, quibus Cenſura ferri poteſt. LI. Agitur de effectibus Appellationis. LII. Reſpondetur huic dubio utrum cenſeri debeat Excommunicatus ille, qui appellat viva voce dum Sententia Excommunicationis profertur. LIII. Notantur gradus Appellationis, & caſus in quibus appellare non licet.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV. Juriſdictio, quæ inducit poteſtatem inferendi Cenſuras eadem præſupponitur, ſi per aliquem eaſdem oporteat relaxare. iis retentis, quæ a Sacris Canonibus præſcribuntur.

Num. LIV. *Eſt neceſſaria abſolutio a Cenſuris, qua de re petenda demonſtratur, licet fuiſſet injuſte lata, & illi eſt conceſſum abſolvere qui potuit ligare, & revera ligavit, aut ejus Superior, niſi a jure prohibeatur.* LV. *Epiſcopus eſt Ordinarius, qui poteſt abſolvere a Cenſuris præmiſſa earum diſtinctione a jure, & ab homine. Additur aliquid de facto notorio aliquid de facto deducto ad forum Contentioſum, de Vagis, de Advenis, de Peregrinis &c.* LVI. *Uberius idem argumentum exponitur cum ſuis limitationibus ad opportunitatem Caſuum, & Circumſtantiarum.* LVII. *Data ne ſit cuilibet Sacerdoti facultas abſolvendi a Cenſuris in Sacramento Pœnitentiæ perpenditur, & quibus limitationibus illa uti debeat, qui hac facultate fungitur.* LIX. *In articulo mortis quanam methodo procedendum ſit in impertienda abſolutione a Cenſuris. Utrum quilibet Sacerdos, vel approbatus, vel non, poſſit; & concurrentibus pluribus, quorum aliqui eſſent excommunicati, ſuſpenſi &c. quomodo ſit procedendum* LX. *Agitur de Cenſuris Reſervatis, & obiter de hæreſi occulta, ubi ponitur diſcrimen inter hæreticum occultum per ſe ſimpliciter, & occultum per accidens: & fontes illi recenſentur, in quibus inveniuntur hæ reſervationes. Notatur quod Caſus reſervatus Papæ ſemper habeat annexam Cenſuram, & quomodo ſe gerere debeat ille, cui delegata eſt facultas abſolvendi a Cenſuris.* LXI. *Modi exponuntur, quibus peti, & quibus conferri ſolet abſolutio a Cenſuris, hic vero agitur de abſolutione, quæ petitur, vel ſimpliciter, vel ad cautelam. de effectu utriuſque petitionis, & de Superiore a quo peti debet abſolutio ad cautelam.* LXII. *Alia abſolutio dicitur conditionata, alia ad reincidentiam & ſolvitur quæſtio, quæ oritur, vel ex præmiſſa conditione de futuro, puta* donec ſatisfecerit, *vel quando nova culpa non concurrit poſt datam abſolutionem ad reincidentiam. LXIII. Abſolutio abſenti data, aut invito ſuſtinetur cum ſuis limitationibus; ita pariter ſuſtinetur Abſolutio extorta per dolum, errorem &c. qui non ſunt in re ſubſtantiali, ſed ſolum impulſiva. LXIV. Modi exponuntur petendæ abſolutionis a Cenſuris, ut nimirum petens inſpiciat forum, a quo petit abſolvi, & numerum Cenſurarum, a quibus vult abſolvi, ſi pluribus fuerit irretitus, & ſingulas exprimat, & ſecundus iſte modus hic traditur.* LXV. *Agitur de Foro* LXVI. *Sine cauſſa juſta cenſura non tollitur, & aliquando juramentum exigitur de parendo mandatis Eccleſiæ. LXVII. Agitur de forma Abſolutionis. Abſolutio iis etiam impertienda eſt, qui cum Excommunicatione deceſſerunt, & hujus abſolutionis vis explicatur. LXVIII. Monitoria ſunt ſpecies Excommunicationis contra illos, qui non revelant res deperditas & inventas, vel ſubtractas, & non reſtituunt, aut inventorem non indicant. Conditiones requiruntur ut Monitoria concedantur.* LXIX. *Cum inter has conditiones illa recenſeatur, quæ vult quod a ſolis Epiſcopis non ab inferioribus Prælatis Monitoria ferantur, perpenditur dubium a quo peti debeant, ſi his indigeret ſubditus Abbatis exempti, & Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis.* LXX *Numerantur ii, qui non tenentur parere Monitoriis.* LXXI. *Eximuntur etiam ii, qui obedire neſciunt, qui ſunt Amentes, Impuberes, & ii,*

qui

quibus hoc Privilegium fuerit conceſſum non parendi Monitoriis, ut ſunt Affines, Advocati &c. reliqui omnes ſtatim ac Monitorii notitiam habent revelare tenentur. LXXII. *Non ſemper Judici* Eccleſiaſtico *inſiſtendum eſt formæ hactenus traditæ in infligendis pœnis, ſed ejus Prudentiæ & arbitrio earum uſus relinquitur, & illarum in alias commutatio*. LXXIII. *Inter Pœnas Canonicas recenſetur etiam Depoſitio, cujus duplex eſt ſpecies, & varii ſunt effectus. Additur quoque Degradatio, & indicatur a quo, & quomodo hæc fiat: quæ Perſonæ intereſſe debent; & utrum Clericus Tonſuratus degradetur*. LXXIV. *Non ſunt Degradatione punienda delicta ſingula, quæ morte plectuntur a jure Civili: id plenius demonſtratur, & adduntur Caſus illi, in quibus R. Pontifices decreverunt Clericos degradandos eſſe, & tradendos Curiæ Sæculari*.

CAPUT VIII.

DE IRREGULARITATE.

Num. I. *Regula in conferendis Ordinibus* Eccleſiaſticis, *aut ſemel jam collatis exequendis attendenda eſt, qui deficit in his Irregularis oſtenditur. Hoc nomen* Irregularis *explicatur: Uſus illius in Sacris Canonibus legitur. Indicatur ejus natura*.

§. I. Duplex eſt Irregularitas, alia ex defectu, altera ex Crimine orta, & alterutra varias ſub ſe ſpecies complectitur.

Num. *II. Indicatur prima ſpecies Irregularitatis ex vitio Corporis*. III. *Bigamia Irregularitatem inducit*. IV. *Item Homicidium Voluntarium, aut membri mutilatio, quæ ſine facientis culpa eſt, ſed ut ſuo quiſque fungatur Officio*. V. *Aliæ ſpecies Irregularitatis recenſentur*. VI. *In ſingulis recenſitis Irregularitatibus habentur ſpecies Irregularitatis ex defectu; exponitur nunc natura Irregularitatis ex delicto. VII. Reiteratio Baptiſmi, & Confirmationis Irregularitati eſt obnoxia; ſed quæritur utrum ignorantia excuſet ne hæc Irregularitas incurratur. VIII. Qui ſuſpenſus, vel Excommunicatus in Officio miniſtrat per aliquem actum Eccleſiaſtici Ordinis, a quo fuit ſuſpenſus fit Irregularis, Caſus hic variis exemplis exponitur. IX. Agitur de illicita mutilatione. X. Agitur de Irregularitate orta ab Homicidio, & perpenduntur ſinguli Caſus, quibus homicidium perficitur; ubi etiam de Mandante, de Mandatario, de eo qui ratum habuit homicidium, & de conſulente diſſeritur*. XI. *Agitur de illo, qui dat cauſſam Abortui per ſe, aut ad ſalvandam matrem periclitantem; itemque de illo, qui milites ad pugnandum hortatur in bello juſto & de Clerico præſente conflictui, aut præliante. XII. Agitur de Homicidio Caſuali XIII. Agitur de Homicidio, quod neceſſarium appellatur, in quo tres caſus diſtinguuntur; defenſio proprii corporis; defenſio rerum, & bonorum; defenſio ſui proximi. XIV. Qui dubitat ſe aliquem interemiſſe ignorans an vulnus lethale inflictum fuerit, vel non, dicendus ne eſt Irregularis? Reſolvitur hic caſus præmiſſis aliquibus limitationibus*.

§. II. Neque Baptiſmus, neque Sacramentum Pœnitentiæ, neque Religio-

gioſa Profeſſio Irregularitatem quamlibet tollunt, ſed ſola diſpenſatio a legitimo Superiore impetrata, aut ceſſatio Cauſſæ, quæ Irregularitatem inducit.

Num. XV. *Fundamenta hujus concluſionis exponuntur. & caſus illi recenſentur, in quibus aliquod beneficium licet expectare ex Baptiſmi Sacramento, & Religioſa Profeſſione. XVI. Diſpenſatio, quæ requiritur ut Irregularis ſuis Officiis fungatur, vel ad alia obtinenda fiat idoneus oſtendit quantum Irregularitas ab Excommunicatione, Suſpenſione, & Interdicto diſtinguatur. XVII Oſtenditur in quibus Irregularitatibus Epiſcopus diſpenſare non poſſit. XVIII. Alia recenſentur ſpecies in quibus diſpenſare ſolent Epiſcopi. XX. Etiam delictum ad Forum contentioſum deductum aliquando manet occultum, & in hoc delicto Epiſcopus diſpenſat, ſed non cum Bigamo, & aſſignatur ratio diſparitatis. XX. In omnibus Irregularitatibus diſpenſat R. Pontifex, ſed vix diſpenſat ſuper Irregularitate per Homicidium contracta. XXI. Clerici prohibentur intereſſe ubi ſanguinis vindicta exercetur, & quare?* XXII. *Ceſſante Cauſſa, quæ Irregularitatem inducit, ipſa quoque ceſſat Irregularitas.*

DO-

DOCTRINA CHRISTIANA

DE SACRAMENTIS

AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA.

TRACTATUS OCTAVUS

DE SACRAMENTO ORDINIS.

SAcramenta, quæ pro ſingulorum ſalute a' Chriſto Domino ſunt inſtituta ,ſi non pro eorum dignitate, tamen quantum inſtituti noſtri ratio poſtulabat, explicavimus. De illo etiam Sacramento egimus, quo perficitur homo in ordine ad totam Communitatem , quantum ad naturalem propagationem ,quod fit per Matrimonium ,tam in corporali, quam in ſpirituali vita , eo quod eſt non ſolum Sacramentum, ſed naturæ Officium . Supereſt ergo ut modo exponere aggrediamur Sacramentum illud per quod homo accipit poteſtatem regendi multitudinem , & exercendi actus publicos in ſpirituali vita , & hoc eſt *Sacramentum Ordinis* . Ordinis nomen plura ſignificat, hic vero certis eccleſiaſticis gradibus deſignandis accommodatur , per quos pulcherrime Eccleſiaſtica Hierarchia diſponitur . Ab actione autem illa , per quam aliquis in Eccleſiaſtico Miniſterio conſtituitur Veteres Ordinis nuncupationem immutarunt in *manuum impoſitionem* , quod nomen Sacræ Literæ ſuppeditant , quia Apoſtoli primum , deinde eorum ſucceſſores hac

Cæremonia Eccleſiarum ſublimiores Miniſtros conſecrabant, & qui ita erant initiati ſpirituali gratia muniebantur, & ſpirituali poteſtate ad obeunda Eccleſiaſtica Miniſteria, quæ duo illa potiſſima fundamenta ſunt, propter quæ Ordo Sacramentum eſſe cognoſcitur. Scriptura huic Sacramento teſtimonium perhibente, tum Actuum 6. ubi per manus impoſitionem Diaconi ordinantur, tùm in epiſtola 1. ad Timoth. ubi cap. 4. ſcribens Apoſtolus: *noli negligere* (ait) *gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*, quam gratiam eſſe *Ordinem Epiſcopalem, ſeu poteſtatem in charactere*, Ambroſius, & Chryſoſtomus interpretantur: nec reluctante naturali congruentia, propter quam vix aliquis ſibi perſuadebit Divinum Apoſtolis defuiſſe mandatum, ut manuum impoſitione uterentur ad conferendam gratiam, quam ipſi profecto ſciebant nullum hominum poſſe certo externo ſigno alligare; & de hoc Novatores ipſi non dubitant. Præcipuum Heterodoxorum caput in hoc ſitum eſt, quod diſtinguunt Sacerdotium a deputatione Miniſtrorum, ut negent poſtea illud Sacramentum eſſe, & non inviti patiantur quod reliquum eſt, inter Sacramenta enumerare. Auctor hujus diſcriminis habetur Melancthon in Apologia Confeſs. Auguſt. cap. 13. eamdemque diſtinctionem non reſpuit Calvinus in lib. 4 Inſtit. cap. 10. & 14. dicit tamen in capite 19. Ordinationem non eſſe Cæremoniam a Chriſto inſtitutam, & Catholicos omnes perſtringit, qui huic ſigno docent promiſſionem gratiæ eſſe annexam. In Luthero nihil reperitur quod faveat Melancthoni ſententiæ, ſed totus eſt ut neget utrumque in libro de Captiv. Babyl. cap. de Ordine, a quo non diſſentiunt Illyricus in Confeſſione Antuerpienſi c. 11. & Kemnitius in 2. Parte Examinis de Sacramento Ordinis: imo in libro de abroganda Miſſa Lutherus contendit eoſdem eſſe Clericos, & Laicos, quod ab antiquioribus quibusdam hæreticis fuiſſe traditum Tertullianus conqueritur in libro de Præſcrip. c. 41. & rurſum promulgatum fuiſſe a Vicleſo ſcribit Thomas Valdenſis Tom. 2. de Sacramentis c. 7. & iterum repetitum a Calvino legimus in cap. 4. citat. libri ſuarum Inſtitut. Mirum eſt quot, &, quanta nuperrimi etiam Hæretici excogitaverint ut Schiſmata inducerent quæ Sacram Hierarchiam confunderent, & protererent. Debacchantur adhuc audaciſſimi homines: ſtabit tamen, ſemperque ſuus manebit Eccleſiaſtico Principatui ſplendor, ſuumque decus, nec Portæ Inferi prævalebunt adverſus eum. In hoc Tractatu confutatis erroribus, quibus Pſeudoreformati variis temporibus Chriſtianæ legis Sacerdotium ſive Ordinis Sacramentum, & Hierarchicum faſtigium impetere moliti ſunt, Catholicæ Eccleſiæ fidem defendimus, & ut Controverſiarum quælibet ſuum locum ſortiatur, materiam ipſam diſtribuimus in duas Partes, in quarum altera agimus de Ordine, & in altera diſputamus de Sacro Principatu.

PARS

Digitized by Google

PARS PRIMA

DE ORDINE.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRAMENTI ORDINIS, ET DE EJUS EFFECTIBUS.

SI quis dixerit Ordinem, ſive Sacram Ordinationem non eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi Miniſtros Verbi Dei, & Sacramentorum, Anathema ſit. Canonem hunc, quem tertium legimus poſt Decreta Seſſionis XXIII. Tridentini Patres promulgarunt, ut duo præcipua perſtringerent errorum capita diſſeminata a Sectariis contra hoc Sacramentum; nunc fundamenta, quibus hæc veritas Catholica demonſtratur ſubjicimus.

§. I. *Exiſtit aliquod in nova lege Sacramentum Ordinis, per quod ſolum, velut oſtium, intrant legitimi diſpenſatores Myſteriorum Dei.*

II. Hujus Propoſitionis veritatem hoc diſcurſu demonſtrat S. Thomas in Supplem. q. 34. n. 1 *Deus ſua opera in ſui ſimilitudinem perducere voluit quantum poſſibile fuit, ut perfecta eſſent, & per ea cognoſci poſſet. Et ideo ut in ſuis operibus repræſentaretur non ſolum ſecundum quod in ſe eſt, ſed etiam ſecundum quod aliis influit, hanc legem naturalem impoſuit omnibus, ut ultima per media reducerentur, & perficerentur, & media per prima, ut Dionyſ. dicit l. 5. Eccl. Hierar. c. 9. Et ideo ut iſta pulchritudo Eccleſiæ non deeſſet poſuit ordinem in ea, ut quidam aliis Sacramenta traderent, ſuo modo Deo in hoc aſſimilati, quaſi Deo cooperantes, ſicut in corpore naturali quædam membra aliis influunt*. Divinam hanc diſpoſitionem præſeferunt hæc Pauli verba Actorum 20. *Attendite vobis, & univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Eamdem notarunt illa quæ ſcripſie in 4. cap. ſuæ epiſtolæ ad Epheſios: *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Paſtores ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii*; & demum idem oſtendit, id quod Paulus ipſe in 1. ad Timoth. c. 4. proteſtatus eſt, nimirum *ſe per prophetiam, hoc eſt per revelationem quam habuit a Chriſto inſtinctu Spiritus Sancti, Timotheum in Epiſcopum elegiſſe*, ipſique manus impoſuiſſe, ut Ordinationis Sacramentum illi conferret. Quid enim, ſublata inſtitutione Divina, in promotione Sacerdotali remanere poſſet præter meram cæremoniam eligendi Miniſtrum verbi Dei principalem? At hoc jam Tridentini Patres damnarunt, ut ſupra notatum eſt: igitur in dubium revocari non poteſt exiſtere hoc Sacramentum Ordinis a Chriſto Domino inſtitutum, per quod Sacramenta ab ordinatis collata valida ſunt, & rata, ab aliis collata invalida ſunt; & irrita, quæ diſcretio

Digitized by Google

eum ab alicujus inſtitutione proficiſci debeat, non ab hominum inſtitutione, qui circa validitatem, & invaliditatem Sacramentorum per ſe, & directe nihil poſſunt, debet proficiſci ab inſtitutione ipſius Dei, cujus tantum eſt validi Sacramenti conditiones ſtatuere.

III. Præterea homines in iis, quæ ad ſacra, & Divina pertinent, nonniſi Sacris Perſonis ſe ſubjectos eſſe putaverunt, nec ullis, niſi Sacris, Deoque devotis hominibus ad Sacrificia Deo offerenda deſtinatis in iis, quæ ad Religionem ſpectant, parere Religioſum putaverunt; ab iis divinam legem, voluntatemque diſcendam crediderunt, quos ipſi Deo devoverant, & ad victimas offerendas deſtinaverant, tacito ſcilicet naturæ inſtinctu credentes Deum ſe familiarius iis communicare, qui Deo devoti eſſent, ab iiſdem Divina reſponſa ad nos referri debere, per quos dona noſtra ipſi Divino Numini offeruntur. Igitur hos Religionis duces exiſtere, illis ſemper perſuaſum fuit, qui ad Sacrificia Deo offerenda deſtinarentur, quibus poteſtas, & auctoritas circa populum Chriſtianum ordinaria, ſtabilis, & ex conſecratione concederetur, & qui nota quadam, ſignaculo, & charactere Dominico conſignarentur, ut Chriſti caſtris ad ſpecialem militiam aggregarentur. Porro character, ſi ille excipiatur, qui Laicis omnibus Chriſtianis baptizatis, & confirmatis communis eſt, ut D. Thomas docet p. 3. q. 23. a. 3. eſt Character Chriſti, & participatio quædam Sacerdotii Chriſti ab ipſo derivata, qui a Laicorum ſorte, & conditione hominem eximit, & in ſuperiorem ordinem transfert. Concludendum igitur eſt hunc Ordinem in Eccleſia Chriſti exiſtere, crediſſe omnes, per quem poteſtas aliqua, vel remota, vel proxima in utrumque Chriſti Corpus reale, & myſticum conferatur, & eo magis quia naturalis ratio dictat exiſtere aliquid per quod homo prius conſecretur ad Altaris miniſterium, quam ad Populi purgationem, illuminationem, & perfectionem, per quod homini prius Corpus Chriſti, & Sanguinem in Sacro Miſſæ Sacrificio diſtribuendi poteſtas eſſet, quam illi in populum Chriſtianum hæc eadem poteſtas conveniret, per quod demum a Sacris, & Dominici Sacramenti ſuſceptione arcerentur, qui ita delinquerent, ut illos oporteret a communicatione Orationis, Conventus, & omnis Sancti Commercii relegare, ut Tertullianus Apolog. c. 39. & Gregor. Nazianz. Orat. 1. docuerunt.

IV. Clariſſimum adhuc exiſtentiæ hujus Ordinis documentum Sacra Reliquit hiſtoria in cap. 56. Iſajæ., in c. 2. 10. 12. 23. 50. & 51. Jeremiæ, Ezechielis 34. Nahum 3. Zachariæ 10. & 11. & Numer. 3. & 4. ubi primarii, & ſecundarii Sacerdotes memorantur, & ex his duo maxime inſignes, quorum alter in Levitarum præcipuorum Provinciam inſpiciebat, alter vero, qui erat illius legatum, inquirebat in interiorem Levitarum Provinciam, & diligentiam. Fuiſſe item Principes cujuſque familiæ Leviticæ in eo officio firmatos Exodi 6. narratur, quos futuram in nova lege Sacerdotum ſucceſſionem longe nobiliorem portendere, Prophetarum oracula prædixerunt Iſaiæ 66. Jeremiæ 33., & Malach. 1. quemadmodum illa expoſuerunt Hieronymus, Theodoretus, & Juſtinus martyr in Dialogo cum Tryphone. Præterea ſingula illa loca Pauli, quibus Apoſtolus Ordinationum Epiſcoporum, (quo nomine etiam Presbyteros intellexit) & Diaconorum regulas præſcripſit, quæ omnino fuiſſent inutiles, ſi in Eccleſia deeſſet Ordinis Sacramentum. Patet igitur putandum non eſſe Chriſtum Eccleſiam inſtituentem in neceſſariis ipſi defuiſſe, eumque voluiſſe hoc Sacramentum inſtituere, per quod ſolum, velut oſtium intrarent legitimi diſpenſatores myſteriorum Dei.

In-

Digitized by Google

Inter veteres apertiſſime de hujus Sacramenti exiſtentia ſcripſerunt pluribus in locis Auguſtinus, & antiquior Auguſtino Auctor Quæſtionum Veteris, & Novi teſtamenti, Haymo quoque Homil. in octava Paſchæ, Lect. 1. Hieronymus, Ambroſius, Tertullianus, Ignatius, ceterique, qui de VII. Eccleſiæ gradibus ſcripſerunt.

§. II. *Ordinis Sacramentum præter Miniſterii poteſtatem, Gratiam etiam producit, ut tam Sacrum, & tam neceſſarium miniſterium ſalubriter perficiatur.*

V. Ex hoc quod certa fide tenendum eſt Sacramentum Ordinis non eſſe figmentum humanum, aut ritum tantum eligendi miniſtros, ut definivit Concilium Tridentinum, ſed habere Divinam inſtitutionem, manifeſte deducitur Sacram Ordinationem gratiam conferre. Ad hanc gratiam exprimendam ea referuntur, quæ Apoſtolus ſcribit ad Tim. 2. c. 1. *Admoneo, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*; ſiquidem eiſdem verbis utuntur Tridentini Patres in c. 3. Seſſ. XXIII. ut probent Sacram Ordinationem eſſe Sacramentum, & ipſe Paulus explicaturus, quare oporteat Timotheum gratiam hanc ſuſcitare, ſtatim hanc rationem ſubjungit; *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis*. Spiritus autem virtutis & dilectionis eſt charitas, & gratia juſtificans, non gratia gratis data, qualis eſt gratia prophetiæ, tum quia hæc impiis eſſe poteſt, tum etiam quia hæc non datur ritù, & ſigno aliquo ad hoc peculiariter inſtituto, ſicut poteſtas, & gratia characteris, & tandem quia unicuique notum eſt, quod quoties hæc vox *Spiritus Sanctus* abſolute profertur in Scripturis, pro gratia ſanctificante accipitur, eſt enim Spiritus Sanctus omnis ſanctificationis auctor; quam propterea ſactificationem ut Chriſtus Dominus oſtenderet ſuperadditam Apoſtolis, quando poſt reſurrectionem inſufflavit in eos, ut illis poteſtatem daret Sacri muneris exequendi dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum*; ut ſcilicet per hunc illa functio Sacra ab illis rite, & Sancte adminiſtraretur. Non ſecus ac legitur in cap. ultimo Deuteronomii Joſuè repletum fuiſſe ſpiritù ſapientiæ, quia Moyſes poſuerat ſuper eum manus ſuas, & Sacerdotibus Leviticis per miniſterium ejuſdem Moyſis collatam fuiſſe ſanctificationis gratiam inviſibilem, juxta illud quod Dominus ad Moyſem ait Exodi 28. *Sanctificabis illos ut Sacerdotio fungantur mihi*, quod multo magis credendum eſt contingere in Ordinatione Sacerdotum, aliorumque miniſtrorum novæ legis, in qua Sacramenta veteribus illis virtute ſunt efficaciora.

VI. Facit etiam plurimum ad demonſtrandum hunc effectum ſacræ Ordinationis vetuſtiſſimorum Conciliorum Auctoritas, Calcedonenſis nimirum Act. 15. can. 2. Bracharenſis 11. cap. 3. & Florentini in Decreto unionis, quorum primum damnat eos qui pecuniis Ordinationem vendunt, eo quod gratiam Dei vendere cenſeantur. Facit item Romanorum Pontificum teſtimonium, Primi Innocentii, qui in Epiſt. 18 ad Alexandrum Epiſcopum cap. 3. Sacram Ordinationem cum Baptiſmo conferens, ſentit aperte Ordinationem ſicut & Baptiſmum Sacramentum eſſe. Tum Leonis 1. in Epiſtola 81. ad Dioſcorum, & 87. ad Epiſcopos Mauritaniæ, qui Leviticam, & Sacerdotalem Ordinationem vocat *Sacram Benedictionem, & Benedictionis Sacramentum quod nonniſi a jejuno accipitur, neque in alio die niſi poſt diem Sabbati illuceſcente*

Domi-

Dominica, eo quod in illo die collata ſint omnia dona gratiarum, tum etiam Anaſtaſii II. in Epiſtola ad Anaſtaſium Auguſtum cap. 7. qui eamdem doctrinam tradens, eos qui ab Acacio hæretico baptizati, & ordinati ſunt Sacerdotes, & Levitæ, vere Baptizatos, & ordinatos fuiſſe ait, neque ullam portionem læſionis Acacii ipſos attingere, ſi tamen errori ipſius ſcientes non communicaverint.

VII. Sunt præterea non minus præclara aliorum Patrum teſtimonia, & quidem ex Græcis Dionyſii in cap. 5. de Eccles. Hierar. Chryſoſtomi l. 3. de Sacerdotio, Tharaſii in epiſtola ad Adrianum, quæ legitur in 1. Tomo Bibliot. Sacræ, Theodoreti in illud 1. ad Timoth. 5. *manus cito nemini impoſueris* &c. Et Oecumenii in illud 2. ad eumdem Timoth. c. 1. *admoneo te ut reſuſcites gratiam* &c. Ex Latinis vero Ambroſii libro de dignitate Sacerdotali cap. 5. Auguſtini in libr. contra Parmenianum, & alibi, Hieronymi in libro contra Vigilantinm, Auctoris quæſt. Veteris & Novi teſtamenti loco ſupra citato, quibus ſi addantur tum Latina Pontificalia, tum Græcorum antiqua Euchologia, in quibus fit mentio hujus gratiæ, quæ per Sacram Ordinationem refunditur, merito a Tridentinis Patribus loco ſupra citato agnoverimus eſſe definitum, Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu eſſe perſpicuum per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, Gratiam conferri, & neminem dubitare debere Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis.

VIII. Palmarium eſt Novatorum effugium illud, ad quod ſe convertit Kemnitius loco ſup. cit., ubi dicit manuum impoſitionem fuiſſe cæremoniam qua uti ſolebant Apoſtoli cum pro aliquo orabant, & eum Domino commendabant, non autem fuiſſe ritum & ſignum externum, quod vim Sacramenti, & promiſſionem gratiæ annexam haberet, cum præſertim eadem cæremonia communis eſſet fidelibus, & infidelibus, cum ſignificabant aut ſuffragium alicui datum ut eligeretur ad quodlibet Reipublicæ munus obeundum, aut Neophitorum confirmationem, itemque peccatorum reconciliationem, & nullibi in Scriptura legatur Chriſtum Dominum hoc exteriori ritu uſum fuiſſe cum Lucæ 22. Apoſtolos Sacerdotes ordinavit, & cum Joannis 20., eiſdem contulit Eccleſiaſticæ complementum Poteſtatis ut peccata remitterent.

IX. Non inficiamur profecto *Chirotoniam*, ideſt manuum impoſitionem pro ſuffragio ad Electionem ſæpe uſurpari conſueviſſe: Neque ii ſumus, qui contendamus per hanc Cæremoniam ſemper Sacram Ordinationem præmonſtrari. Ultro iis aſſentimur, qui cenſent Paulum, & Barnabam Actor. 13. a Diſcipulis qui erant Antiochiæ per manuum impoſitionem non fuiſſe ordinatos Epiſcopos, & cum Chryſoſtomo homil. 27. in Acta, & Hieronymo in libro de Eccleſiaſticis Scripturis dicimus Paulum, & Barnabam impoſitionem manuum recepiſſe, ut hoc viſibili ſigno deſignarentur a Diſcipulis Domini ad prædicationem, & Apoſtolatum, tametſi Paulus ipſe ſcribat a Chriſto ſe proxime miſſum, jam antequam prædicaſſet, & cum Apoſtolis Evangelium contuliſſet. Id vero eo confidentius dicimus, quo inveriſimilior apparet aliter ſentientium opinio, in qua opinione, oporteret primo ſtatuere Paulum uſque ad illud tempus nimirum per 17. annos non fuiſſe Epiſcopum, & Apoſtolum ordinatum, quod adverſatur iis, quæ ipſe ſcribit ad Galatas 1. Scilicet ſe ſtatim poſt converſionem a Chriſto fuiſſe in Apoſtolum electum, & ordinatum, ſtatimque ſe contuliſſe in Arabiam antequam ullum audiret Apoſtolorum, a quo aliquid adiſce-

adiſceret. Quis autem ignorat non ita pariter a Chriſto D. immediate cæteros Apoſtolos fuiſſe ordinatos? Illud quoque ulterius dicere oporteret, tunc cum Paulus Antiochiam venit, ibi aliquem fuiſſe ex XII. Apoſtolis a quo in Epiſcopum ipſe potuiſſet ordinari, quod dicere Sacra prohibet hiſtoria quæ in eodem cap. Actor. 13. teſtatur tantum Doctores, Diſcipulos, & Prophetas tunc adfuiſſe Antiochiæ. Qui ad Ephæſios 4. expreſſe a Paſtoribus, & Apoſtolis diſtinguuntur, quod ſi veriſimilior etiam habenda eſſet illorum Eccleſiæ Patrum, & magni nominis Theologorum ſententia, quæ probat VII. Diaconos ab Apoſtolis electos per manuum impoſitionem, non fuiſſe tunc ordinatos ad Sacra Officia, ſed fuiſſe dumtaxat inſtitutos, ut miniſtrarent, menſis, efficacius adhuc ex verbo Dei Scripto Novatorum errori conſultum eſſet, quamquam non ita ſatis firmis momentis, ut ſunt illa, quibus Catholicum Dogma ſupra probatum eſt: quibus inquam & illud accenſeri poteſt, quod ſicut non repugnat Baptiſmum eſſe Sacramentum primam gratiam producens, licet in Veteri Teſtamento mos invaluerit Hebræis, & in Profanis hiſtoriis plurimis Ethnicorum Baptiſmatibus uti, ut ſe ipſos, & ſua hac purgatione mundarent, ita non repugnat manuum impoſitione ad varia ſignificanda uſurpata, exprimere etiam Sacram Ordinationem, ut non repugnat applicatio, & uſus ejuſdem materiæ pro diverſis Sacramentis hoc ipſo quod Miniſtri verba ad varia ſignificanda illam determinent.

X. Ceterum hanc vocem *Cheirotonejam* frequentiſſime, & vix aliter fuiſſe acceptam quam pro Sacra illa actione, qua quis Sacerdotio inauguratur, vel aliquo alio miniſterio ad Sacerdotium ſpectante Auctores Græci Chriſtiani, & Rituales antiqui, & hodierni demoſtrant, quibus Cheritoneja eſt ipſa Ordinatio, & rariſſime hac voce utuntur pro Electionibus; ita ut debuerit Zonaras hanc interpretationem quærere, ut Canonem 4. Concilii Nicæni, 19. Antiocheni, 4. Laodiceni, & primum Apoſtolicum interpretaretur.

XI. Apertius adhuc ex Canone 8. Concilii Nicæni urgetur vanum Kemnitii commentum, in quo Canone, quia dicitur quod Novatiani ad Eccleſiam redeuntes per manuum impoſitionem recipiantur, & maneant in Clero, profecto hæc manuum impoſitio pro Sacra Ordinatione ſumi debet, & hoc patet ex antiqua hujus Canonis verſione apud Gratianum 1. q. 7. cap. *ſi qui*. Eamdem interpretationem tenuit illa quoque Canonum Nicænorum verſio facta auctoritate ſexti Carthaginenſis Concilii: *Si aliquando venerint ad Catholicam Eccleſiam Cathari, placuit, ſicut & magnæ Synodo eos ordinatos ſic manere in Clero*: Et in Epiſtola quam Patres ſcribunt ad Eccleſiam Alexandrinam & Regiones illi ſubditas, & quam refert Socrates l. 1. c. 6. & Theodoretus l. 1. c. 9. eamdem vocem, eodem ſenſu uſurpant, quem ſenſum tenuit etiam Theophilus Alexandrinus Patriarcha in additis ad Balſamonem: interrogatus ſiquidem Teophilus quid faciendum eſſet de Catharis, qui voluiſſent ad Eccleſiam accedere? reſpondit: *quod ſi ad Eccleſiam Dei accedunt; quia magna, & prima Nicæna Synodus ſtatuit ut hi ordinentur, fac tu quoque ſecundum hanc formam* CAI CHEIR T.NII TUS PROTERCHOMENUS, *& ordina eos, qui accedunt, niſi aliquod impedimentum ex eorum vita adverſetur*. Quæ poſtrema verba plane ridiculum eſſe convincunt interpretari hanc vocem, *Cheirotonia* reconciliare, abſolutionem dare, quod putarunt aliqui, cum appoſita conditio ordinandis omnibus pateat, tantique fiat a Sacris Canonibus ut ſi poſt Ordinationem ejuſmodi crimina commiſiſſe ordinatos notum fuerit, ſic ordi-

ordinati deponi jubeantur. Tenuit poſtremo ejuſdem Nicæni Canonis ſenſum Sanctus, Papa Innocentius in Epiſtola 22. cap. 5. in qua non reprobans id quod Anyſius fecerat vitandi ſcandali cauſa, recipiendo ſcilicet nova Ordinatione hereticos ad Eccleſiam revertentes, quos Bonoſius ordinaverat, ceſſante neceſſitate, ait, debere ceſſare pariter quod urgebat, nimirum hunc modum recipiendi Bonoſianos, etſi Catholici Epiſcopi objicerent auctoritatem citati Canonis Nicæni, & Novatianorum exemplum, addebat enim privilegium hoc fuiſſe tantum Novatianis conceſſum, & in exemplum trahi non debere, ſed deinceps hujuſmodi hæreticos revertentes, antiquo more inter Laicos recipi oportere, & nullo Clericatus honore dignatos. Quomodo autem Nicæni Patres, cæterique manuum impoſitionem tamquam cæremoniam, & ritum Ordinationis agnoviſſent, niſi fundamentum habuiſſent in Scriptura, & præſertim in aſſignatis locis, aliiſque, in quibus Apoſtolus agens de manuum impoſitione non meminit orationis: imo ſcribens ad Timoth. 1. c. 5. *Nemini cito manum impoſueris, ne communicaveris peccatis alienis*, videtur profecto nulla ratione de cæremonia adhibita in ſola oratione exponi poſſe, 1. cum nullibi legatur orare pro peccatore, eique manus imponere ad commendandum Deo eſſe communicare peccatis alienis; quemadmodum legitur illum graviter peccare, qui cito, & abſque debito examine Miniſtrum ordinans, manus eidem imponit, ut infra probabitur. 2. quia in Actis Apoſtolicis, & ubi agitur de Ordinatione Diaconorum apertiſſime Oratio a manuum impoſitione diſtinguitur: *& cum oraſſent impoſuerunt illis manus*; quare Hieronymus in caput 58. Iſaiæ Cheritoniam interpretatus eſt manus impoſitionem, quæ cum vocis imprecatione Ordinationem perficit, quod certe non repugnat, cum a Veteribus verba Sacramentalia myſticæ preces vocentur.

XII. Abeſt etiam longiſſime ab Apoſtolorum facto Kemnitiana explicatio, quos Actorum 14. Scriptura non dicit coſtituiſſe Presbyteros ad Cheirotoniam populi, ut inepte, ſcripſit Eraſmus, ſed ipſos Apoſtolos Cheirotonia uſos fuiſſe in conſtituendis Presbyteris, ut patet legenti verſiculum 22. citati capitis Actuum, quem dum ita vulgata vertit: *Cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Preſbyteros, & oraſſent cum jejunantibus, commendaverunt eos Domino*, idem eſt ac ſi dicas manuum impoſitione eligentes illis Presbyteros, quem loquendi modum adhibuit S. Lucas ad denotandum peculiarem modum conſtituendi Presbyteros impoſitione manuum, quæ non conſenſum quomodocumque denotaret, ſed peculiaris ritus eligendi Sacerdotes rationem habes, ret, a quo ritu neque abhorruit Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in Cenſura Orientalis Eccleſiæ cap. 14. refellens Germaniæ hæreticos s, quod ſacram Ordinationem contemnerent, & per Cheirotoniam illam demonſtrari probans.

XIII. Nec multum quoque favet Kemnitio non haberi in Scriptura huic manuum impoſitioni factam promiſſionem gratiæ juſtificantis, quæ minime requiritur ad eſſentiam, & rationem Sacramenti Novæ Legis, qua re ipſa deleantur peccata, ſed ſatis eſt quod Sacramenta poſſint augere juſtitiam, & conferre etiam primam gratiam, ſi opus eſſet; quod contingeret in caſu quod ſuſcipiens Sacramentum Ordinis ignoraret ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis. Hoc augmentum juſtitiæ eſſe effectum Cheirotoniæ ex verbis Apoſtoli clariſſime eruitur, cum enim dicat in loco ſæpe citato ad Timot. *ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*,

hæc

hæc Propoſitio *per* manifeſte hujus gratiæ indicat inſtrumentalem cauſſam, non aliter ac illam indicant hæc ejuſdem Apoſtoli verba ad eumdem: *noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum*.

XIV. Quod vero addat Kemnitius Chriſtum Dominum non ita Apoſtolos ordinaſſe, ultro concedunt omnes, qui fatentur Chriſti potentiam non fuiſſe alligatam ſignis exterioribus, & nos quoque alibi diximus ſine ullo ritu exteriori eumdem potuiſſe hanc poteſtatem Apoſtolis conferre; quamquam nec verum ſit abſtinuiſſe Chriſtum Dominum ab omnibus ſignis, ut patet legenti tum caput. 22. Lucæ, & 26. Matth. in quo narratur ipſum in Cœna manum extendiſſe ut panem Apoſtolis porrigeret dicendo: *hoc eſt corpus meum: hic eſt Sanguis meus, bibite ex hoc omnes*: tum Joan. 20. cum dedit illis poteſtatem abſolvendi in eoſdem inſufflando, & non inveriſimiliter etiam manus imponendo cum ait: *accipite Spiritum Sanctum*, cum ritum hunc religioſe obſervet Eccleſia in ſimilibus caſibus, profecto a Chriſto Domino per Apoſtolos inſtructa, dum ſuis fidelibus Sanctum eſt datura Spiritum in Sacri Chriſmatis unctione, & in Pœnitentium reconciliatione. Quoniam igitur nulla ex rationibus a Kemnitio propoſita ſententiæ ipſius ſuffragatur, ad aliud Argumentum Pſeudoreformati confugiunt, quo conantur oſtendere ſupervacaneum eſſe Sacram Ordinationem inter Sacramenta recenſere, ut per illam veluti per januam legitimi intrent diſpenſatores myſteriorum Dei, cum baptizati omnes æquales ſint, tum in obtinenda a Deo ſuorum operum mercede, tum in gratiarum conſecutione, nullumque Divinum jus habeatur, propter quod Ordine inſigniti diſtingui debeant a Laicis. Maximi ſane ponderis eſt hoc argumentum, ſi anſulis, & adminiculis non careat, quibus innitatur. Verum quia potius Controverſiæ graviſſimæ argumentum eſt, quam nova ratio, quæ demonſtratæ jam Concluſioni adverſetur, in ſequenti Capite illud examinandum relinquimus.

CAPUT II.

DE NUMERO ET DISTINCTIONE ORDINUM ECCLESIASTICORUM.

SI quis dixerit præter Sacerdotium *non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines, & majores, & minores, per quos, velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur, Anathema ſit*. Ex hoc Concilii Tridentini Canone, qui ſecundus legitur poſt Decreta laudatæ Seſſionis XXIII. apparet hæreticum eſſe Perſonarum in Eccleſia Dei diſtinctionem negare, ſeu Laicorum & Clericorum cœtum communem cognoſcere. Ne vero ſola Catholicæ Eccleſiæ definitione ſancita hæc veritas proferatur, juvat ea fundamenta exponere, a quibus ipſa efficaciſſime eruitur, nec quidquam eorum intactum relinquere, quæ a Novatoribus obiiciuntur, ſive hæc ex ratione petantur, ſive a Scriptura, ſive a longiſſimi temporis traditione. Sit igitur

§. I. *Laicorum cœtus, non ſolum Nomine, ſed etiam Statu, & Conditione a cœtu Miniſtrorum Altaris, diſtinguitur.*

II. Facit in primis hoc diſcrimen diverſitas illa, quæ reperitur inter Eccleſiam & Hierarchiam; Eccleſia ſiquidem proprie laicis, & miniſtris componitur, licet hi dignius officium, illi vero inferius gerant: cum omnes eamdem Fidei profeſſionem, eamdem æternæ felicitatis ſpem, ejuſdem Dei amorem, eamdem ſanctificationem, eadem Sacramenta recipere debeant: Hierarchia vero longe anguſtiores limites habet, nam illos ſolos complectitur, qui inferiores habent, qui ex officio aliis purgandis, perficiendis, & illuminandis dant operam, quos demum Clericos nominamus, hoc eſt in ſortem Domini vocatos. Populares certe homines, ſive Laici, licet omnes Chriſti Sanguine tincti ſint in baptiſmo, illuſtrationis tamen myſterium ex officio non peragunt, nec alios Sacris initiant, nec Sacrorum ſunt Præceptores, nec eiſdem competit obligatio habendi Chariſmata in aliorum utilitatem, quæ tamen ſingula iis conveniunt, qui ad aliorum gubernationem ordinati ſunt, proindeque ne imperfecte quidem Clericorum cœtui accenſeri debent. Addo inſuper quod ſi Laici eidem cœtui adſcriberentur, male Dionyſius cap. 5. & 6. Eccleſ. Hierar. & Maximus in cap. 6. eorumdem diverſos ordines conſtituiſſent, quos Hugo, & Bonaventura, aliique ſequuntur. Habuit certe Synagoga extra ordinem Sacerdotalem, & Leviticum extraordinarie miſſos, in quibus Miniſtrorum Synagogæ Poteſtas reſideret, quibus nempe etiam ſupra ordinem ſuum ſacrificandi poteſtas aliquando conceſſa legitur, ut Gedeoni, cui quamquam eſſet de Tribu Manaſſe licuit Altare erigere in Ephra, & offerre Holocauſtum Domino, ut dicitur Judicum 6. & Samueli, cui quamquam non ex familia Aaronis, adhuc tamen permiſſum fuit Altaria erigere in Maſphat, Betel, Galgalis, Ramatha, Bethleem, & Sacrificium offerre, ut Sacra 1. Reg. 7. & 17. narrat hiſtoria, ſed nulla jam in Eccleſia talis nunc extraordinaria Poteſtas conceditur, ut ſatis ſuperque Chriſti documentis inſtruimur, quæ Hæreticorum figmenta refellunt, qui ad extraordinarias miſſiones confugiunt, dum ordinariam probare non poſſunt. Imo ſi Scriptura attente legatur, neque aliis quam Sacerdotibus Sacerdotum munera fuiſſe commendata inveniemus, & propterea Chriſtum Dominum Scribas, & Phariſæos reprehendiſſe, qui horum munerum Provinciam ſibi occupaverant: *Væ vobis* (ita in cap. 11. Lucæ) *væ vobis Legis peritis, quia tuliſtis* [vel ut alii Græcum textum interpretantur] *quia rapuiſtis, & arrogaſtis vobis clavem ſcientiæ*, hoc eſt ut explicat Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 11. *interpretationem Legis*, ſeu munus docendi Sacram Scripturam, *ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis*; Eoſdem item reprehendit quod primas Cathedras in Synagogis appeterent, ſcilicet quia miniſterio alieno fungentes abſque conſecratione propria dignitatem, & excellentiam propriam quærerent, & Dei Perſonam, quam Sacerdos exhibet minime repræſentantes, ſibi non Deo honores, & obſequia quærere viderentur. Cum igitur in figuris omnia Judæis contingerent, nec miniſterium Clericorum novæ Legis in aliquo miniſterio veteris Legis cedere debeat, juxta id quod traditur ab Apoſtolo 2. Cor. 3. dicendum eſt munera in nova Lege Clericis conceſſa ex Chriſti inſtitutione, ſolum ipſis addicta fuiſſe, nec niſi urgente neceſſitate in aliquo ex illis poſſe

di-

Digitized by Google

diſpenſari (ubi ſcilicet per ſacros Canones id conceſſum fuerit) aut adverſus eam Chriſti inſtitutionem Laicis hæc munera poſſe indulgeri.

III. Et ut a minutioribus exordiamur hanc veritatem oſtendere, ipſum laborare in verbo, & Doctrina, non Laicorum, ſed Presbyterorum Miniſterium eſſe variis in locis dixit Apoſtolus, ut in 1. ad Cor. 5. & in 1. ad Timot. 3. 4. & 5. Et Auctor Operis imperfecti in Matth. homil. 11. inter opera Chryſoſtomi *Clericali Ordinatione Doctorem populi conſtitutum* ait; *Præceptorem, & Doctorem pietatis* Nyſſenus addit Oratione in Baptiſmum Chriſti; quibus adſtipulantur Cyrillus Alexandrinus Orat. 2. de vera in Deum fide, & VII. Synodus can. 10. & Concilium Cæſarauguſtanum ſub Damaſo contra Priſcillianiſtas can. 7. quo cautum fuit *ne quis Doctoris nomen ſibi aſſumeret præter illas Perſonas quibus conceſſum eſt*, Presbyteros intelligens, quibus tantum hoc munus etiam conceſſerunt Concilium Toletanum II. can. 1. IV. can. 21. Vaſconenſe II. can. 5. & Emeritenſe can. 18. & Capitulare 2. Hincmari Rhemenſis cap. 2. itemque Decreta Pariſienſis Concilii ſub Ludovico, & Lothario, & Romani ſub Gregorio VII. ſub III. Alexandro, ſub III. Innocentio, & denique uſus Orientalis Eccleſiæ, a qua in Sacris Ordinationibus conſtituti Sacræ Scripturæ Doctores, & Interpretes deſtinantur. Et certe non immerito. Cum enim Chriſtus aperiendæ, & explicandæ ſanæ doctrinæ munus Eccleſiæ ſuæ, quam maxime neceſſarium inſtituiſſet, illudque maximis difficultatibus obvolutum ſciret, ad quas dirimendas a natura non ducimur, Divino conſilio factum eſt, quod Sacri Ordinis inſtitutione tanti operi provideretur, qui uberem illum ſuſcipientibus gratiam adverſus ignorantiæ, infirmitatiſque humanæ ægritudines ſalutare remedium adferret, difficultates iſtas tolleret, & naturam ipſam fere ſupra vires ſuas eveheret ad dignam tanti muneris executionem.

IV. Non ſolum a verbi miniſterio in Eccleſia Laici arcentur, ſed a quocumque alio publico munere, cum illorum ſinguli privatam vitam vivant, ſibi ſolum intenti, & de aliis neutiquam ſolliciti, quod eſt alterum eorum, propter quæ Clericorum, & Laicorum diſcrimen oſtendit Chryſoſtomus homil. 86. in caput 20. Joannis. *Commune etiam eſt illis ſubjici Eccleſiæ Miniſtris*, qui ſtatus ſubjectionis, & prælationis gradus inter utroſque producit, hominum ſcilicet Sacrorum ordinatam poteſtatem debitum in ſubditos retinentem principatum, ſive ducatum, in quo *harmoniam Eccleſiæ omnium membrorum* collocat Ambroſius lib. 3. de Officiis c. 3. *Et Ordinem Eccleſiæ* Nazianzenus Oratione 26. et ſi ſecus fiat, totum exinde corpus deformari tradunt Auguſtinus de Civit. lib. 19. c. 12. & Bernardus de Conſideratione ad Eugenium lib. 3. c. 4. e contra vero Ignatius epiſtola ad Philippenſes *decorem Ordinis Eccleſiaſtici eſſe* admonuit *quod Epiſcopis Presbyteri, Presbyteris Diaconi, Populus Presbyteris & Diaconis obediant*. Miram hanc Superiorum, & inferiorum complexionem ipſe Imperator paucis conſtringit in l. 1. de Officio Præfecti Urbis, ubi inquit *ſit Societas muneris, ita ut inferior gradus, re meritum Superioris agnoſcat*. Ac ſi diceret: in eo, in quo membra alicujus totius ſunt ordinate diſpoſita, in eo unum rationem ſuperioris, alterum rationem inferioris habere neceſſum eſt, quatenus ſinguli mutua hac relatione ſe reſpiciant. Hinc Cyprianus in libro de unitate Eccleſiæ, & Eccleſiam unam, & Epiſcopatum unum eſſe demonſtrat, quia Greges, & Paſtores omnes mutua charitate, ac ſubordinatione in unum coaleſcunt, &

unitatem Eccleſiæ ſcindit qui diverſos Perſonarum Ordines inter ſe minime ſubordinatos, & quorum neuter reſpectu alterius ſuperioris, vel inferioris rationem habeat conſtituit. Licet autem in multis hæc ſubordinatio conſiſtat, tamen ſatis eſt, ſi ad hoc præcipue tendat ut inferiores purgentur, illuminentur, & perficiantur a Superioribus, quibus illuminare, & perficere ex ſtatu, officioque ſuo convenit in vi ſcilicet Sacri Miniſterii, quod Laicis convenire non poteſt, nec ullis niſi Ordinibus Sacris inſignitis, qui ſoli ad Miniſterium hoc Sacrum, & publicum admittuntur a Patribus, & ab Apoſtolicis Conſtitutionibus, quæ lib. 3. c. 2. Laicis prohibent facere aliquid hierarchicorum, ſeu Sacerdotalium operum, & quos in Eccleſia nulla dignitate ſuffultos memorat Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, quibus tantum pati tribuunt Nazianzenus Orat. 26. & innumeri alii, qui diſcipulorum tantum, & audientium ordini eoſdem inſerunt, cum tamen Clerici, non tantum ad audiendum, ſed maxime ad docendum verbo, vel facto, puta ad perficiendum ordinentur.

V. Sed quod fortius urget Reformatorum errorem argumentum illud eſt, quod petitur a Chriſti inſtitutione, qui Sacrum hunc Eccleſiaſticorum hominum cœtum ita conſtituit, ut ad illum nonniſi per Divinam vocationem aſcenderetur: *Nec enim quiſquam*, inquit Apoſtolus ad Hebr. 5. *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. Hanc vocationis neceſſitatem Ioannis 10. Chriſtus repetit, ubi furti, & raptus eos inſimulat, qui non vocati dant nomen Clericatui: *Qui non intrat per oſtium in Ovile, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro, qui vero intrat per oſtium, ille Paſtor eſt Ovium, huic Oſtiarius aperit*, non alius vero eſt iſte Oſtiarius quam Chriſtus ipſe, cum ibidem dicat: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit ſalvabitur, & ingredietur, & Paſcua inveniet*. Juxta quam proinde ſententiam nullus inter Sacros Miniſtros poterit recenſeri, niſi qui Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Accolytus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius ordinatus fuerit, atque ideo quivis alter, qui Sacramentum Ordinationis non ſuſceperit ad cœtum hunc fruſtra ſe pertinere gloriabitur.

VI. Infertur ex his quam merito Conſtantienſes Patres in VViclephum exarſerint, qui nullum voluit eſſe diſcrimen inter Laicum, & Clericum, & quam inepte, qui VViclephi errorem excitavit Lutherus ſcripſerit in libro de abroganda Miſſa: *hoc dixiſſe conati ſumus Chriſtianum populum eſſe ſimplicem, in quo prorſus nulla ſecta, nulla differentia perſonarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus unctus, nullus raſus, nullus Monachus eſſe debeat*; & Calvinus qui in ſuis Inſtit. lib. 4. c. 4. §. 9. *tota Eccleſia Clerus, ideſt hereditas Domini a Petro appellatur*: & demum Novatores omnes; qui eum, qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe dixerunt, quem errorem Tridentini Patres in can. 4. Seſſ. ſupra cit. proſcripſerunt.

VII. Una eſt, quæ Adverſariis favere poſſit Scripturæ & Tertulliani auctoritas, quæ Laicorum, & Clericorum ſtatum & munera videtur confundere: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis*, inquit Apoſtolus Galat. 3. *Chriſtum induiſtis, non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina, omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu*. *Differentiam* inquit Tertullianus in libro de exhortatione ad Caſtitatem cap. 7. *inter Ordinem & Plebem Eccleſia conſtituit auctoritas: nonne & Laici Sacerdotes ſumus? Scriptura enim dicit* Apocal. 1. *Fecit nos Regnum, & Sa-*

Digitized by Google

& Sacerdotes Deo, & revera antiquitus Cataphrygibus, & Collyridianis viris & mulieribus communes fuerunt Ordinationes, quibus Sacerdotii honorem deferebant, & Miniſterii in Eccleſia auctoritatem. Euſtatiani quoque & Priſcillianiſtæ non ordinati Clericalia officia aſſumebant, quorum fit mentio in Gangrenſi, & Cæſarauguſtano Concilio, neque ab his abſtinebant Monachorum plurimi, ſolius Monaſticæ profeſſionis, & exercitationis titulo adducti, quorum meminit S. Leo epiſtola 62. ad Maximum, & 63. ad Theodoretum, itemque Lateranenſe Concilium ſub Alexandro III.

Abeſt longiſſime ab hæreticorum ſenſu ea, quæ ex proxime relato Scripturæ teſtimonio inferri debet illatio, in quo non agitur de perſonarum diſtinctione in ordine Hierarchico, ſed de effectu Divinæ vocationis ad fidem, quæ nullam habet, aut gentis, aut ſexus, aut ætatis rationem, dicente eodem Apoſtolo ad Rom. 2. *non eſt acceptatio Perſonarum apud Deum*. Solemnem Scripturæ locum, qui de hac perſonarum diſtinctione agit in ordine Hierarchico Novatores inveniunt in cap. 5. epiſt. ad Hebr. in 12. epiſt. primæ ad Cor. & in 4. epiſt. ad Epheſ. nam in his locis ſcelectum Miniſtrorum numerum, Apoſtolorum ſcilicet, Epiſcoporum, Prophetarum, Doctorum, Evangeliſtarum, Paſtorum, quos *Spiritus Sanctus poſuit ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti*, & ut Actuum 20. dicitur *regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo*. His igitur auctoritatibus excitati Eccleſiæ Patres Miniſtrorum Altaris a Laicis diſtinctionem demonſtrarunt, & a Sancti Sacerdotii Miniſterio eorum numerum revocarunt, ut dignius poſſet, & majori cum veneratione exerceri, quos etiam Chriſti charactere inſignitos dixerunt, nullo Schiſmate, nullaque hæreſi delendo, qui Euchariſtiæ conficiendæ, & Sacrificiis offerendis ſoli præeſſent: quare non ſine maxima temeritatis & hæreſis nota ſanctiſſimum eorum officium quis affirmabit *eſſe meram procurationem a populo acceptam, & ad nutum ejus retrahendam, & qui Sacra Ordinatione inſigniti ſunt a Laicis jure Divino non differre, ſed Eccleſiæ auctoritate* cum Eccleſia nihil aliud conſtituerit niſi peculiares aliquas leges quibus Laicorum, & Clericorum facta Divinitus ſeparatio magis eluceret, & hoc agnoviſſe etiam Tertullianum, ex verbis, quæ immediate illis ſubjicit, quæ ab Adverſariis objiciuntur abunde patet; *& honor*, inquit, *per Ordinis conſeſſum ſanctificatus a Deo*; cum enim in hoc conſeſſu duo diſtinguat, aſſumptionem ſcilicet e ſtatu Laicali, & cooptationem in Collegium Miniſtrorum Eccleſiæ, & ipſam Electi conſecrationem, poſterius hoc a Deo eſſe cognovit, & alterum ab Eccleſia, nam ſubjectum utrumque nominavit ſcilicet *Eccleſiæ auctoritatem, & honorem a Deo ſanctificatum*. Divina igitur iſta inſtitutio fuit, ut nemo in Eccleſiam introducatur, nemo in inferioribus & ſublimioribus ejus gradibus collocetur, niſi Sacramento Ordinis initietur, & ut loquitur Tertullianus Scorpiaci cap. 9. *cum toto Sacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus Sancti traditam Apoſtolis, & diſcipulis, poteſtatis ſaltem particulam aliquam hæreditaverit*. Quod ſi quis ad alia officia confertur, quod proprium eſt Clericorum, Eccleſiæ cœtui atque Sanctiſſimis Clericorum officiis decerpitur. Nec aliam fuiſſe probant Eccleſiarum Diſciplinam ſuperaddita antiquitatis exempla, ſiquidem quod, in Cataphrygibus reprehendit Ambroſius, ſeu quiſquis ille ſit vetus, & doctus Auctor, qui Ambroſii nomine legi meruit, id ipſum in Collyridianis reprehendit

dit Epiphanius hæreſi 79. nec ſemel negavit mulieres in Eccleſia Dei Sacerdotale quidpiam efficere, & quidquam aggredi poſſe, & omnimode eaſ inter Laicos deputari dixerunt Patres Concilii Nicæni can. 19. Quod ſi Laicis Officia Clericalia nonnunquam, vel ex Eccleſiæ expreſſa, vel ex tacita quadam licentia, ſeu ex continuo quodam uſu permiſſa ſunt, certe gradus, &Ordo nemini unquam, niſi initiato permiſſus eſt. Recolantur ea quæ notavimus agentes de Miniſtro Sacramenti Euchariſtiæ.

§. II. *Cum omnes Ordines ſi prima eorum diſtinctio ſpectetur creat ſint non tantum ad Sacrificium Eccleſiæ celebrandum, ſed etiam ad bonum ejuſdem Eccleſiæ regimen conſtituendum, ex bis fundamentis omnis prodiit diviſio Sacrorum Ordinum, quot quot hactenus in Eccleſia enumerari conſueverunt.*

VIII. Primariam Sacræ Ordinationis inſtituendæ cauſſam ſuppeditant Patres Tridentini in cap. 2. Seſſ. XXIII. ubi inquiunt: *cum Divina res ſit tam ſancti Sacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent.* Altera vero naſcitur ex diſtinctione Officiorum Regiminis. Ex quacumque vero cauſſa Ordinum diſtinctio petatur, communis certe eſt celeberrima illa diviſio, quæ Ordines omnes in majores, & minores diſtinguit, ita ut minores illi ſint per quos non datur jus accedendi propius ad Altare Sacrificii tempore, ſive qui remote tantum circa Euchariſtiam verſantur, reliqui vero majores dicantur, quia illis initiati propius ad Euchariſtiam accedunt: dicuntur hi Sacri, non quia reliqui, qui etiam circa Altaris Miniſterium occupantur, & ad id peragendum a Pontificibus ordinantur ſanctitatis gradum habere negentur, ſed quia majori ſanctitate illum præditum eſſe oportet, qui ad tales ordines aſſumitur & præſtantioribus meritis, & ab omni terrenæ cupiditatis labe expurgatum; quamquam proprie loquendo nominis non rei hæc diſtinctio ſit, cum diverſa tantum conſideratione iidem Ordines dicantur Sacri, & Majores.

IX. Novem in Eccleſia Latina fuiſſe Ordines, probat IV. Carthaginenſe Concilium, a quo ſingulorum Ordinum materiæ deſignantur, & Ordinatorum nomina recenſentur. *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii, & Pſalmiſtæ*, ſive Cantores. Hunc numerum tenuit Romana, quæ ſub Silveſtro dicitur celebrata Synodus, quamquam Rituales omnes Latini, & univerſa prope Eccleſiæ traditio octo tantum Ordinationis ſpecies numeraverit, quod Pſalmiſtas ex Ordinum Eccleſiaſticorum Claſſe expunxerit. Trium tantum Scriptura meminit, Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ceterorum vero Patres meminerunt, qui ab Eccleſiæ incunabulis ſcripſerunt, non tamquam rei, quæ tunc inciperet, ſed quæ jam eſſet in communi Eccleſiarum uſu. Græci ab Antiquiſſimis temporibus quinque tantum uſurpant. *Lectores, Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros, & Epiſcopos*, quod ſi longe plures a S. Ignatio in epiſtola ad Antiochenos recenſeantur his verbis: *ſaluto Sanctum Presbyterium, ſaluto Sacros Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores. Saluto Cuſtodes Sanctarum portarum exiſtentes in Chriſto Miniſtros. Salutat vos Polycarpus digne accedens Epiſcopus &c.*

Ve-

Digitized by Google

veluti ſpuria, & ſubreptitia ab eruditis viris epiſtola hæc exploditur, quod fuerit Euſebio Cæſarienſi, Hyeronymo, cæteriſque antiquis Græcis Patribus ignota, qui epiſtolarum S. Ignatii cathalogum texuerunt, qui alias ejusdem Sancti Ignatii epiſtolas aliquoties, iſtam ad Antiochenos nunquam citarunt. Exorciſtas, & Oſtiarios Græci non habent, nec nobis repræſentant eorum Euchologia, licet antiquiſſima, & quod eorum meminerit canon 24. Laodiceni Concilii, & Epiphanius in expoſitione Fidei cap. 21. putant viri doctiſſimi hoc factum eſſe, non ut Ordinum claſſes conſtituerent, ſed varias commiſſiones, & varia tantum Officia in Eccleſia obeunda, quod patet tum ex eo quod præter munera Oſtiariorum, & Exorciſtarum, alia Laodicenus Canon recenſet, Laborantium nempe, qui mortuorum corpora curant, Interpretum linguarum tam in lectionibus, quam in Concionibus, Cantorum denique, quæ Officia nunquam Latini inter Sacras Ordinationes recenſuerunt; tum ex eorumdem Græcorum praxi, apud quos Oſtiariorum munera, ut S. Maximus teſtatur in c. 5. Eccleſ. Hierar. Dionyſius, & Pachimeres in eumdem locum, vel Diaconi, vel Subdiaconi explebant: tum demum ex Clemente qui in lib. 8. Conſtit. c. 32. hæc ſcribit: *nec Exorciſta ordinetur*. Acolytatum olim fuiſſe in uſu apud Græcos nullum ſuppetit argumentum, quo probetur, cum profecto nulli ex Scriptoribus Græcis illum recenſuerint imo hactenus apud eoſdem incognitus eſt, & hujus Ordinis munera obeunt vel Subdiaconi, vel Lectores. Ex cap. 5. Actionis 10. Synodi VIII. uberius adhuc probatur præter quinque Ordines, nullos alios fuiſſe in uſu Græcorum, volens enim octava æcumenica Synodus Photium proſcribere quod contra Canonicas regulas non obſervato interſtitiorum tempore ſex ſucceſſivis diebus per omnes Eccleſiaſticos gradus tranſiiſset, hoc eſt Ordines ſingulos recepiſſet, ſententiam hanc pronunciavit. *Si quis nulla ſuſpicione Ambitionis, vel honoris ſpe actus, ſed recta honeſtaque Chriſti diſciplina inductus in Clericum, vel Monachum attonſus eſt, perque omnes gradus Eccleſiaſticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam tranſiiſſe reperiatur, ita ut Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, Sacerdotis quatuor annos expleverit ad Epiſcopatus honorem evehatur*. Eoſdem quinque gradus, nec plures enunciavit Nicetas in vita S. Ignatii Patriarchæ C. S. & poſtremo Innocentius IV. in Epiſtola quam A. 1254. ſcripſit ad Epiſcopum Tuſculanum Sedis Apoſtolicæ Legatum in Cypro hac mente ut Epiſcopi Græci ſeptem Ordines, ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cetero conferrent, cum huc uſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſent, & prætermiſiſſent. Ceterum antiqua diſciplina adhuc apud Græcos permanet, licet in Orthodoſa Confeſſione Orientalis Eccleſiæ A. 1662. a Nectario approbata videantur nonnulli ſeptem Ordines admittere *Lectores, Cantores, Lampadarios, Subdiaconos, Diaconos, Sacerdotes, Epiſcopos*. Maronitarum Eccleſia antiquum numerum inſtanter agnovit, unde in Libro Sacrarum Ordinationum earum ritus deſcribentes Maronitæ recenſent ritum Ordinationis *Pſaltes, Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Archidiaconi, Presbyteri, Archipresbyteri, Chorepiſcopi, & Epiſcopi*, verum ut unicuique patet, hi ritus omnes, non totidem Ordinum claſſes conſtituunt, ſed veluti notæ quædam dignitatum, & beneficiorum conſiderandi ſunt, ut in pluribus probat Morinus de Sacris Ordin. Par. 3. Exercitatione 14. c. 2.

Ex

Digitized by Google

Ex hoc vero quod Græci a Latinis diſentiant in numero Sacrarum Ordinationum, certiſſimum, & evidentiſſimum eſt neminem Græcas Ordinationes criminari poſſe, quin Crimen in Latinas redundet, cum utrique mutuo alterius Ordinationes probaverint, Græcuſque apud Latinos, & Latinus apud Græcos ſine ulla unquam Ordinationum querela Sacra myſteria celebraverit; ex quo ſequitur quod utræque illæ Ordinationes omnia complectuntur, quæ ſunt Ordini abſolute ſubſtantialia, materiam ſcilicet, & formam, quæ ineſſe debet in iis ritibus, & verbis, quæ ſunt omnibus communia, quod inferri & confirmari poteſt ex modo loquendi Patrum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, & qui agentes de numero Ordinum, dixerunt quidem Ordines eſſe ſeptem, ſed clauſulam hanc non addiderunt, *neque plures, neque pauciores*, quam tamen inſeruerunt cum egerunt de numero Sacramentorum, ſatis enim fuit Patribus Tridentinis retundere Novatorum obtrectationes adverſus VII. a Latinis recenſitos Ordines, nec voluit attingere Catholicorum Controverſias, cum alii contendant, & inter hos potiſſimum Canoniſtæ, Tenſuram, & Epiſcopatum ſeptennario Ordinum numero addendum eſſe.

X. Vario etiam Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ ritui attribuitur, ſi non conveniunt Eccleſiæ omnes in diſtinguendis Ordinibus majoribus a minoribus, ſive Sacris, & non Sacris, cum apud Græcos Lectoratus, & Subdiaconatus minoribus Ordinibus adhuc accenſeantur, apud nos vero Lectoratus, Oſtiariatus, Exorciſtatus, & Acolytatus minores Ordines ſint, & reliqui omnes majores. Diſſimulari tamen non poteſt Subdiaconatum ſequioribus ſæculis, neque apud Occidentales majoribus, ſacriſque Ordinibus acceſſiſſe, nam hoc primum contigit exeunte fere ſæculo XI. cujus rei monumentum clariſſimum exhibet Stephanus Balutius in additionibus ad caput 13 libri 8. de Concordia Sacerdotii, & Imperii, ubi referens, quoddam Concilium Beneventi celebratum præſidente Urbano II. in hoc legitur hic Canon: *nullus in Epiſcopum eligatur, niſi in Sacris Ordinibus religioſe vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum*, & *Presbyteratum, hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia*. Neque quinquageſimo poſt hoc Concilium anno inter Sacros majores Ordines enumerabatur, ut Hugo a S. Victore ſcribit in lib. 2. de Sacramentis Parte 3. c. 13. nec temporibus Philippi Abbatis Bonæ Spei, ut hic ſcribit in ſuo Tractatu de Continentia Clericorum c. 107. hic autem vixit uſque ad annum 1180. ſed paulo ante obitum Petri Cantoris. Phorroni e obiit anno 1197. cum in libro de verbo mirifico ſcribat hic auctor: *de novo inſtitutum eſſe Subdiaconorum Sacrum Ordinem*. Ex quo colligitur neque illos recte ſenſiſſe, qui inſtitutum hoc acceptum referunt Innocentio III. qui creatus eſt Pontifex A. 1199. niſi illorum auctoritatem interpretari voluerimus in hoc ſenſu quod dubitantibus doctis viris de hoc inſtituto, Innocentius illud declaraverit, & conceſſerit Subdiaconos, perinde ac Presbyteros, & Diaconos in Epiſcopos eligi poſſe. A veritate itaque non abeſt id quod circa hoc Morinus ſcribit in libro de Sacris Ordinationibus Parte 3. Exercit. 12. c. 5. *Id paulatim obtinuiſſe, Epiſcoporum quorumdam conſuetudine hunc Ordinem ad Altare, & intra Miſſarum ſolemnia conferentium per vicinas Diœceſes ſenſim invaleſcente. Cumque mos ille pleraſque Provincias occupaſſet, tandem in neceſſitatem, & velut in rem judicatam tranſiit & regulæ in Pontificalibus inſeri ſolitæ, quæ Ordinationum faciendarum rationem explicant, & antea Diaconos, & Presbyteros tantum ſpectabant, cum Subdiaconis*

conis

conis communicata ſunt. Non concedit Morino Martene quod *hoc fieri cæptum ſit ante annos octingentos* hoc fundamento quod nonnulli antiqui Rituales circa illa tempora, & ſæculis poſterioribus deſcripti diſerte Subdiaconorum Ordinationes cum majoribus Ordinationibus Presbyterorum, & Diaconorum conjungant. Nam ita ſcribit in cap. 8. art. 1. lib. 1. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus: *ſi hæc ratio valeret longe ante hæc tempora cæptum eſſe dicendum foret, nam ſe vidiſſe* ait *antiquos Sacramentorum libros ante annos 900. ſcriptos, in quibus ille ritus præſcribitur*. Et hæc dicta ſint de Ordinum numero, quos paulatim diſtinxit Eccleſia, ut ſplendidior, & auguſtior Evangelici Sacrificii Pompa fieret, pluribuſque cum Cæremoniis, Cantibus, Sacris lectionibus, luminaribus &c. celebraretur, cum hæc omnia ſoli Præsbyteri, ſive Epiſcopi præſtare non poſſent. Inficiandum tamen non eſt, quod huic quoque multiplicationi Ordinum accederet & illa ratio petita ex diſtinctione Officiorum Eccleſiaſtici regiminis; creſcente enim fidelium multitudine, & diteſcente Eccleſia, jacta ſunt hujus additionis primordia, cum enim ſingula agere non poſſent Apoſtoli, plura aliis commiſerunt, & hinc primum inſtituti ſunt Diaconi; ita ut mos inde invaluerit Sacerdotes in Officiis publicis vix quidquam ſine Diaconis agere; Evadente poſtea in numeroſam Plebem Eccleſia, divitiiſque, ejus fidelium oblationibus plurimum auctis in Diaconorum ſubſidium Hypodiaconi, & Lectores, ut inquit S. Clemens Conſtitutionum cap. ultimo acceſſerunt, aliique, & ita factum eſt duplex Clericorum genus, ut loquitur, S. Baſilius in can. 51. epiſtolæ ad Amphilochium, illorum *ſcilicet exiſtentium in gradu, & ceterorum, qui ſunt in miniſterio*, quod non impoſitis manibus dabatur, ſed Epiſcoporum deſignatione, qui licet in immenium excreverint apud Græcos ex Codini in libello de Officiis, & Goartii in ſuo Euchologio obſervationibus, & apud Latinos, non adeo innumeri eſſent, tamen apud utroſque fuiſſe Ordinationes affirmari poterit, & hoc unum Eccleſiæ Paſtores reſpexiſſe, ut his Sacrorum officiorum miniſtris Eccleſiaſticum regimen magis ſplendeſceret, & ne multitudo perturbationem, confuſionemque in officiis peragendis pareret, alios aliis præeſſe voluerunt. Etſi vero multiplex fuerit apud Orientales, & Occidentales Eccleſias hæc Miniſtrorum diviſio, integer tamen ſemper manſit in utraque Eccleſia hierarchicus ordo *Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum*, quod hos ſolum ad regendum deſtinatos eſſe omnes cognoſcerent, & reliquos ſolum ad miniſterium, & ſpiritale Presbytero, & Diacono exhibendum officium, ut infra probabitur; & hæc eſt potiſſima illa ratio, propter quam hi Ordines majores, & ſacri appellati ſunt, cum nemo, nequidem imperfecte poſſit Hierarchiam proprie dictam cogitare, niſi tamquam Sacrum Principatum, cum Principatus in Eccleſia nullus ſit, cui non debeatur ſacer Ordo, eo quod includere debeat Ordinariam juriſdictionem, & voluntariam, vel neceſſariam, quæ a Sacro Ordine non ſeparatur, nam Sacri Ordinis & juriſdictionis Sanctiſſima connexio eſt, cum Patres extra Eccleſiaſticam Hierarchiam eos reiiciant, qui Sacris Ordinibus initiati non ſunt, ut ex Epiſtola Baſilii citata Canone 55. patet, & ex Syneſio qui in Epiſtola 67. ſcribit: *ſe extra Eccleſiam educatum, alio diſciplinæ genere inſtitutum*, hoc eſt de laicali vita ad Pontificatum aſcendiſſe; & demum quia ſi forte ad breve tempus juriſdictio ſeparetur ab Ordine Sacro, cum eo, ſecundum Chriſti inſtitutionem debeat, quantocius fieri poterit, eſſe conjuncta; quibus enim Deus aliquorum actuum legitimorum exer-

cendorum, & officium, & ordinariam poteſtatem dedit, quos aliis præfecit, quos voluit eſſe ordine Sacro ſublimiores, ſicut ſtatu, & officio ſunt Superiores.

CAPUT III.

DE MATERIA ET FORMA SACRARUM ORDINATIONUM.

ANticipata quædam multorum opinio fuit, qui nullam aliam agnoverunt Sacrarum Ordinationum materiam, & formam, quam illam quæ ſingularis eſſet cuilibet Eccleſiarum, quod Chriſtus Dominus non inſtituerit has materias & formas in particulari, ſed ſolum in genere, quod voluerit pro materia & forma ſignum aliquod proportionatum hoc, vel illud, ſed hujus electionem, determinationem, & deſignationem Apoſtolorum, & Eccleſiæ auctoritati, & prudentiæ ipſum commiſiſſe, ut Eccleſia ſenſibile aliquod eligens, illud decerneret per quod poteſtas tradenda ſignificaretur, & cujus traditione poteſtas ſignificata traderetur. *Chriſtus Dominus* inquit Nicolaus Iſambertus *Inſtituendo Ordines determinavit tantum eorum materiam in genere, nimirum ut ea eſſet legitima cujuslibet Ordinis materia, quæ exiſtens ſenſibilis, ſui traditione debite, & ſufficienter facta, tam ex parte Miniſtri intentionis, quam ſignificaret tunc de facto poteſtatem tali Ordini propriam dari ei, qui materiam iſtam ſenſibilem, ſeu ſignum iſtud ſenſibile acciperet in ſua Ordinatione: Particularem autem iſtius ſigni determinationem, ſeu imponere, & veluti affigere ſignificationem practicam illius poteſtatis huic, vel illi rei ſenſibili in particulari reliquit faciendam Eccleſiæ, pro ut & quando illa indicaret eſſe conveniens*. His plane affinia tradidit Gamachæus in fine cap. 4. de Sacramento Ordinis, Hallerius de Sacris Ordinationibus Sec. 2. c. 2. a. 2. §. 6. Prœpoſitus ubi agit de Epiſcopatus materia & forma n. 109. aliique, ex quorum ſententia facile intelligetur unde fluxerit illa, quæ putatur varietas materiarum, & formarum in Eccleſia Græca & Latina, dum comparantur utriuſque gentis Ordinationes, nec ulla ſupereſt amplius difficultas in varietate, quæ conſpicitur inter Latinos ſolos, dum comparantur antiqui eorum Rituales cum Recentioribus, quia ſemper reſponderi poteſt has mutationes non humana, ſed Divina auctoritate factas fuiſſe, quatenus Chriſtus docuerat Apoſtolos ſe inſtituere hanc materiam & formam Sacrarum Ordinationum, quæ eſſet temporibus conveniens, & quam vel Apoſtoli ipſi poſtea judicarent, vel Eccleſia futuris ſæculis declararet. Ceterum non ita facile adducimur, ut huic opinioni ſubſcribamus, cum certi ſimus Ordinationes quocumque tempore factas ab alterutra Eccleſiarum validas fuiſſe, & legitimas, totumque diſcrimen inter Ordinationes Græcas, & Latinas, antiquas, & recentiores non oriri ex rebus ipſis, ſed ex præpoſtera quorumdam Scholaſticorum electione, qui habentes tantum præ oculis ſui ſæculi Pontificalia inconſultis Græcis, & Latinis de materiis, & formis Ordinationum pronuntiarunt, has collocandas eſſe in iis Religioſis additamentis, quæ ab omnibus antiquis abſunt, quapropter cum poſteriores Pontificalium Codices nihil omittant eorum, quæ priores nobis exhibent, Veterem tueri ſenten-

tiam

tiam probabilius eſſe arbitramur, nempe Sacramentorum materias, & formas eſſe immutabiles; & juxta hanc ſententiam ponitur

§. I. *Sola Sacrarum Ordinationum Materia, illarum ſcilicet quas antiqua, & recens Eccleſia Majores habuit, ſemper fuit manuum impoſitio. Reliquas Ordinationes diverſa materia utraque Eccleſia celebravit.*

II. Et ut a ſuprema exordiamur. Omnes manus Epiſcoporum impoſitionem adhibent ut plane neceſſariam in materia Epiſcopatus, neque illi ipſi, qui in omnibus Ordinibus inſtrumenta ſtudioſiſſime conſervant, Annulum, Baculum, Mitram, & Chirothecas, agnoverunt æquam eſſe materiam, ſed ad plurimum partialem, ut & ipſum librum Evangeliorum, qui conſecrato traditur Epiſcopo, ſed nihil horum quomodocumque pertinere ad ſubſtantiam hujus Conſecrationis ex eo patet quod Patres omnes cum Epiſcopatus cauſſam, & rationem allegant, tantum ad manus impoſitionem confugiunt, quam ſolam Apoſtoli conferentes Epiſcopatum adhibuerunt, & pleræque aliæ Eccleſiæ, quæ multo ſerius libri Evangeliorum impoſitionem uſurparunt, ut Alexandrina Eccleſia, & Eccleſia Africana poſt tertium ſæculum, pluresque aliæ Eccleſiæ in Gallia, & Germania poſt VIII. imo ipſa Eccleſia Romana Alcuini ætate, hoc eſt circa annum Chriſti 760. nondum ritum hunc uſurpaverat. Siquidem inquirens Alcuinus in libro de Divinis Off. Qualiter Epiſcopus ordinetur in Eccleſia Romana, ſic ſcribit: *Illud vero quod duo Epiſcopi tenent Codicem Evangeliorum ſuper caput, & uno fundente ſuper eum Benedictionem, reliqui, qui adſunt Epiſcopi manibus ſuis ſuper caput ejus tangunt, non reperitur in auctoritate veteri, neque nova, ſed neque in Romana traditione*, in qua neque illum reponit Amalarius, qui ſcribebat poſt Alcuinum annis 70.

III. Eadem antiqua Eccleſiarum praxis, & conſtans Patrum traditio quamcumque inſtrumentorum traditionem incognitam habuit in Ordinatione Presbyteri, ut videri poteſt ſi conferantur S. Clementis, & S. Dionyſii teſtimonia, qui hujus Ordinationis ritus diligenter perſequuntur, horum inſtrumentorum traditionis ignariſſimi. Uſque ad annum milleſimum, Auctorum nullus eorumdem inſtrumentorum meminit, poſtea meminerunt quidem, ſed in eorum traditione Ordinationis naturam conſiſtere nemo dixit. Idem probant antiqui Canones Conciliorum Carthaginenſis IV. Toletani IV. quæ nulla inſtrumenta commemorant in Ordinatione Presbyteri, & Diaconi. Quæ tamen inſtrumenta Carthaginenſes Patres Subdiacono tradenda can. 5. præcipiunt, quia manus impoſitionem non accipit ex quo canone concluditur quanti ſit facienda illorum Theologorum ſententia, quæ docet inſtrumentorum traditionem eſſe manuum impoſitionem, eo quod calicem, vel quid aliud tradendo manus extenditur & porrigitur, nec ſi præcipitur a Patribus Carthaginenſis Concilii quod Subdiaconus patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum, hoc tantum fundamento, quia cum ordinatur manus impoſitionem non accipit, profecto manus impoſitio, Inſtrumentorum traditio non erit: quia vero triplex in Ordinatione Presbyteri fit manuum impoſitio, Prima cum Epiſcopus ſimul utramque manum imponit ſuper caput cujuslibet ordinandi, ſucceſsive nihil dicens, idemque faciunt omnes Sacerdotes qui adſunt. Secunda, qua tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent

manus dexteras extenſas ſuper illos, & Pontifex ſtans cum Mitra dicit Orationem. Tertia cum ſuper unumquemque Ordinatum in fine Ordinationis hæc verba profert: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*. Nos defendimus veram Presbyteratus materiam eſse illam manus impoſitionem, in qua Presbyteri manus ſimul cum Epiſcopo ſuper ordinandum imponunt, & interim Epiſcopus formam ſive Orationem pronuntiat. Tum quia prior, & tertia manuum impoſitio decem prioribus ſæculis in uſu non fuit, cum Scriptores de utraque omnino ſileant. Tum etiam quia de illa ſola loquitur Magnus Gregorius in ſuo Sacramentorum libro, & illam tantum laudati Carthaginenſes Patres præceperunt, neque aliam agnoverunt Patres Tridentini in cap. 3. Seſſ. xiv. de Extrema Unctione agentes de Presbyteris, de quibus loquitur Iacobus in c. 5. ſuæ epiſtolæ, cum ibi dixerint Presbyteros intelligendos eſſe, aut Epiſcopos, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinatos, per impoſitionem manuum Presbyterii, cum in poſteriore ſolus Epiſcopus manum imponat.

IV. Quod diximus de Epiſcopatus, & Presbyteratus materia extendimus quoque ad materiam Diaconatus, quæ eſſentialiter, & adæquate ponitur in ſola manuum impoſitione, cum hanc ſolam, requirat laudatum Carthaginenſe iv. Concilium. Diaconus cum Ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit manus ſuper caput illius imponit, quia non ad Sacerdotium, ſed ad Miniſterium conſecratur. Vix ſeptingenti ſunt anni cum in ordinatione Diaconi Evangelium tradi cœptum eſt: quomodo ergo hæc traditio ad materiam eſſentialem hujus Ordinis poterit pertinere, quod multo magis de Dalmatica dicendum eſt, cujus traditio multo eſt traditione Evangelii recentior. Apud Eccleſiæ Patres olim hæc opinio invaleſcebat, cui unum datur, alterum dari non debere, & tantum illis inſtrumenta dari (ut audivimus dictum a Patribus Carthaginenſibus in altero canone, in quo agunt de Ordinatione Subdiaconi) quibus manus impoſitio non dabatur, & Dionyſius etiamſi in ordinatione Presbyteri, & Diaconi multas cæremonias commemoret, nullius inſtrumenti meminit; ſed neque iv. Concilium Toletanum in can. 27. ubi agit de Ritu reſtituendi Diaconum depoſitum, Evangelium illi dari pronunciat. *Epiſcopus*, inquit, *Presbyter*, *aut Diaconus ſi a gradu ſuo injuſte dejectus in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram Altario de manu Epiſcoporum. Si Epiſcopus eſt, Orarium, anulum, & Baculum. Si Presbyter Orarium, & Planetam. Si Diaconus, Orarium, & Albam, ſi Subdiaconus Patenam, & Calicem*. E contra vero tunc cum Evangeliorum librum dare cœperunt, eumdem ſtatim amovere præceperunt in ejuſdem Degradatione his verbis: *Amovemus a te poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, quia id non competit niſi dignis*. Obſervare etiam oportet quod antiquitus in multis Eccleſiis Evangelium non legebatur a Diacono ſed hoc Officio fungebantur Lectores in Eccleſia Africana, ut colligitur ex Epiſtolis Cypriani 33. & 34. in quibus loquitur de Aureliano, & Celerino Confeſſoribus, quos ad Lectoratus Ordinem evexerat, ut Evangelium legerent. In Eccleſia Hiſpaniarum Subdiaconi, ut habetur in can. 4. Concilii primi Toletani; & ab Ordine Romano indiſcriminatim Diacono aut Lectori imponitur Evangelium ſecundum Ioannem, quaſi Lectionem legentibus. Hic ritus notatur in Officio feriæ 5. in Cœna Domini, nec aliis quam Miniſtris Diacono inferioribus munus hoc demandaverat S. Dionyſius ex Pachymeres

meres

meres Enarratione in cap. 3. Eccleſias. Hierar. Quod ſi in pluribus aliis Eccleſiis contrarius mos ab antiquiſsimis etiam temporibus invenitur, hoc factum audivimus, non quia in ipſius Ordinatione Diacono traderetur liber Evangeliorum, ſed quia univerſæ Eccleſiæ mos fuit cum magno apparatu, & ſolemnitate Evangelium legere, & propterea magis expedire Patres judicarunt eligere Diaconos ad hoc munus, cum præſertim in ſequentibus temporibus Lectores admodum juvenes eligerentur, quibus conſentaneum non videbatur tam ſolemnem actionem committere, quam in aliis Eccleſiis ſibi reſervarunt Archidiaconi, in aliis Sacerdotes, imo Epiſcopi ipſi in diebus anni ſolemnioribus, ut notavit Sozomenus in l. 7. ſuæ hiſtoriæ c. 19.

V. Tria ſunt quæ hactenus dictis adverſari videntur. 1. quod in Sacramentario Gregoriano ex Bibliotheca Vaticana inter S. Gregorii Opera Romæ edito inſtrumentorum traditio tamquam Sacræ Ordinationis materia, & ſubſtantia præſcribatur: *Epiſcopus cum ordinatur* (verba ſunt Sacramentarii) *duo Epiſcopi ponant, & teneant Evangeliorum Codicem ſuper caput ejus, & uno ſuper eum fundente Benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt caput ejus tangant. Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, & det ei dicens: Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro Vivis, quam pro Defunctis.* 2. Quod Eugenius IV. in Decreto pro inſtructione Armenorum dicit *Ordinis materiam eſſe illam per cujus traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem*; & Innocentius III. in cap. *Paſtoralis* de Sacramentis non iterandis, & IX. Gregorius ibidem cap. *Presbyter* definiant iterari non debere Ordinationem, quam Epiſcopus abſque manuum impoſitione celebravit. 3. demum quod Theologi fere omnes hanc inſtrumentorum porrectionem recenſeant, & per eam conferri Sacrorum Ordinum poteſtatem tradant. Dixi *apparenter adverſari*, quia ſi attente ſingula hæc perpendantur, nihil in illis erit, ex quo noſtræ ſententiæ detrimentum accedat.

VI. Et quod pertinet ad Gregorii Sacramentarium, plurima huic Sacramentario adjecta fuiſſe jam demonſtravimus, ubi illius auctoritatem retulimus agentes de materia, & forma Sacramenti extremæ Unctionis, unde mirari non debemus ſi in illo, tamquam ritus recenter additus legatur hæc impoſitio libri Evangeliorum, cum aliunde certi ſimus, nempe ex teſtimonio Alcuini, & Amalarii, quod ſupra citavimus, ſaltem per VIII. ſæcula Romanam Eccleſiam ab hoc ritu abſtinuiſſe, quod profecto non contigiſſet, ſi hæc Codicis Evangelii ſuper cervicem, & ſcapulas Ordinandi, impoſitio ad Epiſcopatus ſubſtantiam revera Eccleſia Romana credidiſſet pertinere. Alcuino, & Amalario favet antiquiſſimus Pariſienſis Ritualis XII. ſæculorum, quem inter Latinos ſecundum edidit Morinus Part. 2. de Sacris Ordinat. in quo nihil legitur de hac Codicis Evangeliorum impoſitione ſuper Ordinandi cervicem. Favent etiam alii qui videri poſſunt, tum apud eumdem Auctorem, tum apud Martene, quos edidit ſub art. 11. cap. 8. libri 2. de Antiquis Eccleſiæ Ritibus, ut inferri proinde poſſit illum ritum primis ſæculis Eccleſiam univerſalem non uſurpaſſe, & cum illis temporibus ubique terrarum eſſent vere ordinati Epiſcopi; ad hujus itaque Ordinationis ſubſtantiam non pertinebat hic ritus, neque hodie ſpectare debet, ſed ſola manuum impoſitio, cui a Scriptoribus Sacris adſcripta fuit productio Spiritus S. juxta id quod ſcripſit Apoſtolus in 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt*

in

in te per impoſitionem manuum mearum. Id quod objicitur ex Decreto Eugenii IV. nullius eſt momenti, nam Pontifex Eugenius in laudato Decreto noluit definire traditionem inſtrumentorum pertinere ad eſſentiam Ordinationis, ſed Armenis exponere ritum, qui tunc in Romana Eccleſia florebat, quod patet tum quia nihil in illo Decreto legebatur, quod irritaret Sacras Ordinationes ſine his inſtrumentis peractas, tum etiam quia Tridentini Patres non dixerunt eſſe ordinatos Presbyteros per traditionem inſtrumentorum, ſed per impoſitionem manuum Presbyterii. Et revera Eugenius edidit Decretum illud ſoluto Concilio Tridentino, cum Græci jam receſſiſſent, apud quos incognita omnino erat, & ſemper incognita fuit iſta inſtrumentorum traditio, & Legitime ſemper, & valide Presbyteros conſecrarunt, quod magis confirmat Pontificem noluiſſe contendere de ſubſtantia Presbyteralis Ordinationis ſed de acceſſoriis, in quibus Armeni ab Eccleſia Romana diſcrepabant, in quo Decreto illud præterea notatur quod nullum præceptum imponit ut promulgetur, nec tempus præſcribit, quo elapſo Presbyterorum Ordinationes ſine hac inſtrumentorum traditione peractæ ſint nullæ. Et quia revera iſtæ tales non ſunt, merito laudati Pontifices Innocentius III. & Gregorius IX. illas non debere iterari definiverunt, quas Epiſcopus ſine manuum impoſitione peregiſſet, quia hæ ſolæ nullæ ſunt, nec dici poteſt illud iterari, quod ne ſemel quidem peractum eſt.

Tandem additur ſententia fere omnium Theologorum. Verum profecto qui hoc argumento utitur, Auctoribus, quos laudat imponit, ſiquidem, vel contendit hoc affirmare, de conſenſu, & ſententia veterum, vel de ſententia Auctorum medii ævi, vel Recentiorum. Hoc unum certum eſt nullum poſſe teſtimonium afferri priorum ſæculorum uſque ad VIII. ſive a Latinis ſive a Græcis Patribus petitum, in quo legatur Sacras Ordinationes fieri per traditionem inſtrumentorum, & ſi quod citatur in contrarium ex Auctoribus qui poſt hæc ſæcula floverunt, in illo hoc unum dicitur, inſtrumentorum porrectionem eſſe ſignum acceptæ poteſtatis. Ad hoc probandum faciunt primo illi ritus Ordinationis, qui leguntur in duobus Sancti Gregorii Sacramentariis quorum unum Romæ ex Bibliotheca Vaticana editum eſt, alterum Pariſiis ex Bibliotheca Corbejenſi, illi item, qui habentur in duobus antiquiſſimis Petavianis, & in aliis duobus Rotomagenſi, & Rhemenſi, vel in Corbejenſibus duobus aliis aut in altero Senonenſi, & Bellovacenſi, inter quos ritus nulla verba inſeruntur dicenda cum Ordinandis inſtrumenta traduntur, quæ tamen in Recentioribus non omittuntur, & deſipere eſt diſputare, aut ea in Ritualibus libris omiſſa fuiſſe verba, quæ ſola Eccleſiæ Sacros miniſtros Ordinabant, & plura alia, quæ ad rem, aut parum, aut nihil pertinebant diligenter fuiſſe deſcripta, aut cicutiiſſe quot quot de Eccleſiaſticis Officiis tam magnifice, ampliſſimeque ſcripſerunt Iſidorum, Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, Valfridum Strabonem, quod potiſſimum rituum omnium referre neglexerint, per quem ſolum, quibus illi ſcribebant ſæculis Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi creabantur, imo non ſolum referre, ſed neminem illorum nec leviter indicaſſe, quem tamen deſcribere non omiſerunt agentes de initiandis reliquis aliis Ordinibus, quod ſatis eſt ut intelligamus eos non prætermiſiſſe iſtorum inſtrumentorum traditionem in majoribus Ordinationibus ut inſipientibus ſacratiora miſteria cælarent, quod aliquibus viſum eſt, ſed quia revera Eccleſia nunquam hanc traditionem cognovit eſſe materiam Sacra-

rum

rum Ordinationum. Sed quod magis ad rem noſtram facit illi iidem Auctores qui ab anno milleſimo ſcripſerunt, & quos Hallierius in ſuo Tractatu de Sacris Ordinationibus pro contraria opinione citat, eo quod traditionis horum inſtrumentorum meminerunt, nunquam dixerunt in hac traditione Sacrarum Ordinationum eſſentiam conſiſtere ſed inſtrumenta hæc ordinatis tradita dixerunt documenta eſſe poteſtatis acceptæ & pignora exercendæ. *Accipient & Calicem cum vino* inquit Hugo a S. Victore l. 2. de Sacram. fidei p. 3. c. 12. *& Patenam cum hoſtiis de manu Epiſcopi, quatenus his inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agoſcant placabiles Deo hoſtias offerendi: ut per hoc ſciant*, inquit Magiſter Sententiarum l. 4. diſt. 24. *ſe accepiſſe poteſtatem placabiles Deo hoſtias offerendi*; & hunc eumdem ſenſum licet minus evidenter expoſuerunt Stephanus Eduenſis, & Ivo Carnotenſis in Sermone de excellentia Sacrorum Ordinum, nec alium ſenſum poſtulant verba, quæ in hodierno Pontificali leguntur *accipite poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis* &c. aut illa, quæ inſerta diximus in omnium antiquiſſimo Gregoriano Sacramentario Romæ edito, cum deſtituantur fundamento, quod aliunde peti non poteſt, quam ex Scriptura, & Traditione, aſſerendi Eccleſiam hæc verba addidiſſe ut mutaret materiam eſſentialem ſacræ Ordinationi, & Scriptura, & Traditio hoc non ſuppeditent, & Eccleſiæ definitio, quæ de hac re nulla extat, ſed ſola praxis recens introducta ad majorem ſolemnitatem, & expreſſiorem explicationem poteſtatis Sacerdotalis. Nec obſtat quod S. Thomas in Supplemento q. 37. a. 5. dicat *quod in ipſa datione Calicis ſub forma verborum determinata character Sacerdotalis imprimitur*, efficacior enim eſt Hieronymi auctoritas in verſ. 9. c. 58. Iſaiæ ubi dicit *Ordinationem Clericorum ad impoſitionem manus impleri*, impletur autem Ordinatio per infuſionem gratiæ, & Characteris impreſſionem, propter quem ordinatus ad magna officia fit idoneus, quia ei competit diſpenſatio Sacramentorum; igitur non eſt expectanda Calicis traditio, ut tunc imprimi dicatur character Sacerdotalis, eo magis quia hæc verba: *Accipe poteſtatem &c.* ſolum quo ad modum differunt ab his alis, quæ ab Epiſcopo proferuntur cum manus Presbyteri inungit per *iſtam unctionem, & noſtram Benedictionem quæcumque benedixerint manus iſtæ benedicantur, & quæcumque conſecraverint conſecrentur*: quemadmodum ergo nullus affirmabit tunc ſolum Presbyterum ordinatum accipere poteſtatem benedicendi & conſecrandi, ſed per hæc verba ſignificare ſolum quod poteſtas ordinato data eſt conſecrandi, & benedicendi, ita ſuperiora verba non operantur impoſitionem characteris, ſed exprimunt characterem jam impreſſum cum Epiſcopus manum impoſuit, & peregit precationem; & fictitium omnino eſt Chriſtum per porrectionem Calicis Apoſtolos ordinaſſe, & conſecraſſe Sacerdotes, nam non ut illum conſecrarent Calicem dedit eis, ſed ut ex eo *biberent omnes*, ut dicitur Lucæ 22. *accipite & dividite inter vos*. Præter quam quod Veterum omnium & Recentiorum Patrum ſententia eſt Chriſtum ſine Sacramento, ſed ſola ſua voluntate Apoſtolos, & Sacerdotes, & Epiſcopos conſecraſſe. Accedit tandem quod Pontificale Romanum MS. Bibliothecæ Colbertinæ n. 4160. dicit Ordinatos eſſe Presbyteros cum eis Calix, & Patena porriguntur: *accipiat* (hæc ſunt Pontificalis verba) *patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & ponat ſimul in manibus Ordinati cujuslibet per ſe*. Ex quibus omnibus patet totam eſſentiam Sacrarum Ordinationum in manuum impoſitione conſiſtere. Ex his tamen non ſequitur Eccleſiam non poſſe, aut non potuiſſe Ordinationibus faciendis con-

di-

Digitized by Google

ditiones affigere, quarum prætermiſſio Ordinationem faceret irritam, & iterandam. Poteſt profectò, & potuit veram Ordinis materiam conditione irritate appoſita reſtringere & poteſt, aut poterit conditione ſublata ſatius defendere. Sed de his alibi.

VII. Ut ad materiam inferiorum Ordinum dignoſcendam progrediamur, quod eſt alterum eorum, quod in ſuperiori concluſione ſtatuimus, merito diximus utramque Eccleſiam diſentire cum ab antiquo in Occidente prope univerſo minores Ordines, hoc eſt Subdiaconatus, & eo inferiores per inſtrumentorum traditionem collati ſint, in Oriente vero ſemper per manus impoſitionem. Quæ tanti diſſentionis cauſſa fuerit nemo facile inveniet: id ſine cauſſa factum fuiſſe nullus ſibi perſuadebit, qui jam novit in Ordinibus majoribus conferendis utramque Eccleſiam conſtantiſſime conſpiraſſe. Varietatem huius ritus Morinus loco ſupra cit. Exercit. 11. cap. 5. attribuit moribus utriusque gentis, apud quas viri Apoſtolici commorati ſunt, ita ut illi qui in Oriente manſerunt, attendentes ritui, quem Chriſtus Dominus in novo teſtamento conſecraverat, & quem Apoſtoli a Chriſto, & a ſuis majoribus Iudæis receperant, qui actiones religioſas facturi, manus ſolebant imponere iis, quorum cauſſa actiones illas inſtituebant, Sacros Eccleſiæ miniſtros per eamdem manuum impoſitionem ſolemniter inauguraverint, & alii qui Occidentales Urbes incoluerunt formam creandorum Magiſtratuum Romanorum, quam quotidie præ oculis habebant imitati ſint, ideoque quos antiqua monumenta nobis tradunt, ab eiſdem in minoribus Ordinibus fuiſſe conſtitutos, nihil aliud nobis perhibent in eorum Ordinatione uſurpatum, quam inſtrumentorum traditionem. Unicus eſt in Pontificali Sveſſionenſi Monaſterii Compedienſis, inſignis locus, qui Oſtiariorum Ordinationem aggreditur ab Oratione dicenda ſuper eorum capita, ex quo inferri poſſet non eſſe univerſaliter verum quod Occidentalis Eccleſia in collatione minorum Ordinum numquam uſa ſit manuum impoſitione, nam qui a Morino producitur ex can. 6. VIII. Concilii Toletani, clare id non demonſtrat, ut notavit Martene loco ſupra citato: In hoc canone hæc leguntur. *Relatum eſt nobis quoſdam Subdiaconos poſtquam ad Sacrum huius Ordinis pervenerunt gradum, non ſolum carnis immunditia ſordidari, cum ſcriptum ſit mundamini qui fertis vaſa Domini; ſed etiam, quod dictu nefas eſt, novis uxoribus copulari, aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedictionem a Pontifice ſe neſciunt percepiſſe. Proinde omnium excuſationum diſciſſo velamine, id præcipimus obſervari, ut cum iidem Subdiaconi ordinantur cum vaſis miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur, ſicut in quibusdam Eccleſiis vetuſtas tradit, & ſacra dignoſcitur conſuetudo ſubſtare probata*. Contendit Morinus tunc primum Toletanos Patres inſtituiſſe ut Subdiaconis vaſa miniſterii in Ordinatione præberentur, quod impudici illi Subdiaconi in impudicitiæ ſuæ excuſationem obiicerent quod non recordarentur ſe accepiſſe ab Epiſcopo ſacra inſtrumenta, ſed revera ex quibus verbis laudati canonis excuſationem hanc repetat doctiſſimus auctor non cernitur, nam ſolum reponunt ſe ignorare quod benedictionem percepiſſent, quia fortaſſe eo tempore in multis Hiſpaniæ locis Epiſcopi preces conſecratorias, & Ordinationis effectrices myſtice, hoc eſt ſecreto pronunciabant, quod etiam nunc ſedulo faciunt Græci, & ideo Concilium benedictionem hanc cum vaſis miniſterii, quæ jam exhibebantur dari juſſit. Ex hoc igitur Canone non poterit hæc mutatio ritus in his Ordinationibus conclu-

Digitized by Google

cludit. Quod quidquid ſit de ritu, qui notatur in laudato Pontificali Sveſſionenſi certum ſit quod reliqui Rituales omnes tum antiqui, tum recentiores in Subdiaconi, & aliorum Clericorum Ordinatione Inſtrumenta recenſent initiandis tradenda. Calicem vacuum, & Patenam vacuam præſcribit eſſe tradendam Subdiacono Concilium IV. Carthaginenſe, cujus Decretum ſupra recenſuimus N. 111. cui adhæſit S. Gregorius in ſuo Sacramentario, & Doctorum Scholaſticorum maxima pars. Præſcribunt inſuper Chartaginenses Patres Urceolum cum aqua, & Mantile, & Manutergium, & addunt prima inſtrumenta tradenda eſſe ab Epiſcopo, de manu vero Archidiaconi reliqua eſſe recipienda. Hæc itaque ſingula conſiderari debeat vera Subdiaconatus materia, & qui aliquid aliud addunt, ſcilicet Tunicam, Manipulum, & librum Epiſtolarum ab Epiſcopo in illa Ordinatione traditum, cujus additamenti Auctor habetur Medina in lib. de continentia c. 44. aut Manipulum ſolum, & librum Epiſtolarum, ut arbitratur, & vult Sichardus in libro, quem ſcripſit de Inſtitutione Ecclesiæ, cujus auctoritatem refert Durandus in Rationali, aut librum Epiſtolarum ut vult Viguerius in Summa Inſtit. Teolog. c. 16. §. 6. ea addunt, quæ neque Concilium Cathaginenſe, neque antiqua Ritualia, nec Patres, nec rerum Eccleſiaſticarum Scriptores explicarunt. Primum patet legenti canonem 5. laudati Concilii Carthaginenſis ubi dicitur; *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit Patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu Archidiaconi Urceolum cum aqua mantile, & manutergium.* Secundum ex eo demonſtratur quod omnis illius ſuppellectilis traditio, de qua loquitur Medina toti antiquitati nunc incognita permanſit per annos mille, & unicum eſt Pontificale Egberti quod Manipuli mentionem faciat, cujus uſus primum alius non erat, quam ad ſordes vultus abſtergendas, unde & mappula appellatur in quibusdam Pontificalibus MSS. Recens etiam eſt tunicæ traditio nam hic ritus vix 600. attingit annos, neque initio Subdiaconis omnibus communis erat, ſed illis ſolis, qui ex Monachis ordinabantur Subdiaconi, quare de illa omnino ſilent. Pontificale Senonenſe, Rhemenſe, Apamienſe, Conſtantinopolitanum, & alia his multo recentiora, ut Aquenſe, Romanum, Metenſe, & alia 400. annis non antiquiora, quare mirari non debemus, quod nullus ex Patribus hæc inſtrumenta cognoverit, cum neque Græca, neque Latina Eccleſia illorum ætate iis uſa ſit in Ordinatione Subdiaconi. Plena etiam falſitatis eſt Viguierii ſententia, qua ſtatuit ſolam libri Apoſtolici traditionem eſſe materiam hujus Ordinis, cum de hac tantum agant tria Pontificalia, Arelatenſe nimirum A. 400. Andegavenſe A. 300. & Guillelmi Durandi Epiſcopi Onimatenſis, & reliqua omnia de hac traditione ſileant, quod ſilentium maximum argumentum eſt Subdiaconos antiquitus Epiſtolam in ſolemni Miſſa ex Officio non legiſſe, quam ſolum circa medium IX. Sæculum quædam Eccleſiæ legere cœperunt *non ex miniſterio ſibi dato in conſecratione*, ut ſcripſit Amalarius loco citato de Offic. c. 11. ſed ut declarat Micrologus lib. de Eccleſ. Obſervat. c. 8. *ex Eccleſiaſtica conſenſione*, quod notavit etiam Stephanus Aeduenſis de Sacramento Altaris c. 5. Gemma animæ lib. 1. c. 179. Hugo de S. Victore in ſpeculo de Myſter. Eccleſiæ c. 5. Magiſter Sententiarum lib. 4. d. 24. aliique ab hiis relati, qui omnes omiſerunt hanc collationem libri Epiſtolarum in Ordinatione Subdiaconi, quando inſtrumenta deſcripſerunt, quibus unuſquiſque Ordo confertur,

Unum eſt Remenſe Concilium A. 813. quod can. 4. aſſerat Subdiaconi miniſterium eſſe Apoſtolum legere, nihil vero dicit de hujus libri traditione in illius Ordinatione: quadragentorum itaque annorum ritus eſt, hæc traditio ab inſtituto Eccleſiæ dependens, quæ diverſas cæremonias diverſis temporibus, & occaſionibus prudenter inſtituit, ad quas diligenter oportet attendere in Ordinum collatione, ut Epiſcopus eas omnino exequatur, nec ullam prorſus omittat. Præſtat enim, ut optime advertit Morinus l. c. Exerc. 12. c. 1. omnia in Pontificali præcepta exiſtimare Ordinationi neceſſaria, quam aliqua prætermittere, aut negligentius obſervare. Audax nimis eſt, & inſolens auctoritate propria definire in Eccleſiaſticis præceptis, quid ſit actioni ſubſtantiale, quid accidentale, niſi præmonuerit Eccleſia, aut evidenter admodum innotuerit.

VIII. Ad reliquorum minorum Ordinum materiam, quod ſpectat breviter dicimus illa Inſtrumenta materiæ rationem induere, quæ Pontificale Romanum jubet in illorum collatione tradi. Si quid aliud alias, aut alibi traditum, demonſtratur, inferendum erit, quod cum minores Ordines ſint Inſtitutionis Eccleſiaſticæ, Eccleſiam iſtorum Ordinum materias immutaſſe, vanumque eſſe quidquid in contrarium a quocumque objici poſſet, cum in ejuſmodi rebus præcipua ratio inſtitutionis, poteſtas eſt, & voluntas Eccleſiæ inſtituentis. Antiquitus Oſtiariatus materia erant Claves Eccleſiæ, quæ tradebantur Ordinato ab Epiſcopo. Hæc ſola ponitur in Concilio Carthaginenſi IV. in Ordine Gelaſiano, in antiquo Miſſali Francorum apud Thomaſium, & in Sacramentario Moiſacenſi: quare Traditionem Oſtii per Archidiaconum factam Ordinato, additamentum eſſe recenter ab Eccleſia inſtitutum, facile licet colligere, ut novum additamentum eſt funis traditio, & campanarum pulſatio, invaleſcente more fideles ad Eccleſiam convocandi per campanarum pulſationem.

Lectoratus materia una ſemper extitit in Eccleſia Latina, Codex ſcilicet de quo lecturi ſunt hoc Ordine inſigniti. Habetur hæc in canone 8. laudati Carthag. Concili, & conſentiunt antiqui omnes, & hodierni Pontificales libri. Græcis ut alibi diximus ex quatuor minoribus Ordinibus unicus eſt Ordo Lectorum, quem tradunt cum impoſitione manuum, nullis porrectis inſtrumentis.

Exorciſtatus materia ex can. 7. ejuſdem Concilii Carthag. eſt liber Exorciſmorum, & in hoc conveniunt omnes. Loco hujus libri permiſit Leo X. quod traderetur ipſe liber Ponificalis, & Urbanus VIII. traditionem Miſſalis approbavit.

Acolythatus tandem materia duplex eſt Ceroferarii cum Cereo traditio, & Urceoli vacui, & in hac materia Pontificales omnes libri conveniunt cum Carthag. Concilio, antiquiſque Officiorum Auctoribus; quemadmodum conveniunt in aſſerendo utramque hanc materiam ab Archidiacono eſſe tradendam. Si exceperis unicum Rituale Conſtantini Abbatis, qui ſolus ex antiquis hanc materiam ab Epiſcopo tradendam eſſe dicit, quem ritum nunc ſequitur Romana Eccleſia. Olim Acolythi in ſua Ordinatione Sacculos accipiebant ab Epiſcopo, ut ſcirent ad ipſos ſpectare inſervire Presbyteris in Miſſa in hoc Officio deferendi in Sacculis conſecratas oblatas, ut Sacerdotibus eas confracturis exhiberent. Perſeveravit in Eccleſia hic ritus uſque ad laudatum IV. Carthaginenſe Concilium.

IX. Diſputant Theologi ſint ne tangenda ab initiandis hæc inſtrumenta, & quando plura traduntur, ſingula tangi debeant? Negativam partem

plures

plures ex Theologis tuentur; contrarium ſuſtinet S. Thomas in Supplem. 34. a. 5. ad 3., & ejus opinio conſentiens eſt canon. V. Charthaginenſis Concilii. in quo agentes Patres de hoc contactu: *Patenam*, inquiunt *de Epiſcoporum manu accipiat* (Subdiaconus) *& Calicem vacuum*, & ratio potiſſima eſt, quia cum agitur de uſu Sacramentorum non licet ſequi opiniones incertas, ſed ſententiæ & parti tutiori eſt inſiſtendum.

X. Habent etiam Græci inſtrumenta, quæ in ſuis Ordinationibus tradunt, nam Lectori dant librum Apoſtolicum, Cantori Pſalterium, Subdiacono Mantile, & Malluvium, Diacono Sanctum Flabellum, quo ſancta dona ventilat: ex hoc tamen non ſequitur non differre Græcos a Latinis in minorum Ordinum collatione, ſiquidem maxime diſtinguuntur. 1. quia Græci hæc inſtrumenta tradunt poſt peractam Ordinationem. 2. quia per hæc inſtrumenta ſolum volunt Græci, quod quis Ordinatus eſſe probetur, & demonſtretur. A Latinis e contra dantur initio ritus Ordinationis, & dantur ut per ea Ordinandus conſecretur. Accedit etiam tertium diſcrimen, quod Græci dant Ordinatis inſtrumenta abſque ullis verborum formulis, hoc eſt nihil dicentes ea tradunt, ſed Officium collatum ſtatim exercere incipiunt, ſic Lector, & Cantor ſtatim de Apoſtolo, & Pſalterio aliquid legunt, & Subdiaconus Epiſcopi manibus aquam infundit. Recentioris tamen temporis eſſe hunc Grecorum ritum, & progreſſu temporis antiquis Cæremoniis in Ordinatione additum, ex eo patet, quod S. Clemens, & Dionyſius, qui unius cujuſque Ritus Ordinationes deſcribunt, ſilent omnino hanc inſtrumentorum traditionem, qui tamen Auctores tum Flabellum commemorant, tum Malluvium, & Mantile, & Scripturarum lectionem.

§. II. *Forma Sacrarum, & ceterarum omnium Ordinationum illa ſemper in Eccleſia fuit, per quam ſignificatum eſt proprium earum Miniſterium.*

XI. Noſtrum non eſt in Scholaſticorum controverſiis immorari, ſed conſuetis argumentis ſuprema Theologorum placita ſtabilire Eccleſiæ traditione, & perpetua ejuſdem praxi, quæ cum ſemper plurimi in omnibus facienda ſit, ſane omnium maximum argumentum ſuppeditat, cum agitur de materia, & forma Sacramentorum. De materia ſatis actum eſt in ſuperiori paragrapho, nunc itaque ſupereſt, ut de forma agamus, quam conſuevit Eccleſia adhibere in omnibus Ordinationibus, & ut ſuperiori methodo inſiſtamus.

Dicimus 1. *Formam Epiſcopatus non eſſe hæc verba. Accipe Spiritum Sanctum &c. quæ cum manus impoſitione ab ipſo Conſecratore, & Aſſiſtentibus Epiſcopis proferuntur, aut quæ proferuntur a ſolo Conſecratore cum tradis Evangeliorum Codicem, ſed eſt Oratio illa, quam ſolus Conſecrator dicit invocans Spiritum Sanctum*. Prima Propoſitionis pars evidens eſt, ſiquidem priora indicata verba toti antiquitati ignota fuerunt, & apud Latinos cœpta ſunt uſurpari vix ab annis quadringentis, adeo ut vix in ullo Pontificali annos 400. attingente reperiantur, cum horum tria tantum Martene invenerit, Arelatenſe ſcilicet, Andegavenſe, & Guillelmi Durandi; & quod magis mirum eſt, neque ipſi antiquiores Scholaſtici, Hugo a S. Victore, Alexander Halenſis, Guillelmus Altiſiodorenſis, S. Bonaventura, S. Thomas, licet diligentiſſimi in iis minute perſequendis, quæ ad Ordines ſpectant, eorum verborum non meminerunt. Nec ullus eorum fuit, & adhuc eſt uſus,

tam apud Grecos, quam apud Syros, ut conſtat ex eorum Euchologiis. Neque obſtat huic ſententiæ canon. 4. Seſſionis XXIII. Tridentini Concilii: *Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum &c. anathema ſit*, nam his verbis Tridentini Patres noluerunt formam Ordinationis definire, ſed Ordinationis ritu, obicem non ponentibus Spiritum Sanctum dari, & gratiam produci, quod Lutherus, & Calvinus negabant, alioquin cum hæc verba in tribus Ordinationibus ab Epiſcopo proferantur, ſi in his verbis formam conſiſtere revera Tridentini Patres dixiſſent, quod tribus ſpeciebus Ordinationis eadem forma conveniret, quod nullus admittit cum illam, cui conveniat Concilium non dixerit. Neque etiam obſtat, quod Ordinum formæ debeant eſſe imperativæ, hoc enim ex nulla deciſione Eccleſiæ habetur, quæ formas legitimas cognoſcit indicativas, imperativas, & deprecativas, quarum exempla ſuppeditant diverſi ritus, ſub quibus diverſa Sacramenta adminiſtrantur.

XII. Non minori evidentia demonſtratur altera pars Propoſitionis, nam præterquamquod illi conveniunt argumenta jam facta petita ex antiqua Eccleſiæ diſciplina, quæ Traditionem Codicis Evangelii numquam agnovit, cum nupera res ſit, nec 600. annis antiquior; eamdem probant ipſius Pontificalis verba, in quibus dicitur conſecratus ille Epiſcopus, cui datur a Conſecratore Baculus Paſtoralis, Annulus, & Evangelium, qui antea ſemper dicitur Electus. Poſtremo cæremonia hæc Latinorum tantum propria eſt, quod ſufficit, ut concludenter demonſtretur, hæc verba: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo, potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam*, neque materiam, neque formam Ordinationis Epiſcopalis continere. Excluſis itaque his ſententiis probata remanet tertia Propoſitionis pars, quæ licet quovis alio careret adminiculo, adhuc vera ſubſiſteret cum illi faveat venerandæ totius antiquitatis praxis, quæ tot ſæculis prædictorum verborum immemor, Ordines contulit. Præterea illud quoque huic opinioni favere videtur quod Oratio illa, quæ a Conſecratore profertur effectum exprimit Epiſcopalis Ordinis, neceſſitatem ſcilicet Spiritus S., & gratiæ illi, qui Epiſcopus conſecratur, ut impoſito ſibi oneri recte perfungatur. Accedit tandem, quod ipſi Sancti Patres hunc eumdem effectum prædictæ invocationi attribuunt, ut enim oſtenderet Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 20. effectum Epiſcopalis Ordinationis non pendere a Sanctitate Miniſtri, illum pendere dicit a Divini nominis invocatione; ita ipſe ſuper geſtis cum Emerito ait: *Invocatio nominis Dei ſuper caput ipſorum quando ordinantur Epiſcopi, invocatio illa Dei eſt, non Donati*.

XIII. Dicimus 2. *Eamdem Orationem, per quam a Conſecrante Spiritus S. invocatur eſſe formam Epiſcopatus apud Græcos, & propterea hæc verba, quæ ab Arcudio aſſumuntur*: Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt ſupplet, creat, ſeu promovet Dei amabiliſſimum Presbyterum in Epiſcopum, *nihil aliud exprimere, quam Electionis legitimæ jam factæ publicam denuntiationem*.

Veritatem hujus Propoſitionis oſtendunt verba hæc, quæ leguntur in antiquiſſimo Euchologio Cryptæ Ferratæ, a quibus Epiſcopi Ordinatio inchoatur: *Poſt triſagion aſcendit Patriarcha in Sanctuarii crepidinem ante Sanctam Menſam, ipſique charta datur, in qua hæc ſcripta ſunt: Suffragio, & approbatione Deo maxime amabilium Epiſcoporum, & Sanctiſſimorum Presbyterorum*

rorum, & Diaconorum, Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & deficientia ſupplet promovet hunc N. religioſiſſimum Presbyterum in Epiſcopum Urbis N. a Deo conſervatæ. Precemur igitur pro eo, ut in ipſum veniat Sanctiſſimi Spiritus gratia. Hac charta in manus accepta, & Archidiacono dicente *Attendamus*, legit eam Patriarcha, ita ut omnes audiant. Lectione facta ter dicunt omnes *Kirie Eleiſon*. Jamque a tribus Epiſcopis Coordinatoribus adducto, qui ordinandus eſt aperit Patriarcha Evangelium, & imponit ſuper cervicem ipſius contingentibus Epiſcopis. Deinde factis ſuper caput ejus tribus crucis ſignis, manum habens impoſitam ſic precatur &c. Hæc citata, ex Barberino Græco Euchologio verba conſona omnino iis, quæ de Ordinatione tum Epiſcopi, tum Diaconi leguntur in Vaticano exemplari, & de tribus Ordinibus enarrantur in Regio Gallicano Codice, & Valdenſi, & Allatiano, vanum fuiſſe Arcudii Conſilium oſtendunt Græcarum, & Latinarum Ordinationum formulas convenientes illis demonſtrare, quas Scholaſtici Doctores ſponte elegerunt, quæ modo indicativo pronuntiantur, cum manifeſtum ſit illis *Divina gratia &c.* eſſe Decretum electionis antea factæ ſolemniter publicatum pro conſuetudine illius gentis, ut unicuique canonicis legibus, vel leviſſime imbuto conſtare poteſt: quod magis verum eſt 1. quia eadem formula Græci utuntur cum aliquis Epiſcopus (qui caſus Ordinationis repetitionem non patitur) ab uno Epiſcopatu ad alium transfertur, ut exemplum ſuppeditat Cedrenus, ubi refert Decretum translationis S. Germani ex Archiepiſcopatu Cyziceno ad Coſtantinopolitanum, quod his verbis concipitur. *Suffragio, & approbatione Deo amantiſſimorum Epiſcoporum Divina gratia, quæ ſemper infirma curat, & deficientia ſupplet, transfert Germanum Sanctiſſimum Cynicanæ Metropolis antiſtitem in Archiepiſcopum hujus a Deo conſervatæ regnatricis Urbis*. 2. quia hæc verba *Divina gratia &c.* ut in genuinis tum antiquis, tum Recentioribus Ritualibus Græcorum videre eſt pronunciantur ab Archiepiſcopo antequam Ordinationis materia ſubſit, ſcilicet ante manuum impoſitionem. qua permanente Orationes fiunt. 3. quia poſt recitata hujus Decreti verba, ut recte de Electo pronuntiantur, non ita certe de Ordinato dicuntur, qui Spiritus Sancti gratiam jam in Ordinatione ſuſcepit. 4. Denique, quod eadem Ritualia, nec Epiſcopum, nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinatos, & conſecratos vocant poſt illius Decreti ſuper electum pronunciatione, ſed vocant eos promovendos, & Ordinandos, donec utraque Oratio ſuper electum cum manus impoſitione pronuntiata fuerit, poſt quam ſolum a Ritualibus ſemper Ordinati dicuntur. Quibus omnibus fundamentis additur ſimilis Eccleſiæ Romanæ Ritus in antiquis Ordinationibus obſervatus, in quo charta Electionis ter legebatur inter Miſſarum ſolemnia feriæ 4. quatuor temporum, feriæ 6. & Diei Sabbati, in quo erat diſcrimen a Græcis, qui id ſemel præſtabant ſolemniter. In eodem Ordine Romano, ubi legitur Ritus Ordinationis Epiſcopalis poſt alia notatur, quod Evangelio in Miſſa cantato advocantur in Baſilicam Presbyteri a dextris Electi, Diaconi a ſiniſtris, ipſe vero inclinato capite in medio eorum incedit, uſque dum veniat ante Altare. Tunc exuitur Caſula, & induit eum Pontifex Planeta, & legit Brevem hunc modum continentem: *Cives noſtri eligerunt ſibi illum Paſtorem. Oremus itaque pro hoc viro, ut Deus omnipotens infundat in eum gratiam Spiritus ſui, ut dignus habeatur ad Cathedram Epiſcopatus regendam*. Et reſpondeatur a Schola: *Chriſte audi nos*. Et cantat

Lita-

Litaniam, & tunc accedit propius ad Altare ſubnixo capite. Pontifex vero tenet manum ſuper caput ejus, & dicit unam Orationem in modum collectæ &c. In his verbis multo clarius apparet Græcorum ritus, niſi quod modus enuntiandi eſt varius, cum Græcorum mos ſemper fuerit rebus Sacris nihil per primam Perſonam enuntiare, ut notavimus alibi, agentes de forma Baptiſmi; & tamen Theologorum nullus affirmabit unquam in his verbis haberi formam Ordinationis Epiſcopi ab Eccleſia Romana uſurpatam. Igitur a ſimilitudine rationis, neque dici poterit, ſcopum hujus Decreti Græcorum, quem exprimunt Euchologia cum Ordinatione convenire; & propterea verum erit, id quod a nobis ſtatutum eſt: Eamdem Orationem, per quam a Conſecratore Spiritus S. invocatur eſſe formam Epiſcopatus non ſolum apud Latinos, ſed etiam apud Græcos.

XIV. Huic ſententiæ favere S. Dionyſium tum ex ipſo patet, tum ex ejus interpretibus S. Maximo, & Pachymere. S. Dionyſius Hierar. Ec. c. 5. Sect. 5. inter ſex præcipua, quæ in omni Ordinatione Sacra celebrantur recenſet *anarreſin* id eſt *proclamationem*, ſed nihil hanc aliud eſſe ait: *quam publicam electionis Ordinandorum de nomine recitationem. Sanctam conſecrationem* inquit *in myſterii theoria, & gradus, nominumque eorum, qui conſecrantur renuntiationem exclamans offert*, quod quidem myſterium declarat Pontificem, qui Dei amans eſt, interpretem eſſe Divinæ Electionis, ipſum autem non ſuo munere, & favore eos, qui conſecrantur ad Eccleſiaſtici Ordinis perfectionem offerre, ſed Numinis inſtinctu in omnibus conſecrationibus Pontificalibus agi. Electionis item legitime factæ promulgationem eadem verba de quibus agimus: *Divina gratia &c.* interpretatur S. Maximus in ſuis ad Dionyſium Scholis inquiens: *Hæc autem vocat proclamationem nominis, cum in ipſa Ordinatione prædicat Ordinandum dicens: Divina gratia promovet hunc &c.* Pachymeres vero in ſua Paraphraſi p. 326. ita ſcribit: *Elata autem voce pronuntiat Pontifex nomen illius, qui Ordinatur, quia Dei amans conſecrator ſolum declarat Divinam Electionem, quod non gratia, aut munere, ſed Dei inſtinctu motus eum elegerit.* Nemo igitur niſi abreptus partium ſtudio, laudatos Patres contrariæ ſententiæ patrocinari arbitrabitur. Unicum eſt, cui plurimum debeat Arcudius Simeonis Theſſalonicenſis teſtimonium, hic enim ſolum verbum *Divina gratia* in hunc modum interpretatur: *deſignat, creat, conſtituit, conſecrat, ſeu conſecratione perficit.* Una cum Verbo *ſimul donum datur*, & ſuæ interpretationis hanc addit rationem, *Neque enim potentiæ omnipotenti ſuapte natura perfectiſſima opus eſt tempore &c. quare una cum pronuntiatione iſtius decreti: Divina gratia promovet hunc Subdiaconum in Diaconum: ſtatim, dicit, Subdiaconum fieri Diaconum: Siquidem inquit & ipſe conſecrans non ut homo ſed ut Pontifex, una cum gratia ea verba profert, & gratiam invocat, ipſaque gratia operatur. Nam verbum Dei efficax eſt, & omnia operatur unus, & idem Spiritus. Tum igitur ſtatim a Subdiacono factus eſt Diaconus.* Nihilominus ſi bene attendatur tota Simeonis Theſſalonicenſis ſententia a ſenſu Arcudiano hæc longiſſime abeſt, nam ſtatim poſt hæc extrema ab ipſo prolata verba immediate addit: *Nihilominus tamen opus adhuc habet myſterio, & perfectione precum Epiſcopalium, & ceterorum omnium, quæ in Ordinationum paradigmate continentur. Non enim vox ſola ſufficit ut Subdiaconus in Diaconum creetur, dicere in Diaconum vel quem vis alium gradum promoveatur, ſed cum hoc oportet etiam caput*

ejus

Digitized by Google

ejus Sacræ menſa incumbere, & flectentem genu, Epiſcopi manum impoſitam habere, & deſcriptas preces, & Orationes recitari, & cruce ſignari &c. quod ſatis eſt ut intelligamus Simeonem Theſſalonicenſem omnia hæc ab ipſo deſcripta neceſſaria cenſere, non illi ſoli decreto, quod putavit Arcudius, totam actionem tribuere, quod expreſſius adhuc Simeon ipſe dixiſſet; ſi Scholaſticam diſtinctionem prævidiſſet neceſſitatis medii, & præcepti, quæ cum recens ſit, ideo ad generalem neceſſitatem ſuam Orationem reſtrinxit, in hoc non diſſentiens ab illorum Canoniſtarum opinione, qui omnia illa contendunt pertinere ad ſubſtantiam Ordinationis, quæ in jure præcipiuntur, ut ſit illicita Ordinatio, & ut ſit valida, quod contingit cum ſubſtantialia omnia concurrunt.

XV. Ad rem noſtram, & contra Arcudii ſententiam plurimum etiam facit uſus hujus formulæ non ſemper a Græcis, aut ſaltem non ubique obſervatæ in ſuis Ordinationibus, ut Auctor eſt S. Clemens, qui in nulla Ordinatione illius meminit, etiam ſi magna cæremoniarum pompa ſolemnem Epiſcopi electionem deſcribat, lib. 8. ſuar. Conſtit. c. 4. Facit etiam illud quoque quod Theodoretus enarrat in Philotheo c. 13. & c. 19. in quibus locis Macedonii Ordinationem in Sacerdotem, itemque Salamani Eremitæ deſcribens, de primo hæc ait: *Flavianus Antiochenus Epiſcopus pietatem Macedonii plurimum celebrari audiens e evertice montis, in quo habitabat ſimulata accuſatione evocat. Poſtea myſtico propoſito Sacrificio adducit ad altare, eumque cooptat in numerum Sacerdotum. Poſtquam autem finitum fuit Sacrum officium, ut hoc ei ſignificavit aliquis (quod enim factum fuerat ignorabat omnino) primum quidem inceſſebat omnes maledictis, & conviitiis &c.* De altero vero ita loquitur. *Pontifex Civitatis cujus is erat vicus, cum viri didiciſſet virtutem acceſſit volens ei dare donum Sacerdotii*, & *domunculæ perfoſſa aliqua parte eſt ingreſſus manumque impoſuit, & peregit precationem. Et ſæpe quidem ei dixit, & quæ ad eum advenerat gratiam ſignificavit.* Si *anarreſis* illa ſeu proclamatio Ordinationis Sacerdotalis apud Orientales forma eſſet, quomodo hac omiſſa adſtantes Clerici, & circumſtantes, & ipſe Epiſcopus conſecrator Salamario, & Macedonio ſignificare potuiſſent gratiam Ordinationis eis adveniſſe, eoſdemque fuiſſe Presbyteros conſtitutos? Merito excanduiſſet Macedonius, & obvios conviciis, & baculo, cui innitebatur laceſſiviſſet, quod fraudolenter teſtati eſſent illum Sacerdotem fuiſſe creatum. Verum uterque doctus rem amplius aliter ſe habere non potuiſſe, acquievit, quod tandem intellexit ad Sacerdotii Ordinem tradendum nihil præter Orationem & Epiſcopalem manuum impoſitionem requiſitum fuiſſe, quod ſatis eſt ut nos ipſi rem eamdem credentes Formam Sacrarum Ordinationum apud Orientales in his precibus agnoſcamus, & *anarreſin* Dionyſianam ſolum ad electionis-factæ pronuntiationem pertinere, in quem ſenſum etiam S. Clemens loco citato non ſemel uſurpat Græcam vocem. Quia Euchologia utuntur, & ipſi Nicæni Patres, ut videri poteſt in Epiſtola, quam ſcribunt ad Eccleſiam Alexandrinam de Meletio.

XVI. *Dicimus III. Formam Presbyteratus hactenus apud* Græcos, *& non gentis a Chriſto annis apud Latinos nullus audivit in his verbis: Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrare tam pro vivis quam pro mortuis in nomine Domini: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata &c.*

XVI.

Prima reſponſionis pars patet conſulenti Græcorum omnia Euchologia, Sacramentaria item, Rituales libros, & alia Eccleſiaſtica monumenta, quæ apud Latinos inveniuntur ſcripta ante annum milleſimum, & tamen horum omnium Ordinationes ſemper valuerunt quod nihil defuit illis eorum, quæ ſemper eſſentialia fuerunt Ordinationi Presbyteri. Altera non minus evidens eſt, illa ſiquidem forma mille ducentis annis incognita fuit in Eccleſia Dei, & nulli Rituales licet copioſi, & licet ſingulos ritus pauci momenti ſigillatim deſcribant, ante hoc tempus illius meminerunt. Primum legi cæpit in margine addita Codicis Rhemenſis, qui eſt annorum circiter 500. deinde in alio Rotomagenſi annorum circiter 400. In pluribus aliis etiam recentioribus omnino omittitur, & in aliis notatur ut uſurpata ab aliquibus Eccleſiis, quod animadvertens Joannes Major A. 1516. in ſuis Commentar. in 4. Sentent. d. 24. q. 1. hoc argumento præcipue probat hæc verba ad Presbyteratus ſubſtantiam non pertinere, quod aliqua Paſtoralia hæc non habeant, nec ſit probabile quod deficerent in aliquo tam neceſſario ad Sacramentum. Hinc factum eſt quod Micrologus cap. 21. de Obſervationibus Eccleſiaſticis manifeſte aſſeruit *quod ſuſceptionem Pænitentium non ex ſua Conſecratione, ſed ex Epiſcoporum conceſſione Presbyteri habere meruerunt*, quod illum non latebit quicumque Ordinem conſecrationis eorum, ſive ſtatuta Sanctorum Patrum diligenter inſpexerit. Hæc autem nunquam ſcripſiſſet Micrologus ſi in Ritualibus ſui temporis legiſſet hæc verba Presbyteris dicta cum ordinantur. Rem eandem perſpicue definit Canon 5. Concilii II. Hiſpalenſis. *Ad cognitionem noſtram* (inquiunt Hiſpalenſes Patres) *Aniani Egabrenſis Diaconi relatu deductum eſt de quibusdam ipſius Eccleſiæ Clericis, quorum dum unus ad Presbyterorum, duo ad Levitarum miniſterium ſacrarentur, Epiſcopus eorum oculorum dolore detentus fertur manum ſuam ſuper eos tantum poſuiſſe, & Presbyter quidam illis contra Eccleſiaſticum ordinem benedictionem dediſſe. Qui licet propter tantam præſumptionis audaciam, poterat accuſatus judicio præſenti damnari, ſi adhuc in corpore poſitus, non fuiſſet mortis vocatione præventus, ſed quia jam ille Divino relictus, humano judicio accuſari non poteſt. Hi qui ſuperſunt, & ab eo non conſecrationis titulum, ſed ignominiæ potius Eulogium perceperunt, ne ſibi licentiam talis ultra uſurpatio faciat, decrevimus ut a gradu Sacerdotalis vel Levitici Ordinis, quem perverſe adepti ſunt depoſiti æquo judicio abutantur. Tales enim merito judicati ſunt removendi, quia prave inventi ſunt conſtituti.* Ex verbis hujus canonis clariſſime cernitur, quod cauſa potiſſima, quare totum ritum Hiſpalenſes Patres inanem fuiſſe judicarunt fuit, quia Presbyter Benedictionem initiatis dederat, vel ut nos dicimus formam Ordinationis protulerat. Porro nemo adeo vecors eſt, qui non intelligat Epiſcopum oculorum dolore laborantem memoriter potuiſſe hæc verba proferre *Accipe poteſtatem offerre* &c. *Accipe Spiritum Sanctum* &c. cum ſint breviſſima, cum nulli Epiſcopo non potuerint eſſe non cognita, ſi tunc temporis Eccleſia agnoviſſet verba hæc formam continere Presbyteri conſtitutivam. Cum igitur tota illa actio irrita judicata ſit, & graviter puniti, qui temere hoc nefas auſi fuerant, infertur etiam ex hoc revera Eccleſiam, Eccleſiarumque Paſtores per tot ante acta ſecula his verbis uſus non fuiſſe, qui tamen uſi ſunt longa illa Oratione, quam repræſentant omnes Rituales libri antiqui recentiores, & hodierni, cui antiqui omnes titulum imponunt *Conſecratio*, & illa ſimiliter, quæ conſequitur, cui titulum *Conſummatio Presby-*

Digitized by Google

ſbyterii, quibus Orationibus Græci ipſi quovis ſæculo ſuos Sacerdotes conſecrarunt.

XVII. Aliqua, ex illis, quæ huic aſſertioni adverſantur præocupavimus iam in ſuperiori §. Unicum ſupereſt examinandum teſtimonium, quod petitum ex Auctore Quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti nonnulli objiciunt ut oſtendant Auguſtini ætate hæc verba *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata* &c. in Ordinationibus uſitata fuiſſe. Hæc itaque ſcribit laudatus Auctor q. 93. *Illud autem quod inſufflaſſe in Diſcipulos Dominus legitur poſt dies paucos Reſurrectionis ſuæ, & dixiſſe accipite Spiritum Sanctum, Eccleſiaſtica poteſtas collata intelligitur eſſe. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum Sanctum aguntur, idcirco cum regula eis & forma traditur hujus diſciplinæ, dicitur eis: Accipite Spiritum Sanctum. Et quia vere ad jus Eccleſiaſticum pertinet, ſtatim ſubjicit dicens, cujus tenueritis peccata, tenebuntur, & cujus remiſeritis, remittuntur ei. Inſpiratio ergo hæc, gratia quædam eſt, quæ per traditionem infunditur Ordinatis, per quam commendatiores habeantur.*

Plurimum certe eſt id, quod huic Auctoritati attribuunt Theologi illi, qui eamdem reponunt tamquam genuinum Auguſtini fœtum ſed oportet animadvertere maximo illos in errore verſari, & veram Auguſtini in hac re ſententiam ignorare, quæ legitur in lib. 15. de Trinit. c. 16. Ibi dubitantis inſtar proponit Sanctus Doctor quæſtionem: *Quomodo Deus non eſt qui dat Spiritum Sanctum; imo quantus Deus eſt qui dat Spiritum Sanctum?* Supponit enim neque aliquem diſcipulorum ejus hunc dediſſe, *ſed orabant*, inquit, *ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant*. Poſtea ſubdit *quod hunc morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia. Nam & Simon Magus offerens Apoſtolis pecuniam, non ait date & mihi hanc poteſtatem, ut dem Spiritum Sanctum, ſed cuicumque impoſuero manus, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quia neque Scriptura prius dixerat: Videns autem Simon quod per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus* &c. poſt quæ verba ita S. Doctor concludit. *Nos autem accipere quidem hoc donum poſſumus pro modulo noſtro, effundere autem ſuper alios, non utique poſſumus, ſed ut hoc fiat, Deus ſuper eos a quo hoc efficitur invocamus*. Hæc Auguſtinus, & ex his ſatis eſt perſpicuum repugnare ipſius menti quod dicitur illum aſſeruiſſe ab antiquis Latinis in Ordinatione Presbyteri uſurpatam fuiſſe hanc formam: *Accipe Spiritum Sanctum* &c. quotidianus ſiquidem horum verborum uſus plane ridiculum Auguſtino argumentum feciſſet, quo contendebat oſtendere Chriſtum ſolum poſſe dare Spiritum Sanctum, quia ille ſolus dare poteſt, qui id quod dat ſuum eſſe cognoſcit, & propterea Chriſtum dare Spiritum Sanctum, quia Dei filius eſt, & ab ipſo quoque procedit, ideoque Diſcipulos nunquam profeſſos fuiſſe ſe Spiritum Sanctum dare, ſed tantum oraſſe ut Spiritus Sanctus in illos deſcenderet, in quibus manus imponebant. & hunc morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc Eccleſiam ſervare. Orationi igitur Præpoſitorum Eccleſiæ attribuit Auguſtinus elargitionem Spiritus Sancti, conſequenter ævo Auguſtini dicendum eſt ſolam Orationem fuiſſe formam Ordinationis Presbyteri, & in illa ſola ſpecialiter exprimi totam Sacerdotalem poteſtatem, quæ per Presbyteratum confertur; nec aliquid aliud præter Orationem referunt antiqua monumenta, ut videre eſt in Sacramentario Gregorii Magni. Ad Auctorem Quæſtionum Veteris, & Novi Teſtamenti

reſpondetur illum ſolum docere Chriſtum quando ſuis Diſcipulis ait *Accipite Spiritum Sanctum* &c. conceſſiſſe quidem illis Eccleſiaſticam poteſtatem, & Spiritus Sancti tradendi auctoritatem, verum juxta eorum exigentiam non iiſdem verbis, & eadem inſufflationis actione, alioquin ſicut Chriſtus eoſdem Diſcipulos in Cœna Ordinavit dicendo illis: *hoc facite*, etiam ipſi, eorumque ſucceſſores Epiſcopi iiſdem verbis debuiſſent ceteris conferre poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti, & tamen nulla Eccleſia hunc conſecrandi ritum obſervavit unquam; ſemel ergo oportuit Chriſtum in Apoſtolos inſufflare, & dicere: *Accipite Spiritum Sanctum* &c. ut de cetero, (quod laudatus Auctor advertit) traditio iſta non ſine Dono Spiritus Sancti eſſe credatur. quod poſtea Tridentini Patres definiverant in canone 4 Seſſ. XXIII. eo quod capite hoc, Lutherani, Calviniſtæ, aliique hæretici recentiores inficiabantur, non quia Catholici Doctores hæc verba *Accipite Spiritum Sanctum* &c. dicerent ad formam Ordinationis non pertinere, cum plurimi etiam, quibus hoc Concilii Decretum fuit perſpicaciſſimum poſt Tridentinum Concilium eamdem ſententiam docuerint, & contrariam confutaverint. Ambiguum valde eſt quid ſenſerit Sanctus Thomas cum in 4. d. 24 q. 1. a. 1. ad 1. ſcripſit *in impoſitione manuum, quæ ſit ordinando in Sacerdotem dari gratiam, non autem imprimi characterem*. Sotus fatetur ſe S. Thomæ doctrinam non capere, & teſtimonium intelligit de illa manuum impoſitione, quæ fit poſt communionem, advertit enim quod ſi Sanctus Doctor loqueretur de gratia collata ex virtute Sacramenti non recte diceret *per illam manuum impoſitionem dari gratiam non autem characterem*, nam hæc duo ſimul dantur ut omnibus inconfeſſo eſt, & hoc poſito dicendum eſt S. Thomam hanc impoſitionem manuum non agnoviſſe materiam hujus Ordinationis, & propterea neque ejuſdem Ordinationis formam verba ſcilicet, quæ in illa manuum impoſitione proferuntur. Non tamen negavit hanc impoſitionem manuum gratiam conferre, quia Ordinantes per modum deprecationis illam a Deo impetrare poſſunt pro Ordinato.

XVIII. Dicimus 4. hæc verba *Accipite Spiritum Sanctum ad robur ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini, quæ habentur vera forma Diaconatus, eſſe verba a paucis ſæculis inſerta antiquæ Diaconorum conſecrationi, non rei novæ, & extraordinariæ additione, ſed ejuſdem rei, quæ jam deprecativo modo inerat imperativa repetitione.*

Supervacaneum videtur idem argumentum repetere, quo ſuperiorem propoſitionem demonſtravimus, & quo præſens aſſertio probatur, quæ iiſdem innititur fundamentis petitis a praxi Eccleſiarum Occidentis, & Orientis, & ab utrarumque Eccleſiarum Euchologiis, in quibus omnibus illa verba deſiderantur, nec leguntur in Auctoribus, qui de Eccleſiaſticis Officiis ſcripſerunt ante ſæculum XIII. Inſerta igitur verba illa eſſe merito Theologi viri dixerunt in gratiam Scholaſticorum, qui poſt prædicta ſæcula floruerunt, quod ex hoc etiam bene evincitur, quod nequaquam cohæreant cum iis, quæ immediate poſt in Pontificali leguntur, & quibus exoratur Spiritus Sanctus ut in Ordinandum deſcendat: ex quo fit, quod etiam extra propoſitum ſuta fuerint in medio prolixæ illius Orationis, quæ in antiquis Sacramentariis dicitur *Conſecratio Diaconi*, ut Theologi illi affirmarunt, qui hanc loquendi formulam *Accipite Spiritum Sanctum* a loquendi formula antiquorum Patrum eſſe prorſus alienam cognoverunt, & qui non dare Spiritum Sanctum conſueverunt,

ſed

ſed orare ut daretur, quem morem Magnus Gregorius tenuit, *in Ordine qualiter in Romana Eccleſia ordinandi ſunt* Diaconi. Quod vero in his verbis inſertis nihil aliud legatur quam ejuſdem rei, quæ jam deprecativo modo inerat, imperativa repetitio, Conſulenti antiquum, & hodiernum Conſecrationis Diaconorum contextum patebit. In antiquo ita legitur: *Tu horum vitam cæleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales, & admiſſa purgare, & ea que ſunt agenda concedere. Emitte in eos quæſumus* Domine Spiritum *S. quo in opus miniſterii ſui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur.* Recens vero ſic legit: *Tu horum vitam cæleſti poteris examinare judicio, quo ſemper prævales. & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agenda concedere. Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine* Domini. *Emitte in eos quæſumus* Domine Spiritum Sanctum *quo in opus miniſterii ſui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur.* Evidenter itaque conſtat, etiam ex novitate texturæ verborum, quæ inſerta ſunt, hanc additionem eſſe recenter factam, aliena enim omnino ſunt verba illa a ſtylo illius, qui Orationem illam conſecratoriam compoſuit, & conſtat veterem deprecatoriam in imperativam formam eſſe repetitam conſilio illorum Doctorum, quibus vulgatum erat Ordinum formam modo imperativo enuntiandam eſſe dum Epiſcopus ordinandis manus imponeret.

XIX. Dicimus ultimo *formam Subdiaconatus, & reliquorum minorum Ordinum in Eccleſia Latina ea verba componere quæ Epiſcopus materiam applicando pronuntiat.*

Antiquitus per modum Orationis forma Subdiaconatus proferebatur, ut videre eſt in Sacramentario S. Gregorii, nunc vero imperativo modo pronunciatur: *Videte cujuſmodi miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis ut Deo placere poſſitis*; quidam Theologi putant ſola prima verba *Videte cujuſmodi miniſterium vobis traditur* habere rationem formæ, quare reliqua inquiunt eſſe amputanda, quod non ſint imperativa, ut illa poſtulant; ſed nullius momenti difficultas hæc eſt, cum nihil ſit in prioribus magis imperativum, quam in poſterioribus, Imperativa ſiquidem verba, non ſolum imperium ſonant, ſed etiam exhortationem, & deprecationem. Proferuntur etiam ab Epiſcopo in Ordinatione Subdiaconi hæc alia verba: *Accipe librum Epiſtolarum, & habe poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei tam pro vivis quam pro defunctis*, ſed ut ſupra diximus agentes de materia hujus Ordinis, ſicuti traditio libri Epiſtolarum recentioris eſt ritus, ita ad recentem ritum pertinet horum verborum uſus, cum antiquitas hæc verba omnino ignoraverit. Formæ pro reliquis ordinibus illæ ſunt, quæ Pontificale Romanum jubet pronunciari. Singulare eſt in Ordinatione Oſtiarii quod duplex traditur materia, ſed una forma pronunciatur: *ſic agite quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur*, forcaſſe quia ſenſus illius generalis eſt, & æque utrique materiæ conveniens. In Ordinatione Acolythi antiquiſſima Ritualia nihil exhibent, quod diceretur in traditione inſtrumentorum, ſed ſolum ab Epiſcopo admonebatur Officii ſui, ut notat Concilium IV. Carthaginenſe, poſtea viſum eſt utilius, & decentius aliquid in ea inſtrumentorum traditione pronunciare; unde Pontificale Romanum vult Epiſcopum dicere cum dat Ordinandis Ceroferarium: *Accipite Ceroferarium cum Cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini. Amen*: Cum vero Urceolum:

Accipite Urceolum ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti in nomine Domini Amen. Unicam tantum formam habent Codices Corbejenſis, & Bellovacenſes duo, quam exhibent ab Archidiacono pronuntiatam; *Accipite hoc geſtatorium luminis, ut per illud valeatis adverſariorum tenebras effugare, & veriſſimum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum fideliter invenire*, Ratoldi Codex utramque formam exhibet, alteram quam dicit Archidiaconus, quis vero alteram pronunriet non decernit. Fortaſſe nunc ab Eccleſiis omnibus Latinis uniformiter hæc fiunt. Dixi ab *Eccleſiis Latinis*, quia jam in ſuperiori §. notavimus Græcam Eccleſiam habere tantum Subdiaconos, & Lectores, in quorum Ordinatione ſola Oratio pro forma ab Epiſcopo funditur, dum eisdem manus imponit.

XX. Colligitur 1. Sacram Unctionem, quæ fit in Conſecratione Epiſcoporum, & Presbyterorum, itemque verba, quæ huic Unctioni correſpondent non eſſe materism, & formam harum Ordinationum; licet enim earum ritus antiquiſſimus in Eccleſia legatur, tamen non ſemper fuit uſurpatus, & illum prætereunt Africana omnia Concilia, & inter cetera IV. Carthaginenſe, plura etiam Hiſpanica, ceterique non pauci Scriptores, qui Epiſcoporum, & Presbyterorum Ordinationes deſcripſerunt. Accedit inſuper, quod hæc unctio prius in Epiſcoporum, quam in Presbyterorum Ordinatione uſurpata fuit, de illa enim teſtimonium ſuppeditant S Leo Magnus Sermone 3. in Anniverſario ſuæ Aſſumptionis, & S. Gregorius in 1. Reg. c. 10. hanc vero nondum fuiſſe uſitatam in Eccleſia Romana ſuo ævo Nicolaus I. teſtatus eſt in epiſtola 39. ad Rodulphum Epiſcopum Bituricenſem in 3. Tom. Conciliorum Galliæ, cui fortaſſe fundamentum ſuppeditarunt duo Rituales Romani, quorum prior eſt omnium, uno excepto antiquiſſimus, & ex aliquo Codice Gelaſiano exſcriptus S. Gregorio antiquior. Alter Rodradi eſt appellatus, qui ejuſdem Nicolai ætate compoſitus eſt, & quem Rodradus ipſe ſe compilaſſe, ait ex iis Exemplaribus, quæ certiſſime Gregoriana habebantur mendis gravioribus, & ſpuriis dictionibus expurgatum, qui duo Rituales hanc Presbyteralem unctionem prætermittunt. Tardius igitur Ritus Unctionis Presbyteralis pervaſit Romanam Eccleſiam, in Gallia tamen aliiſque in Regionibus multo citius, nam de hoc loquitur antiquiſſimus Ritualis ante mille, & centum annos in Gallia ſcriptus, Theodulphus quoque Aurelianenſis Epiſcopus in cap. 1. Capitularis ad Presbyteros, & Amalarius in lib. 2. de Offic. Eccleſ. c. 13. & 14. ubi in hujus rei teſtem citat Bedam in lib. 3. de Tabernaculo & Vaſis ejus cap. 9. Varius inſuper in his unctionibus peragendis mos, & varia pro unctione persgenda materia adhibita, cum alii Rituales (antiqui præſertim) ex Chriſmate, aut ex Oleo, & Chriſmate faciendam præſcriberent, alii vero (ideſt recentiores) ex Oleo Sancto, aut ex Oleo Cathecumenorum, alii in manibus tantum, alii in manibus & in capite, argumentum evidens præbent Unctionis Ritum, nec Concilii alicujus Generalis, nec Summi alicujus Pontificis eſſe Decretum, multo minus traditionem Apoſtolicam, cum Orientalis Eccleſia nunquam illa ſit uſa, nullumque hujus ritus veſtigium apud eos exiſtat, nec in Auctoribus, nec in Euchologiis, & ſi Græcus Auctor aliquis de unctione materiali quid videatur dixiſſe, facile de Spirituali explicatur, ut explicantur etiam nonnullæ Latinorum Patrum ſententiæ, aut de aliis Unctionibus præſertim Confirmationis,

qua

qua Spiritus Sanctus ſecundum omnes Patres confertur ad quam Unctionem alluſit Pacianus cum in epiſtola 3. adverſus Sympronianum Novatianum ait *Plebi veſtræ unde Spiritum, quam non conſignat unctus Sacerdos?* Et Auctor Tractatus de Operibus Chriſti Cardinalibus in Sermone de unctione Chriſmatis, & Optatus Milevitanus in fine lib. 2. adverſus Donatiſtas, ut copioſe Morinus oſtendit l. c. Exercit. 6. c. 2. n. 9. & 10. Optandum itaque fuiſſet quod Hoſius, qui unctionem hanc in Confeſſione Catholic. c. 50. cenſuit materiam eſſe Sacerdotalis Ordinationis ſuam ſententiam aliqua ratione probaſſet, quod ſi non fecit, neque videtur quo pacto confirmari poſſit, cum omni probabilite deſtituatur. Supereſt ergo quod hæc Unctio in Ordinationibus adhibita, fiat tantum propter ſolemnitatem, & dignitatem Dominici Corporis, quod non eſt contrectandum niſi manibus conſecratis, qua de re in Pontificali Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi, aliiſque Anglicanis ab annis 900. ſcriptis ſub finem Ordinationis Diaconi habetur *Conſecratio manuum Diaconi de Oleo, atque Chriſmate.*

XXI. Colligitur 2. Traditionem Stolæ & Dalmaticæ non pertinere ad eſſentiam Ordinationis Diaconi, quod inter Theologos aſſeruit Michael Medina in lib. de Continent. c. 39. tum quia traditio veſtimentorum & verba, quibus traduntur non denotant Miniſterium hujus Ordinis, quod per materiam, & formam ſignificari debet, ſicut impoſitio manus cum verbis recitatis: tum etiam quia ſi duæ hæ actiones cum verbis ad materiam, & formam Diaconatus ſpectarent, eadem prorſus ratione pertinerent actiones, & verba, quibus traduntur Ordinandis in Sacerdotes Stola ſuper utrumque humerum, & veſtis Sacerdotalis, quod nemo hactenus dicit. Medinæ ſentiam tenuit Sichardus Cremonenſis Epiſcopus in lib. 2. de Inſtitutis Eccleſ. c. 2. & Paulus Iadrenſis Archiepiſcopus in Theſauro Pontificum. Verum tamen eſt quod laudati Auctores ex his veſtimentis, Stolam pertinere tantummodo ad ſubſtantiam hujus Ordinationis, Dalmaticam vero, ſi cui daretur ſolemnitatis eſſe dixerunt, quod ſcripſit etiam Durandus in lib. 2. Rationalis c. 9. n. 18. quod ab his Auctoribus fortaſſe dictum eſt, quia in quibuſdam Pontificalibus legitur, *quod ad conſummandum Diaconatus Officium unicuique Stola datur Ordinato*, quorum verborum ſenſus revera talis non erat, ſed quia in traditione Stolæ conſummabatur ut obſervat Martene loco cit. c. 8. a. 9. n. 4. finemque accipiebat ſolemnitas, ſeu ritus Ordinationis Diaconorum, ex quo etiam hoc veſtimenti genus uſurpari cœpit, nam ut idem Auctor obſervat nonnulli Sacramentorum libri hunc ritum prætermittunt, ut Pariſienſis, Gellonenſis, Rhemenſis, & Noviomenſis annorum 900. Corbejenſis, Rodradi, & editus ab Angelo Rocca inter Opera S. Gregorii Papæ, quod etiam obſervare oportet circa Dalmaticæ recentiorem uſum, qui ab annis circiter 500. incœpit, ut hoc etiam argumento magis magiſque innoteſcat, quam aberret a veritate Medinæ ſententia, erronea etiam quantum ad illa, quæ in cap. 44. libri citati tradit dum tunicam, & manipulum ad ſubſtantiam Ordinationis Subdiaconi pertinere ait, cum omnis illius ſuppellectilis traditio toti antiquitati pene incognita per annos mille permanſerit, nec niſi ad ſolemnitatem poſtea ab Eccleſia fuerit inſtituta, ut conſulentibus antiquos Ritualium Libros innoteſcit.

XXII. Ceterum in hac graviſſimâ controverſia, in qua agitur de materia, & forma Sacrarum Ordinationum hoc unum advertere neceſſarium eſt,

faci-

facilimnm eſſe illos decipi, qui conjecturis ſuis, aut Scholaſticorum argutiis plus æquo tribuunt. Tutior nobis illa ſententia videtur, quæ materias Ordinum docet fuiſſe a Chriſto determinate inſtitutas, cum Sacramentum ſine materia, & forma determinata, Sacramentum non eſſe legamus apud S. Thomam in 3. p. q. 60. a. 3. 5. & 7. & apud Tridentinos Patres in cap. 2. Seſſ. XIV., quia ut probatur in cap. *inter corporalia* de translatione Episcop. *Subſtantia, qualis eſt materia in Sacramentis, impoſſibile eſt quod ſit ſeparata ab eo, cujus eſt ſubſtantia*, alioquin Chriſtus Dominus Sacramenta inſtituiſſet tantum verbo non re, quod eſt contra definitionem Concilii Tridentini l. c. canone 3. in quo dicitur *Sacram Ordinationem eſſe vere, & proprie Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum*, quæ verba non verificarentur ſi Dominus non determinaſſet eſſentialia hujus Sacramenti, ſed reliquiſſet Apoſtolis, & Eccleſiæ determinanda. Verum ſupponamus, etiamſi hoc Tridentini Patres non permittant in cap. 2. Seſſ. XXI. de Communione ſub utraque ſpecie, ſubſtanrialia Sacramentorum ſubeſſe poteſtati Eccleſiæ, & Chriſtum Dominum reliquiſſe Apoſtolis, & Eccleſiæ determinandam materiam, & formam Sacramenti Ordinis, nullus affirmabit, quod poſteaquam Eccleſia ſemel materiam, & hanc formam determinaverit, potuerit iterum illam immutare, nullus enim ignorat per determinationem ſemel factam expirare facultatem amplius determinandi ex cap. *in litteris* de Officio Delegati, cap. *Publicato*, cap. *cum inter* de Electionibus &c. neque iterum poſſe declarare, qui declarandi habuit poteſtatem, & ſemel declaravit, ut habetur in lege *quidquid adſtringenda*, D. de U. O. Hoc ipſo igitur, quod antiquiſſima Eccleſiarum Praxis illa in Sacris Ordinationibus non uſurpavit, quæ ſæculis poſterioribus ſucceſſive cenſuit uſurpanda, non videtur quomodo Theologis Scholaſticis concedi poſſit hæc recentioris temporis additamenta eſſe tantum ſubſtantialia in Sacris Ordinationibus, & illa quæ ubique, & ſemper tum Græci, tum Latini Patres, & Præſules Eccleſiarum commendarunt, & quibus ſuarum Eccleſiarum Miniſtros conſecrarunt, dici debeat non pertinere ad eſſentiam Sacrarum Ordinationum. Præter manus impoſitionem nullam aliam adhuc reperiri materiam in Ordinatione certum eſt, & Arcudius in cap. 3. l. 6. de Sac. Ord. Philadelphienum reprehendit, quod in ſuo Opuſcolo edito A. 1600. ſcripſerit materiam Ordinis Sacerdotalis eſſe Sacrum panem, & ſacrorum vaſorum numerum, cum hæc vaſa non adhibeantur niſi poſt abſolutam Ordinationem, adeoque non poſſunt eſſe materia hujus Sacramenti, & exhibenrur ſine ullis verbis. Nec refert, quod in traditione Panis conſecrati proferant illa verba quæ habenrur in Euchologio: *Accipe depoſitum hoc, & ſerva illud uſque ad Adventum Domini noſtri J. C. quando debet ab ſte illud repetere*, nam panis conſecratus non eſt materia hujus Ordinis; præterquamquod antequam Græci Pontifices illum porrigant, ipſemet Presbyter una cum Epiſcopo eum conſecraverat, ut videre eſt in eodem Euchologio, a quo etiam appellatur Ordinatus qui accedit ad accipiendum hanc panem, & conſecratus per manus impoſitionem.

XXIII. Colligitur tandem immerito nonnullos Theologos a Sacramentorum numero excludere Epiſcopatum, & Diaconatum cum in his Ordinibus omnia illa concurrant, quæ ad ſtabiliendam alicujus Sacramenti naturam ſunt neceſſaria. In illorum materia, & forma perenniter in Eccleſia obſervata, cognoſcitur ſpeciale illud ſenſibile ſignum, & in Eccleſia permanens,

quod

Digitized by Google

quod ſemper agnoverunt omnes, ut potiſſimum Sacramenti alicujus conſtitutivum. In illorum inſtitutione quam a Chriſto in 1. Capite repetendam oſtendimus habemus alterum eorum, quæ in quolibet Sacramento deſiderantur, tandem in effectu, qui ſuſcipientibus hujuſmodi Ordines advenit, hoc eſt in gratia, quæ annexa eſt Ritui, quo horum Ordinum materiæ, & formæ applicantur, ut conſtans eſt Eccleſiæ traditio, dignoſcitur tertium illud, quod eſt cujuslibet Sacramenti experimentum. Perperam igitur in contrarium objicitur Epiſcopatum non referri ad Euchariſtiæ confectionem, aut diſtributionem, non imprimere characterem, non conferri Sabbatis quatuor temporum, ſed diebus Dominicis, & Apoſtolorum Feſtis; Diaconatum *non eſſe ex inſtitutione Divina*, ut ſcripſit Cyprianus in epiſtola 65. ad Rogatianum, ſed ab Apoſtolis Diaconos fuiſſe creatos ad miniſterium, quod mere profanum erat, ut Lucas Actorum 6. recenſet, ut ſcribit Hieronymus in Epiſt. ad Evagrium, ut Patres Quiniſexti Concilii definiverunt in can. 16. Nam imbecilla eſſe hujuſmodi momenta facile oſtenditur 1. quia ſolus Epiſcopus conſtituit Euchariſtiæ Miniſtros, legeſque illis indicit, ut cum dignitate, & majeſtate auguſtiſſimum illud Miniſterium peragant. 2. quia Epiſcoporum character extenditur ad munera Epiſcopalia obeunda; quæ ſunt confirmare Neophytos, ordinare Miniſtros, Altaria, & Eccleſias conſecrare, aliaque plura præſtare erga omnes fideles tam Clericos, quam Laicos, quæ ſolus character Sacerdotalis exercere non poteſt 3. quia Sacri Canones non pro ſingulis Ordinibus eadem tempora præſcribunt, cum minores Ordines etiam extra Sabbata quatuor temporum conferantur. 4. quia finis Cypriani fuit confringere temerarium, & inſolentem Diaconi auſum, qui Epiſcopum ſuum exacerbaverat eidem objiciendo Chriſtum Dominum per ſe Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & Præpoſitos elegiſſe, Diaconos autem ſibi Apoſtolos conſtituiſſe, verum intelligendum eſt poteſtate a Chriſto Domino eiſdem tradita; quemadmodum igitur peſſime quis inferret Sacramentum non eſſe Confirmationem, quod non legatur Chriſtum aliquem confirmaſſe, ita temere quis inficiatur Diaconatum Sacramentum eſſe, quia Chriſtus per ſe Diaconos non elegit. 5. Falſum eſt Diaconis Sacrum Miniſterium creditum non fuiſſe, quod oſtendit Ignatius Martyr in epiſtola ad Trallianos ubi Diaconos vocat ***imitatores Chriſti miniſtrantes Epiſcopo ſicut Chriſtus Patri, & operantes illi operationem mundam, & immaculatam***: oſtendit Cyprianus in laudata epiſtola ubi inquit Apoſtolos Diaconis eadem Officia crediditſe, quibus ſuæ ætatis Diaconi fungebantur: oſtendit Concilium Neocæſarienſe in can. 14. & Beda in caput 6. Actorum: imo ipſa Actuum hiſtoria oſtendit, quæ docet Diaconos Apoſtolorum ævo Jure conferendi Baptiſmatis fuiſſe poſitos, & Jure prædicandi Evangelii; legatur Hieronymus in epiſtola ad Heliodorum, ubi in tertio Sacerdotii gradu Diaconos collocat: legatur in lib. 2. adverſus Jovinianum ubi eos partem eſſe Cleri ait, quem Chriſtus ſupra Laicos evexit; In Apologia adverſus Jovinianum Diaconos continentiæ adſtringit, quod cum Presbyteris immaculatam hoſtiam offerant, & in Libro adverſus Luciferianos jubente Epiſcopo Diaconum jus habere baptizandi decernit: ulterius in eadem Epiſtola ad Evagrium: *quod Aaron*, ait, *& filii ejus, atque Levitæ fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Eccleſia*; ſi itaque contraria his aliquando ſcripſit S. Doctor, Diaconorum audacia Hieronymum ad hoc impulit, cum ſe Presbyteris æquales eſſe conteu-

tendebant. Demum quod citatur teſtimonium ex Synodo Quiniſexta revera Neocæſarienſem Canonem, qui de veris Diaconis Apoſtolorum verba interpretatur, infirmat, & exautorat, & decernit *Diaconos non Sacris Myſteriis ſervientes fuiſſe ab Apoſtolis creatos, ſed tantum Occonomos, & diſpenſatores*, nam reformidarunt hujus Synodi Patres illam quam Acta commemorant Diaconorum creationis cauſſam aſſerere. Quidni occaſio creandorum Diaconorum prius exoriri potuerit propter juvandas pauperes Viduas, quam propter Sacrificii neceſſitatem? Utrumque requirebatur, ſed hoc poſtremum diutius Apoſtoli ſupplere potuerunt, quam pauperum curam, quapropter nihil prohibet cum duo ſunt fines, licet unus ſit alio principalior occaſionem dari, quæ prius moveat cauſſam agentem, ut agat nunc propter finem ſecundarium, quam propter principalem. Ceterum principale, & palmarium Diaconorum miniſterium Patres omnes, Auctoreſque qui de Sacris Officiis ſcripſerunt, dixerunt eſſe Sacerdoti miniſtrare, & adeo neceſſarium Sacerdoti Diaconum agnoverunt, ut ſine eo Sacerdos fungi Sacerdotio non poſſet. *Sine ipſis*, inquit Iſidorus lib. 2. c. 8. de Off. Eccl. *Sacerdos nomen habet, Officium non habet*. Legatur Auctor tractatus de ſeptem Ordinibus inter Opera S. Hieronymi, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, ceterique, qui plura ſcribunt de hac Diaconorum Creatione, & eorumdem miniſteriis; de quibus alio in loco agemus.

XXIV. Non ita vero ſentiendum eſſe de Subdiaconatu, ceteriſque minoribus Ordinibus fundamenta non contemnenda decernunt. Non eſt enim verum Sacramentum, in quo non eſt tota ratio, & perfectio Sacramento ſubſtantialis. Ineſt certe ſingulis his Ordinibus materia, cujus traditione conferuntur, ineſt etiam forma, qua perficiuntur, verum neque a Domino, neque ab Apoſtolis inſtituti ſunt, ſed procedente tempore eoſdem Eccleſia ſibi conſtituit. *Sacros Ordines*, inquit Urbanus II. in alibi laudato Concilio Beneventano, ***dicimus Diaconatum, & Presbyteratum, hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia, ſuper his ſolis præceptum Apoſtolicum habemus, Subdiaconos vero, quia & ipſi Altaribus miniſtrant opportunitate exigente concedimus***. Idem antea tradiderat Pontifex Anacletus in ſua epiſtola 3. & deinde ex Theologis eamdem ſententiam tradiderunt Amalarius, Ivo Carnotenſis 2. p. Decreti cap. 72. Gratianus d. 21. in Præfat. Hugo a S. Victore, Magiſter Sentent. Durandus, Cajetanus, Vaſquez, innumerique alii, apud quos non ſecus ac apud ceteros omnes compertum eſt, & certo traditum Eccleſiam conſtituendi Sacramenti poteſtatem non habere, eamdemque conſueviſſe, & ſolere Cardinalibus, Abbatibus, aliiſque ſimplicibus Presbyteris concedere, ut per ipſos hi Ordines conferantur, cum Sacramentum hoc nonniſi ab Epiſcopo ad id conſecrato conferri queat. Nec quemquam movere debet, quod Subdiaconatus inter majores Ordines annumeretur, cum non propter Sacramenti rationem ei competentem, ſed id illi conveniat, propter aliam cauſſam, quam agentes de illius materia ſupra recenſuimus, aut quod Subdiaconatus, aliique minores Ordines reiterari non poſſint, nam ut obſervant Theologi laudati, & in Eccleſiaſticis inſtitutis, ut conſecratione Abbatis, aliarumque rerum habetur, quod iterari non poſſunt, quia non poſſunt auferri; quoniam igitur, hujuſmodi collatio Officiorum, ſive Ordinum fit cum conſecratione quadam, ſequitur ut Ordines ſic collati iterari non debeant; ut neque iteratur Tonſura licet characterem

non

non imprimat. Reponunt nonnulli contrariam ſententiam definitam fuiſſe in Florentino, & Tridentino Concilio, in Florentino quidem cum Eugenius IV. Sacramenti Ordinis materias, & formas recenſuit, in Tridentino vero cum Patres in cap. 2. Seſſ. XXII. ſeptem Ordines enumerarunt, & poſtea cap. 3. abſolute definiverunt *Ordinem eſſe Sacramentum*. Verum hæc teſtimonia contra noſtram ſententiam parum momenti habent, nam neque Eugenii, neque Tridentinorum Patrum inſtitutum fuit hanc Scholaſticam Controverſiam dirimere, cum hæc definitio, neque Græcis neceſſaria eſſet, quæ illuc uſque non fuerat etiam Latinis, neque Eccleſiæ Dei, in qua cum hæreticis de hac re nulla fuerat concertatio. Utriuſque igitur definitio Concilii, quod attinet ad rationem Sacramenti de Ordine in univerſum, ſolum accipienda eſt, quæ tunc neceſſaria fuit, & ut numerus Ordinum recenſeretur, quia Concilii Tridentini ætate hæretici non pauci negabant hos Ordines minores, vel aliquos eorum, & Ordinem exorciſtæ irridebant, nullum vero fundamentum Tridentino Concilio fuit, ut definiret minores Ordines eſſe Sacramenta, quare nullius momenti eſt, quod addunt Ruardus, & Guido Carmelita de hæreſibus VValdenſium, hos hæreticos fuiſſe damnatos, quod negaverint minores Ordines Sacramenta eſſe, ſed quod illos nullo modo admitterent, qua ſola ratione, ut Catholicum dogma definiverunt Patres Tridentini in loco cit. *Septem eſſe in Eccleſia Ordines*, non quod omnes eſſent Sacramenta, ſed quod omnes eſſent in Eccleſia, ut per illos ad ſupremum Sacerdotii gradum aſcendatur; non ſecus ac apertum mendacium eſt, quod citatus Ruardus aſſerit in articulo 17. §. de Ordinibus minoribus ab eodem Eugenio IV. definitum fuiſſe minores Ordines conferre gratiam, cum revera id nunquam definitum fuerit, neque id nunquam putavit Eccleſia, nec Eccleſiæ Patres, quorum nullus invenitur, qui dixerit per Subdiaconatum, reliquoſque minores Ordines dari Spiritum S. ſeu gratiam ſanctificantem.

XXV. Quia vero diximus *Minores Ordines Inſtitutionis eſſe Eccleſiaſticæ*, & propterea non vera Sacramenta, non impedit quin iidem Ordines Apoſtolici, imo & Divini juris eſſe cognoſcantur. Quomodo autem hoc fieri poſſit expoſuit S. Bonaventura in 4. d. 24. a. 2. q. 1. ad 3. *dicendum quod falſum eſt ſolos Ordines Sacros fuiſſe in primitiva Eccleſia, imo & alii fuerunt, ſed implicite dabantur in impoſitione manuum, quoniam manus eſt organum organorum*. Ratio autem quare non diſtinguebantur, erat propter paucitatem miniſtrantium, & propter paucitatem fidelium, ideo oportebat quod omnia officia darentur uni, ſcilicet Diaconis, inquit S. Thomas, in eamdem diſtinctionem q. 2. a. 1. ad 2. & hoc probavit auctoritate Dionyſii: *cum itaque Diaconi omnia illa miniſteria initio præſtarent, ſingula in* Diaconatu *tamquam in ſuo principio hæc continebantur, qui cum ſit Apoſtolicæ & Divinæ inſtitutionis, hæc eadem officia Apoſtolici & Divini juris fuiſſe, hac una ex multis quæ afferri poſſunt rationibus demonſtratur, licet de iis inſtituendis tum Chriſti, tum Apoſtolorum deſit expreſſum præceptum*. Multum vero utilitatis affert, quod dixerimus Minores Ordines vera Sacramenta non eſſe, ſiquidem omnia incomoda illa evitantur, quæ non ſine maximo Scholaſticorum ingeniorum periculo uſque huc effugerunt ii, qui ut explicarent quare Sacramentorum numerus non augeatur, quamquam Ordines omnes totidem Sacramenta ſint, tria *Unius*, ſive totius genera excogitarunt integrale, univerſale, & poteſtativum, ſemper quę negarunt Ordinem eſſe unum univerſale diviſum in partes inte-

integrales, & ſubjectivas, & dixerunt ſpectare ad genus poteſtativum, illud ſcilicet quod dividitur in partes analogas, quæ proportione qualem, & incompleie partem totius participaret, juxta quem explicandi modum, nihil impedit, quominus Minores Ordines Sacramenta vocentur inchoata, incompleta, quæ per quamdam participationem, & analogiam, ſive relationem ad Sacerdotium, & Euchariſtiam, tantum ſint Sacramenta; ſed detrahitur plurimum Ordini Diaconatus, quem verum eſſe Sacramentum diximus, abſque eo quod Sacramentorum numerus augeatur. Hoc autem contingit, quia Sacerdotio Ordinem illum connectimus, non ut utrumque confundamus cum in ratione Sacramenti utroſque diſparatos, & collaterales habeamus, ſed quia Diaconus eſt Sacerdotis miniſter neceſſarius. quia unus ad alium neceſſario refertur una, & mutua relatione, unus cum alio conjungitur, ideoque unum dici debet Sacramentum: Cujus Saeramenti unitas ex eo etiam dependet, qui illius finis appellatur, Euchariſtiæ ſcilicet confectio, cum uterque Ordo propter hanc ſit inſtitutus, nimirum ut illam Sacerdos conſecret, & Diaconus ut illam adminiſtret. Idem eſt dicendum de Epiſcoporum conſecratione, quæ licet verum ſit Sacramentum, tamen Sacramentorum numerum non immutat; quod in hoc Ordine Characteris extenſio mera eſt rationis relatio ex Divina daputatione ad nova Officia conſurgens. *Poteſtas Sacerdotalis* [inquit Philippus Gamochæus tomo 3. Summæ Theologicæ de Sacramento Ordinis cap. 9.] *in Corpus Chriſti verum, cum ſit omnium præſtantiſſima, facile etiam applicari poteſt ad qualibet officia Epiſcopalia per ſolam extenſionem, & novam relationem rationis ex inſtitutione Chriſti. Epiſcopatus igitur eſt Sacerdotium perfectum, quo Sacerdos alios Sacerdotes generare, & ordinare poteſt, propter quod qui Epiſcopus eſt, dicitur in eminentiori gradu ſupra Sacerdotes conſtitutus, tamquam perfectior Sacerdos, qui non tantum poteſt quid quid alii Sacerdotes poſſunt, ſed etiam Ordinare alios Sacerdotes ad idem Miniſterium, & de illis omnibus per claves ſolvendi, & ligandi judicare.* In quo Ordine, & illud contingit animadvertere illum ita ſe habere ad Sacerdotium, ut ſe habet poteſtas Sacerdoti collata ad abſolvendum a peccatis ad poteſtatem conſecrandi, quam ita neceſſario tamquam præviam poſtulat, ut niſi hac conceſſa, illa nequeat conferri, & dum confertur, novum Sacramentum non datur, ſed ambæ ejuſdem Ordinis Sacramentum perficiunt; ita etiam cum niſi prævio Sacerdotio Epiſcopatus conferri non poſſit, & aliter collatus omnino ſit nullus, in ipſo Epiſcopatu ejuſdem Sacramenti unitas ſalvabitur, & ultimus Sacerdotalis dignitatis apex ſubſiſtet. Quod ſi inquiras quare Epiſcopalis Ordinatio ſit nulla, quam non præceſſit Presbyteralis, facilis eſt reſponſio, quia Epiſcopatus eſt ſummum Sacerdotium, & Presbyteratum eſſentialiter involvit; Presbyteratus autem quia non eſt Diaconatus, nec eum eſſentialiter involvit, nec Diaconatus eſt Subdiaconatus, aut eum eſſentialiter includit, & ſic de ceteris gradibus, poteſt quis eſſe Presbyter ſine inferioribus gradibus; & hinc eruitur male illos argumentari Epiſcopatum non eſſe Sacramentum Ordinis hoc fundamento, quia Presbyteratus quia tale Sacramentum eſt, prioribus gradibus omiſſis poteſt ſuſcipi, non ſic vero Epiſcopatus. Theologi enim illi, qui hanc rationem aſſignant a vero fundamento quod jam allatum eſt abſunt longiſſime, cui & iſtud additur, quod in Sacerdotio talis poteſtas confertur, quæ omnem humanam virtutem excedit, quæ cum eadem non conferatur in Epiſcopatu, nec tamen

men ex Epiſcopo deeſſe debeat, fit ut nemo poſſit in Epiſcopum ordinari, qui non prius fuerit ordinatus Sacerdos, ſicut nemo confirmari poteſt, niſi prius fuerit baptizatus.

CAPUT IV.

DE PERSONIS AD SACROS ORDINES PROMOVENDIS.

QUod Apoſtolus ſuo Timotheo indixit de manibus non facile imponendis, Chryſoſtomus, Primaſius, & alii plerique de Ordinatione intelligunt, nam promovendi ad gradus, & Ordines in Eccleſia probari debent, & examinari, an ſint digni, ne ille, qui in his negligens fuerit, alienis peccatis communicet. Apoſtolicum monitum ita Eccleſiæ Præſules excitavit, ut nullus unquam in rebus ſuis agendis, quanquam graviſſimis, tam diligens viſus ſit, quam Epiſcopus in Ordinandorum moribus inveſtigandis, ne quos forte indignos admitteret, quam ſolertiam ipſi inter Ethnicos Principes admirati, in eligendis Provinciarum Rectoribus eam ſibi imitandam propoſuerunt, & hoc factum fuiſſe ab Alexandro Severo narravit Lampridius, *qui ubi aliquis voluiſſet, vel rectores Provinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, ideſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quod haberet criminis probaret manifeſtis rebus, ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis, dicebatque grave eſſe, cum id Chriſtiani, & Judæi facerent in Ordinandis Sacerdotibus, non fieri in Provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur, & capita*. Hanc Apoſtolicam Conſuetudinem deſcripſit Cyprianus in Epiſt. 68. agens de Epiſcopi electione, eamdem Antiquiſſimi Rituales libri præſcribunt obſervandam in collatione ceterorum Ordinum, propter quam Electi antequam eis manus imponeretur Plebi proponebantur ab Epiſcopo, ut ſi quis adverſus eos malum teſtimonium tuliſſet, audiretur, & quot quot conveniſſent Epiſcopus hortabatur, & obteſtabatur, ut Divini memores judicii, ſi quid adverſus illos denuntiandum haberent, libere palam pronuntiarent. Dignum ſane experimentum ne Sacerdotalis dignitas in indigno hærede vileſceret, & ut tremenda myſteria in illos diſtribuerentur, qui eadem auguſtiori pompa, & apparatu ad provocandam fidelium reverentiam accomodato, celebrarent. Tria autem illa ſunt, quæ potiſſimum in omni Sacra Ordinatione, tum Eccleſiæ Patres, tum Provincialia, & Generalia Concilia obſervanda eſſe voluerunt, ſexum videlicet, ætatem, & ordinandorum qualitatem, de quibus nos quoque ſingillatim tractabimus, & in hoc paragrafo de primo agemus, nimirum de Sexu, quem (ut notavimus etiam agentes de miniſtro Euchariſtiæ) Kataphryges (teſte Auctore Commentationum Pauli apud Ambroſium in illud 1. ad Timoth. 3. *Mulieres ſimiliter pudicas* &c.) non diſtinxerunt, contendentes non tantum viros in Diaconos, ſed etiam mulieres in Diaconiſſas, ſcilicet miniſterio Altaris Ordinari debere.

§. I. *Contra Quintilianos, Peputianos Artotyritas, & Priſcillianiſtas, quos omnes Epiphanius hereſi 49. putavit eoſdem eſſe cum Kataphrygis negamus mulieres poſſe ullo Ordine initiari.*

II. Palmarium hujus Propoſitionis fundamentum contraria Eccleſiæ Traditio ſuppeditat, quæ non ſolum mulieres ullas ordinari permiſit, verum etiam prohibuit; unde colligitur jure Divino Mulieres Sacræ Ordinationis incapaces eſſe, nec alia ratione explicari poteſt quare Chriſtus Dominus Matrem ſuam, tum Magdalenam, tum alias Sanctiſſimas fœminas tanto honore privaverit, eumdemque morem Apoſtoli tenuerint, niſi quod fœmineus ſexus jure Divinæ inſtitutionis hujus Sacramenti incapax erat, ne dicamus injuſte Eccleſiam totum ſexum illo privaſſe, & lege ſua prohibuiſſe, quod qui ſibi id perſuadeat nullus dubito, ſi Chriſtus voluiſſet ſexum illum hujus Sacramenti capacem eſſe, cum in tali caſu nullum fuiſſet futurum incommodum ſi aliqua fœmina ordinaretur, nullaque ratio ut omnibus hoc Sacramentum interdiceretur. Præter quam quod in ipſa lege naturæ neque hoc privilegium Sacrificium offerendi Evæ, aliiſque fœminis legitur fuiſſe conceſſum, neque in ipſa veteri lege, in qua Deus ex ſolis viris ſibi Sacerdotes elegit, & Levitas conſtituit in miniſterium Altaris, nec ulla unquam Judæa mulier Sacram ullam functionem tentavit, licet Sanctitate prædita, & Reipublicæ adminiſtrandæ idonea. Conſtantis hujus obſervantiæ cauſſam diligentius inquirere non indigemus; quæ ex ipſa miniſterii natura, & muneribus ſponte ſua emanat, prædicatione videlicet, quæ requiritur in Sacerdotibus, Epiſcopis, reliquiſque Clericis, qui in ſuperiori gradu ſuper reliquos homines ſunt conſtituti, ad quod miniſterium valde indecens eſſe videtur mulieres eligere, quas tacere in Eccleſia jubet Apoſtolus in 1. ad Cor. 14. non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut lex dicit, quibus ſi quid volunt diſcere, idem Apoſtolus inquit, quod *Domi viros ſuos interrogent; turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia*. Exiſtimandum igitur non eſt Chriſtum inſtituiſſe quod turpe eſſet, & conſequenter quod Sacramentum Ordinis inſtituerit pro mulieribus, & pro viris: unde patet aſſumptum, Sacramentalis ſcilicet Ordinationis ſortem non poſſe ſibi mulieres vindicare.

II. Cum dicimus Sacramentalis Ordinationis ſortem non poſſe ſibi Mulieres vindicare, non intelligimus quod aliarum Ordinationum mulieres capaces ſint, illarum ſcilicet, quæ Sacramenta non eſſe plures Theologi crediderunt, & putant, ſcilicet mulieres capaces eſſe minorum Ordinum, & Clericalis Tonſuræ, nam illis vetitum eſſe his omnibus initiari dubium non eſt, Et inter Theologos unus & alter reperitur, qui præſuppoſito quod hi gradus Eccleſiaſticam habeant inſtitutionem, velit poſſe Papam cum mulieribus diſpenſare, ut illis Tonſura, & minores Ordines conferantur. Improbabilis nihilominus hæc Palodani, & Almaini ſententia haberi debet, & contraria fini, quem Eccleſia ſibi præſcribit in horum graduum, & Officiorum inſtitutione, & non minus indecens eſt mulierem ſuſcipere Majores Ordines, ac indecens ſit illam ad Majores Ordines ſuſcipiendos præparare; & licet Papa eorum Ordinum poſſit materiam, & formam mutare, cum nulla tamen muliere poteſt in hac ſua lege diſpenſare, quod per hæc Officia Ordinatus conſtituatur in aliquo gradu inter Eccleſiaſticos, ut in templo miniſterio aliquo fungatur, ut loquatur, ut doceat, quod mulieribus, ut dicebamus eſt vetitum jure Divino.

80. Eodem igitur jure Divino prohibetur mulieribus ad hos Eccleſiaſticos gradus aſcendere, quia quo jure quis incapax eſt Sacramenti, eſt etiam incapax eorum, quæ præparationes ſunt ad hoc Sacramentum. Sed inquies quomodo hæc conciliantur. cum antiqua Eccleſiarum praxi, *quæ Subdiaconiſſas, Diaconiſſas, & Presbyteras ad Sacrum miniſterium conſecrabat? Diaconiſſam non ordinandam ante annum quadrageſimum, & hanc cum ſummo libamine* decernit canon 15. Concilii Chalcedonenſis. *Si vero ſuſcipiens manus impoſitionem, & aliquantum temporis in miniſterio permanens ſemetipſam tradat, nuptiis; gratiæ Dei contumeliam faciens, Anathematizatur hujuſmodi cum eo qui eidem copulatur*; Canon 19. primi Nicæni Concilii poſtquam dixiſſet Clericos Paulianiſtas rebaptizatos poſſe iterum Ordinari ab Epiſcopo Catholico ſimiliter addit *& de Diaconiſſis, & univerſe de iis qui in Clero recenſentur eadem forma ſervabitur.*

IV. Inter fundamenta hæreticorum quæ apud Epiphanium leguntur fateor certe hoc non eſſe poſtremum, cum tria in citato Epiphanii loco exponantur, illis nihilominus omiſsis, quorum ſolutionem ſemel jam dedimus agentes de Miniſtro Sarificii Miſſæ, nunc oſtendere aggredimur quod licet hoc argumentum multa complectatur obſervatione digna, tamen non illud continet quod requireretur in detrimentum catholicæ veritatis. Obſervare igitur expedit Apoſtolorum tempore duo mulierum genera illis nominibus fuiſſe nuncupata, Viduas intelligo, & Virgines, non omnes tamen, ſed illæ quæ eo munere dignæ judicabantur. Hujus facti teſtem habemus S. Clementem, qui lib. 6. c. 17. *Diaconiſſa* inquit *eligatur virgo pudica, ſin autem non fuerit virgo, ſit ſaltem vidua, quæ uni nupſerit, & fidelis, atque honorata ſit.* Idem teſtatus eſt S. Epiphanius in expoſitione Fidei poſt omnes hæreſes, Chartaginenſe item IV. Concilium c. 12. & Juſtinianus Novella 6. c. 6. A Viduis hoc præterea poſtulabat Apoſtolus, ut quæque eo munere digna judicabatur, eligeretur, quæ ſexageſimum annum attingeret, quod Apoſtoli mandatum Chalcedonenſi, & Trullano Canoni adverſari videns Zonaras, rationem petit conciliandi utrumque decretum, & Chalcedonenſe decretum, contendit, agere de virginibus ad hanc dignitatem eligendis, non vero de viduis, dum Trullani Concilii Patres aliam conciliationis rationem ineunt, nam aſſerunt c. 40. Patres Chalcedonenſes, qui Diaconiſſas annorum 40. ordinari permiſerunt, vidiſſe Eccleſiam Dei gratia potentiorem, ac robuſtiorem evaſiſſe, & ulterius procedere ad Divinorum mandatorum obſervationem, firmitatem, ac ſtabilitatem. Obſervamus ulterius Diaconiſſarum Ordinationem multa monumenta Eccleſiaſtica demonſtrare. In primis occurrit Tertulliani auctoritas, qui cap. 7. lib. 1. ad Uxorem: *Quantum fidei* inquit *detrahant, quantum obſtrepant Sanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & Apoſtoli præſcriptio declarat, cum bigamos non ſinit præſidere, cum viduam adlegi in Ordinationem niſi univiram non concedit*, Occurrit 2. Auctoritas IV. Oecumenici concili. Chalcedonenſis nuper relata; item Concilii VI. in Trullo. Favent etiam huic Ordinationi Diaconiſſarum S. Epiphanius hæreſi 79., & Baſilius c. 44. Imperator quoque Juſtinianus Novella 6. cap. 6. ubi ſæpiſſime de Ordinatione Diaconiſſæ mentionem facit, & Veſpaſianus qui, ut refertur in lib. 16. Codicis Theodoſiani titulo de Epiſcopis & Clericis lege 27, ante ipſum Juſtinianum decreverat *ut nulla niſi emenſis 60. annis, cui votiva domi proles ſit ſecundum præceptum Apoſtoli ad Diaconiſſarum conſortium proveheretur*,

Hu

His omnibus monumentis accedit canon 73. Concilii Vormatienſis quod renovat canonem 15. Chalcedonenſis, & Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum editus, qui exhibet Miſſam peculiarem Ordinationis Diaconiſſæ, ut oſtendatur non incelebrem fuiſſe poſterioribus ſæculis non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos Diaconiſſarum inſtitutionem. Quomodo autem hæc Ordinatio fieret antiquiſſimi Græcorum Rituales nobis exhibent. Hujus Ordinationis ritum, qualem in antiquis Ritualibus legit, Matthæus Blaſſar edidit, hic refertur ab Arcudio in lib. 6. c. 10. ubi obſervatur quod omnia peragebantur in ejus initiatione, paucis exceptis, quæ & in Diaconorum ſolebant. Per manus impoſitionem orationi conjunctam ordinabantur, & Altari ut Diaconi admovebantur, non autem permittebatur eis immaculata adminiſtrare Euchariſtiæ myſteria, nec flabellum eis in manibus tradebatur, ut fit in Ordinatione Diaconi, ſed Stola Diaconorum ſubter pallium Pontificia collo earum imponebatur, deductis extremitatibus ad partem anteriorem. Poſt Diaconos Divinorum myſteriorum participes fiebant, quæ accepto Calice ex manibus Pontificis impertiebantur nemini, ſed continuo ipſum Altari Sacro imponebant juxta Ordinem Romanum citatum. Poſt Stolam, quam ab Epiſcopo accipiebant, ipſæ ſuis capitibus velamina imponebant palam omnibus de Altari accepta, deinde dabatur illis annulus, poſtea torques in capite.

V. His auditis ex Patribus de Diaconiſſarum Ordinatione, modo ab eiſdem audiamus Diaconiſſarum munera. Clemens in Conſtit. Apoſt. lib. 8. c. 28. *non benedicit* (ait loquens de Diaconiſſa) *nec facit aliquid eorum, quæ Presbyteri, aut Diaconi faciunt, niſi quod januas cuſtodit. & Presbyteris miniſtrat cum mulieres baptizantur. idque propter decorum, & honeſtatem*. Idem tantum munus ſuſcipiendi fœminas in baptiſmo eiſdem concedit canon. 79. Arabicus Concilii Niceni. S. Ignatius in Epiſtol. ad Antiochenos *Cuſtodes Sanctarum Portarum Diaconiſſas* appellat. Ad miniſtrandum etiam mulieribus fuiſſe electam Diaconiſſam in quibusdam Domibus notavit idem S. Clemens loco cit. cap. 15. Alia etiam fuiſſe oportet Diaconiſſarum munera in Eccleſia, cum in Eccleſia COSP. XL. eſſent ex Juſtiniani præſcripto, & Heraclii Imperatoris decreto, ut dicitur in Novella, quæ habetur Juris Occident. lib. 2., ſed nullus PP. aſſeruit, quod Diaconiſſarum Ordo inſtitutus eſſet in Eccleſia ad Sacerdotis functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem omnes tamen qui de hac ordinatione egerunt ſive Patres, ſive Theologi contrarium docuerunt. Apertiſſima eſt Epiphanii ſententia loco ſupra citato ubi docet & *Miniſtrorum quidem Diaconiſſarum appellatarum Ordo eſt in Eccleſia. ſed non ad ſatisfaciendum, neque ut quidquam aggredi permittatur; verum reverentiæ gratia muliebris ſexus*. cum docet Epiphanius Ordinem Diaconiſſarum non eſſe ad ſacrificandum, aut aliquid per ſe ipſas perficiendum, certe vult ad aliquid perficiendum myſterium, ſicut Sacerdos Sacramentum perficere dicitur; ritus itaque ille ad Sacrificium nullo modo referebatur, unde vera ordinatio eſſe non poterat cum ex hac tantum relatione, & habitudine ſumatur Ordinis, qui fit Sacramentum eſſentia, mera itaque cæremonia erat, qua Eccleſia utebatur, ut quibuſdam fœminis nonnulla miniſteria committeret in ſolas mulieres obeunda, ut Pamelius etiam in Scholiis in Tertulliani librum de Exhortatione caſtitatis notavit, & Medina l. 4. de Continentia Controverſia 6. Nec movere debet quod ipſe Epiphanius mulieres Presbytidas nominet in eodem loco, nam

hu-

Digitized by Google

hujus ejuſdem vocis uſurpatio convincit illum conſulto non appellaſſe has mulieres Presbyteras ut intelligeremus vocem illam ipſum uſurpaſſe ut indicaret earum ſeniorem ætatem, non propter Officium Sacerdotale, & hanc vocem propter eumdem finem adhibuiſſe Laodicenos Patres cum de his mulieribus loquerentur conſtat ex canone 11. Laodiceni Concilii, ut legitur in Decreto Gratiani emendato cap. *Mulieres* d. 32. Verum occurrit, & alia ratio cur nonnullæ mulieres antiquitus appellarentur Presbyteræ, imo & Epiſcopæ non ab ullo Ordine quem ſuſcepiſſent, neque a miniſterio, ad quod eſſent conſecratæ, ſed a viris, quorum uxores erant. Meminerunt harum mulierum varia Concilia, ſecundum Turonicum ſub Pelagio anno 1420. Antiſiodorenſe celebratum circa tempora Papæ Deuſdedit can. 21. 22. & Magnus Gregorius in Synodo Romana, cujus verba fortaſſe non recte intellexit Pamelius in notis citatis, cum ait, *Gregorium per Presbyteram intellexiſſe Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam Monialium*, cum aliunde conſtet eo tempore in Eccleſia Latina nomine Presbyteræ intelligi conſueviſſe uxorem Presbyteri. Non latet profecto Theodorum Balſamonem in can. 15. Concilii Calcedonenſis ſcripſiſſe ſub tempore quaſdam mulieres *Aſcetrias*, hoc eſt in Monaſteriis exiſtentes fuiſſe appellatas Diaconiſſas quamquam illo ævo Diaconiſſam ordinari uſus non eſſet, ſed non dicit an hæ Abbatiſſæ fuerint, an aliæ(ſed multo poſt Gregorianam ætatem hic Balſamon floruit.

VI. Mulierum ordinationes citius apud Græcos, ſerius apud Latinos deſierunt. Neſcio tamen quo pacto viri alioquin eruditi velint Diaconiſſarum Ordinationem primum abrogatam fuiſſe in canone 19. Concilii Niceni; ſiquidem ex nulla hujus canonis interpretatione, ſive antiqua, ſive recenti poteſt id colligi, cum ibi ſolum agatur de Diaconiſſis, quæ ex ſecta Pauliniſtarum, ſcilicet Pauli Samoſateni, & Kataphrygiarum ad fidem convertebantur, de quibus propterea Patres dixerunt: *Meminimus autem Diaconiſſarum, quæ in illo habitu, & Ordine deprehenſæ ſunt, ut cum nullam manus impoſitionem habuerint omnino inter Laicas recenſeantur*. Verba hæc quæ leguntur in recenti interpretatione hujus canonis, in antiquiſſima canonum collectione Corbejenſi ſic redduntur: *Meminimus autem de Diaconiſſis, quæ in eodem habitu eſſe probantur, quod non habeant aliquam manus impoſitionem, & ideo modis omnibus eas inter Laicas deputari debere*: nec aliter leguntur in alia interpretatione magis etiam antiqua, niſi quod hæc interpretatio omittit *aliquam*. Tantum igitur abeſt Nicænos Patres per hunc canonem voluiſſe Diaconiſſarum abrogare ordinationem; quin potius ſi quæ Diaconiſſæ fuerunt ex Pauliniſtarum ſecta converſæ, quæ iterum baptizatæ, & examine facto dignæ deprehenſæ fuerint, iterum ad eumdem gradum ordinari, quem apud ſuos acceperant, voluerunt iterum eſſe ordinandas, & Clero catholico alligandas, nam volunt fieri de Diaconiſſis quod faciendum eſſe decreverant de Clerico, qui fuerit immaculatus, & irreprehenſibilis deprehenſas, quem ordinari ab Epiſcopo Eccleſiæ Catholicæ præceperunt. Citata itaque verba ſententiam continent Patrum ſupra ſtatum illarum Diaconiſſarum, quibus ordinationem concedebant propter hoc, quod in eodem habitu eſſe probabantur: non quia reapſe tales eſſent, nam erant Laicæ eo quod non habuerant, nec habebant manus impoſitionem. Ex verbis itaque hujus canonis inferri non poteſt quod inter ceteros Pamelius in laudatis notis, nota 72, decernit, ſed potius hic canon ea egregie confirmat,

quæ

Digitized by Google

quæ jam ſunt dicta de ordinatione Diaconiſſarum Aliud itaque tempus abrogationis hujus gradus ſtatuendum eſt, & alia inquirenda hujus abrogationis origo, non ita tamen certa aſſignari poteſt, ut dubitationi locus non ſuperſit. Qui putant abrogationem hanc deberi Concilio Laodiceno fundamentum repetunt ex can. 11. hujus Concilii, in quo legitur: *quod non oportet eas quæ dicuntur presbyteræ vel præſidentes Eccleſiis ordinari*. Verum objiciunt alii multo poſt hæc tempora harum mulierum ordinationes in uſu fuiſſe, & argumentum habent in can. 15. Actione 15. Chalcedonenſis Concilii, in quo ſtatuitur *Diaconiſſas ante annum 40. non debere ordinari*; addunt præterea idem ſtatutum fuiſſe in can. 14. ſextæ Synodi in Trullo, ex quibus fundamentis plerique moventur, ut putent vel undecimum canonem Laodiceni fuiſſe abrogatum, vel hunc canonem non eſſe legitimum, quod tenuit Medina in l. 4. de Continent Controv. 6. c. 7. ſed eſſe alicujus Concilii Latini. Quidquid itaque ſit de hoc canone, ceteriſque momentis, quæ afferuntur, nullus dubitat omnia Euchologia ab annis ſexcentis Diaconiſſarum ordinationes non amplius exhibere, neque eaſdem commemorare Simeonem Theſſalonicenſem, licet Auctor fuerit diligentiſſimus in ordinationum ritibus, & myſteriis exponendis. Ex Lombardi quoque, & Hugonis Victorini ſcriptis, in quibus nihil de Diaconiſſis traditur, quamvis de Sacramento Ordinis, & omnibus ejus partibus, & de adjunctis præclare ſcripta multa legantur, eruitur deſuetudinem Diaconiſſas ordinandi jam contigiſſe horum Auctorum ætate, aut ſaltem incelebrem in Latina Eccleſia fuiſſe conſuetudinem illam. Petrus Pictavienſis dum ſeptem velorum genera diſtinguit in gloſſis ſupra Sententias l. 4. diſt. 20. lit. f. unum Diaconiſſis tribuit: *eſt velum*, inquit, *ordinationis in Diaconiſſis quadrageſimo anno*, ſed poſtea addit abiiſſe in deſuetudinem, ex quibus verbis videtur quod hujus ſcriptoris ævo jam deſierit in Occidente hæc ordinatio, ſed non eſt certum argumentum, poterat enim multo ante deſiiſſe præcipue ſi habenda ſit fides tum canoni 26. Arauſicani primi Concilii in quo legitur *Diaconiſſæ omnimode non ordinandæ. Si quæ jam ſunt, (ſcilicet ad Diaconatum quantumlibet diſpoſitæ, deſtinatæ, electæ) benedictioni quæ populo impenditur capita ſubmittant*: ideſt Laicæ habeantur; tum canoni 17. Aurelian. II. in quo decernitur, *ut nulli poſtmodum fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate crederetur*; nam poſt hæc tempora nulla amplius legitur fœminarum ordinatio; hic autem canon exaratus eſt anno 533. Proferunt nonnulli ex Wormatienſi Concilio canon. 73. in quo legitur repetitum quod de Diaconiſſarum ordinatione decreverat in can. 15. Chalcedonenſe Concilium, qui canon ſi ſincerus eſſet uſque ad IX. Sæculum ritus hujus ordinationis perſeveraſſet. Improbabile tamen non eſt quod deficiente conſuetudine baptiſmum in provectiorem ætatem differendi, deferveſcente item pietatis ac Religionis ſtudio, & fortaſſe gliſcentibus Diaconiſſarum vitiis, paulatim, exoleſcere cœperit Diaconiſſarum miniſterium. Jam vero ex his omnibus, quæ diximus conſtat nullas mulieres ullo tempore in Latina, aut etiam Græca Eccleſia ullo ordine fuiſſe initiatas ad munus quodlibet in Eccleſia exercendum proprium Sacrarum Ordinationum, quod enim conſueverint eſſe ad portas Templi, per quas fœminæ ingrediebantur, hoc illis permiſſum eſt, quia magis honeſtum videbatur: ceterum neque illis Templi cuſtodia demandata erat, ut committebatur Oſtiariis, neque repellebant

in-

indignas, & excommunicatas per poteſtatem, quæ ex Ordinatione illis ineſſet, ſed monendo ne tales mulieres ingrederentur, ſive ut per Oſtiarios repellerentur.

§. II. *Nulla ætas, vel infantilis (niſi aliter poſitiva Eccleſiaſtica Lege præſcribatur) expellit hominem a Sacris Ordinationibus, ita ut ſi quis etiam rationis impos ordinaretur, hujus initiatio, vel conſecratio valida eſſet, & hoc Sacramentum reciperet,*

VII. Unicus eſt inter Theologos Durandus, qui abſolute huic propoſitioni adverſatur, quæ tamen communis eſt & ſuſtinetur ab omnibus. Dixi qui *abſolute adverſetur*, nam Paludanus communi opinioni ſubſcribit *ſi tamen parentum conſenſus accedat, aut aliorum ad quos hujus parvuli cura eſſet demandata*. Verum neque hæc conditio requiritur ut pueri ordinatio ſit valida. Utramque Propoſitionis partem docet Innocentius III. in cap. unico de Clerico per ſaltum promoto: ubi Pontifex non præcipit minores Ordines Sacerdoti illi conferri, qui eoſdem ante diſcretionis annos ſuſceperat, ſed ſolum Diaconatum, quem cognoverat fuiſſe prætermiſſum. In quacumque ergo ætate ſuſcipiantur Ordines etiam infantili, & licet nullus concurrat Parentum, aut aliorum conſenſus, valida haberi debet Ordinatio. Et certe neque uſum rationis, neque cujuslibet alterius Perſonæ conſenſum requiri ad eſſentiam Ordinationis quatenus Sacramentum eſt, infertur ex paritate Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, quæ Sacramenta ex parte recipientis non requirunt conſenſum ejus qui illa recipit, aut parentum, aut eorum qui curam ipſius habent: quod vero neque hæ conditiones requirantur ex eo quod Ordinato poteſtas aliqua tradatur, hoc dependet ex natura characteris Ordinationis, qui per ſe non poſtulat in Ordinato, & Conſecrato actus ejus, ſed aptum reddit habentem ad ſuos actus, & talis Ordinis miniſteria exercenda cum rationis uſus advenerit, & tempus ab Eccleſia conceſſum Sacris Ordinationibus. Quod itaque in Ordinationibus requiratur diſcretionis tempus, hoc eſt de honeſtate propter dignitatem Sacramenti, vel de neceſſitate præcepti propter votum continentiæ, quod quibuſdam Ordinibus adnexum eſt, vel quia eis Sacramenta tractanda committuntur. *Ad Epiſcopatum ſolum*, inquit S. Thomas in 4. d. 25. q. 2. a. 1. quæſtiunc. 2. *ubi in corpus myſticum accipitur, poteſtas requiritur actus ſuſcipientis curam paſtoralem, & ideo eſt de neceſſitate Conſecrationis Epiſcopalis quod uſum rationis habeat*, ſed ut ex ejus verbis colligitur, hoc dixit quia Epiſcopatum non putavit Ordinem, & gradum Eccleſiaſticum a Chriſto inſtitutum, ſed ſolam dignitatem quamdam juriſdictionis, qualis etiam eſt dignitas Parochi, quæ revera ſuſcipi non poteſt, niſi a conſentiente. Quia vero Conſecratio Epiſcopalis fieri poteſt ſine onere curæ paſtoralis, & diſtingui a contractu matrimonii, quod cum Eccleſia Epiſcopus contrahit, & aliunde nobis conſtat hanc Sacramentum eſſe, characterem imprimere, ac gratiam conferre, de illa non aliter ac de ceteris Ordinationibus, aliiſque Sacramentis, quæ actum non requirunt ſuſcipientis, dicimus neceſſarium non eſſe rationis uſum, ſive Eccleſiaſtico, ſive jure Divino fiat, & conſequenter verus eſt Epiſcopatus ſi ante uſum rationis conferatur.

VIII. Non oritur tamen ex hac Ordinatione obſervandæ continentiæ

 onus,

onus, ſi ſic ordinatus in aliquo ex majoribus Ordinibus uſum rationis non habet etiamſi contrarium nonnulli docuerint, quod perperam crediderint Ordini Sacro caſtitatem perpetuam annexam eſſe, vel ſaltem Sacerdotio, & ratio eſt quia talem ſtatum non elegit, qui caruit rationis uſu, nec poteſt alicui hoc onus imponi, niſi ipſe promittat, & hoc provenit ex voti eſſentia, quod requirit voluntatem ejus, aut expreſſam, aut interpretativam in illo qui votum emiſit. Liberum itaque erit puero Ordinato cum pervenerit ad adultam ætatem ad matrimonium tranſire, & omnino ab Ordinis miniſterio ceſſare, & in hoc cognoſcitur diſcrimen inter effectum Baptiſmi, & Ordinis, nam qui Baptiſmum ſuſcepit infans, tenetur ad Eccleſiaſticas leges, vel ut Sacri canones definiunt, ad Leges Chriſtianitatis poſt adeptum rationis uſum, quia hoc tempore urget præceptum ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi, quod præceptum non habetur ut in adulta ætate Sacri Ordines ſuſcipiantur, ergo neque præceptum eſt ut qui ſine rationis uſu initiatus eſt, jam adultus Sacræ Ordinationis legibus coerceatur, & huc facit id quod S. Gregorius Magnus notavit, ut Siciliæ Subdiaconos a lege cælibatus eximeret: *Durum atque incompetens videtur, ut qui uſum continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari.*

IX. Licet nulla ætas Sacris Ordinationibus obſtet, nihilominus a jure ipſo aliqua eſt ſtatuta, ut quis recte ordinetur. Antiqua Canonum diſciplina non ſemper eamdem ætatem ſelegit, nec Canones omnes omnino conſentiunt, & ubi minores Ordines a teneris recipi permittunt, nullum miniſterio Altaris præficiunt ante annum quintum ſupra vigeſimum. Ii qui ab infantia ſua Eccleſiæ obſequiis ſe voverant ante pubertatis annos Lectores ordinabantur: anno vigeſimo Acolythi, & Subdiaconi, poſtea ad Diaconatus gradum promovebantur, in quo per quinquennium miniſtrabant, poſtea ad Sacerdotium, & poſt decennium ad Epiſcopatum admittebantur. Regulam hanc præſcripſit Syricius Papa in epiſtola ad Himerium cap. 9. & illam refert Gratianus in c. *quicumque* d. 77. ubi etiam legitur *quod qui ætate grandævi ordinari cupiebant ſtatim atque baptizarentur in Lectores ordinabantur, & deinde ad reliquos ordines eodem modo aſcendebant*. Minores 30. annis non ordinandos eſſe Presbyteros fere canones omnes dixerunt, neque minores A. 25. Diaconi creabantur. Subdiaconatus ætas communis, erat annus vigeſimus, pro reliquis minoribus Ordinibus unquam in Eccleſia definitum fuiſſe legitur certum tempus, ſed illud ſolum in more fuiſſe, ut nullus niſi poſt annos diſcretionis ordinaretur. Ingreſſuros in Religionem, licet infantes prima Tonſura poſſe initiari Bonifacius VIII. conceſſit in cap. *nullus Epiſcopus* de temporibus Ordinat. in 6. ubi Gloſſa infantem explicat ſeptennio minorem. Toletana Synodus IV. in can. 19. ſuſtulit abuſus Ordinationum in Hiſpania, ubi pueri, & infantes ordinabantur Diaconi, & Levitæ, quem abuſum antea ſuſtulerant Patres Concilii Agathenſis. In Autentica de Sanctiſſimis Epiſcopis Juſtinianus decrevit ut minores 30. annis non ordinarentur Presbyteri, neque minores 20. ordinarentur Diaconi, minor 35. non ordinaretur Epiſcopus, nec minor 18. ordinaretur Lector.

Uſque ad V. Clementem hæc fuit ætas in ſacris Ordinationibus requiſita, nam hujus Pontificis ætate alio modo definita eſt, ut refertur in Clementina *Generalem* de Ætate, & qualitate Ordinandorum, in qua conceditur ut quis Subdiaconus ordinetur in decimo octavo anno, in vigeſimo Diaconus, & in

25.

Digitized by Google

25. Sacerdos. Iterum in Concilio Tridentino de hac ætate actum eſt, & Patrum decretum legitur in cap. 12. Seſſ. xxiii. de Reformatione, in quo corrigitur jus illius Clementinæ circa ætatem Subdiaconatus, & Diaconatus quæ definitur in anno 22. & 23., & retinetur annus 25. per Presbyteratum. Cum vero Concilium in definienda hac ætate particulam *ante* uſurpet, dicendo ante 22. ante 23. &c. clarum eſt Tridentinis Patribus ſatis fuiſſe quod his Ordinibus initiandus ſtatutum tempus attingat. Ea vero quæ idem Concilium exigit pro initiandis prima Tonſura, ſatis oſtendunt Concilium requirere decennium. Pro minoribus Ordinibus nihil dicit Concilium, ſed ſolum in cap. 6. laudatæ Seſſionis vult quod nullus prima Tonſura initiatus ante annum decimumquartum Eccleſiaſticum habeat beneficium. Eamdem ætatem præſcribunt Tridentini Patres pro Ordinationibus Regularium, ſed Innocentius VIII. Religioni Minorum conceſſit ut in 22. anno completo ad Sacerdotium aſcenderent. quod poſtea Pius V. confirmavit, ſed Gregorius XIII. omnia ad diſpoſitionem juris communis veteris, & recentioris reduxit.

Tempus hoc in variis ætatibus Sacris Ordinationibus præfinitum adeo religioſe ſervabatur antiquitus. ut nulli liceret Clericatus gradus contra Canonum inſtitutionem ſortiri, & Pius II. in ſua Bulla *Cum ex Sacrorum* mala fide ante præſcriptum tempus ordinatos ipſo facto ſuſpendit, non ſic vero illos, qui bona fide ſe eſſe in legitima ætate conſtitutos putant, cum quibus ſolent Pontifices diſpenſare pro foro exteriori, ut legitime exerceant illorum Ordinum functiones, quas præmature defectu legitimæ ætatis ſuſceperunt. Nec obſtat quod in cap. *Subdiaconos* d. 77. dicatur *eum qui ante legitimam ætatem a Sacris Canonibus præſcriptam ordinatur deponi a gradu ſuſcepto*; aut *nimius durum eſſe quod ob alterius culpam Clericus a gradu ſuo ſuſpendatur*. Non primum obſtat, quia plerumque in jure hæc depoſitio cum ſuſpenſione confunditur, ut conſtat ex Auctoribus illis, qui hanc difficultatem perpendunt, inter quos Sayrus de Cenſuris l. 5. c. 19 n. 3 & Suarez eodem Tractatu diſput. 3 ſect. 1. n. 11. Neque obſtat ſecundum, quia licet ſuſpenſio per factum Epiſcopi ordinantis ab Ordinato incurratur, cauſſa nihilominus præcipua ſuſpenſionis ſola eſt defectus ætatis, cujus ratione Clericus ordinari non poteſt, unde ſuſpenſus dicitur Clericus ob defectum ætatis, e contra vero ſi quis Epiſcopus contra hanc canonicam regulam aliquem ordinaret, illi ob culpam ipſius imponeretur ſuſpenſio.

§. III. *Ultimum quod requiritur ex parte ſuſcipientis Ordines pertinet ad illius qualitatem ſpectatam in moribus, in Doctrina, & in neceſſaria Ordinandorum ſuſtentatione, quæ tria decernit Tridentinum Concilium in* cap. 2. Seſſ. xxi.

X. Integritas morum adeo neceſſaria eſt in illo qui petit ad Ordines promoveri, ut in primitiva Eccleſia, & deinceps poſtea, ſemper fuerit uſitatum neminem promovere, qui bonum non haberet teſtimonium: indecens enim eſſe Patres putarunt, illum Eccleſiæ Miniſtris aſſociari, de cujus bonis moribus certi nihil haberetur, aut cujus corrupti mores omnibus eſſent manifeſti. Utrumque igitur ut ſucceſſivis omnibus futuris temporibus Eccleſiarum Paſtores caverent, a Parochis, & Magiſtris Scholæ probitatis vitæ documentum pro minoribus Ordinibus Tridentinum Concilium expoſcit in cap. 5. lau-

datæ quod decernit etiam in Cap. 13. & 14. pro iis, qui promovendi ſunt ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Præsbyteratum. Sed ut aliqua dicamus de antiqua Eccleſiæ diſciplina Apoſtolicæ innixa regulæ, quam Paulus ad Titum præſcribit in cap. 1. ſuæ epiſtolæ his verbis: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros ſicut & ego diſpoſui tibi*: Advertendum eſt præcipuum Apoſtoli mandatum, quod legitur etiam in 1. epiſt. ad Timoth. c. 3. fuiſſe, ut initiandi *ſine crimine eſſent, non bilingues, non multo vino dediti, non turpe lucrum ſectantes, & habentes myſterium fidei in conſcentia bona*; qua de re criminum, licet occultorum poſt Baptiſmum reos, Canon inter Nicænos nonus a Sacris Ordinationibus arcebat: *Si qui Presbyteri*, inquiebant Nicæni PP. *ſine examine ſunt provecti, vel cum diſcuterentur peccata ſua confeſſi ſunt, & homines contra Canones commoti, manus confeſſis imponere tentaverunt, tales Regula non admittit, quia quod irreprehenſibile eſt Catholica defendit Eccleſia*; & rurſus in Can. 10. dixerunt: *Quicumque de Laicis ad Ordinem Cleri promoti ſunt per ignorantiam, vel per Ordinantium diſſimulationem, hoc Eccleſiaſticæ non præjudicat Regulæ, cogniti namque deponuntur*. Eamdem regulam ſequendam Elibertana Synodus voluit in Can. 30. De his criminibus legendus eſt Magnus Gregorius in Epiſtolarum libris 5. 6., & 7. itemque in Dialogo de Inſtitutione Eccleſiaſtica, S. Iſidorus lib. 2. de Offic. Eccleſ. c. 5. Martinus Bracarenſis cap. 24., & Pontifex Zacharias in epiſt. 12. ad Bonifacium Archiepiſcopum Mogontinum; imo quod magis in admirationem trahit, nulli etiam pœnitentiam perfuncto licitum eſſe honorem Clericatus adipiſci Siricius Papa decrevit in Epiſt. 1. c. 14. *quia*, ajebat *quamvis ſit omnium peccatorum contagione mundatus. nulla tamen debet gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuit vas vitiorum*, quod Siricii propoſitum I. Innocentius, Hilarus, Hormiſdas, & Gregorius II. confirmarunt ab Eccleſiaſtica profecto traditione acceptum, cujus initia legimus in Origene l. 3, contra Celſum, & in Cypriano epiſt. 6. & in can. 6. IV. Concilii Carthaginenſis, & in can. 19. IV. Concilii Toletani. Hunc Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem X. Sæculi Patres moderati ſunt, qui Clericis occulte lapſis, & pœnitentia perfunctis, eorum culpam condonandam crediderunt, ſacriſque Ordinibus initiari permiſerunt, & eorum prius receptorum fungi muneribus. Id ex epiſtola 225. Ivonis Carnotenſis colligitur, & clarum legitur in libro I. Epiſtolarum Anſelmi Cantuarienſis epiſt. 56. ubi dicit. *Nec apud Deum reprobatur officium alicujus propter culpam, quam ipſe ignoſcit; nec apud homines dedecoratur Sacri Ordinis dignitas, propter perſonam cujus ipſi peccatum non agnoſcunt*; & demum uberius confirmat Gratianus in diſtinctione 50. His vero temporibus occulta crimina Sacris Ordinationibus impedimento non ſunt, ut ex capite 6. Seſſ. XXIV. Conilii Tridentini aperte eruitur, ſed ob reverentiam Sacramenti, ſatis eſt quod contritus, & confeſſus accedat quicumque etiam gravioribus occultis ſceleribus irretitus optat Eccleſiæ gradibus initiari, cui enim nefas non videtur inter Eccleſiæ miniſtros cooptari, ſacriſque addici miniſteriis, qui actu eſt Dæmonis ſervituti alligatus? Ex hoc tamen non ſequitur quaſi indubitanter ſacrilegii damnari, ſi quis cum conſcentia lethalis peccati Ordines Diaconatu inferiores ſuſcipere non reformidat in eventu, quo conferantur extra Miſſarum ſolemnia, nec ſubinde debeat illis initiatus Sanctiſſimam Euchariſtiam percipere,

cipere,

cipere, [quem caſum reſpexit Navarrus Manual. cap. 22. n. 18. ubi hanc opinionem defendit] quod ut in ſuperiori capite diximus in cujuslibet horum collatione verum confici Sacramentum in quæſtione ſit poſitum, cum ſignum illud ſenſibile deſideretur, quod Gratiæ ex opere operato productionem arguat.

XI. Ad neceſſitatem ſcientiæ comprobandam, quod eſt alterum quod requiritur in promovendis ad Ordines occurrit Propheticum illud Oſeæ 4. *Quoniam repuliſti ſcientiam, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*, ad quod attendentes Sacrarum litterarum interpretes Patres, & Concilia *ignorantiam matrem cunctorum errorum* Sacerdotibus Dei vitandam eſſe dixerunt, *qui docendi in populis officium ſuſcipiunt*, ut ſcriptum legitur in IV. Toletano Concilio, *vel ut doctrinæ fulgore in Eccleſia Dei reſplendeant*, ut inquit Cabilonenſe II. *aut ne ſine doctrina reddantur inutiles* ut ſtatuitur in Aquiſgranenſi, & demum ut *in adminiſtrandis Sacramentis diligenti examine idonei comprobentur*, quod decrevit Tridentinum in ſequ. citata Seſſ. XXIII. Novum itaque non eſt in Jure Canonico, & in Theologorum Scholis litterarum ignaros tamquam irregulares ab Ordinibus ſuſcipiendis arceri, & a ſuſceptorum functionibus interdici, donec ſcientiam adepti fuerint. Habetur Gelaſii Decretum in cap. *Nemo* diſt. 36. *Nemo illitteratos ad Clericatus Ordinem promovere præſumat, quia litteris carens, Sacris non poteſt aptus eſſe Officiis*; & id quod Concilium Romanam ſub Eugenio II. ſancivit ita Antonius Auguſtinus recenſet in libro 6. titulo 2. *Quamquam ad monita Sanctorum, & inſtituta Patrum Sacerdotes indoctos prohibeant conſecrari, opportuni temporis moderatione, ſi Epiſcopus inveniatur indoctus a Metropolitano proprio, & deinceps Sacerdotes, Presbyteri, Diaconi, vel etiam Subdiaconi a ſuo Epiſcopo ut doceri poſſint admoneantur. Interim ſubjecti Sacerdotes, & tales Clerici ad tempus a celebratione Divinæ hoſtiæ, & Officiis ſuſpendantur, ut docti valeant ad debitum miniſterium advenire.* Utinam experientia non plus ſatis docuiſſet quantam cladem invexerit Eccleſiæ imperitia Clericorum neſcientium obire munus quod ſuſceperunt. De his agens Laurentius Juſtinianus libro de Compunct. ſic ajebat. *Utinam ſibi ipſis mali eſſent, & aliis conarentur prodeſſe, ut ſi non illorum vita imitabilis foret, eſſent tamen facienda quæ dixerint, utroque prorſus carent, nec vitam, nec ſcentiam habentes, oblivioni tradentes, quod dicitur interroga Sacerdotes de lege, & illud propheticum: Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Singula itaque incommoda illa, quæ ex Clericorum imperitia obvenire ſolent Eccleſiis, & Chriſtianæ Reipublicæ, tum antiquorum Canonum ſtatuta animadvertentes Tridentini Patres, illius ſcientiæ gradum, quem oportet attingere Clericatus officiis promotum in laudata Seſſione explicarunt cap. 4. 11. 13. & 14. de Reformat. & licet contenti ſint, quod prima Tonſura initiandi legere, ſcribere, fideique rudimenta ſciant, & quod linguam Latinam calleant ii, quibus minores Ordines conferuntur, tamen Subdiaconos, & Diaconos litteris volunt eſſe inſtructos: & comprobari diligenti examine ſtatuerunt quot quot ad Presbyteratus Ordinem aſſumuntur, ut innoteſcat utrum ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus ad ſalutem neceſſarium eſt, ac miniſtranda Sacramenta idonei reperiantur, & an præclaræ vitæ monita ab eis poſſint expectari. Imo ut certum habeant hunc initiandorum profectum Epiſcopis omnibus cap. 18 præ-

cipiunt

cipiunt quod in Collegiis ab eiſdem erigendis hos initiandos recipiant, nec non diſciplinis illis inſtituant, quarum illorum ætas capax eſt, & quas miniſterii aſſumendi magnitudo requirit, ut ſcilicet Grammaticam, cantum, computum Eccleſiaſticum, ceteraſque bonarum artium diſciplinas audiant, Sacram Scripturam, libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad Confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, cæremoniarum formas ediſcant. Solus itaque is ad Sacra Dei myſteria tractanda accedat, quem non ſolum morum innocentia, ſed & litterarum ſplendor reddat illuſtrem, & quod III. Gregorius ajebat in præfatione ad ſua judicia: *Paſtorum quilibet religioſe perpendat: Si indocti ad Sacerdotium provehuntur, conſiderandum eſt quid de Gregibus agatur quando Lupi paſtores fiunt.*

XII. Quod tertio loco ad qualitatem Ordinandorum pertinet eſt id quod neceſſarium eſt ad eorum ſubſtentationem. Prioribus decem Eccleſiæ ſæculis, excepto illorum caſu, qui ad Ordinationem ab Epiſcopo compellebantur, nullus Clericus ſine titulo ad Ordines promovebatur, qui titulus Eccleſiæ, & Ordinatori ita Ordinatum alligabat, ut in ea reſidere teneretur; nec ab Epiſcopi jurisdictione, hoc invito, illi recedere permittebatur, & qui ſecus egiſſet, vel deponebatur juxta Canon. 1. Arelatenſis Concilii, vel ut inquit S. Leo Magnus epiſt. 86. *ab honoris privilegio* [*ſi ad plebem, & Eccleſiam ſuam redire neglexiſſet*], *& a Communionis vinculo habebatur extraneus.* Calcedonenſe Concilium A. 351. can. 6. decrevit *nullum abſolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui ſunt in Ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia Civitatis, vel Pagi, vel Martyrio, vel monaſterio is qui ordinatur, deſignetur. Eos autem qui abſolute ordinantur, decrevit Sancta Synodus irritam, ac irritandam habere ejuſmodi manuum impoſitionem, & nuſquam exercere, ac operari poſſe ad ejus qui ordinavit injuriam.* Neque aliam praxim viguiſſe Concilii Epheſini ævo ex ejuſdem Actis apparet, in quorum parte 1. cap. 30. legitur quorumdam Monachorum adverſus Neſtorium querela, quod opera uteretur Clericorum quorumdam ab externis Paræciis, & a Diœceſibus adſcitorum, quibus tamen ſecundum Eccleſiaſticos Canones in alieno Epiſcopatu, vel Eccleſia degere non licet, ſed iis ſolum locis, & civitatibus (idque quiete) quibus ordinati ſunt. Inſequentium Sæculorum morem ſexti nimirum, ſeptimi, & ſic deinceps uſque ad XV. exponunt Gregorius Magnus ſcribens Epiſcopo Syracuſano lib. 3. epiſt. 42. Concilium quoque Francofordienſe A. 794. in can. 27. 28. & Capitularia Caroli Magni l. 5. cap. 108. Nec aliam diſciplinam in Orientali Eccleſia obſervandam Juſtinianus Imperator edixerat, ut ſcripſit in cap. 3. illius Novellæ quæ tertia eſt, & in qua ſic legitur. *Quod hactenus indecenter fiebat, nequaquam in Republica geratur, ideſt, nullus Reverendiſſimorum Clericorum dedignari quidem in iis, quibus Ordinati ſunt Sanctiſſimis Eccleſiis, aut hic, aut Provinciis deſervire, ad Santiſſimam Chriſtis majorem Eccleſiam, & Venerabilem Clerum ejus per patrocinium quodlibet accedens, Quod de ceteris fieri omnino prohibemus.* In undecimo etiam ſæculo ejuſdem Diſciplinæ veſtigium relinquitur a Concilio Placentino, & Claromontano A. 1095. in quorum altero Ordinatio facta ſine titulo irrita habetur: in altero vero ſtatuitur *ut omnis Clericus ad eum titulum, ad quem primum eſt ordinatus ſemper ordinetur*, quod cum illo coincidit, quod

in

In citatis Capitularibus præſcribitur: *quod Presbyteri antequam ordinentur promiſſionem ſtabilitatis illius loci faciant*, ex hac enim reſidentia, & huic Eccleſiæ præſtitis obſequiis, Ordinatis jus erat ad portionem, quæ ſuſtentationi congrueret. Eo autem hæc jura ſpectant ne miniſter Eccleſiæ cum dedecore, & ignominia Eccleſiaſtici gradus mendicare cogeretur, quod indecens eſſe Auctor epiſtolæ ad Ruſticum Narbonen. ait cap. *de quinto gradu*, & refertur in Canone *Diaconi ſunt* d. 93. Hinc illa etiam jura ſunt nata quæ Epiſcopos Ordinatores ſine titulo, & eorum ſucceſſores obſtringant Ordinatis alimenta præbere uſque dum beneficium aſſequantur. Antiquitus Epiſcopi ita ſcienter Ordinantes manſiſſe ſuſpenſos ab Ordinum collatione antiqui Canones docent, quos aliqui contendunt reſpexiſſe Tridentinos Patres cum in Seſſ. XXI. cap. 2. de Reformat. pœnas antiquorum Canonum innovarunt. Verum non antiquos hos Canones ſed Decretales Gregorianas hoc eſt caput *jam dudum*, cap. *non licet*, cap. *Epiſcopus* tit. de Præbendis fuiſſe innovatas Sacra Cardinalium congregatio explicavit, ut teſtatur Fagnanus in cap. *cum ſecundum* de Præbend. n. 63. Suſpenſionem quoque a ſuorum Ordinum exercitio incurrebant Clerici ſine titulo ordinati, quod ſignificant verba illa, quæ in canone Concilii Chalcedonenſis, & Placentini ſub Urbano II. leguntur, & referuntur a Gratiano in cap. 2. diſtin. 70. *Sanctorum Canonum ſtatutis conſona ſanctione decernimus ut ſine titulo facta Ordinatio irrita habeatur*, ita enim poſt Gloſſam Turriſcremata, aliique DD. hæc verba interpretantur. Sed cum Alexander III. loco ſuſpenſionis ſtatuerit, quod Epiſcopus qui ordinavit ſine titulln teneretur de neceſſariis providere Ordinatos, hæc ſuſpenſionis pœna ceſſavit quoad utroſque; alioquin ſi ita Ordinatus ſuſpenſus maneret, beneficium illi conferre, Alexander non juberet, cum ſuſpenſis beneficium confetre non poſſit Epilcopus, verba ſunt Alexandri III. in Concilio Lateranenſi cap. 5. *Si aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit tamdiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec ita aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſiguet*. Quare ex his colligitur quod Ordinari ad titulum antiquitas nihil aliud erat quam Ordinari ad certam Eccleſiam, ſive alicui Eccleſiæ Intitulari, ſeu adſcribi ad hoc, ut Ordinis ſuſcepti functionibus Ordinatus incumberet. Hic autem titulus in ipſa ordinatione publice denuntiabatur, quod ſi nullus opponeret, Epiſcopus, vel Archidiaconus populo audiente hæc pronuntiabat. *De domo Sanctæ Mariæ eligimus &c. in Presbyterum ad eumdem titulum, vel in Diaconum, aut in Subdiaconum in tali Eccleſia*, initiandi vero admonebantur Res, & Facultates, quas poſt diem Ordinationis acquirerent ad Eccleſiam ad quam titulabantur pertinere.

XIII. Duodecimo Sæculo veterum Diſciplinam nova praxis conſequuta eſt, ex eo enim quod laudatus Alexander III. ab enunciata pœna Ordinantem exemerit; ſi talis, qui ordinatur, extiterit, qui de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere, paulatim Epiſcopi crediderunt ſibi factam fuiſſe facultatem Clericos majores Ordinandi ſub titulo patrimonii, & Ordinationes ſine titulo Eccleſiaſtico factas licitas eſſe: quamvis licet id præter intentionem Alexandri, & III. Concilii Lateranenſis contigerit, ut Thomaſinus de diſciplina Eccleſ. p. 4. lib. 2. c. 2. erudite probat, nihilominus Sæculo XIII. adeo invaluit hæc opinio, ut impoſterum Ordinationis titulus tantum haberi cœperit proventus ille, quo ipſe Ordinandus vivere honeſte

poſſet,

poſſet, nec amplius antiquus titulus quærebatur, ratione cujus Ordinatus Eccleſiæ adſcribebatur eum in finem ut ibidem ſtabiliter functiones Ordinis proprias obiret. Sed Tridentinum Concilium utrumque titulum retinuit. Eccleſiaſticum ſcilicet, & Patrimoniale, ut legitur in ejus Decreto de hac re edito in Seſſ. XXI. cap. 2. de Reform. neque eo ſenſu, ut decernebatur in cap. *tuis* de Præbendis, ubi concedebatur indifferenter Ordinari ad titulum Patrimonii, vel Beneficii, ſed diverſo modo, ſcilicet ut ſolum Beneficium ſit titulus legitimus ad Sacros Ordines; Patrimonium vero diſpenſative, ut alias etiam declaravit Sacra Congreg. Concilii interpres, quod ut evidentius pateat ſubjiciuntur Concilii verba: *Cum non deceat eos qui Divino miniſterio adſcripti ſunt cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere &c. Statuit Sancta Synodus ne quis deinceps Clericus ſæcularis quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate ad Sacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere . . . Patrimonium vero, vel Penſionem obtinentes Ordinare poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum &c.* Ex quibus etiam verbis ſufficienter eruitur, quod cum Epiſcopus diſpenſaverit ut quis ſub titulo Patrimoniali Ordinetur, debere eumdem Patrum diſciplinam religioſe ſervare, quæ Clericos otioſos, & vagantes reſpuebat, & ſtabiliter alicui Eccleſiæ exigebat adſcriptos, & propterea tantum ſervitium Eccleſiæ, quam conditionem in omnibus Ordinationibus conſtanter eſſe obſervandam dixerat jam idem Concilium in *Seſſ.* XIII. cap. 16. de Reformatione inhærendo veſtigiis 6. Canonis Chalcedonenſis Concilii, ut quilibet Ordinatus in hac Eccleſia ſuis fungeretur muneribus, nec incertis ſedibus vagaretur. Ex quibus patet non unicum fuiſſe, quod Tridentini Patres voluerunt in titulo Ordinationis ſolum ſcilicet Ordinandi commodum neceſſarium, & ſufficiens ejus vitæ ſubſidium, ſed Eccleſiæ præterea utilitatem, & neceſſitatem, cujus intuitu quicumque aſſumitur Clericus ad obeundas Eccleſiaſticas functiones, quas ipſi imponere Superiores judicaverint.

XIV. Jus antiquum Decreto Gratiani contentum per decretalem Alexandri III. revocatum non eſt quoad Clericos, qui falſis, & fraudolentis titulis Epiſcopos illudunt, quos omnes eſſe ſuſpenſos Tridentinum etiam Concilium decernit hoc ipſo quod fictitiis hiſce Titulis fuerunt Ordinati. Varias itaque pro unoquoque horum titulorum leges præſcribens dicit: *Nomine Beneficii venire verum Beneficium quod nimirum in titulum perpetuum per canonicam inſtitutionem obtinetur:* Illud etiam Concilium requirit quod Beneficium, vere, & non ficte poſſideatur, ſed pacifice ſine ulla lite, quæ controverſiam inducat ſive juris, ſive facti ſuper ipſo titulo beneficii in judicio, vel extra judicium, nam ſi controverſia eſſet ſuper aliqua parte proventuum, etiam majore, Beneficium adhuc pacifice poſſideri diceretur, dummodo tamen tantum ex Beneficii proventibus ſupereſſet, ut ſufficiens eſſet ad honeſtam Ordinandi ſuſtentationem, quæ ſi non adeſſet, Beneficium in titulum admitti non deberet. Addit tandem id Beneficium reſignari deinceps non poſſe, niſi prius facta mentione quod Clericus ad titulum illius Beneficii fuerit promotus, neque reſignatio illius admittitur, niſi prius conſtito quod aliunde vivere commode poſſit, & aliter facta reſignatio nulla eſſe decernitur.

Quo

Digitized by Google

Quo vero ad Patrimonium requirit Concilium quod vere, & non ficte poſſideatur, & quod tamquam proprium qui Ordinatur illud habeat, ut proventus illos libere ſibi, ſuiſque uſibus applicare queat. Addit preterea Patrimonium pro titulo Ordinationis oportere eſſe ſufficiens in proventibus, & valore, ut Ordinando ad victum honeſte ſufficiat; & demum dicit quod deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſit, & nonniſi adepto prius Beneficio ſufficienti vel alio, unde Ordinatus vivere poſſit, ita ut periculum non ſit quod defectu neceſſarii vitæ ſubſidii cum Ordinis dedecore ſit mendicaturus, aut ſordidum aliquem quæſtum exercitaturus. Ex his legibus.

XV. Infertur I. ad Titulum Vicariæ temporalis, aut alicujus fundationis Miſſarum, vel alterius officii ad nutum amovibilis neminem poſſe promoveri tamquam ad titulum Beneficii, qui ut DD. communiter cenſent & Abbas ex textu in cap. *conſtitutus* de Filiis Presbyterorum Vicarius temporalis titulum non habere cenſetur, nec poteſt Epiſcopus aſſignare Officium, quod eſt temporale, & removibile, in perpetuum Presbytero Ordinato, & eo modo prædictum Officium perpetuum reddere.

Infertur II. in tituli ſupplementum computari non poſſe honoraria, quæ Ordinatus in Presbyterum ex celebratione Miſſarum lucrari poterit, ne Ordinatus quodammodo adigatur ad ſordidum quæſtum exercendum, & ex celebratione Miſſarum vitæ neceſſaria quærere, præterquamquod hæc omnia incerta ſunt, & non firma, & perpetua.

Infertur III. quod ſi quis onus Miſſarum, aliudque Eccleſiaſticum Officium fundaret hac conditione, ut ei præfigeretur Sacerdos: hoc ipſo quod in titulum perpetuo alicui ordinando aſſignaretur, poſſet hujuſmodi fundatio in titulum Ordinationis admitti, quamquam per hoc in titulum beneficialem hujuſmodi fundatio aſſumi non poſſet, & in Beneficium non tranſiret.

Infertur IV. Vocabulo Patrimonii, & Penſionis quo utuntur Tridentini Patres intelligi non ſolum, quid quid ex Patris bonis filio obvenit, verum etiam omne id quod aliunde, hæreditate ſcilicet, vel donatione, & quavis ex cauſſa illi delatum eſt, ex ea ratione, quia ſatisfit intentioni Canonum & Concilii undecumque Ordinatus habeat victum ne mendicet.

Infertur V. Patrimonium in titulum aſſignandum conſtitui debere ſuper re certa, alioquin ignoraretur utrum ſatis Ordinato eſſet proviſum de eo quod ad victum honeſte ſufficeret; Ita vero dum Patrimonia aſſignantur, abſit quod tacita promiſſio interveniat de non convertendis proventibus illorum bonorum in proprios uſus, hujuſmodi enim conditio, vel tacite, vel expreſſe adiecta fictum redderet Patrimonium, vel poſtea fructus integros, aut Majorem illorum partem danti relinqueret, & hic eſt illa caſus, cui ſuſpenſio a Concilio apponitur & confirmatur per Conſtitutionem Sixti V. contra Clericos male promotos, ut multis probat Fagnanus, l. cit. n. 68. & ſequent. additque Sacram Congregationem die 27. Novembris n. 1610. ita reſpondiſſe: *eſſe nimirum ipſo jure ſuſpenſum, carereque Ordinum executione illum Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decepit*.

XVI. Hactenus expoſita antiquum & recens jus oſtendunt quod communiter obſervabatur, & obſervari debet in Majoribus Ordinationibus. Dixi *communiter*, ut adverterem I. quod inſiſtentibus Epiſcopis ut aliquis ad majores Ordines promoveretur, hic ſine Eccleſiaſtico titulo aſſumebatur ad Ordines,

dines, quod ſibi contigiſſe teſtati ſunt tum Hieronymus a Paulino Antiocheno, ea lege Ordinatus ut illi Eccleſiæ non adſcriberetur, tum Paulinus qui ut ſcribit in Epiſtola 6. ad Severum in Barcinonenſi Eccleſia adductus eſt conſecrari ea conditione, ut ipſi Eccleſiæ non alligaretur. 2. ut notarem a Recentioribus Pontificibus facultatem fuiſſe conceſſam quibuſdam Epiſcopis ut titulo ſervitutis poſſent Clerici ad Presbyteratum promoveri, quod Privilegium Sixtus V. conceſsit Patriarchæ Venetiarum, & Eugenius IV. Archiepiſcopo Florentino. Quod ſi generaliter loquendo conſentiat Epiſcopus ut aliquis ad titulum ſervitii in aliqua Eccleſia cui adſcribatur, ordinetur, quatuor conditiones neceſſario ſunt præmittendæ 1. ut interveniat conſenſus Rectoris illius Eccleſiæ 2. licentia, & conſenſus Romani Pontificis, & hoc ad ſucceſſorem 3. ut ex ſervitio Miſſarum, & Divinorum officiorum, & eleemoſinis a fidelibus elargiendis habeat unde ſe ſuſtentet 4. demum ut ne inde amoveatur, vel diſcedat, niſi de Beneficio competenter, aut penſione proviſum fuerit, vel ob delicta remotus, ita Ugolinus de Poteſtate Epiſcopi c. 26. § 8 n. 6. apud Barboſam eodem tit. Alleg. 49 n. 27. Additur his quod illa omnia quæ a Tridentino Concilio ſtatuuntur intelligi debent dumtaxat pro Clericis ſæcularibus, nam qui intra Religionem ordinatur poſt annum Novitiatus titulo paupertatis voluntariæ in Religione ſuſceptæ, legitime ordinatur, quod neque alienum fuit a mente Concilii Chalcedonenſis, ut conſtat ex his verbis: *aut ſine Miniſterio*, quæ illius canoni 6. inſeruntur, Alienum vero eſt a ſenſu male uſurpato hujus vocis *ſeu Poſſeſſionis*, quam nonnulli Interpretes eidem canoni inſerunt, quod ſcilicet tempore hujus Concilii, Clerici ſacris Ordinibus poſſent initiari ad titulum patrimonii, ut voluit Turriſcremata, primo quidem quia Canon pro ut a Gratiano refertur in capite *Sanctorum* d. 70. pluribus mendis ſcatet, ut eruditi viri demonſtrant, inter quæ & illud eſt quod vertitur *Poſſeſſionis* id quod legendum eſſet *Pagi* ut notat Balſamon, & legit Dionyſius Exiguus in can. 184. Codicis canonum Eccleſiæ. 2. quia etiam ſi retineatur vox *Poſſeſſionis* Patres nihil aliud intellexerunt quam quod nemo ordinari poſſet niſi in Eccleſia Civitatis, ſive in Eccleſia in Pago, aut poſſeſſione constructa, juxta uſum illorum temporum qui colligitur ex deciſionibus Arcadii, & Honorii in leg. 35. C. Theodos. de Epiſcop. & Cleric. ubi hæc verba leguntur: *Eccleſiis; quæ in poſſeſſionibus (ut adſolet) diverſorum, vicis, vel quibuslibet locis ſunt conſtitutæ Clerici non ex alia poſſeſſione, vel vico, ſed ex eo ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit ordinentur* Huic mori igitur uniformia tradiderunt Patres Chalcedonenſes, Arcadio, & Honorio recentiores, ut ſtatuerent non jam aliquem ordinari poſſe, cum titulo Patrimonii, ſed nullum poſſe promoveri, cui titulus deeſſet Eccleſiæ quæ in Civitate eſſet, ſeu in poſſeſſione conſtructa. Quod ſi aliqui Patrimonii titulum velint invaluiſſe ævo S. Hieronymi ut videtur erui ex cap. ultimo 16 q. 1. & præſertim ex his verbis *Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſubſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragantur. Qui autem bonis parentum & opibus ſubſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profecto committunt &c.* Clericos confundunt, qui Eccleſiæ non ſerviunt, de quibus loquitur S. Doctor in hoc loco ut Gloſſa obſervat, pro quibus nihil in jure ſancitum legimus, ut illorum Ordinationes quicumque præcedat titulus ſive beneficialis ſive Patrimonialis, iuſtineantur. Verius ergo eſt dicere loqui S. Hieronymum de illis Temporibus primitivæ Eccleſiæ cum

bene-

neficia Eccleſiaſtica nondum erecta erant, ſed bona Eccleſiæ ſub diſpoſitione Epiſcopi conſiſtebant, tunc enim ſi Clerici bonis propriis patrimonialibus ali poterant, ex bonis pauperum aliquid percipere non valebant. Hodie etiam non eſt in uſu quod aliquis Tonſuratus, vel initiatus minoribus Ordinibus aliquo ex his titulis potiatur, quanquam Gloſſa in cap. *neminem* 70. d. & Panormitanus in caput 2. n. 2. de Præbendis aliquem titulum exigat contra veriorem ſententiam, quæ nullum titulum requiri ait, quia hujus tituli præcipua ratio non afficit Clericum errantem, qualis eſt Clericus minoribus Ordinibus vel tonſura initiatus, qui a Clericali Ordine, quod non raro ſequitur poteſt recedere. cap. 1. de Cleric conjug. & gloſ. in c. *Pſalmiſt.* 23. diſt.

CAPUT V.

DE MINISTRO SACRARUM ORDINATIONUM.

CONfutavimus jam agentes de Miniſtro Sacramentorum in Tractatu de Sacramentis in genere Hæreticorum, & Pſeudoreformatorum nugas, errores, & deliria, dum contendebant oſtendere omnes omnino homines, aut ſaltem ſolos baptizatos habere poteſtatem omnia Sacramenta miniſtrandi. Eò vero hoc idem confidentius dixerunt de Miniſtro Sacræ Ordinationis; quo certius illis conſtabat ſacram Ordinationem non eſſe vere, & proprie Sacramentum, ſed eſſe ritum tantum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum, ut Cap. 1. hujus Tractatus oſtendimus. Mirum igitur eſſe non debet quod qui tam impie ſentiebant de Sacramento Ordinis, ſentireut etiam a Magiſtratibus, & Plebe miniſtros Eccleſiaſticos ordinari poſſe, & ſolum propter lucrum (quam blaſphemam evomit Viclefus) Papam & Epiſcopos Confirmationem juvenum, Clericorum Ordinationem, & Eccleſiarum conſecrationes ſibi reſervaſſe. Blaſphemiam hanc Conſtantienſe Concilium, jam proſcripſerat in Seſſ. VIII. cum Concilium Tridentinum, reliquos alios errores omnes anathematizavit in cap. 4. Seſſ. XXIII. & in can. 7. in quibus locis primo declararunt Patres *Epiſcopos Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque per agere poſſe quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Secundo dixerunt eſſe anathema *ſi quis dixerit Epiſcopos non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam quam habent illis eſſe cum Presbyteris communem.* His prælibatis circa Heterodoxorum ſententiam, tria ſunt quæ in Miniſtro ſacræ Ordinationis diſcutienda proponimus 1. quo jure ad Epiſcopum clericorum Ordinatio pertineat 2. utrum in Epiſcopis etiam hæreticis, ſuſpenſis, excommunicatis & degradatis miniſterium idem reſideat. 3. An præter Epiſcopos alii ſint, qui poſſint Sacras Ordinationes peragere. Deinceps agemus de juribus Epiſcoporum in Sacris Ordinationibus. Poſtremo aliqua ſubjiciemus de Miniſtro Ordinationis Epiſcoporum.

§. I. *Iure Divino, & Eccleſiaſtico Epiſcopus Conſecratus Miniſter eſt cujuſcumque Ordinationis ſive majoris, ſive minoris.*

II. Fundamentum hujus Propoſitionis ex Chriſti facto eruitur. Chriſtus elegit duodecim Apoſtolos, & Diſcipulos 72., alterutris communia, & ſingularia munera conceſſit, illudque fuit præ cæteris maxime ſingulare Apoſtolis, quod manus imponerent, & conſecrarent, ut conſtat ex cap. 8. Actuum. Apoſtolis decedentibus Epiſcopi ſucceſſerunt. Septuaginta duobus diſcipulis decedentibus in eorum locum Presbyteri ſunt conſtituti, ut dicitur in cap. *in novo* diſt. 21. Patet igitur quod auctoritas ordinandi ſecundum formam Eccleſiæ congruit Epiſcopis jure Divino, & penes illos jure directo, & proprio reſidet, non ſecus ac ad ſummum Principem ſpectat [qua paritate utitur S. Bonaventura in 4. d. 25. q. 1. a. 1.] Duces Exercitus ordinare, cum per collationem Sacramenti Ordinis Duces Eccleſiaſtici Exercitus conſtituantur. Hinc Actorum 6. Apoſtoli orantes Diaconis manus imponunt; & Paulus, & Barnabas Lyſtræ, Iconii, Antiochiæ per ſingulas Eccleſias conſtituunt Presbyteros: & quod ad munus hoc idem exequendum, ſcribit Paulus in epiſtola ad Titum, eum Cretæ reliquiſſe, ut ſcilicet conſtitueret per Civitates Presbyteros: Ut pretercam inter Apoſtolicos canones decretum idem fuiſſe exaratum, ut ab uno Epiſcopo ordinarentur Presbyter, & Diaconus, & reliqui Clerici.

III. Ejuſdem Divini juris teſtimonium ſuppeditat antiqua, & conſtans Eccleſiæ Traditio, quæ vel ipſos Catholicæ doctrinæ deſertores oſtendit ab Epiſcopis manuum impoſitionem recepiſſe, ut de ſua Ordinatione gloriarentur, quam artem tenuiſſe Novatianum Sanctus Papa Cornelius ſcribit in epiſtola ad Fabium Antiochenum; quæ docet Epiſcopos ſola Ordinatione ſuperiores eſſe, quod Chryſoſtomus homil. xi. in priorem Epiſtolam ad Timoth. & Hieronymus ad Evagrium ſcripſerunt, quæ proſcribit, a Presbyteris factas Ordinationes, & ab Epiſcopis ordinatos in ſuum ordinem reſtituit, quod accidiſſe in Synodo Alexandrina A. 319. Athanaſius narrat in ſua apologia, Colluthi facinus deſcribens; quæ demum Aerium agnoſcit hæreticum, quod Epiſcopis, & Presbyteris par jus ordinandi conceſſerat, ut legitur apud S. Epiphanium hæreſi 56. Et certe ſi de Chorepiſcopis declarant Damaſus, Leo, & Ioannes Pontifices irritas & inanes eſſe ab eiſdem præſumptas, ſive attentatas Ordinationes, propterea quod illi non ſunt vere Epiſcopi, multo magis de ceteris omnibus, qui Epiſcopi non ſunt pro certo tenendum eſt, quia poteſtas ordinandi non juriſdictionis eſt poteſtas, ſed Ordinis, quam in ſua Conſecratione Epiſcopus accepit, tametſi ut infra probabimus fateamur requiri juriſdictionem ad hoc ut illam ordinis poteſtatem licite, legitimeque exerceat. Ex dictis itaque perſpicuum eſt jure Divino ineſſe Epiſcopis poteſtatem conſtituendi, atque inſtituendi quoſcumque Eccleſiæ ſeu verbi Dei miniſtros, & abſurdum eſſe fateri Deum præter Epiſcopos alios conſtituiſſe, a quibus res tantæ dignitatis, & poteſtatis, vel ſuſcipi poſſet, vel conferri.

IV. Nec contra hoc facit Eccleſiaſtica conſuetudo juxta quam Presbyteri circumſtantes una cum Epiſcopis iis, qui Presbyteri ordinantur manum imponunt, aut illud quod Auguſtinus ſcribit in q. 101. Veteris & Novi Teſtam. *Presbyterum in Egypto conſecrare ſi deſit Epiſcopus* vel quod Hieronymus affirmat in libro de 7. gradibus Eccleſiæ *Presbyteros omnia Dei Sacramen-*

Digitized by Google

cramenta complere. Hoc fundamento, quia pluris eſt conſecrare Corpus Domini quam Clericum ordinare: aut demum quod narret Nicephorus in libro 8. ſuæ Hiſtor. c. 19. & 24. fuiſſe in Concilio Nicæno ſancitum Ordinationes a Meletio factas qui a Patribus dicitur ſibi ſumpſiſſe, ac vendicaſſe munus Epiſcopale non fuiſſe iterandas. Singula hæc momenta nihil inquam inferunt contra ſtatutam Propoſitionem. 1. Quia jam ſupra notavimus Impoſitionem hanc manuum a Presbyteris factam, neque Sacramentum eſſe, neque partem ejus, ſed puram cæremoniam. 2. Quia id quod falſo ex Auguſtino citatur ad conſignationem Baptizatorum non ad Presbyterorum conſecrationem ſpectat, & quomodo debeat intelligi in Tractatu de Confirmatione explicavimus. 3. Quia quod citatur ex Hieronymo ſuppoſititium eſſe documentum ſeveriores Critici tuentur, idemque ſapere Arianam opinionem; nec ſemper verum eſſe quod ille qui poteſt majus poſſit etiam illud agere quod minus eſt, quando minus præſupponit poteſtatem majoris, quod accidit in hoc caſu, in quo poteſtas ordinandi preſupponit poteſtatem conſecrandi. Imo ſi attendatur Scriptura, hæc oſtendit Spiritum Sanctum ſua dona diſtribuere ſingulis prout vult, ut explicat Apoſtolus 1. ad Cor. 12. & non raro aliquibus majora concedere quibus negat ea, quæ ſunt minora; alioquin dicere oporteret poſſe etiam Presbyterum omnia illa agere, quæ poteſt agere Angelus, cui hæc poteſtas, quæ omnium maxima eſt in Chriſti corpus verum denegata eſt, & poſſe quemlibet hominem operari ea quæ poſſunt agere bruta animantia, quia intelligere, loqui & ratiocinari poteſt. Quarto demum quia falſum eſt Meletium non fuiſſe Epiſcopum, talis enim erat, quamquam illegitime, & furtive Ordinatus, & hæc irregularis Ordinatio Nicænos Patres impulit, ut illum ſibi Epiſcopale munus ſumpſiſſe dicerent, ſed non rejicerent illius Ordinationes. Quod ſi difficultas fiat in verbis quæ leguntur in epiſtola quam Nicæni Patres miſerunt ad Eccleſiam Alexandrinam, & ad Fratres Egyptum, Lybiam, & Pentapolim incolentes, & quæ legitur apud Socratem Hiſtor. lib. 1. cap. 16. quibus verbis Presbyteris a Meletio ordinatis decernunt Patres ineſſe poteſtatem, eos ordinandi, & qui Clero digni fuerunt nominandi: Notandum eſt quod facultas ordinandi de qua agitur in hac epiſtola eadem eſt ac facultas ſacros miniſtros eligendi, non vero facultas eoſdem miniſtros conſecrandi, quod clare eruitur ex contextu verborum, & ex reliquis vocibus, aut formulis eidem epiſtolæ inſertis dum loquuntur Patres de Presbyteris a Meletio Ordinatis qui Meletiano ſchiſmati adhæſiſſent, quibus tollitur hæc facultas ordinandi, quæ facultatis ſuſpenſio his terminis circumſcribitur, ut nulla illis ſit poteſtas miniſtros Eccleſiæ ipſorum arbitrio probandi, deſignandi, vel eorum nomina ſubjiciendi, ſuggerendi, aut aliquid aliud aggredi abſque conſenſu Catholicorum Epiſcoporum, qui S. Alexandri Patriarchatui ſubjiciebantur. Poſtremo dicimus hæc ſingula argumenta non probare Presbyteris a jure Divino eſſe conceſſum Altaris miniſtros conſecrare, quod fuiſſet probandum, ſed ad ipſos Presbyteros etiam ſpectare idem munus, quod quam falſo ſit dictum ſuo loco probabitur. Interim ergo firma ſtat noſtra Propoſitio quod jure Divino ſolus Epiſcopus poſſit ſacros miniſtros ordinare. Ut vero dicamus quare addidimus in propoſitione idem munus habere Epiſcopos a jure Eccleſiaſtico, monemus hoc dictum eſſe juxta eorum ſententiam, qui minores Ordines jure tantum Eccleſiaſtico inſtitutos eſſe pronuntiant, juxta

quem

quam opinionem ſolus Epiſcopus erit Ordinarius eorum miniſter non jure Divino, ſed Eccleſiaſtico.

§. II. *Epiſcopus Hæreticus, Excommunicatus, Suſpenſus, & degradatus verus eſt Miniſter Sacramenti Ordinis; ita ut valida ſit Ordinatio ab eo facta, etiam circa eos, qui ipſius jurisdictioni non ſint ſubjecti dummodo legitimum ſervet Ordinationis ritum.*

V. Hanc de Hæreticorum Ordinatione ſententiam pluribus in locis tuetur Auguſtinus præſertim vero in lib. 2. contra Epiſtolas Parmeniani c. 13. & in lib. 1. contra Donat. c. 1. & lib. 3. c. 10., & Tract. 5. in Joan., & omnibus illis in locis, in quibus ait *vera Sacramenta ab hæreticis miniſtrari tametſi non ad ſalutem, quod non proſint ubi fidei reſiſtitur*. Non diſſentiunt ab Auguſtino, Hieronymus, ceterique a Gratiano citati in 1. cauſſa q. 5. ubi de hac materia diſputat, & fere Patrum omnium communis eſt ratio, quod actus qui pertinent ad poteſtatem Ordinis non irritantur cum nullo unquam caſu poteſtas cum conſecratione data, re ipſa manente, perdi queat, neque probitas, neque fides miniſtri requiratur, ut alibi oſtendimus, & ſecundum fidem Catholicam ab Eccleſia definitum ſit, ut quis verum conferat Sacramentum, quod tale eſt, cum vera forma, & materia concurrunt, itemque verus miniſter, & in eo intentio faciendi id quod facit Eccleſia. His fundamentis validum agnoverunt Patres ab Hæreticis Baptiſma collatum, & Baptiſmi, & Sacerdotii parem voluerunt eſſe rationem apud Hæreticos, atque nullum unquam de quacumque hæreſi, vel Schiſmate revertentem in quo fuerat baptizatus rebaptizandum permiſerunt, ita & Ordinationem ubicumque factam agnoverunt, & approbaverunt.

VI Nullum certe hujus rei occurrit Exemplum in ſpatio 350. annorum, quod illis temporibus Eccleſia nullos ex hæreſi quacumque revertentes admitteret, niſi cum graviſſima pœnitentia, nec Clericos ſoleret acta Pœnitentia in Clerum revocare. Severiorem hanc primitivæ Eccleſiæ diſciplinam variis in locis deſcribunt Euſebius, Cyprianus, Tertullianus, Canon Apoſtolicus 61., & Primus Innocentius, aliique, apud quos paucos reperire eſt, quos Eccleſiarum Antiſtites ſervatis Ordinibus, & dignitatibus reſipiſcentes ſuſceperint, & hi fuerant, qui imposturam paſſi, circumventi perfidia, & loquacitate captioſa videbantur quaſi quamdam Communicationem cum Schiſmaticis, & Hæreticis hominibus habuiſſe, ſed ſincera tamen ſemper in Eccleſia eorum mens fuerat. Poſt vero illa tempora varia Concilia in variis Eccleſiis celebrata ſunt, quæ ut Eccleſiæ Catholicæ tantis hæreticorum turbinibus agitatæ ſuppetias ferrent, ſibi rectum videri dixerunt, ut tantum perfidiæ auctoribus amputatis, reliquis Sacerdotibus daretur optio ſi forte voluiſſent abjurato perfidiæ errore ad fidem Patrum, ſtatutaque converti, nec negare aditum redeuntibus, quin potius de eorum communione gaudere. Horum Conciliorum opinionem plurimæ Catholicorum Eccleſiæ retinuerunt, ut colligitur ex iis, quæ S. Athanaſius ſcripſit in epiſtola ad Rufinianum S. Baſilius in epiſtola 1. Canonica ad Amphilochium, S. Cyrillus Alexandrinus in epiſtolis ad Maximum, & Gennadium, & S. Leo Papa tum epiſt. 51. ad Pulcheriam, tum epiſt. 86., & brevi contigit frequenter intueri Epiſcopos, Sacerdotes, pluresque Clericos jam ad Hæreticos transfugas poſtmodum Pœniten-

nitentes in Eccleſiam admiſſos cum ſuis præeminentiis, & gradibus, quibus in ea fulgebant. Neque aliter ſua ætate Magnus ſe geſſit Gregorius, qui juſſit Neſtorianos cum propriis Ordinibus, & dignitaribus in Eccleſiam admitti, prohibuitque ne ulla eis fieret contrarietas, vel difficultas de propriis eorum Ordinibus, ſed ut raperentur ab antiqui hoſtis ore præcepit. Verba S. Gregorii leguntur in lib. 6. Indic. 4. epiſt. 61. plurimum favet etiam huic diſciplinæ ſeptimæ Synodi decretum, quo in fine Actionis 1. inhærendo Majorum exemplis ſancitum eſt ab Hæreticis Ordinatos fuiſſe recipiendos.

VII. Scio reſpondere nonnullos allata fundamenta non quadrare propoſito, quod agunt de iis Clericis, & Sacerdotibus, qui vel fuere in Eccleſia Catholica ordinati, ſed poſtea transfugerunt ad Hæreticos, deinde reſcipiſcentia ducti ad Catholicam reverſi ſunt, vel qui Ordinati ſunt ab Epiſcopis hæreſim quidem profitentibus, & Hæreticorum anteſignanis, ſed nondum ullo aut Concilii, aut Romani Pontificis decreto condemnatis, ut contigit Anatolio Ordinato ab impio Dioſcoro Patriarcha Alexandrino poſt iniquiſſimam S. Flaviani mortem, Maximo, qui in Concilio Epheſino ordinatus eſt Epiſcopus Antiochenus Domno depoſito, aliiſque non paucis: & propterea ſe optare exemplum, vel Diſciplinæ praxim, quæ oſtenderet, illos quoque Clericos Eccleſiam cum Ordinibus ſuis admiſiſſe, vel quos Epiſcopus Hæreticus Excommunicatus, & depoſitus ordinaverat, vel qui ab Hæreticis illis Ordinati fuiſſent, de quibus Eccleſia nihil ſtatuit, a caſu enim ad caſum inquiunt, in hac materia non valet illatio, & id oſtendit celeberrima illa S. Innocentii I. ſententia, quæ legitur in ejus epiſtola 22. contra illos, qui 8. Canone Concilii Nicæni abutebantur, privilegium uni hæreſi conceſſum extendentes ad aliam: *Si utique*, inquit S. Pontifex *de omnibus hoc Nicæni Patres definiviſſent, addidiſſent a Novatianis, aliiſque Hæreticis revertentes debere in ſuum Ordinem recipi. Quod ita eſſe, etiam illud maxime, quod de Paulianiſtis dictum eſt, poterit confirmare, a quibus venientes, etiam baptizari præcipiunt*. Sed quid hoc? Numquid cum Paulinianiſtis omnes, qui ab Hæreticis revertuntur erunt hoc exemplo baptizandi? quod cum nullus audeat facere, de ipſis tantum eſſe præceptum ratio ipſa demonſtrat; eo vel maxime 1. quod ipſa Orientalis Eccleſia ab aliquot ſæculis hæreticos cum Ordinibus ſuis non admittit, ut eruitur ex c. 6. Concilii II., & 95. Quiniſexti, & ex variis formulis recipiendi Hæreticos, quibus nunc, & a multis ſæculis Græci utuntur, de quibus conſuli poſſunt Timotheus Presbyter, Theodorus Studita, Methodius Patriarcha, & Balſamon in reſponſione ad quæſtionem illi excitatam a Marco Alexandrino Patriarcha Juris Orientalis lib. 5. p. 379. Secundo vero quia idem jus fuit in Eccleſia reſpectu Ordinationis ac nunc eſt reſpectu Matrimonii; nimirum quod potuerit irritam velle Ordinationem ubi materiæ, & formæ applicatio tentata fuiſſet contra canones, & non ſervatis conditionibus, quas ipſa præſcripſerat. Hinc eſt, quod Stephanus IV. in Concilio Romano A. 669. nullam declaravit Conſtantini Ordinationem, qua non ſervatis temporum interſtitiis pecunia, & vi Romanus Epiſcopus fuerat inauguratus, & de Epiſcopis, atque Presbyteris, & Diaconibus, quos ipſe conſecraverat decrevit, quod in priſtinum honoris ſui gradum, quo ante ſuam quiſque a Coſtantino Ordinationem potiebatur, reverteretur, & omnia quæ idem Conſtantinus in Eccleſiaſticis Sacramentis ac Divino cultu egit iterari debuiſſent præter Sacrum

Bapti-

Digitized by Google

Baptiſma ac Sanctum Chriſma, & illico Epiſcopi illi, qui ab eodem Conſtantino ordinati ſunt revertentes juxta ejusdem Pontificis ſententiam in priſtinos honoris gradus electi, denuo a Clero, & Plebe, cum ſolito decreto ad Sedem Apoſtolicam properantes, ab eodem SS. Papa conſecrati ſunt. Sveſſionenſe item Concilium anni 853. irritas, & vacuas declaravit Ordinationes, quas Ebbo Rhemenſis Epiſcopus poſt ſuam depoſitionem abſque ulla legitima reſtitutione tentare præſumpſerat, & adhuc nono ſæculo Stephanus Papa VII. quos Formoſus Romæ ſedens Eccleſiæ miniſtros conſecraverat, gradu proprio depoſito iterum ordinavit, quod cum Portuenſis eſſet Epiſcopus ambitionis ſpiritu Romanam univerſalem Sedem uſurpaverat. Verum nihil eſt in toto hoc argumento, quod faveat Adverſariis; multum vero eſt in ſuperiori ratione, quod uberius expoſitum probat pauci eſſe facienda Adverſariorum fundamenta.

VIII. Atque illud in primis, quod petitur perperam poſtulatur, citatus enim ex Gregorio Magno locus agit de Clericis, qui poſt 170. annos a condemnatione Neſtorii fuerunt conſecrati, hoc eſt poſt Neſtorium anathematizatum cum omnibus ſequacibus ſuis: de eadem re agunt citati ex S. Leone Magno textus, in quorum altero nonnullos Epiſcopos graviter repprehendit, qui Clericos Pelagianos poſt ejuſdem Palagi, & Sectatorum ejus anathematizationem ſine ulla hæreſeos expreſſa, vel publica damnatione ad Eccleſiam, cum gradibus ſuis admittebant, hoc poſtremum tantum improbat, neve ulterius fiat prohibet, & cum aliis in locis teſtetur eadem Indulgentia fuiſſe receptos revertentes ab hæreſi Eutychiana, hujus Indulgentiæ rationem reddit in epiſtola, quam citavimus ad Pulcheriam. Similiter cum recenſuimus Actionem primam ſeptimi Concilii Oecumenici, rationem illam in medium afferre intelleximus, quam Tharaſius SS. Patriarcha CS. adhibuit ut omnium hæreticorum cujuſcumque temporis Ordinationes validas probaret, quas ut ipſe ajebat *Majores ſui, qui poſt IV. Seculum floruerunt ratas, & validas habuerunt per Monothelitas factas*. Sane & plurimi, dicebat Tharaſius, qui in VI. Synodo præſides fuerunt a Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro Doctoribus hæreſeos Monothelitarum fuere creati, ſed & hi viciſſim Conſtantinopolitanas Sedes inter Clerum diſtribuerunt, & ab eodem extremo Doctore Petro, uſque ad VI. Synodum anni non pauciores, quam quindecim interceſſerunt: qui vero intermediis temporibus fuerunt Thomas, ſcilicet, Joannes, & Conſtantinus ab hæreticis fuere ordinati; Verum ea de cauſſa non fuiit reprobati; circiter enim quinquaginta annos hæreſis illa viguit; & tamen in VI Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantum damnarunt, ceteros cum Ordinibus ſuſceperunt, Neque alii erant quam Clerici extra Eccleſiam ordinati ex relatione Auguſtini epiſt. 50. illi, quos Affrica Catholica ex Epiſcoporum ſententia, qui in Eccleſia Romana inter Cecilium, & partem Donati judicarunt, cenſuit correctos cum ſuis Ordinibus eſſe ſuſcipiendos; quapropter ſatisfactum abbunde eſt Adverſariis quærentibus hujuſmodi exempla, ut ex iis innoteſceret nuſquam Eccleſiam iteraviſſe Ordinationes, quas hæretici etiam publice damnati, & nominatim ejecti ex fidelium cœtu celebraſſent; ultimam ſiquidem manus impoſitionem in Eccleſia ſuſceperunt, quam dedit ille qui Sacramentum dandi cum diſcederet jus non ammiſerat, cetera enim ſecundum formam Eccleſiæ adfuiſſe ſupponimus, ſolumque hæreſeos crimen Ordinatori imputari, per quod non viciatur Ordi-

Digitized by Google

Ordinationis ſubſtantia: *Nulli* enim Sacramento, ut optime ajebat Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo c. 1. *injuria facienda eſt, ſi diſcedit a malis, utrumque diſcedit; ſi permanet in malis, utrumque permanet*, & quod Divina Juſſione, ſimulque Apoſtolicæ traditionis auctoritate Sacrum noſcitur extitiſſe, nequaquam aliquando poterit profanari.

IX. Quod ſecundo loco quæritur ab Adverſariis, quod nimirum proferantur exempla Ordinationum, quæ non fuerint iteratæ, quamvis factæ ab hæreticis, de quibus nihil Eccleſia ſtatuerit, hoc indiget explicatione; nam ſi per Eccleſiæ ſtatutum intelligatur Catholicum aliquod decretum, quod excipiat hæreſum ſpecies, & Hæreticorum Sectas, ex quibus qui prodiiſſent Ordinati, reſipiſcentes, admitti non debuiſſent cum ſuis Ordinibus, hoc decretum fruſtra quæritur, quia nullus Pontifex Romanus, nullumque Oecumenicum Concilium hoc edidit. Si Ordinationes, quæ dicuntur non iteratæ oſtendi optant Adverſarii in Clericis, qui receſſerunt ab hæreſibus, & hæreticorum Sectis, quibus hoc privilegium per Sacros Canones conceſſum fuit, Ordinationes hæ inveniri non poterunt. Utraque diſtinctionis pars momentis validiſſimis initur, inter quæ primum illud occurrit, quod ſi Oecumenicum aliquod Decretum extitiſſet, hoc utique non latuiſſet Sanctiſſimos illos Pontifices, ceteroſque variarum Eccleſiarum Antiſtites, qui contrariam diſciplinam commendarunt. Commemoro utrumque Magnum Leonem, & Gregorium, & Joannem VIII. qui demonſtrata facti pœnitentia Clericos ab Hæreticis Ordinatos Communione tum Catholica, tum Eccleſiaſtica donarunt. Commemoro Epiſcopos illos, qui ſuperius laudatis Conciliis interfuerunt, ceteros omnes Eccleſiæ Patres, qui variis Eccleſiæ ſæculis floruerunt, & in eadem cum reliquis opinione conſpirarunt. Præter ſuperius citata ex Leone, & Gregorio teſtimonia, inſignis etiam eſt alter Leonis locus in epiſtola ad Flavianum cap. 6. ubi de his Ordinationibus agens, & de Clericis redeuntibus ab Hæreſi Eutychiana ita ſcribit: *Si fideliter, atque utiliter dolet, & quam recte mota ſit Epiſcopalis auctoritas, vel ſero cognoſcit, vel ſi ad ſatisfactionis plenitudinem omnia, quæ ab eo* (ſcilicet Eutyche) *male ſunt ſenſa, viva voce, & præſenti ſubſcriptione damnaverit, non erit reprehenſibilis erga correctum quantacumque miſeratio*; quam miſerationem deinceps explicat in epiſt. 13. ad Theodoſium Auguſtum his verbis: *Si ipſe, qui in hanc tentationem incidit, reſipiſcat; ita ut per libellarem ſatisfactionem proprium damnet errorem, communio ei ſui Ordinis reformetur*. Alium vero locum ſuppeditat liber 2. epiſtolarum Gregorii erutus ex epiſtola 32. ad Joan. Epiſcopum Ravennatem, in qua ſic legitur: *Illud autem quod dicitis, ut is qui Ordinatus eſt iterum ordinetur valde ridiculum eſt, & ab ingenii veſtri conſideratione extraneum, niſi forte, quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille judicandus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit autem a fraternitate veſtra ſic ſapere, ſicut enim baptizatus ſemel iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum Ordine non debet conſecrari*. Inſignis eſt etiam Joannis VIII locus in quo legitur ipſum, ceteroſque Orientales Epiſcopos non exegiſſe, quod Photius, & ab eo conſecrati Epiſcopi iterum ordinarentur, ſed tantum libelli ſatisfactionem, hoc eſt demonſtratam facti pœnitentiam: *Nos itaque* (verba ſunt Joannis VIII. in epiſtola ad Baſilium, & Filios Imperatores) *aliis Patriarchis. Alexandrino videlicet, & Antiocheno, & Jeroſolymitano, atque omnibus Archiepiſcopis, Metropolitis,*

Epiſcopis, & Sacerdotibus, cunctoque Clero Conſtantinopolitanæ Sedis, qui de Ordinatione B Methodii, & Ignatii Reverendiſſimorum Patriarcharum exiſtunt una voluntate, parique voto conſentientibus, eumdem Photium ſatisfaciendo, miſericordiam coram Synodo ſecundum conſuetudinem poſtulantem in vera dilectione fratrem, in Pontificali Officio comminiſtrum atque coram Synodo miſericordiam quærendo, in Paſtorali Magiſterio Conſacerdotem pro Eccleſiæ Dei pace, & utilitate amodò Chriſto favente, recipimus, & habemus. Hactenus laudatus Pontifex, quem certe non latebat, quid actum eſſet in octava Synodo Generali, quæ Canone 4. decreverat, quod Neophitus Photius nunquam fuiſſe videretur Epiſcopus, neque Ordinati ab eo tales eſſent quales ille nominaverat. Photius conſecratus fuerat per Gregorium Syracuſanum Epiſcopum Ignatii perduellem, excommunicatum, & è throno ejectum. Cum itaque legitur in Sacris Canonibus aliquod huic noſtræ Concluſioni contrarium, denotat hoc tales conſecrationes fuiſſe illicitas, non vero invalidas, & conſequenter ſic Ordinatos characterem ſuſcepiſſe. Eorumdem Canonum formulæ pleræque intelligi poſſunt de Juriſdictione, quæ nulla ſit in hujuſmodi Ordinatis, quam intelligentiam non reſpuunt ejuſdem VIII. Synodi verba, quæ definiunt Photium putatum quidem fuiſſe Epiſcopum, ſed nuſquam vere fuiſſe, ceteroſque ab illo conſecratos, nihil ab eo accepiſſe, non vere, ſed ficte conſecratos fuiſſe, alioquin dicere oporteret probitatem Miniſtri producere effectum Sacramentorum, & ejuſdem ſubſequentia ſcelera deſtruere characterem, quo quis ſemel fuit inſignitus. Fortaſſe quia non dicuntur veri Sacerdotes ii, quorum vita integra non eſt, & mores ſunt impii, poteſtate carent, dignitatem, gravitatem, auctoritatem, ſtatum, perfectionemque non aſſequuntur, quod turpibus facinoribus conſcientiam ſuam maculant, quod Sacerdotii leges non ſervant? Etiam negantur Conſules, & Reges, qui Reipublicæ non conſulunt, & Regis munera aſpernantur, ſed non propter hoc vere deſinunt eſſe Reges, & Conſules, unde apparet nuncupationes has ad vitiorum inſectationem fuiſſe inſtitutas, & huc ſpectant ſinguli illi loquendi modi, quibus Hæreticorum Ordinationes S. Innocentius I. inſectatur, aut quivis alter ex antiquis Patribus, ſive is ſit Cyprianus, apud quem hujuſmodi ſententiæ plures reperiuntur, ſive Hieronymus in 2. caput Aggæi ſcribens omnia quæ fiunt ab hæreticis eſſe contaminata, ſive Theodoretus, ſive Nicephorus, & Rupertus, nam omnia illorum dicta oppottune interpretamur aſſerendo irritas eſſe ab Hæreticis, excommunicatis, degradatis &c. factas Ordinationes, vel quia ſic Ordinati loco, & Officio in Eccleſia carent, vel quia ab his Ordinati effectum gratiæ non ſortiuntur, vel demum quia id ſolum ſæpe habemus ratum, & legitimum, quod legitime poteſtatis uſu perficitur. Et certe ſi Decretum aliquod Oecumenicum eſſet has Ordinationes irritans, quo ad ſubſtantiam, quod videtur aliquibus legi in canone 8. primi Concilii Nicæni, qui fieri potuit, ut validæ poſtea cognoſcerentur in Donatiſtis, Pelagianis, Neſtorianis, Menothelitis? Conſtat igitur poſteriora Concilia agnoviſſe per Decretum Nicænum declaratas fuiſſe Novatianorum Ordinationes invalidas in illo ſenſu, quo communiter Patres reliquorum Ordinationes illicitas eſſe agnoverunt.

X. Sed obſtat, inquies, huic explicationi praxis repetitæ Ordinationis. Non obſtat ſane, nam hæc praxis non ubique nec ſemper invaluit, ſed infrequenter, & in aliquibus caſibus, in illis ſcilicet, in quibus de ſubſtan-

cia

ſua Ordinatione dubitabatur: ita explicatur canon, qui inter Apoſtolicos eſt 68. in quo dicitur: *qui ab hæreticis baptizati, vel ordinati ſunt, ut fideles, vel Clerici ſint fieri non poteſt*. Ceteriqne eidem conſentientes nimirum 19. Concilii Nicæni & 15. VI. Concilii Oecumenici, in quibus de Paulinianiſtis, & Cataphrygibus agebatur, qui ſine invocatione trium Perſonarum baptizabant: quare cum eorum Baptiſma nullum eſſet, nulla quoque, & irrita habenda erat Ordinatio. Mille prope, & ducentis annis conſuetudo hæc perſeveravit, quod ſi aliquod in adminiſtratione Sacramenti alicujus dubium exoriretur, ſtatim ſine ulla conditionis appoſitione (quod tamen nunc obſervatur) iterum Sacramentum illud miniſtrabatur, ſive dubium totum Sacramentum ſpectaret, ſive tantum Sacramenti adminiſtrati circumſtantiam, dicebatur enim non eſſe iteratum quod certis indiciis antea non oſtendebatur peractum. Quod autem dubium iſtud in Ordinum collatione magis fovebat, erat Characteris Epiſcopalis incertitudo, de quo nondum definitio Eccleſiæ facta erat. Quamdiu ergo non ſatis conſtitit de veritate hujus Characteris, ſicut necdum conſtabat cum exarati ſunt in variis Conciliis varii Canones, qui irritas declararunt Ordinationes ab Epiſcopis hæreticis, excommunicatis &c. factas, locus fuit opinandi reiterandas eſſe hujuſmodi Ordinationes: quoniam ut ajebat S Pontifex Leo epiſt, 37. *non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis*. Ex hoc itaque conſtat quod non in vi alicujus privilegii plures Epiſcopi Clericos ab Hæreticorum caſtris reverſos cum ſuis Ordinibus ſuſceperunt, ſed quia apud illos non dubitabatur de eorumdem Ordinationum validitate quoad ſubſtantiam, & quia eadem dubitatio longiſſime ab omnium Epiſcoporum mente abfuit cum per Theologos Scholaſticos uſurpari cœpit diſtinctio validi, & illiciti, hinc eſt quod quingentis ab hinc annis non amplius de harum Ordinationum repetitione actum eſt. Quod dictum eſt de Ordinationibus factis ab Epiſcopis excommunicatis, degradatis &c. extenditur ad Simoniacas Ordinationes, quas Eccleſia ſemper abhorruit, cujus propterea Conſtitutiones caute legi debent, cum in illis videatur doceri ſimiles Ordinationes nullas eſſe. *Quicumque ſtudet*, ajebat S. Gregorius epiſt. 112. libri 7. *per pretii ordinationem Sacrum Ordinem ſuſcipere Sacerdos non eſt, ſed inaniter tantummodo dici concupiſcit*: accipienda enim ſunt tum laudata S. Gregorii verba, tum reliqui omnes Conciliorum Canones contra huiuſmodi Ordinationes editos de Ordinatione nulla: *quo ad exercitium*, non vero *quo ad effectum characteris*: quare S. Petrus Damiani in capite 32. Opuſc. 7. vehementer urget aſſerentes quemlibet a Simoniacis conſecratum a Laico nihil differre: *Dicite*, inquit, *mihi fratres, cum pace veſtra loquar, ſi Simoniaci, vel ab eis Ordinati, a Laicis, ut aſſeritis, nihil differunt, quid eſt quod Sacri Canones Simoniacos in Synodali Concilio deponendos eſſe decernunt*? Cum vero illi opponeretur quoſdam poſt depoſitionem fuiſſe reconciliatos, reconciliationem diſtinguens ab iterata Conſecratione: Prius licere ait, & fieri ſolitum, non poſterius. *Qui ſic opponit*, inquit, *noverit plurimos Sacerdotum reconciliatos quidem fuiſſe, qui tamen nunquam leguntur in idipſum denuo conſecrari. Aliud eſt enim quemlibet per Synodalem ſententiam in ammiſſi Ordinis jura reſtitui, aliud per conſecrationis myſterium, quo iterum non poteſt Spiritus S. gratiam promoveri; præſertim cum in eo, qui deponitur, quamquam dignitatis utendæ perdat extrinſecus privilegium, manet tamen nihilominus ſemel*

adepti Ordinis Sacramentum. Quod ſi S. Pontifex Leo IX. pleroſque Simoniacos iterum ordinavit, hoc contigit, quod illa ætate controverſia hæc de Simoniacarum Ordinationum validitate Catholicam Eccleſiam maxime agitabat, & tam obſcura judicabatur, ut cui parti eſſet adhærendum nec Patres in Conciliis, nec Pontifices in ſuis epiſtolis hoc definire potuerint; quapropter in hac dubia quæſtione S. Pontifex Leo opinioni, quam tunc probabiliorem, & tutiorem judicaverat amplecti potuit, & ſecundum eam agere. Iterum vero ſub Nicolao II. quæſtione hac ſolvenda propoſita: Poſt plurimos certaminum fluctus, poſt tot nutantium quæſtionum perplexa, ac ſinuoſa volumina, ad hunc tandem Judicialis ſententiæ limitem res expedita pervenit, ut hactenus a Simoniacis gratuito conſecrati in adeptæ dignitatis honore perſiſterent, nec dum vero promoti, ab illis ad Ordinem provehi de cetero licentiam non haberent. Ex quo vero communiter intellectum eſt Sacramentalem characterem per quamque Ordinationem imponi, Ordinatos a Simoniacis, & Simoniace Concilia depoſuerunt, & inhabiles eſſe ad alios Ordines, ſi qui forte ſuſcipiendi ſupereſſent, & ad Eccleſiaſtica Beneficia vel retinenda, vel obtinenda decreverunt; neque ullus amplius vel Patrum, vel Theologorum inventus eſt, qui per Ordinationem factam contra Canones putaverit Characteris virtutem tabeſcere, eamdemque judicio Eccleſiæ ſubjici, ita ut ab ea ſuſpendi poſſit: quotquot enim in hac materia ſcripſerunt, ſinguli in hanc ſententiam conſpirarunt quod nec hæreſeos crimen, etiam publicum, nec degradationem, nec excommunicationem, nec Simoniacam collationem impedire valeant Sacramenta illa quæ juriſdictionem in conferente non requirunt, dummodo externus ritus a Chriſto inſtitutus, cum debita Miniſtri intentione ſervatus fuerit, & ita hodierna Eccleſiæ praxis oſtendit quæ Clericis cum debita materia, & forma ordinatis quibuſcumque, & a quibuſcumque permittit, ut Ordinibus in hæreſi ſuſceptis non iterata Ordinatione fungantur, & ita revera in Florentino Concilio actum eſt, in quo non ſolum Schiſmatici, ſed etiam Hæretici cum Ordinibus, quibus tunc verſabantur in Eccleſiæ ſinum admiſſi fuerunt.

XI. Nec multum probant documenta ſuperaddita ab Adverſariis ex antiqua, & recenti Græcorum praxi petita, cum ſciamus eoſdem ſe Doctrinæ Juſtini ſequaces profiteri, qui in reſponſione 9. ad Orthodoxos neque *baptiſmum Hæreticorum, velut falſum, & fruſtraneum eſſe iterandum*, ait, *Ordiniſque ab eis accepti ſtabilem permanere inaugurationem*. Quod ſi quis velit nihilominus ex citatis locis inferre apud ipſos Græcos irritas fuiſſe Ordinationes ab Hæreticis factas, non aliter hanc ſententiam interpretabimur, ac eorum mentem explicare ſolemus cum dicunt irritam eſſe Confirmationem ab Hæreticis factam; ita ſcilicet quod communis ea fuerit antiquorum Patrum ſcripſit firmata mens, & ſenſus ab omnibus receptus nullum eſſe quo ad virtutem proficuum Sacramentum, quod cum infidelitatis præſertim obice ſuſciperetur; quapropter ſicut unguenti Sancti iterata unctione Baptiſmi ab Hæreticis ſuſcepti (communis enim tunc erat uſus ſtatim poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum adminiſtrare) nævum abſtergi aſſerebant, ſic Ordinationis labem nova manuum impoſitione tolli docebant, verum nihil eorum quæ antea fuerant remanere peremptum. Si itaque ex S. Juſtini teſtimonio nihil ſuſcepto Sacramento detractum eſt, ſupereſt

tum

Digitized by Google

tum Confirmationem apud Græcos, tum Ordinis poteſtatem in Baptizato, & ab Hæreticis ordinato ſalvam, & integram ſemper extitiſſe. Quamquam, ut ingenue loquamur ex argumento Adverſariorum neque concludenter quidquam de hoc Græcorum more probatur, cum præcipuum argumentum totum ſit negativum: ex hoc enim quod in eorum formulis ordinariis admiſſionis Hæreticorum ad Eccleſiam non legatur Hæreticos cum Ordinibus ſuis fuiſſe admiſſos, cum Clericorum nunquam mentio fiat, contenditur Græcos Hæreticorum Ordinationes reprobaſſe, quæ conſequentia ſi vera eſſet, dicere etiam oporteret non fuiſſe apud Græcos in uſu periodum ſuſceptionis Clericorum, quia in eiſdem formulis hæc omittitur, & tamen erat in praxi cum formulæ illæ apparuerunt. Videtur igitur totum robur huic argumento accedere ex uſu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ per Anonimum Patriarcham, ut fertur, explicato Martyrio Patriarchæ Antiocheno, & iterum a Balſamone expoſito Marco Alexandrino Patriarchæ, qui uſus talis proferebatur videlicet: *Hæreticos per Chriſmatis ſuſceptionem ad Eccleſiam admiſſo priore Sacerdotio pro Sacrilegio habito, & pro non facto, per conſuetos gradus ad Epiſcopatum aſcendere*: quanti autem hæc narratiuncula ſit facienda, nec juvat, nec decet inquirere. Hoc unum tamen conſtat Eccleſiam Orientalem varie pro variis temporibus hæreticos admiſiſſe, & non raro, ut via ad reditum ab hæreſi planior ſterneretur, Hæreticorum Ordinationes admiſiſſe. Dicendum igitur eſt hujus praxis inconſtantiam non derivatam ex hoc, quod hæreticas ordinationes factas cum debita materia, & forma nullas putaret Eccleſia Orientalis, ſed incongruas tempori, & Eccleſiaſticæ Oeconomiæ, quod eruitur ex iis, quæ S. Baſilius relatus in Actione I. Concilii VII. ſcripſit ad Amphilochium: *Scio*, inquit, *quod Fratres Zoim, & Saturninum, qui erant ex illorum* (*ſcilicet Encratitarum*) *ordine in Epiſcoporum Cathedram ſuſcipimus. Quare illos, qui eorum ordini conjuncti ſunt, non amplius poſſumus ab Eccleſia ſeparare, utpote tamquam canone aliquo communionis cum ipſis edito per Epiſcoporum ſuſceptionem*.

XII. Quamquam nec quis ſibi facile perſuadebit utramque Eccleſiam Orientalem ſcilicet, & Occidentalem de Charactere Ordinationis aliter ſenſiſſe poſt III. Sæculum uſque ad XII. ac ſenſit poſtea a Sæculo XII. ad noſtra hæc uſque tempora, ac ſi nimirum illius effectus, ſive virtus agendi in initiatis ita alligaretur Sacrorum Canonum regulis, ut ab illarum violatione inefficax redderetur, & de illo diceretur id quod Theologi communiter docent de Matrimonio, & Pœnitentia, quorum Sacramentorum materias videmus ſæpe ſub interminatione irriti Sacramenti reſtrinxiſſe, dilataſſe, vario modo terminaſſe &c. Si quidem exempla, quæ in argumento celebrantur in hujus explicationis probationem, quod optatur, non conficiunt (quid quid graviſſimi Theologi in contrarium ſenſerint). Primo quidem, quia quod narratur decretum fuiſſe in Concilio Romano a Stephano Papa IV. contra Epiſcopos, ceteroſque a Conſtantino ordinatos, hoc unum eſt: *quod denuo facto decreto electionis, more ſolito cum Clero, & Plebe ad Apoſtolicam venirent ſedem, & ab eodem Sanctiſſimo Papa Benedictionis ſuſciperent conſecrationem*. Novum autem non eſt in Sacris Canonibus hanc benedictionis formam ritum continere ſuſcipiendorum Pœnitentium in Eccleſiam, & ſæpe uſurpatam in ſignum miniſterii, non Sacramenti; quare horum verborum vim, aut potius hoc Conciliare Decretum ab Anaſtaſio Biblio-

the-

Digitized by Google

thecario relatum perpendens Baronius ad annum Chriſti 769. ſcripſi: *At quod ad Epiſcopos ſpectat, ne eos exiſtimet iterum conſecratos, ſed accepiſſe dumtaxat more Majorum benedictionis myſterium* quod Auctor nominat *Benedictionis Sacramentum*. Ad praxim enim illorum temporum pertinebat, ut videre eſt in can. 28. Concilii IV. Toletani, nullum Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum injuſte dejectum poſſe eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos de manu Epiſcopi recepiſſet coram Altario. Sic Orarium, Annulum, & Baculum recipiebat Epiſcopus: Orarium, & Planetam Presbyter: Orarium, & Albam Diaconus: Patenam, & Calicem Subdiaconus, reliqui ea in reparationem ſui gradus recipiebant, quæ cum fuerunt ordinati receperant. Secundo quia quod additur ex facto Sveſſionenſis Concili invenitur totum fuiſſe reſciſſum, tum a Nicolao I. tum ab Adriano II. proximo Nicolai Succeſſore, qui ſuo Decreto Clericos ab Ebbone poſt ſuam depoſitionem ordinatos in ſuos gradus recepit, nec iterum ordinavit. Fortaſſe quis objiciet id contigiſſe, quia laudati Pontifices agnoverunt injuſtam fuiſſe Ebbonis depoſitionem, quod tunc erat potiſſimum controverſiæ (quæ agitabatur) caput, Verum hoc etiam conceſſo, dicimus repetitionem Ordinationum non poſtulaſſe verba Decreti Concili Sueſſionenſis quod ita fuit pronunciatum in 4. Actione: *Decretum eſt a Sacratiſſima Synodo, ut quid quid in Ordinationibus Eccleſiaſticis idem Ebbo poſt damnationem egerat ſecundum Traditionem Apoſtolicæ Sedis, ut in geſtis Pontificum legitur, præter Sacrum Baptiſma, quod in nomine S. Trinitatis perfectum eſt, irritum, & vacuum habeatur, & ordinati ab eo in quamcumque terrarum Orbis profugi vageetur, vel vagati ſint, quia Divinum Judicium effugere nullatenus poſſunt, Spiritus S. judicio Eccleſiaſticis gradibus privati perpetuo habeantur.* In hoc decreto verba, quæ difficultatem excitant ſunt hæc duo *irritum, & vacuum*. Quia vero Patres in illis proferendis ad Apoſtolicam traditionem appellant, quid iſta doceat eſt inquirendum, nec aliunde melius quam in canone 3. Concili II. Nicæni, in quo eadem vox legitur, quæ uſurpata eſt a Patribus Sveſſionentibus, & ad eandem traditionem Apoſtolicam. Agentes Nicæni Patres de Ordinationibus, quæ factæ ſunt contra Sacros Canones, pronunciant omnem electionem, quæ fit a Magiſtratibus Epiſcopi, vel Præsbyteri, vel Diaconi irritam manere, ex canone dicente *ſi quis Epiſcopus Magiſtratibus Sæcularibus uſus, per eos Eccleſiam obtinuerit deponatur, & ſegregetur, & omnes qui cum eo communicant*. Canon hic qui citatur eſt inter Apoſtolicos 31. Igitur ſi verus ſenſus vocis de qua dubitatur ex hoc canone eſt petendus, patet prædictam vocem non poſſe ſignificare nullitatem Ordinationis, ſed pœnam depoſitionis, quam ſic ordinatus promeruit, & propterea hunc ſolo ritu reconciliationis indigere, ut iterum poſſit miniſtrare, quod vero additur *vacuum* idem ſignificat, ac carere effectu, ad quem hujuſmodi Sacramentum inſtitutum eſt, cum neque gratiam conferat ſuſcipienti, neque in Eccleſia miniſterium. Nec multum prodeſt quod ultimo loco objicitur de Ordinationibus a Stephano VI. aliis VII. repetitis in iis quos ſuos prædeceſſor Formoſus ordinaverat, cum nemo ſit qui ignoret, quod omnia quæ Stephanus contra Formoſum dixit, vel egit homo furore percitus egit, implens id quod exeſtuans rabies ſuaſit, & qui hac de cauſſa ad Synodum convocati ſunt Epiſcopi, & Presbyteri Stephano non diſſimiles, ſimili odio Formoſum proſequebantur, adeoque in eumdem ſententiam pronunciarunt, quam ho-

Digitized by Google

homini furore percito gratam fore præſciebant. Notum item eſt omnibus Romanum Stephani Succeſſorem, quod Platina teſtatur, Theodorum item II. & Joannem hujus appellationis XI. Acta Stephani VII. contra Formoſum reſcidiſſe, ejuſdem memoriam vindicaſſe, & Acta reſtituiſſe. Hæc de Theodoro ſcribit Auxilius in libro 2. de Ordinationibus Formoſi cap. 5. *Eos quos Stephanus ſecum in Eccleſia veſtiri prohibuit, Papa Theodorus, qui utique de Formoſi Ordinatione non fuit, & veſtiri, & ſuum agere officium præcepit.* De Joanne autem luculentiſſimum exhibent teſtimonium Acta Romanæ Synodi ab hoc Pontifice convocati anno Chriſti 898. in cap. 1. 2. 3. & 4. in quorum poſtremo ordinati a Formoſo, & pro quorumdam libitu temere dejecti, in proprios ordines, & gradus reſtituuntur. Quod factum fuerat a Joanne XI. in Romana Synodo, egit iterum in Synodo Ravennatenſi, & quamquam ſub Sergio III. qui tertio anno poſt hujus Joannis mortem ei ſucceſſit, Reordinationum controverſia magis exarſerit; ita ut nonnulli Epiſcopi qui iterum conſecrari detractabant, minis cogerentur, hac tyrannide nihilominus factum non eſt, quod Sergius optabat, ut apud laudatum Auxilium videre eſt in libro citato, cum ſcirent omnes hoc non ſincera concordia, ſed auri copia ab hoc Pontifice inſtitutum eſſe, qui jam contra Formoſum ſederat Antipapa, & in cujus cadaver cum Stephano VII. ſævierat. Perperam itaque exempla hæc proponuntur contra validitatem Sacrarum Ordinationum, ac ſi contra Canones Paſtores illi Altaris miniſtros conſecraſſent, de quo profecto conſtare nunquam evidenter potuit. Ceterum ſi etiam de facto hoc conſtitiſſet, irritas adhuc has ordinationes non fuiſſe dicendum eſſet, quod univerſalis Concilii judicium ſuper his adhuc expectetur, & in utramque partem prioribus illis ſæculis acerrime ſit diſputatum: quare non diſplicuit S. Leoni IX. ubi de his Ordinationibus diſputaretur ita pronunciare: *Si qui Clerici a Pſeudo-Epiſcopis in Eccleſiis ordinati ſint, ut Ordinatio eorum conſueto judicio Præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi, itaut in ipſis Eccleſiis perſeverent*, & ita Vigilii Ordinationes, cum Antipapa eſſet factas nemo auſus eſt renovare. Quod autem in libro Sapientiæ legitur *Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum ita: intelligendum eſt*, inquit S. Auguſtinus in libro contra Parmenianum Donatiſtam, *ut deſit ſaluti ejus miniſterium, tamen non deſerat, quod per eum ſalutem operatus eſt aliorum.*

XIII. Horum autem omnium quæ diximus potiſſimum fundamentum eſt, quod Poteſtas, & Conſecratio quæ Divino jure alicui confertur nullo facto, aut jure Eccleſiaſtico ab aliquo auferri poteſt, ſed ſemel collata perpetuo cum ipſo uſque ad mortem manet. Hujuſmodi autem eſſe poteſtatem, & conſecrationem Epiſcopi, non ſolum verum eſſe, ſed etiam fide catholica credendum in ſuperioribus demonſtravimus: ergo neque excommunicatione, neque degradatione, neque ullo alio modo tolli ab Eccleſia poteſt, quod ita dictum volumus, ut licet Epiſcopi diverſo jure, nimirum Eccleſiaſtico minores Ordines conferant, ab hoc tantum jure introductos, adhuc tantum illorum collatio per Epiſcopum excommunicatum, & degradatum facta ſubſiſtat, quia Eccleſia ita voluit, & hactenus eos irritos, & nullos non declaravit, cum id facere potuiſſet; eo quod ex ipſius inſtitutione Epiſcopus ſit eorum miniſter. Verum tamen eſt quod ab his Epiſcopis ordinati executione ſuorum ordinum interdicuntur, ut per Concilium Tridentinum,

Seſſ.

Seſs. xxiii. c. 8. interdicuntur eorumdem Ordinum ſuſceptorum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire eſſe ſuſpenſos illos Clericos qui a propriis Epiſcopis ordinati non fuerint, quod fieri jam prohibuerant antiquiora Concilia Carthaginenſe III. can. 21. Arauſicanum I. can. 8. & Aquiſgranenſe anni 789. quæ tamen Concilia non idem ſtatuerunt de Laicis, cum pluribus exemplis conſtet his quondam liberum fuiſſe Ordinationem a quocumque Epiſcopo catholico recipere, eo etiam inconſulto, & invito, qui originis eſſet Epiſcopus. Hæc autem exempla ſuppeditant Ordinationes Origenis, Hieronymi, Paulini, Auguſtini, & Martini, quos ſingulos alieni Epiſcopi conſecrarunt. Legitur nihilominus apud Socratem l. 2. c. 24., & apud Sozomenum l. 3. c. 21. acris contra Athanaſium querela, quod in Urbibus nullatenus ad ipſum pertinentibus Ordinationes feciſſet, & Epiphanium Salamynæ in Cypro Antiſtitem vehementer reprehendit Chryſoſtomus, quod in Eccleſiis ſub diſpoſitione ejus conſtitutis Ordinationes fecerit, verum fundamenta hæc non ſatis probant licitum tunc non fuiſſe Laicis Epiſcopos alienos adire, nam ſi aliqua extitiſſet Eccleſiaſtica Lex, hujuſmodi acceſſum prohibens, huic non pepeciſſet Demetrius Alexandrinus Epiſcopus, ſed hanc Origeni objeciſſet, cui ut notavit Euſebius hiſt. l. 6. cap. 8. nihil aliud oppoſuit præter irregularitatem, quam ex ſui ipſius mutilatione; licet ſub pietatis obtentu, contraxerat. Illud etiam ſcimus fuiſſe Epiſcopo Carthaginenſi ſingulare privilegium, ut ex omni Africa quos vellet Presbyteros Ordinaret, quod laudatum Carthaginenſe III. Concilium in can. 45. commemorat. Fuit etiam idem privilegium ab Innocentio I. conceſſum Antiocheno Patriarchæ, ut ex Innocentii epiſt. 18. eruitur; & Toletanis Epiſcopis, *licitum eſſe* dixit in can. 6. *quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, ut ipſi dignos eſſe probaverint, in quibuslibet Provinciis in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores*. Sub Clemente IV. quinam cujuſque habendus eſſet proprius Epiſcopus ſancitum eſt, & legitur hoc decretum in 6. de Tempor. Ordinat. quo cautum eſt ne Clericum ultramontanum Ordinare præſumat Epiſcopus italus, niſi a Romano Pontifice licentiam habeat, vel ab Epiſcopo, de cujus Diœceſi traxit originem Ordinandus, vel in cujus Diœceſi beneficiatus exiſtit. Tertium caſum addidit Bonifacius VIII. in capit. *Cum nullum* eod. tit. ſeu in qua, licet alibi natus fuerit Domicilium poſuit. Ex his itaque Decretalibus eruitur quod proprius Epiſcopus, vel eſt originis, vel domicilii; ſed cæteris præfertur Epiſcopus originis, & magis in hunc quam in reliquos Bonifacius propendit. Tridentini Patres in laudata Seſs. de Reformat. cap. 9. concedunt etiam Epiſcopis familiares ſuos non ſubditos ordinare poſtquam per triennium cum ipſis fuerint commorati, ſed præcipiunt Beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim re ipſa illis debere conferre, conſuetudine quacunque etiam immemorabili in contrarium non obſtante.

XIV. Ex hac regula generali caſus excipitur illius Clerici, qui a proprio Prælato litteras acceperat ut ab Epiſcopo non ſuo ordinaretur, ſed advertendum eſt ad conditionem harum litterarum, an tales ſint quales a ſuo Epiſcopo ſcribit Hieronymus accepiſſe Origenem, qui cum jam mediæ eſſet ætatis, & propter Eccleſias Achaiæ, quæ pluribus hæreſibus vexabantur *ſub teſtimonio Eccleſiaſticæ Epiſtolæ* Athenas per Palæſtinam pergeret a Theoctiſto, & Alexandro Cæſareæ, & Hieroſolymorum Epiſcopis Presbyter ordinatus

Digitized by Google

natus eſt; ſiquidem has litteras non fuiſſe illius generis, quas Dimiſſorias nuncupamus, ſed commendatitias, ut teſtimonium perhiberent ejus eruditionis, & meriti, patet ex eodem Hieronymo, qui poſt citata verba mox addidit: *quod hæc Ordinatio Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus eſt inſania, ut per totum mundum ſuper ejus nomine ſcriberet*. Profecto intempeſtivæ fuiſſent tot querelæ Demetrii, neque Origenes exiſtimatus eſſet aliquod contra canonicas regulas egiſſe, & contra Patrum ſtatuta, quibus præcipiebatur alienum Clericum concedente ejus Epiſcopo, alterum Epiſcopum vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita poſſe, ut dicitur in can. 21. tertii Concilii Carthaginenſis. Hujus itaque generis eſſe debent hæ litteræ, ut conſenſum, & voluntatem proprii Epiſcopi præſeferant ad hunc effectum, hoc eſt *ad Ordines ſuſcipiendos*, ut Sardicenſe Concilium can. 18. ſancivit, præcepitque omnium poſtremum Concilium Tridentinum in Seſs. VII. cap. 10. de Reform. & iterum in Seſs. XIV. cap. 2. & 3. Dixi ad *Ordines ſuſcipiendos*, quia recentior praxis ab illa veteri multum diſcrepat, quæ Ordinatum quemcumque Ordinatori ſuo ſubjiciebat, & Ordinatoris Eccleſiæ ita mancipabat, ut impoſterum nullum illi jus fieret ab illa Eccleſia recedendi; nunc vero tota jurisdictio ſuper Ordinatum ſervatur penes illum Epiſcopum, a quo Dimiſſoriæ litteræ datæ ſunt ad alienum, qui ſolum poteſt Clericum, qui ex laudato Concilio Tridentino præſupponitur ab Ordinario ſuo probatus, & examinatus novo examini ſubjicere, quantumvis de illius capacitate, & peritia Epiſcopus Diœceſanus in ſuis teſtimonialibus litteris dixerit illi conſtare. Bonifacius VIII. facultatem hanc concedendi litteras dimiſſorias conceſſit etiam Epiſcoporum in Spiritualibus Vicariis generalibus Epiſcopo in remotis agente, ut dicitur in cap. *Cum nullus* de tempor. ordin. in 6. Capitulum item, inquit, Sede vacante ſeu is, ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium noſcitur pertinere, dare poſſunt licentiam Ordinandi, ſed hanc conceſſionem quo ad Capitula Eccleſiarum limitavit Concilium Tridentinum in citato cap. 10. Seſs. VII. ut illam exercere non poſſint infra annum a die vacationis, niſi beneficii certum periculum aliquem cogunt certum quemdam ordinem ſuſcipere, quia tunc etiam infra annum Capitulo permittitur litteras Dimiſſorias concedere. Quod ſi alicui permittatur a Papa quod a quocumque ordinetur, poterit quoque in hoc caſu alienus Epiſcopus in vi litterarum Apoſtolicarum Clericum hunc ordinare hoc ipſo quod ejus probitas, & mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur, & ſi ſecus fiat, ut Concilium Tridentinum inquit, in cap. 8. Seſs. XXIII. Ordinans a Collatione Ordinum, & Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus. Limitationem hanc voluit Concilium ne ei, cui ex quacumque cauſſa interdictus eſt aſcenſus ad Sacros Ordines a ſuo Prælato quomodolibet, etiam extrajudicialiter, aut ei, qui a ſuis ordinibus, gradibus, & dignitatibus fuerit ſuſpenſus, ulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoveri faciendo, ſuffragatur. Tandem ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, quod jam omnes per ſe, aut per participationem ſine controverſia Præpoſiti Religionum obtinent, convenit his licentiam dare, ſive ſuis ſubditis litteras Dimiſſorias concedere, ut iidem Ordines ſuſcipiant ab Epiſcopo loci, in quo ipſi Religioſi de familia commorantur, vel eo impedito [quod impedimentum legitime conſtare debet] a quocumque. In caſu vero

quod ſubditi ſint nullius Diœceſis, teſtimoniales litteras tenentur deferre, ex cap. 10. Seſs. XIII. Concilii Tridentini ad Epiſcopum, intra cujus Diœceſis fines exiſtunt, derrogatumque eſt præſcriptionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Quod ſi ſubditi fuerint extra fines cujuſcumque Diœceſis, tunc ex ſententia Sacræ Congreg. Concil. Dimiſſoriæ dirigendæ erunt ad viciniorem Epiſcopum, qui tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus poteſt hujuſmodi Religioſos viſitare, ut ſtatuitur in cap. 9. Seſs. XXIV. Præſumuntur enim hujuſmodi Religioſa loca diſmembrata a territorio illius Civitatis, cui magis adjacent ex ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto.

§. III. *Quamvis autem Ordinarius Sacræ Ordinationis miniſter ſit Epiſcopus, non repugnat tamen alium quoque poſſe extraordinarium creari accedente Romani Pontificis conceſſione.*

XV. Suffragantur huic Aſſertioni verba Eugenii IV. quæ leguntur in Decreto Fidei in Concilio Florentino edito ad §. *Sextum Sacramentum*, in quibus agens de Sacramento Ordinis, e de illius Miniſtro, eadem exceptione utitur qua uſus erat agens de Miniſtro Confirmationis, decernitque *eſſe Ordinarium miniſtrum Epiſcopum Sacramenti Ordinis, & Sacramenti Confirmationis*. Profecto dum Eugenius IV. Epiſcopum dicit Miniſtrum Ordinarium, tacite innuit Miniſtrum ex commiſſione, nam ſi nullus alius Miniſter etiam ex commiſſione eſſe poſſet, comparatio vileſceret, & ita eſſet Epiſcopus Miniſter Sacramenti Ordinis, ut nulla facta mentione Miniſtri ordinarii Eugenius ipſe in eodem Decreto dixit Presbyteros eſſe Miniſtros aliorum Sacramentorum. Cenſuit ergo Pontifex poteſtatem Sacramentum hoc adminiſtrandi alteri interdum committi poſſe, qui ratione ſui gradus, & officii illud miniſtrare non poſſet: quod jam ſæpe contigiſſe, ut contingerat in adminiſtratione Sacramenti Confirmationis, Eugenius ignorare non poterat, cum in jure legatur expreſſum, Et certe minores Ordines per Presbyteros conferri poſſe Summo Pontefice annuente ſcripſit Gelaſius Papa ad Epiſcopos per Lucaniam, Brutioſque conſtitutos epiſt. 9. c. 6. eamdem facultatem conceſſit Abbatibus, & Chorepiſcopis Concilium Nicænum II. A. 787. quorum privilegia integra, & inviolata reliquit Tridentina Synodus in Seſs. XXIII. cap. 10. de Reformatione. Majores etiam Ordines factam fuiſſe aliis quam Epiſcopis conferendi licentiam ex can. 13. Concilii Ancyrani probari poteſt, & ex 10. Concilii Antiocheni ſub Julio I. ex can. 2. Synodi Trullanæ, & ex 44. Concilii Meldenſis ſub Carolo Juniere; ex Concilio quoque Hiſpalenſi 11. ſub Siſebuto Rege, & ex Iſidoro l. 2. de Eccleſ. offic. cap. de Chorepiſcopis. Legitur etiam indultum Innocentii VIII. quo Abbates Ciſtercienſes ſuorum Monaſteriorum Religioſis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines conferebant ante Concilium Tridentinum, ut advertit Navarrus in Conſil. lib. 5. agens de Privilegiis Conſilio 15. Simile privilegium fuiſſe conceſſum Prælatis Ordinis S. Franciſci in India refert Henriquez in Summa in Additionibus ad librum 10. de Ordine, & demum ſententia hæc in Schola Canoniſtarum communis eſt quod tenet Gloſſa, tum in canone *Manus quoque impoſitionis* de Conſecrat. diſt. 5. his verbis: *ex demandatione Papæ quilibet conferre poteſt quod habet. Unde ordinatus Ordinem quem habet conferre poſſet, & Confirmatus Confirmationem*, tum in capite *pervenit* d. 95.

& aliis

Digitized by Google

& aliis pluribus in locis, ut videri poteſt apud Morinum de Sacris Ordin. p. 3. Exer. 4. c. 3. An vero Papa ſimplici Presbytero committere poſſit Ordinum collationem, qui hos ipſos Ordines non ſuſcepiſſet, hoc abſolute affirmarunt Præpoſitus de Sacram. Ord. q. 1. n. 124. Ludovicus Meratius diſput. 8. de Ordine Sectione 2. aliique pauci, cum ceteri hanc propoſitionem admittant in ſola hypotheſi quod ignoraretur hunc Sacerdotem, non habere reliquos Ordines inferiores, inquiunt enim, quod ſi facultas hæc committendi hujuſmodi miniſterium convenit Summo Pontifici jure Divino, conceſſa illi eſt in ædificationem, non vero in deſtructionem, quapropter in tali caſu inquiunt Pontificem non poſſe jure ſuo uti, & committere Sacerdoti non Epiſcopo, & non initiato in inferioribus Ordinibus, ut Ordines omnes conferat. Verum ſi nihilominus factum eſt quod ſimplex Sacerdos a Papa privilegium hoc impetraverit, & ſuo privilegio utens Clericum ad quoslibet Ordines promoverit, Ordinationes ab eo factæ veræ, & validæ eſſent, nam omnes Ordines non ſolum minores, ſed etiam majores conferre poteſt, etiam ſi ipſe aliquo Ordine minore, ſive majore careat, non enim tales Ordines confert quia his Ordinibus eſt initiatus, ſed ex Pontificis voluntate, quæ ad validitatem Ordinationis ſufficit, ſi tamen ſit Sacerdos, qui ex hujus voluntatis commiſſione vult Clericum in Presbyterum Ordinare; & ſolum ad defectum hujus conſenſus, ſive Pontificiæ poteſtatis referenda ſunt ea quæ Damaſus Papa ſcribit epiſtola 4. agens de Ordinante. *Quis hominum, licet more humano loquamur, dare poteſt quod non habet?* quia Damaſus loquebatur de Chorepiſcopis, quibus ipſe abſtulit omnem facultatem Ordinandi, non quia ipſi non eſſent Sacerdotes aut carerent aliis Ordinibus, ſed quia hac Pontificia facultate deſtituti, virtute illa carebant, qua ceteris poſſunt inferiores Ordines conferre, hinc ſubdidit: *cum Pontifices non eſſent, ea quæ ſolis Pontificibus debentur, dare non poterant.*

XVI. Excipitur tamen Epiſcopalis Ordo, quem a ſimplici Presbytero non poſſe conferri contra paucos communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ dixerunt, non ſolum ex illa congruentia, quæ docet quod *major a minori non debet benedici*, ut Paulus ad Heb. 7. obſervavit, ſed quia id non legitur unquam factum fuiſſe, e contra vero ſæpe legitur in jure ſtatutum eſſe, ut non minus quam a tribus Epiſcopis ullus in Epiſcopum ordinetur, non quod ſi fiat a paucioribus, vel ab uno tantum nulla omnino ſit Ordinatio, ſed quod tres requirantur neceſſario ad miniſterium Ordinationis Epiſcopi, ex commiſſione vero duobus etiam, imo & uni ſoli hoc miniſterium convenire poſſit. Quod tres Epiſcopi requirantur ad miniſterium hujus Ordinationis ſcripſit Anacletus in ſua 2. epiſtola Decretali cap. 1. deinde Anicetus in epiſtola unica ad Galliæ Epiſcopos, & Damaſus in epiſt. 4. ut refertur in cap. *Chorepiſcopi* d. 68. dixerunt, deinceps Concilium Nicænum 1. can. 4. Nicænum 11. can. 3. Carthaginenſe 11. can. 12. Arelatenſe 1. can. 21. Africanum circa tempora Bonifacii cap. 16. Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio cap. 9. Joannes Papa III. in epiſt. 1. c. 2. Alterum vero concedunt canon 1. Apoſtolorum, Clemens l. 3. Conſtit. cap. 20., & l. 8. c. 27. Concilium Arauſicanum 1. can. 21., & Magnus Gregorius, qui conceſſit Auguſtino Angliæ Epiſcopo, ut ipſe ſolus Epiſcopum conſecraret, ut legitur in ejus Decretis in reſponſionibus ad interrogationes Auguſtini cap. 8. ſed advertendum eſt quod non aliter fieri poſſit, nam cum aliter fieri

potuit nunquam conſuevit Eccleſia Epiſcopatum conferre niſi per tres Epiſcopos, ut ex conſtanti ejus diſciplina videre eſt, tum ut in Epiſcoporum pluralitate unum Epiſcopum conſecrantium deſignaretur Epiſcopatus unitas, ut S. Cyprianus advertit epiſt. 52. tum ne res maximi momenti unius Præſulis judicio permitteretur: tum demum ut Epiſcopatus uberior gratia adumbraretur. Prioribus ſæculis Metropolitanos Synodus Epiſcoporum Provinciæ conſecrabat, Epiſcopos ceteros ſui Metropolitani, duodecimo ſæculo ad alios hoc jus delatum eſt a Romanis Pontificibus, ut ſcribit S. Bernardus *in l. 3. de Conſiderat.* cap. 4., & ut hodiernus fert uſus. Ex his igitur patet non pertinere ad ſubſtantiam Ordinationis Epiſcopi, quod tres Epiſcopi conveniant; ita ut hac circumſtantia neglecta, ipſa Ordinatio irrita habenda ſit, cum hoc nullum Oecumenicum Concilium decreverit, & contrarium conſtat ex Eccleſiaſtica hiſtoria, quæ refert Evagrium Eccleſiæ ſæculo IV. fuiſſe conſecratum Epiſcopum Antiochenum a ſolo Paulino, & hanc conſecrationem admiſſam fuiſſe tum ab Occidentalibus, tum a pluribus Antiochenis, Pelagium item I. ex relatione Anaſtaſii in libro Pontificali a duobus Epiſcopis fuiſſe Pontificem Ordinatum, & Sigewardum Mindenſem Epiſcopum ab unico Comite Apoſtolicæ Sedis Legato, ut legitur in Chronico Epiſcoporum Mindenſium tom. 2. hiſtor. Brunſwic. pag. 175., & neminem contra has Ordinationes reclamaſſe quod ſi Damaſus, & Innocentius III. dicunt quod *Epiſcopi non ſunt qui minus quam a tribus ſunt ordinati Epiſcopi*, & hujuſmodi Ordinationem cenſuit *vacuandam* Concilium Regienſe in cap. 1. hæc teſtimonia explicari poterunt ut explicata ſunt ſuperiora, quæ retulimus agentes de Ordinationibus in Eccleſia factis, licet contra Canones, quas diximus valuiſſe ſemper quoad ſubſtantiam, & characterem impreſſiſſe recipientibus, alioquin Gregorius XIII. ut ſcribit Henriquez Summæ tom. 4. cap. 20. non conceſſiſſet Patriarchæ Æthiopiæ, ut ſolus ſine aſſiſtentibus pluribus Epiſcopis, Epiſcopos conſecraret.

XVII. Cum iis, quæ diximus in hoc paragrapho de facultate aliquibus conceſſa conferendi Ordines maximum fundamentum accedat ex Decretis tum Antiocheni, tum Ancyrani Concilii; modo advertimus aliter hæc Decreta nonnullis audiri. Primo itaque inquiunt Antiochenum Canonem agere de Chorepiſcopis illis, qui erant charactere, & dignitate Epiſcopali inſigniti, & propterea hujus Canonis verba regulam non evertere, ſed exceptionem adhibere, quia fieri poterat variis de Cauſſis, ut Epiſcopus ad Chorepiſcopatum promoveretur. Dionyſius Exiguus ſic legit hunc canonem: *Qui in vicis, vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant &c.* Alii vero ſic legunt: *Ii qui ſunt in vicis, vel pagis, qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi Ordinationem, manuumque impoſitionem perceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent: conſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment, nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe, & regio.* Illi quibus arridet Dionyſiana interpretatio ita ratiocinantur: Etiamſi quandoque contingat, ut Chorepiſcopatus ab Epiſcopo aliquo exerceatur, miniſterii tamen ſui modum excedere non poteſt, ut abſque licentia Epiſcopi Civitatis Diaconos, & Presbyteros ordinet. Reliqui vero qui poſterio-

rem

Digitized by Google

tem explicationem ſequuntur, & Chorepiſcopos illos, de quibus loquitur canon probabilius tuentur, ut ſuo loco oſtendetur, non fuiſſe Epiſcopos, & in vi hujus canonis docent Chorepiſcopos potuiſſe Diaconos, & Presbyteros ordinare auctoritate precaria, & demandata.

Ad Canonem Synodi Ancyranæ reſpondent ſecundo editionem vulgatam Dionyſii Exigui mutilam eſſe, in qua ſic legitur: *Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris Civitatis, ſine præcepto Epiſcopi, vel litteris in unaquaque Parochia*, ſic igitur explendam eſſe hujus canonis lacunam cenſent, ut poſt hæc verba: *Sed nec Presbyteris Civitatis* addantur hæc alia: *aliquid agere*, & hoc inferunt, tum ex Epitome Canonum ab Hadriano I., ex verſione Dionyſii Exigui concinnata, quæ hæc verba retinet: *Ut Chorepiſcopi Presbyterum, vel Diaconum non ordinent, nec Presbyter aliquid agat in Parochia ſine præcepto Epiſcopi*: tum ex Capitulari Aquisgranenſi Caroli Magni, in quo legitur hic canon: *Vicariis Epiſcoporum, quos Græci Chorepiſcopos dicunt, non licere Presbyteros, vel Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris Civitatis ſine Epiſcopi præcepto amplius aliquid jubere, vel ſine auctoritate litterarum ejus in unaquaque Parochia aliquid agere;* tum denique ex his verbis, quæ referuntur in Breviario Canonum Ferrandi Diaconi Carthaginenſis titulo 79. *Ut Chorepiſcopi, ideſt Vicarii Epiſcoporum, nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent, niſi tantum Subdiaconos*, & titulo 92.: *Ut Presbyteri Civitatis, ſine juſſu Epiſcopi nihil jubeant, nec in unaquaque Parochia aliquid agant*; & poſtremo ex ſimili loquendi modo Synodi Laodicenæ in can. 57. in quo ſtatuitur, *quod non oporteat in Villulis, vel in agris Epiſcopos conſtitui, ſed Viſitatores. Verumtamen jam pridem conſtituti, nihil faciant præter conſcientiam Epiſcopi Civitatis. Similiter, & Presbyteri præter conſilium Epiſcopi nihil agant*. Utrum vero Canonis hujus reſtitutio petenda ſit, quod doctiſſimo Petavio viſum eſt in notis in Epiphanium ad hæreſim 65., quæ eſt Arrianorum, an non, quod Hallerio viſum eſt de Sacr. Ordin. Sect. 5. c. 2. a. 2. §. 2. viderint alii. Reliqua ſuperius allata in confirmationem explicatæ ſententiæ, cum ſint recentiorum temporum monumenta inanem hunc laborem oſtendunt, maximum enim veritatis argumentum eſt, ſi id quod defenditur antiquis monumentis exaratum habeatur. Ex quo principio petitur etiam illa præcipua ratio, qua defenditur validitas illius Ordinationis, quæ per ſaltum ſuſcepta in ſuperioribus gradibus aſſumptum retinet, illum ſcilicet, qui per inferiores non aſcendiſſet, quod pletique Romani Pontifices Siricius, Zoſimus, & Cœleſtinus in ſuis epiſtolis fieri prohibuerunt, & aliqua hujuſmodi exempla ſæpe laudatus Morinus refert in ſuo egregio Opere de Sacris Ordin. par. 3. Exercit. 11. His eisdem antiquitatis fontibus debetur ſi ratæ inveniantur Ordinationes illæ, quæ quam citius fieri potuiſſent celebrabantur, ut viduatis Paſtore ſuo Eccleſiis, ſtatim ſubveniretur per alterius Ordinationem non expectatis diebus Sabbatorum, quaternis temporibus anni, ut notavit Paſchaſius Queſnellius in notis ad Epiſtolam Magni Leonis, quæ decima eſt in nova editione; & tandem, ut plura alia facta prætermittam, eorumdem Antiquorum canonum præſidio corroborantur, ſi quæ contigerunt recentioribus adhuc temporibus Ordinationum celebrationes non obſervatis temporum interſtitiis, cum ea urgente neceſſitate omnino prætermiſſa fuiſſe non ſemel leguntur. Super his tamen

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Advertendum eſt 1. Ordinatos per ſaltum ſuſpendi, & gradus omiſſos illis conferendos eſſe. Porro Suſpenſionem hanc eſſe, quo ad gradus rite ſuſceptos, & gradum per ſaltum receptum, Doctores communiter fatentur, & ſatis probatur ex cap. *tua litteræ* de Clerico per ſaltum promoto, ubi ſic promotus prohibetur miniſtrare in Ordine Sacerdotali, niſi hoc ei ex miſericordia Epiſcopus permittat. Verum tamen eſt, quod ut Epiſcopus diſpenſet, tum legitima cauſſa requiritur, ut decernunt Tridentini Patres in cap. 14. in fine Seſſ. XXIII., & quod ſic promotus non miniſtraverit: concurrente ſiquidem hac circumſtantia fieret irregularis, & tunc cum eo Epiſcopus diſpenſare non poſſet, niſi delictum occultum eſſet, ut eruitur ex cap. 14. Concilii Tridentini Seſſ. XXV. de Reformatione. Requiritur inſuper, quod ſcienter non fuerit per ſaltum promotus, nam neque in hoc caſu poſſet Epiſcopus cum hoc diſpenſare (quidquid aliqui in contrarium dixerint) 1. quia ita ſupponitur in citato capite *tua litteræ*. 2. quia licet Concilium non diſtinguat de Ordinato ſcienter, vel ignoranter, ſed ſimpliciter loquatur, nihilominus caſum ignorantiæ præſupponit, cum proprium ſit legis novæ, quæ aliquid diſponit in materia antiqua, ut obſervat Fagnanus in Commentariis in citatum caput n. 25. *recipere omnes interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat* leg. in *contractibus* §. *Præterea* C. de non numer. pecun.; quod *procedit etiamſi lex nova ſuperveniens in materia diſpoſita per leges veteres generaliter loquatur, ne videatur leges veteres corrigere*. Quod vero Ordinato in majoribus illi ſint conferendi reliqui omiſſi Ordines clarum habetur in citata Decretali *Tua litteræ*, quod verum eſt etiam quando dubitatur an aliquis Ordo fuerit collatus, quod dubium eſt facti, & quando dubitatur an rite collatus fuerit, quod dubium eſt juris, quia non intelligitur iteratum, quod factum eſſe neſcitur, quamquam etiam Ordo Sacerdotalis non prærequirat characterem aliorum Ordinum ex neceſſitate Sacramenti, quia Presbyter cum ordinatur accipit eo ipſo poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti, qui eſt principalis actus Sacerdotis, ad quem non prærequiritur character Diaconatus, vel alterius Ordinis, cum ſint poteſtates diſtinctæ, ut notavit S. Thomas in 4. d. 24. q. 1. a. 2. q. 5. Solus character Sacerdotalis eſt de ſubſtantia Conſecrationis Epiſcopalis propter rationem, quam ſupra ponderavimus.

XIX. Advertendum eſt 2. eadem Suſpenſionis pœna mulctari, qui extra ſtatuta a jure tempora, ordinati fuerint. Habetur hæc ſuſpenſio in Bulla Pii II., quæ incipit *Cum ex Sacrorum*, & in Decretalibus Alexandri III., & Urbani III., & Sixtus V., qui Bullam Pii II. confirmavit voluit ſic Ordinatis non patere aſcenſum ad Ordines ſuperiores. Ex eo quod Concilium Tridentinum legem hanc innovando non meminerit Suſpenſionis, nonnulli Theologi, inter quos Hallerius loco ſupra citato, crediderunt Concilium rem illam voluiſſe dirimi jure apud unamquamque regionem recepto. Sed hoc non videtur verum, nam inquiens Concilium in cap. 8 Seſſ. XXIV. de Refor. *Ordinationes Sacrorum Ordinum ſtatutis a jure temporibus celebrentur*, nihil eorum reſpuit, quæ in jure jam ſancita fuiſſe cognovit, & propterea Suſpenſionem retinuit, & irregularitatem, ſi taliter Ordinatus ſui Ordinis exercitio fungeretur, ut dixit in ſua Conſtitutione Pius Secundus. Aliam inſuper pœnam addidit Sixtus V. in Bulla quæ incipit: *Sanctum, & ſalutare*, videlicet, ut ſic Ordinatis non pateat aſcenſus ad Ordines ſuperiores,

ſed

Digitized by Google

ſed harum pœnarum nullas incurrunt illi, qui minoribus Ordinibus ab Epiſcopo initiantur Dominicis, aut aliis feſtis diebus, & illi quibus legitima diſpenſatio a Papa fuerit conceſſa. Eximuntur etiam ab his pœnis Orientales Clerici, qui quovis anni tempore, & quavis infra hebdomadam die Ordines quoſcumque recipiunt, exceptis illis Quadrageſimæ diebus, in quibus abſtinent a celebratione Sacræ Synaxis, unde cum Sacrificium non offerant, nec apud illos his diebus Presbyteri ordinantur, Diaconi vero quolibet præſanctificatorum dierum apud Græcos ordinantur. Neque Epiſcoporum conſecratio ſub his legibus comprehenditur, quia in ea plerumque procedi ſolet ex ſpeciali Pontificis Reſcripto, neque hæc diei Sabbati alligatur, quo ſolo licet Sacros Ordines conferre, ſed vel Diebus Dominicis, vel aliis Apoſtolorum ſolemnitatibus dicatis ex antiquiſſimo more, celebratur.

XX. Advertendum eſt 3. antiquam Eccleſiæ legem fuiſſe, ut uno inferiore Ordine ſuſcepto aliqua temporis mora interponeretur prius quam ad ulteriorem aſceuſus concederetur, ne e Laico quis repente fieret Sacerdos, ſed gradatim a minore ad majorem aſcenderet. Hujus diſciplinæ plura apud Gratianum leguntur Decreta in diſtinc. 77., & illa temporum intervalla, quibus in inferioribus Officiis eſſet ſiſtendum antequam ad ſuperiora aſcenderetur, poſterior ætas *interſtitia* appellavit; & quamquam mora temporis, quæ inter illa intercedere debet non eadem ſemper, & una fuerit, religioſe tamen eamdem ſemper Eccleſia ſervavit, & Pontifices, & Concilia ſervandam eſſe ſanxerunt, ut per hanc, & fides, & probitas Miniſtrorum Eccleſiæ, & conſtantia, & moderatio cognoſci poſſet, & ipſe Divino Sacerdotio dignus exiſtimatus, maximum honorem aſſequeretur. Quid Synodus Tridentina de Interſtitiis inter Minores Ordines ſervandos dixerit, patet ex iis, quæ leguntur in Seſſ. XXIII. c. 17. de Refor. ubi vult non ſolum, ut minorum Ordinum functiones conformiter ad Patrum diſciplinam in uſum revocentur, ſed etiam ut ſinguli minores Ordines per temporum intervalla conferantur, ut ita in eorum exercitiis tamquam in quodam Tyrocinio ad majores Ordines promovendi exerceantur, & probentur. Quia vero addit Concilium niſi *Neceſſitas, aut Utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi aliud expoſtat*, ideo contigit, ut Epiſcopi cœperint primum cum aliquibus diſpenſare credentes utilitatem, aut neceſſitatem Eccleſiæ id exigere, deinde cum pluribus, & poſtremo etiam communiter, adeo ut infrequenter omnino accidat, quod ſi non omnibus, duobus ſaltem ex his Ordinibus quilibet Clericus initietur. Caveat tamen is, qui in tali caſu omnes minores Ordines ſimul recipit, ne ſimul etiam recipiat Tonſuram, vel Subdiaconatus Ordinem, nam alioquin indignum ſe redderet executione Ordinis ſic ſuſcepti, niſi tamen conſuetudine eſſet introductum, ut uno die poſſent conferri omnes quatuor minores cum Subdiaconatu, cui conſuetudini Concilium non derrogavit ex Navarro in Manuali c. 25. n. 71. & ex Decreto Sacræ Congregationes apud Fagnanum in 1. Decretal. cap. *de eo* de tempor. Ordinat. n. 41. 42. *Duo Sacri Ordines*, inquit Concilium Tridentinum in laudata Seſſ. cap. 23. *non eodem die, etiam Regularibus conferuntur, privilegiis, ac indultis conceſſis non obſtantibus quibuſcumque*. Nec ſuper hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare, qui ſi contra fecerit (etiam de Mandato Metropolitani) punitur ex cap. *dilectus* hoc titulo. Pœna autem eſt ſuſpenſio a Collatione Ordinis in quo peccavit, & ab eorumdem Ordinum exercitio ſic Ordinatus punitur. Dixi *in*

quo

quo peccavit, ut adverterem hic locum non habere id, quod decernitur in capite *ex pœnitentibus* diſtinc. 55. in capite *Si quis Epiſcopus* 1. q. 1. in cap. *vel non eſt* de tempor. Ordin. videlicet Epiſcopum ſuſpendendum eſſe a collatione omnium Ordinum, imo & deponendum cap. 1. 51. diſt. cap. *nullus Epiſcopus* 62. diſt. c. *tantis* 3. 81. diſt. quia licet aliquando Epiſcopus *improbe* Ordines conferens, ut dicitur in citatis juribus, abſolute poteſtate Ordinandi privetur, ea jura accipienda ſunt de Ordinibus male acceptis, non vero protrahenda ſunt ad alios gradus, ut eruitur ex cap. *qui Eccleſiaſticis* 2. 36. diſt. ex cap. *litteras* de tempor. Ordin., & ex cap. *nullus* eod. tit. in 6., & ſi aliquando talis Epiſcopus deponitur, id procedit ob culpæ gravitatem juxta delicti qualitatem. Nec obſtat quod Diaconus Sabbato poſſit fieri Sacerdos, & die Dominico ſequenti conſecrari Epiſcopus, quia caſus hic in jure non reperitur vetitus, e contra vero dies Dominica invenitur præfixa conſecrationi Epiſcopi, quod ſi quis ex Summi Pontificis diſpenſatione Ordinem Presbyteratus die Dominico reciperet, hunc non poſſe eodem die Epiſcopum conſecrari communiter docent Theologi, quia miniſterii cujuſque Ordinis exacta, & accurata cognitio requiritur, ut Patres, & Concilia tradunt. Porro hæc mora temporis, quæ a Tridentino requiritur, & cui praxis hodierna Eccleſiæ eſt conformis inter Sacros Ordines unius anni ſpatium complectitur, qui annus certe non civilis eſt, conſtans nimirum integris duodecim menſibus, ſed Eccleſiaſticus, qui oritur ex mobilitate Feſtorum Paſchalium, ut defendit Barboſa de Poteſtate Epiſcopi p. 2. alleg. 18. n. 2. & notoria praxis comprobat. Non ita vero Concilium hanc annualem moram præſcribit antequam aliquis ab uno ſuperiori gradu ad alium aſcendat, ut Epiſcopis facultatem ſuper hac diſpenſandi omnino auferat; ſiquidem ſi hanc diſpenſationem Eccleſiæ utilitas, & neceſſitas poſtulet, permittit Epiſcopis ſuper interſtitiis diſpenſandi facultatem; ſatis eſt Concilio, quod promovendi ad Ordinem Sacrum ſint ſufficienter probati, cum dicat Apoſtolus, *qui bene miniſtraverunt gradum bonum ſibi acquirent*, unde videmus jure ſibi facto Epiſcopos uti concurrentibus circumſtantiis prærequiſitis, & cum ſuis ſubditis in his interſtitiis diſpenſare, imo & ipſos Vicarios Epiſcoporum, & Vicarium Capitularem, & Prælatos Religionum cum ſuis ſubditis. Ex hoc tamen quod Epiſcopus diſpenſaverit non ſequitur, quod eodem die duos Sacros Ordines conferre poſſit, hunc enim caſum facultas diſpenſandi in interſtitiis facta Epiſcopis non complectitur, nulluſque Epiſcopus, imo neque Archiepiſcopus poteſt in hac juris prohibitione diſpenſare, cum hæc prohibitio ſit Pontificia, ut ex pluribus juribus demonſtratur, præſertim vero ex Clementina *ne Romani* de elect., & ex ratione quam Doctores inſinuant cum dicunt quod *diſpenſatio non eſt ex his, quæ competunt ſi non prohibeantur, ſed ex his quæ non competunt niſi concedantur*: nec contrarium evincere caput *nuper* quod citatur ex titulo de Sentent. excomunic., quod non loquatur de diſpenſatione Cenſuræ, ſed de ejus abſolutione, quæ certe ſi non prohibeatur, & ſi non concedatur, inferiori competit, quia non eſt contra jus, ſed ſecundum jus, & conſequenter ſi non prohibeatur permiſſa intelligitur; oportebit igitur, quod qui uno die per Sacros Canones ſtatuto Ordinatus eſt, expectet aliud proximum tempus Ordinationum, ut ulteriorem ſuſcipere poſſit, vel ad Sedem Apoſtolicam pro ſpeciali diſpenſatione recurrat. Verum tamen eſt in jure novo non

exta-

Digitized by Google

extare legem, quæ ſine interſtitiis Ordinatum ſuſpenſione, aut irregularitate caſtiget. Græci in Ordinibus conferendis interſtitia non obſervant, & ſi aliquid temporis ſpatium inter gradus minores, & majores ab eis præſcribitur, tantum eſt ſeptem dierum, ut ex D. Gregorio probat Balſamon in can. 17. Synodi Conſtantinopolitanæ. Contrarium huic conſuetudini nihil unquam a Romana Eccleſia ſancitum eſt; non ſinit tamen, quod ubi promiſcue Latini & Græci habitant, Latini a Græcis, & Græci a Latinis Ordinis Sacramentum ſuſcipiant, ſed vult quod Latinus Epiſcopus habeat Vicarium Græcum, a quo Sacri Ordines juxta ritus ſuos conferantur. Suſpenditur ab exercitio gradus accepti; quicumque ex Latinis, ſi a Græco juxta ritus ſuos ordinetur. In more etiam Græcorum fuit, ut ex eodem Balſamone erudimur minores Ordines ſuis ſubditis ubique locorum etiam in aliena Diœceſi conferre, quod Latinis Epiſcopis non licet omnino abſque expreſſa ordinantis licentia, cum Ordinatio ſit ſolemnis Juriſdictionis actus, & fieri non poſſit ſine Pontificalium uſu, quæ duæ res in aliena diœceſi exerceri prohibentur, tum jure antiquo, tum novo; nam ex can. 35. Apoſtol. *ſi quis Epiſcopus hoc feciſſe convictus fuerit deponitur, & ipſe, & is quem ordinavit*; ex Concilio vero Tridentino Seſſ. VI. c. 5. de Reform. Epiſcopus ab exercitio Pontificalium ſuſpenditur ipſo jure, & ſic Ordinatus ab executione Ordinum. Parum tamen intereſt, ſive locus ſit Sacer, ſive non, in quo confert minores Ordines, præſertim ſi id conſuetudini innitatur; dummodo tamen majores Ordines conferat in loco Sacro, & intra Miſſarum ſolemnia, quem ritum fuiſſe etiam primis Eccleſiæ ſæculis obſervatum cum Ordinationes fiebant in veſpera, patet ex uſu, qui tunc vigebat Miſſarum ſolemnia veſpere celebrandi in diebus Jejuniorum, ita ut in ea hora offerrentur, qua ſolvendum erat jejunium, & ut Ordinationes peragi poſſent; cujus uſus exempla uſque ad ſeptimum ſæculum colligit Albaſpineus lib. 1. Obſervat. cap. 14. Poſtremo Epiſcopus majores Ordines conferens hoc quoque præſtare tenetur, ut eoſdem in loco publico conferat, quod ita conſuevit vetus Eccleſia, & Deus ipſe in veteri teſtamento præcepit cum coram omni Synagoga juſſit Sacerdotem conſtitui, ejuſdemque Ordinationem nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente detegerentur malorum crimina, vel bonorum merita prædicarentur, & eſſet Ordinatio juſta, & legitima, quæ omnium ſuffragio, & judicio fuiſſet examinata; hac de re Tridentini Patres in Eccleſiis Cathedralibus Ordinationes publice celebrandas eſſe dixerunt in cap. 8. Seſſ. XXXIII. de Refor. vocatis, præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis, ſi autem in alio Diœceſis loco agendæ eſſent, præſente Clero loci has fieri debere decrevit.

CAPUT VI.

DE ANTIQUITATE, ET USU LEGIS CONTINENTIÆ SACRIS ORDINIBUS ANNEXÆ TAM IN ECCLESIA GRÆCA QUAM LATINA.

QUod olim Apoſtolus in Corinthiis optavit, ut ſine ſollicitudine eſſent; in Miniſtris ſuis deinceps optavit Eccleſia, in illis præſertim in Sacris Ordinibus conſtitutis, ne rerum temporalium ſollicitudine impediti, a Di-

Digitized by Google

vinis officiis, & Eccleſiaſticis miniſteriis, quibus vi ſuæ vocationis mancipati ſunt impediantur, & retrahantur. Porro hujus anxietatis potiſſimam cauſam videns Apoſtolus in Conjugali amore ſitam eſſe, Cælibatum maxime commendavit, cui inter ceteras egregias dotes hanc veluti palmariam attribuit quod homines ſollicitos reddit, ut quærant quæ Dei ſunt, & quomodo placeant Deo. Cælibatum itaque hunc vel ab ipſis ſuis incunabulis commendavit Eccleſia, Clericiſque Sacris Ordinibus initiatis matrimonium interdixit, ut obſequiis ſolummodo poſſent Divinis intendere, quam legem religioſe adeo Eccleſiaſtici viri, ſive in Orientali, ſive in Occidentali Eccleſia obſervarunt, ut piaculum ſemper crederent, & ſummum nefas Sacris Altaribus inſervire, & cum Mulieribus coinquinari, quod ut exactius demonſtretur ſit.

§. 1. *Numquam licuit Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis poſt Sacrum Ordinem ſuceptum uxores ducere tam in Græcorum, quam in Latinorum Eccleſia.*

II. Et ut prætercam Legem hanc ſanctiſſime obſervandam Apoſtolos omnes ſibi indixiſſe poſt vocationem ad Apoſtolatum, quod in Eccleſiaſtica hiſtoria res ſit perſpectiſſima, & ſatis eruatur, ex Petri verbis, qui in ceterorum omnium Perſona, Chriſtum alloquens, ait, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Primum occurrit illud quod Apoſtolus ſcripſit ad Titum, quem Cretenſium, & ad Timotheum, quem Epheſiorum Epiſcopum ordinaverat. In 1. ad Titum hoc ait: *Epiſcopum ſobrium & continentem eſſe*. In 1. ad Timoth. c. 4. vult ut exemplum ſe præbeat fidelibus *in Caſtitate*. Caſtitas ergo, & continentia ex Pauli verbis Apoſtolorum ævo in Epiſcopis requirebatur, quod utrumque dixit, ne primum tantum affirmans viſus eſſet præcipere caſtitatem conjugatis communem, cum id etiam ab infimo unoquoque fidelium omnino requiratur, nec ſatis erit ad hoc, ut qui Epiſcopus aliis præficitur, continentibus nimirum, ac Deo dicatis Virginibus, ceteriſque Laicis exemplo eſſe poſſit. Quod ſi de Presbyteris tacuit Apoſtolus, ideo quia, ut notavit Chryſoſtomus in Commentariis 1. ad Timoth. 3. *fere eadem de illis, atque de Epiſcopis conſtituta voluit*, & hoc maxime in illorum ſententia, qui Epiſcopum inter, & Presbyterum non diſtinguunt. Ipſos itaque Presbyteros, imo etiam tunc continentes fuiſſe Diaconos reliquos, & demum Subdiaconos probat Canon ille, qui inter Apoſtolicos eſt 27. qui ſic habet: *Innuptis, qui ad Clerum promoti ſunt præcipimus ut ſi voluerint uxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo*. Iis igitur qui tunc erant in majoribus Ordinibus conſtituti licitum non erat uxores accipere, & conſequenter nec illis uti, quod quotidie appropinquantes Deo, Sancta tractaturi myſteria, perpetuo debebant vacare orationi, grave opus adeo, ut idem Paulus in ſua 1. epiſt. ad Cor. c. 7. ſatis eſſe crediderit propter hoc Conjugibus ipſis brevem ſeparationem [ſi in hac conſenſiſſent] permittere, quinimo Deus ipſe per Moyſem in Veteri Teſtamento voluerit, ut pateet Exod. 12. Reg. 1. 21. & 1. Paralip. Altaris miniſtros, & Sacerdotes toto tempore Miniſterii ſui in Tabernaculo a domo abeſſe, & ab uxoribus, quod & Lucæ c. 1. legitur, ex quibus monumentis deinde Maximi Pontifices, minoreſque Eccleſiarum Paſtores argumentum deſumpſerunt, ut Novi Teſtamenti Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes, qui quotidie immaculatam Deo Hoſtiam offerre debent, ſempera re uxoria continerent; ut ordine ſuo moverentur, ſi duxiſſent uxores, quod Neocæſarienſe Concilium can. 1. decrevit; & ut nulli vel Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono licitum eſſet cum mulieribus cohabitare, quod Nicænum I. Concilium ſtatuit in can. 3. niſi vel mater eſſet, vel ſoror, vel amita.

III. Conſtantis ejuſdem Diſciplinæ, in Orientali, & Occidentali Eccleſia argumentum facit Carthaginenſis II. Concilii canon 2. in quo Patres poſt imperatam pudicitiæ cuſtodiam Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ceteriſque qui Sacramenta contrectant, hanc rationem reddunt: *quia Apoſtoli, id docuerunt, & ipſa ſervavit Antiquitas*. Facit Romanum Concilium ſub S. Silveſtro in can. 8. quo Subdiaconis prohibetur matrimonia contrahere, Arelatenſe II. in can. 2. quo cavetur ne ullus conjugatus ad Sacerdotium aſcendat, Eliberitanum item ante Syricii tempora celebratum, ut plura alia prætercam, cum jam inter Theologos præſtantiſſimos conſtet primum omnium poſt Niccolaitas, & Jovinianum, qui Cælibatui bellum indixerunt, Vigilantium irrupiſse, qui referente Hieronymo *Epiſcopos ſui ſceleris voluerit habere conſortes, qui Diaconos non ordinaverit niſi prius uxores duxiſſent, qui demum nulli cælibi crediderit pudicitiam, quamquam nec uſque ad deceptionem alicujus Sacerdotis pervenerunt*. Imo Eccleſiæ Patres, qui illa ætate floruerunt inter ea, quæ illis maxime commendabantur erant Clericorum Ordinationes, in quibus, aut Virgines accipiebantur, aut continentes, aut vidui, aut certe poſt Sacerdotium pudici, ut inter Latinos Patres, Hieronymus ſcripſit in fine Apologiæ pro libris contra Jovinianum, & inter Græcos Epiphanius, qui cum dixiſſet hæreſi 59. quæ eſt Catharorum, *liberos gignentem unius uxoris virum Eccleſiam non ſuſcipere, ſed eum, qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit Diaconum, & Presbyterum, & Epiſcopum, & Hypodiaconum*, hæc addidit, *maxime ubi ſinceri ſunt canones Eccleſiaſtici*, ut notaret, quod ſi inquibuſdam locis illi aliquis objeciſſet, adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos, hoc non eſſe ait *juxta Canonem, ſed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit*.

IV. Et revera elanguit hæc mens in Epiſcopis illis, qui in Trullana quiniſexta Synodo congregati diſciplinam novam obſervandam decreverunt in Ordinationibus, ut nimirum hominum, qui eſſent in Sacris legitima conjugia deinceps quoque firma, & ſtabilia eſſent, neque eorum cum uxoribus conjunctiones diſſolverentur, vel iidem mutua tempore convenienti conſuetudine privarentur. Quapropter ſi quis dignus inventus eſſet qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinaretur, is ad talem gradum aſſumi, non ſolum Patres hi non prohibuerunt, ſi cum legitima uxore cohabitaſſet, ſed præterea prohibuerunt Ordinationis tempore ab eo poſtulari ut profiteretur ſe a legitima cum uxore conſuetudine cohibiturum, ne ex eo a Deo conſtitutæ, & ſua præſentia benedictæ Nuptiæ, injuria afficerentur; & quod pias aures offendit omnino, inſuper decreverunt deponendum tum illum, qui Presbyterorum quemcumque, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitima uxore, & conſuetudine privare auſus fuiſſet; tum illum ſive Presbyter, ſive Diaconus eſſet, qui ſuam uxorem pietatis prætextu pertinaciter ejeciſſet. Hæc ſunt, quæ labente ſæculo VII. Anno ſcilicet 692. can. 13. in Trullano Conventu decreta ſunt conſtanti totidem ſæculorum Orientalis Eccleſiæ diſciplinæ contraria, quam ſingularum illarum ætatum Patres tum

Digitized by Google

exemplo, tum ſcriptis comprobarunt. Facile quidem eſt veluti inſigne alterius moris argumentum reponere, id quod Socrates hiſtor. lib. 1. cap. 18. ſcripſit, deinde Sozomenus Hiſtor. lib. 1. c. 22. tum Caſſiodorus hiſtor. tripart. lib. 2. c. 14. & poſtremo Nicephorus lib. 8. cap. 19. nimirum. *Viſum eſſe patribus Nicæni Concilii 1. legem novam in Eccleſiæ introducere, ut qui eſſent Sacris initiati, cum uxoribus, quas cum eſſent Laici in matrimonium duxiſſent, minime dormirent: verum in medio Conſeſſu ſurrexiſſe Paphnutium, qui a puero in Monaſterio ſe ipſum ſevero vitæ, diſciplinæque genere totum tradiderat, qui non modo nuptias non expertus erat ſed nec mulierem aliquando contigerat, & vehementer vociferatum eſſe tam grave jugum illorum cervicibus, qui erant ſacris initiati non eſſe imponendum. Honorabile eſſe conjugium inter omnes, & thorum immaculatum. Videndum ne nimis exquiſita præſcritione Eccleſiam gravi incommodo afficerent. Omnes non poſſe ferre tam auſteram diſciplinam, neque a ſingulorum uxoribus, fortaſſe eam caſtimoniæ normam poſſe ſervari, viri autem cum uxore legitima concubitum caſtimoniam eſſe. Illud ſatis eſſe, ut qui in Clerum ante adſcripti erant quam duxiſſent uxores, hi ſecundum veterem Eccleſiæ traditionem deinceps a nuptiis ſe abſtinerent, non tamen quemquam ab illa, quam jam pridem, cum Laicus erat, uxorem duxiſſet, ſejungi debere. Iſtamque Paphnutii orationem in Epiſcoporum conventu Epiſcopos univerſos. Presbyteros, Diaconos conſtituiſse ne controverſiam de hac re exortam definiviſsent, poteſtatemque permiſsam cuique pro arbitratu ab uxorum conſuetudine abſtinendi*: proptereaque verum non eſſe quod in Oriente Continentiæ Perpetuæ Lex Clericis majoribus fuerit impoſita, aut quod viguerit perpetuus ejuſdem continentiæ uſus.

V. Cæterum quid quid ſit de veritate hujus hiſtoriæ, quam ut falſam, & adulterinam rejiciant viri eruditiſſimi Baronius, & Bellarminus, hoc unum dicimus tantum in illa non reperiri auctoritatis pondus, ut in re tanta fidem extorqueat. *Vera*, inquit Thomaſſinus de Beneficiis parte 1. lib. 11. cap. 60, *res fortaſſe fuerit, quæ refertur, & in eo tantum aberraverit Socrates, quod adjecit de ſuo; Potuit enim in Eccleſia Orientali ea fuiſſe tempore Concilii Nicæni incontinentium Presbyterorum, Diaconorumque multitudo, ut Sapientiſſimis Præſulibus ſatius viſum fuerit diſſimulare immedicabile malum, quam reſecando aſperare*. Idem de Conciliis Ancyrano, Neocæſarienſi, Gangrenſi dixeris, nihil adverſus partem hanc ſtatuiſſe, quod curationis ſpem abjeciſſet omnem. Ubi vero Socrates dicit Antiquæ Eccleſiæ traditione ſuperioribus Clericis ſolum prohiberi ne matrimonium inirent, non autem initi uſum interdici, jam ad Euſebium, ad Epiphanium ad Hieronymum appello viros veterum Eccleſiæ conſuetudinum Socrate longe peritiores. Hoc igitur Socrates loquentem inducit Paphnutium, quod in ore nunquam Paphnutius habuit. Potuit tunc cum Concilio Paphnutius, & ſequentibus ſæculis potuit cum eo Eccleſia Græca tota judicare tolerandum id malum potius, quam aut Eccleſiam Schiſmatis, aut ejuſmodi Clericos periculo objicere incontinentiæ gravioris. Illud tamen ignorari non potuit pravam hanc fuiſſe, & degenerem conſuetudinem, qua priſci violarentur canones, & Eccleſiæ purior, atque ſancita ab Apoſtolis diſciplina turparetur. Atque hinc conjicere licet quam temere in ſuam ſententiam abducant nonnulli Clementis Alexandrini auctoritatem ex lib. 3. Stromat. petitam, ac ſi diceret ſua ætate, nimirum ſub finem ſecundi ſæculi, Sacerdotes & Diaconos matrimonio uſos eſſe; quam

temere

temere verbis illis abutantur, quæ in Athanaſi epiſtola ad Dracontium leguntur, ut confirment hujus Sanctiſſimi viri ævo majores Clericos, etiam Epiſcopos filios ex matrimonio ante conſecrationem ſuam inito ſuſcepiſſe. Quod temerario conatu alii tentarunt oſtendere in vita S. Gregorii Nazianzeni, quem a Gregorio Seniore in Epiſcopatu generatum oſcitanter dixerunt. Et alii in vita Syneſii Epiſcopi Ptolemaidis, quem narrant propoſitum habuiſſe utendi uxore, & liberos procreandi cum Epiſcopus eſſet inauguratus; ſed omnia hæc, & alia his ſimilia deliramenta ſunt, & inſomnia, nec ullus eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria, vel mediocriter verſatus, qui ignoret ea quæ hic reponuntur, circumſtantiis talibus alligari, quæ diſcerni debent, ut quæ latet in occulto veritas aperiatur.

VI. Age quis ignorat Clementis in loco citato inſtitutum fuiſſe ſcribere contra Tatianum, & Encratitas matrimonium, uſumque ejus malum eſſe putantes, ut illos ab hoc errore avocaret, & oſtenderet a Deo matrimonium eſſe inſtitutum, neque ſolum in lege Moſayca, verum etiam in novo Teſtamento commendatum. Hoc itaque ſecundum ut oſtenderet, nunquam vero ut aſſereret ſui temporis Diaconos, & Sacerdotes filiorum procreationi operam dare, dixit: *Quia & unius quoque uxoris virum utique admittit Apoſtolus, ſeu ſit Presbyter, ſeu Diaconus, ſeu Laicus utens matrimonio citra reprehenſionem*: Quod ſi ex hac Clementis ſententia æquivocatio nata eſt, ex prava poſtremarum vocum relatione omnis exorta eſt, quam nonnulli poſuerunt ad oſtendendam Presbyterorum, & Diaconorum illius temporis incontinentiam, non ad exprimendum ex licito conjugio licitum opus Laicis permiſſum, quod ſolum Clemens intellexit, ut robur ſuo argumento accederet, & hæreticis illis honorabile connubium oſtenderet in novo etiam Teſtamento, in quo Epiſcopus, qui domui recte præeſt, Eccleſiæ dux conſtituitur, & Domum Dominicam unius mulieris conſtituit conjugium.

VII. Neminem etiam latet quod ea quæ S. Doctor Athanaſius ad Dracontium ſcripſit graviſſimam adhortationem continere ad ſuſcipiendum Epiſcopatum, a quo munere ſuſcipiendo illum deterruerant Monachi, qui eum apud ſe retinere nitebantur, quod ipſorum ſocietati, & exemplo eſſet & ornamento, propterea dicentes Epiſcopatum eſſe cauſſam peccati, & innumeras inde occaſiones delinquendi ſuboriri. In tota vero hac adhortatione nihil legi, ex quo Dracontius colligeret Continentiam ſe fore violaturum ſtatim atque eſſet Epiſcopus, profecto totam legentibus Athanaſii epiſtolam perſpicuum fiet, imo inter plurima quæ Sanctus Doctor ibi congeſſit hoc unum etiam advertitur eodem modo illum de Epiſcopis, ac da Monachis loqui, quibus nuſquam permiſſus fuit rei uxoriæ uſus, ex quo Monaſticam vitam profeſſi ſunt, perſpectum igitur eſt nec potuiſſe affirmari ab Athanaſio Epiſcopis fuiſſe permiſſum connubium, ex quo fuerunt ad Epiſcopatum promoti, cum præſertim non ignoremus Athanaſium in Apologia de fuga ſua narrare caſum cujuſdam Leontii Arrianorum Pſeudo Epiſcopi, qui depoſitus fuit, quod noluit, cum Presbyter eſſet a cujuſdam mulieris contubernio abſtinere, quam certe in matrimonium duxiſſet, ut ſecurius poſt ſuam Ordinationem jure conjugali illa uti poſſet, ſi tempore S. Athanaſii tum Epiſcopi tum Presbyteri potuiſſent cum hujuſmodi Uxoribus commiſceri.

VIII. Nullibi vero magis apparet, quam hallucinentur ii, qui in hac controverſia contraria nobis tradunt, quam dum inquiunt Seniorem Gregorium

rium

Digitized by Google

rium dum eſſet Epiſcopus, Gregorium filium, poſtea ab Epiſcopatu Nazianzenum nuncupatum, genuiſſe, quod colligunt ex ejuſdem Nazianzeni verbis, quibus Sic Patrem ſuum loquentem inducit: *Nondum tot anni ſunt tui quot mihi in Sacris = Iam ſunt conſumpti victimis* .....Hoc enim conceſſo multa ſunt in doctrina temporum clare congeſta, ſapienterque pronuntiata, quæ aptiſſima ſunt ad confirmandum noſtram tam falſa nota fœdatam oppinionem. Ex omnibus autem obſervationibus illam eligimus, quam S. Hieronymus in Cathalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum reliquit, videlicet Gregorium Nazianzenum ſive Gregorium juniorem anno Chriſti 389. obiiſſe 17. Annis poſt obitum Patris, ſcilicet Gregorii ſenioris, qui fere centenarius erat cum obiit, qui in Sacerdotio annos 45. exegerat, ut ipſe Nanzianzenus ſcribit in Oratione 19. qui demum paucis ante ſuum obitum menſibus eumdem Gregorium filium in partem ſuæ ſollicitudinis vocaverat, & Eccleſiæ Nazianzenæ ad tempus præfecerat, ut idem in carmine de vita ſua ſignificat. Eruitur ergo Iuniori Gregorio Anno 371. fuiſſe concreditam Eccleſiæ Nazianzenæ adminiſtrationem. Obſervamus inſuper quod mortuo Patre, ideſt Grægorio seniore, idem Gregorius junior Epiſcopos diu, multunque exoravit ut Euchalium Nazianzenæ Eccleſiæ præficerent hac ratione, quam ſcribit in epiſtola 52. nimirum *propter effætum, & emortuum corpus ſuum*: ubi notetur quod in citato carmine de vita ſua, quod ante hoc tempus compoſuit, non diu ſcilicet poſt obitum Cæſarii fratris ſui, & Gorgoniæ ſororis ſe jam canum eſſe, & curvum narraverat, quod in quadragenario viro portentoſum fuiſſet, ſed in ſeptuagenario non mirum. Et tamen conceſſo id quod ab Adverſariis narratur, Gregorius hic vix quartum ſupra quadrageſimum attigiſſet annum cum ſuus Pater obiit; nullus itaque dubito illum inſanire negabit, qui Cælibatum tunc temporis ſacris Ordinibus annexum non fuiſſe dixerit hoc fundamento, quod Junior Gregorius a Patre fuerit, cum eſſet, Epiſcopus, generatus. Ad auctoritatem itaque quæ objicitur reſponderi poterit hyperbolicum fuiſſe Gregorii Senioris ſermonem, aut fortaſſe melius, græcam ſententiam, ex cujus interpretatione ſunt citati verſus, ita latine reddendam eſſe ad mentem Auctoris: *Ætas peracta tam longa nondum eſt tibi = Quot Eteſiarum tranſiit tempus mibi*; nihil enim nos prohibet dicere græcas voces, quæ aberrandi occaſionem pluribus dederunt in ſuo originali non notatas (ut illorum temporum ferebat uſus) iis, qui modo uſurpantur accentibus, & ſpiritibus, imperitum Librarium male conjunctas, vel diviſas legiſſe, & ita ac ſi nullam in ſenſu mutationem parerent, ſcripſiſſe, ut hic ſubjiciuntur **Oʹυπω τος ὖτου ἐν μεμτοικάς βίου Oʹσος διῆλθε τυσιῶν ἐμοὶ χρόνος**, cum potius poſtremum carmen ita fuiſſet ſcribendum. **Oʹσος δίλθε ἐτησίων ἐμοὶ χρόνος**, & ita omnis abeſſet æquivocatio, nec inepte Gregorius Pater prope centenarius filio ſuam ætatem reponenti ne ſuſciperet Nazianzeni Epiſcopatus adminiſtrationem dixiſſet, multum illum a ſenio ſuo abeſſe, qui tunc duos ſupra 70. annos numerabat ex Suidæ teſtimonio, qui hunc nonagenarium obiiſſe recenſuit: adeoque colligitur ſub ſæculi tertii finem natum fuiſſe, A. ſcilicet 298. aut 299. 39. circiter annis antequam vir ſanctiſſimus Pater ejus Sacerdotio fungeretur.

IX. Quod poſtremo coro de Syneſio ab aliquibus traditum eſt, argumento petito ex ejus epiſtola 105. ad fratrem data, potius in Adverſariorum quam in noſtram ſententiam poteſt retorqueri. Hæc ſunt verba Syneſii: *Mihi*, inquit, *& Deus ipſe, & lex*, & *Sacra Theophili manus uxorem dedit: Quare*

hoc

hoc omnibus prædico ac teſtor, neque me ab ea prorſus ſejungi velle, neque adulteri inſtar cum ea clanculum commiſcere. Alterum enim nequaquam pium eſt, alterum illicitum. Sed hoc utique cupiam, & precabor plurimos mihi, & quam optimos eſſe liberos. Hoc unum ab eo ignorari non oportet, qui creandi vim habet, quod de Sodali Paulo ac Dionyſio intelligere poteſt, quos quidem Legatos a populo electos audis... Hæc ſi mihi Epiſcopalis muneris noſtri jura conceſſerint ſubire hanc dignitatem poſſim &c. In tota hac ſententia nec verbum legitur, ex quo probetur quod Syneſii tempore Cælibes, aut Continentes præ aliis ad Sacra Miniſteria non eligerentur: legitur tamen oppoſitum in eo quod Syneſius aſſerit: *ſe inaugurari Epiſcopum nolle, quod in eo eſſet propoſito vacandi rei uxoriæ, & liberos procreandi, eo quod munus hoc poſt Epiſcopatum ſuſceptum illi eſſet illicitum, & adulteri inſtar tunc cum uxore clanculum deberet conſueſcere*. Ex hac igitur excuſatione colligitur quod Syneſii ævo Sacris Myſteriis conſecratis hominibus permiſſum non erat mulieribus uti, quas Laici duxiſſent uxores, ex quo hic poſtulat quod Epiſcopalis muneris jura hoc illi concedant, ut hac facta venia ſubire tantam dignitatem poſſet. Viri eruditi omnes bene norunt hæc, & alia, quæ in citata Syneſii epiſtola leguntur, ab eo ſcripta fuiſſe, ut ſe hac arte ab onere Epiſcopatus, quo ſe indignum exiſtimabat liberaret, quod ſciret perpetuæ continentiæ ſervandæ Epiſcopis legem impoſitam eſſe ſecundum Eccleſiæ diſciplinam, alioquin nihil profeciſſet incontinentiam excuſando ſuam ſi alia praxis, & alii tunc fuiſſent Sacerdotum mores, & ipſi Epiſcopi ad aliquam voluptatem confringi poſſent, atque emolliri. Ceterum ubi Syneſius Theophili Patriarchæ Alexandrini voluntati in omnibus, ſe ſubjicit pollicerturque ſe neceſſitati ceſſurum, ac tamquam divinitus oblatam teſſeram accepturum, ita pollicetur ut apud Deum ſit omnis criminis expers, & ut talem ſe præbeat qualem ipſe ait in laudata epiſtola: *Epiſcopum Divinum hominem eſſe oportere*, qui ab omni ludo peræque ac Deus ipſe ſit alienus, & ad nullam voluptatem confringi, atque emolliri poſſit, & nulla omnino labe pollui debere tamquam qui aliorum piacula ac ſordes abſtergat. Hominem his caracteribus inſignitum, & hunc Sacerdotem, & Epiſcopum in Ægypto commorantem, ubi teſte Hieronymo loco ſupra citato majoribus ordinibus continentia annexa erat, quis dixerit huic legi poſtmodum non paruiſſe? Œconomiæ, quæ in Eccleſiæ exordiis neceſſaria erat debetur quod ad Sacerdotium, & Epiſcopatum aliquando aſſumerentur, qui uxorem duxerant. ſed ex quo conſecrati fuerunt, ipſis matrimonio uti non licuit, atque hoc quidem S. Iſidorus Peluſiota, Chryſoſtomo Magiſtro ſuo conſentiens libro 3. epiſt. 75. Leges, & Eccleſiaſtica ſtatuta ſanxiſſe teſtatur, a quibus perperam expungi Nicænum canonem 3. Ratramnus Monachus Corbejenſis ix. Sæculi Auctor hoc argumento probabat. Nam quiſquis uxorem duxerit non poteſt & præter uxorem, alias etiam mulieres in domo non habere, quibus uxoria neceſſitas, & cura domeſtica ſuppleatur. Ubi vero cunctarum interdicitur ſubintroductio fœminarum (quod legitur in citato canone) præter omnino proximas, quæ careant omni ſuſpicione, manifeſtum eſt quod interdicitur uxoria etiam copula, quæ nullo modo poteſt fieri ſine reliquarum acceſſione fœminarum. Utinam vero Trulliani Patres, quem citarunt canonem Apoſtolicæ perfectionis, dum in laudato can. 13. dixerunt: *Nos antiquum canonem Apoſtolicæ Perfectionis,*

er-

ordiniſque ſervantes hominum qui ſunt in Sacris, legitima conjugia deinceps quoque firma, & ſtabilia eſſe volumus &c. prodidiſſent. Neque perperam Africanorum Patrum decreta expoſuiſſent aſſerendo: *Continentiæ legem ab illis impoſitam Sacerdotibus, ceteriſque ſacris Miniſtris, ad illud tempus dumtaxat referenda, quo vicem ſuam in Altaris miniſterio, ſacrorumque contrectatione implerent*; Utinam tandem ad confirmationem regulæ, quam ipſi ſtatuerunt de non prohibendo uſu Conjugii Clericis majoribus ante Ordinationem ſuſcepti Paphnutii hiſtoriam recenſuiſſent, quæ ceteroquin plurimum illam ſanctionem firmaſſet, & muniiſſet. Verum nihil horum perſtiterunt, ſed magnificis verbis Apoſtolorum traditionem, & ab ipſa uſque antiquitate ſervatum morem referentes aperte, & nominatim Latinæ Eccleſiæ uſum reprehenderunt non ſine ſchiſmatis ſpecie adverſus Eccleſiam Romanam, ut notavit Eſtius in 4. d. 37. §. 4. quæ tamen Æconomiæ, & pacis gratia praxim hanc toleravit, permiſitque deinceps, ut patet ex Stephani II. & Innocenti III. reſcriptis in cap. *aliter* d. 31. in cap. *ut Clericorum mores*, & in cap. *cum olim* de Clericis Conjugatis. Nihilominus quoad Epiſcopos nihil in hoc Concilio Trullano immutatum eſt de antiquiſſima Eccleſiæ diſciplina, ſed canone 12. Decretum eſt illis nullo tempore licere conjugio uti, quod ante Ordinationem contraxiſſent, & quo ad ceteros, qui non ducta uxore in Clerum promoverentur, ſolos Lectores, & Cantores uxorem poſſe ducere in canone 6. dictum eſt, & quod deinceps nulli penitus Hypodiacono vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui ordinationem liceret contrahere, & ſi fuiſſet hoc auſus facere, deponeretur. Porro quanta Religione Cælibatus Clericorum in veteri Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali obſervatus fuerit vel ex eo conſtat, quod olim Epiſcoporum ac Sacrorum Clericorum viduæ ad alias tranſire nuptias prohiberentur ut ex epiſtola ad Amphilochium S. Baſilii c. 44. ex Concilio Toletano 1. A. 400. celebrato cap. 18. & ex 11. Matiſconenſi c. 16. & ex aliis antiquis monumentis clare liquet; quinimo & Græcorum Presbyterorum, & Diaconorum viduæ etiam hodie ſine ſacrilegio nubere non poſſunt, & Epiſcopi deponatur, qui cum quacumque muliere cohabitant, ceterique Diaconi, & Sacerdotes pro certis temporibus videlicet vicis, & miniſterii, ab uxoribus ſeparantur.

X. Quod autem ſpectat ad interruptionem hujus Diſciplinæ in Eccleſia Latina nihil aut in Conciliis expreſſum, aut in Patribus reperitur, ex quo conſtet uſum, & vim illius in Eccleſia Latina aliquando ceſſaſſe, quocirca colligere licet moribus univerſæ Eccleſiæ Latinæ ita fuiſſe receptum ut nullibi abſque peccato miniſtris Altaris unquam licuerit uxoribus commiſceri. Unicus eſt Carthaginenſis vt. Concilii canone 28., quem ut ſupra diximus in Trullana Synodo Patres citarunt, & cujus expoſitio Propoſitioni noſtræ videtur adverſari; cum enim in illo legatur: *placuit ut Subdiaconi, & Diaconi, & Presbyteri propriis terminis a conſortibus abſtineant*, hæc verba interpretati ſunt nonnulli, eo tempore quo Altari miniſtraturi ſunt a conjugibus abſtineant, ut ſint tamquam non habentes: quapropter inquiunt demonſtrari ex hoc canone perpetuæ Continentiæ diſciplinam, etiam in Eccleſia Latina, cum hujus pars ſit Eccleſia Africana, fuiſſe interruptam. Sed immerito hoc dicunt, & conjectura nullo adminiculo conſolidata. Siquidem in canone 28. hujus ſexti Concilii Africani Patres illud idem dixerunt quod jam antea dixerant in canone 3. Concilii v. ut Balſamon in illius Commenta-

tario obſervavit; in hoc autem Canone loco illarum vocum *propriis terminis* leguntur: *ſecundum propria ſtatuta placuit prædictis ab uxoribus abſtinere.* Quid eſt autem ſecundum propria ſtatuta, niſi ac dicere ſecundum proprias leges? Non ergo intellexerunt Patres Carthaginenſes tempora miniſterii, in quibus tantum miniſtri abſtinere deberent, ſed leges antea latas confirmare, quibus ſtatutus fuerat perpetuus Cælibatus, & perpetua continentia etiam cum uxoribus, ut in tota Eccleſia, ita in ipſa Africana Provincia. Porro hanc legem primum latam fuiſſe in prima Carthaginenſi Synodo Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis indicavit in 2. canone ſecundi Concilii, ubi ſic dixit: *Cum in præterito Concilio de Continentiæ, & Caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quadam Caſtitatis per conſecrationem annexi ſunt, Epiſcopos inquam, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut condecet ut ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus, quod poſſent ſimpliciter, quod a Deo poſtulant impetrare, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt Placet.* Quod vero in hoc canone Patres intellexerint de Caſtitate cum propriis uxoribus omnino ſervanda, & non tantum tempore vicis, & miniſterii ex Latinis Theologis nullus dubitavit, quin imo Michael Medina, licet alias Balſamoni conſentiens in explicatione citati canonis 28. Concilii VI. hoc idem ingenue fatetur in lib. 2. de continentia cap. 30. §. *Sed ego* ubi incipit *quod quia pars hujus Canonis fuit Propoſitio Aurelii, in qua propoſuit Continentiæ legem pro Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, poſterior vero fuit cæterorum Patrum reſponſio, qui propoſitionem unanimiter approbarunt.* Quare non eſt audiendus Balſamon, qui poſteriorem hanc partem interpretatur de continentia ſpeciali cum fœminis, & uxoribus, priorem explicat de generali in omni opere virtutis, cum in utraque parte caſtitas, & continentia omnimodo abſolute, non autem pro certis temporibus indicetur, ut patet ex modo loquendi, quo abſolute a Patribus præcipitur caſtitas abſque ullo additamento. Statuerunt enim Africani Patres abſolute, & abſque ulla reſtrictione pudicitiam ab Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis cuſtodiri dum dixerunt: *Ab omnibus, & in omnibus, utique ſe abſtineant ab uxoribus, qui Sacramenta contrectant*, non vero tempore dumtaxat contractandorum Sacramentorum. Nec ſuffragatur Medinæ (in ea parte qua Balſamoni ſubſcribit) interpretationi, nimirum in IV. Concilio Carthaginenſi fuiſſe moderatam veterem diſcplinam, quod audiverant Patres abſolutam cum uxoribus continentiam non facile fuiſſe receptam, nonnulloſque ex Sacris Altaris miniſtris illa abuti, ſiquidem effugium hoc jam ſublatum legitur in Decreto Concilii V. ſub canone 3. Præterea hæc ſunt verba hujus decreti: *cum de quorumdam Clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referatur placuit Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis ſecundum propria ſtatuta, etiam ab uxoribus continere, quod niſi fecerint ab Eccleſiaſtico removeantur Officio.* Veriſimilius igitur eſt credere Africanos Patres in illo Concilio VI. can. 28. non uſurpaſſe prædictas voces: *in propriis terminis*, ſed iſtas: *ſecundum propria ſtatuta, etiam ab uxoribus continere*, eo quod & communi totius Eccleſiæ, & proprio, & peculiari Provinciæ Carthaginenſis in prioribus Conciliis edito, hominibus Sacris myſteriis inſervientes, ad hanc diſciplinam obſervandam teneren-

Digitized by Google

tur: & nullus erit, qui depoſito partium ſtudio hanc voluerit controverſiam dirimere, audeat aſſerere ſextum Concilium voluiſſe, aut penitus abrogare, aut moderari legem, quam primum, & ſecundum ediderant, & quintum confirmaverat, cum præſertim conſtet ex D. Auguſtino l. 2. de Adulterinis Conjugiis cap. ultimo, adeo in Africa diſciplinam hanc invaluiſſe, ut qui ad Sacros Ordines rapti vi Chriſtianæ plebis fuiſſent, ſe tamen ſervandæ continentiæ neceſſitati ſponte offerebant, ex quo eſſent ordinati: *ſolemus*, inquit, *eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad eamdem Sarcinam ſubeundam rapiuntur inviti, eamque ſuſceptum uſque ad debitum finem, Domino adjuvante, perducant*: Quamquam nihil obſtat, quod illorum opinioni ſubſcribamus, qui cum nullum habeant Latinum exemplar canonum hujus VI. Concilii, niſi apud Balſamonem, validiſſimo fundamento conjiciunt non legi in originali hæc verba: *in propriis terminis*, neque hæc alia *ſecundum propria ſtatuta*, ſed potius *ſecundum proprias definitiones* quæ verba Græci non recte intelligentes verterunt *Κατα ἰδίους* ὅρους & cum hac poſtrema voce Græci utrumque explicent, nimirum definitionem, & terminum, inde nata fuerit omnis æquivocatio per auctoritatem Latinæ editionis tutius explicanda, quam per Græcam translationem.

XI. Nec juvat Carthaginenſe Decretum Eliberitano corroborare, ut latius pateat eumdem morem fuiſſe introductum in Hiſpana Eccleſia non ſe polluendi uxoriis amplexibus cum Sacri Miniſtri rem ſacram ex Officio peragere tenerentur; nam neque hanc explicationem patitur canon qui in Eliberitano Concilio prodiit 33. in quo Patres dixerunt: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio abſtinere ſe a Conjugibus ſuis, & non generare filios, quicumque vero fecerit ab honore Clericatus exterminabitur*. Nuſquam enim probari, aut ſaltem difficilime potuiſſet errogata huic Canoni injuria, & ita Eliberitani Patres reos violati canonis, Clericatus honore nunquam privare potuiſſent; quare cum Concilium ait *in totum* dicendum eſt vocem hanc non ad tempus debere referri, quaſi ibi præcipiatur, ut in omni tempore a Sacris Hominibus continentia ſervaretur, ſed *ad totum ſtatum miniſtrorum Altaris*, eorum inquam, qui proxime etiam in Altari miniſtrant, ut Subdiaconi, comprehenderentur, qui fortaſſe uſque ad illud tempus in Bætica Provincia hoc præcepto Continentiæ non tenebantur.

Hoc unum tantum in antiquis Eccleſiæ Latinæ legibus occurrit, permiſſum fuiſſe Presbyteris, Diaconis, & Epiſcopis ſuas uxores Domi retinere, quod factum eſt, ut ſcripſit Leo Magnus epiſtola 9. ad Ruſticum ut ſalva eſſet Charitas Conjugiorum, ſed eas caſte ut Sorores tractabant; unde Urbico Arvernenſi Epiſcopo refert Gregorius Turonenſis l. 2. c. 22. & 44. Papianillam habuiſſe ut ſororem, non ut uxorem, & huic conſuetudini Apoſtolici canones non reſtiterunt, ut legitur in illo qui ſextus exponitur, & quem reſpexerunt Quiniſextæ Synodi Patres, qui audientes in Lybia, & Africa, & aliis in locis offendiculum, & ſcandalum oriri inter fideles, quod viderent Epiſcopos cum uxoribus propriis ſimul habitare, & propterea morem hunc corrigentes, legem contrariam tulerunt, ſtatimque ſententiam ſuam his verbis concluſerunt: *Hoc autem dicimus non ad ea abolenda, & evertenda, quæ ab Apoſtolis ante conſtituta ſunt, ſed ad meliora progreſſionis curam gerentes, & ne ſtatus Eccleſiaſticus illo probro afficiatur*. Verum quid

hæc

hæc conſuetudo per Eccleſiaſticam legem firmata, ut per illam probetur alterius diſciplinæ interruptio, quæ in Miniſtris Altaris perpetuam Continentiam ſervabat?

XII. Ex hoc vero quod in Eccleſia Latina nullum proferri poſſit invidum argumentum interruptæ hujus Diſciplinæ, non ſequitur, tamen quod ita omnibus in locis fuerit ſummo omnium conſenſu recepta, & uſu firmata, ut nullus abuſus irrepſerit. Plurimi, & graviſſimi irrepſerunt. Attamen ſtatim ac aliqui detegebantur, qui ſe nedum a voluptate uxoria temperabant, ſi Diaconi fuiſſent, Presbyterii honore non cumulabantur, ſi vero Presbyteri, de Presbyterio ad Epiſcopatum non admittebantur, aliiſque remediis eorum reſipiſcentiam Canones experiebantur ſed nunquam aut diſciplinam abrogarunt, aut moderatione aliqua reſtrinxerunt. Hinc veritatis ſpecie prorſus omni deſtitutum figmentum eſt id quod Magdeburgenſes Centuria 9. obtrudunt nomine hiſtoriæ, quam S. Udalricus ad Nicolaum Papam ſcripſit, videlicet *ob maximum facinus a Sacris Altaris Miniſtris perpetratum, Magnum Gregorium ademptas illis uxores reſtituiſſe*, cum S. Udalricus anno 924. fuerit creatus Epiſcopus, & Nicolaus I. Papa (ſi ad hunc hiſtoria hæc ſcripta ſupponatur) obierit anno 867. ex teſtimonio Onuphrii in libro de Romanis Pontificibus (vel ſi dicatur narrata ad Nicolaum II.) cum centum circiter annis hic Nicolaus Udalrico recentior fuerit; & cum demum inter opera S Gregorii, & in ejus vita a Joanne Diacono conſcripta ne minimum quidem hujus facti veſtigium inveniatur. Etiam ævo S. Petri Damiani plures Eccleſiæ Laudenſis Clerici ſua matrimonia Concilii neſcio cujuſdam Triburienſis auctoritate tueri ſe poſſe jactitabant dicentes: *habemus auctoritatem Triburienſis Concilii, quæ promotis ad Eccleſiaſticum ordinem ineundi Conjugii tribuit facultatem*, ſed & idem Vir ſanctus Cœlibatus diſciplinam egregie vindicans, intemperantes in Clericos, & Uxorios Sacerdotes ſevere animadvertens illis reſpondit: *Concilium veſtrum quodcumque vultis nomen obtineat, a me non recipitur .... Aucupantur enim quadam Canonum quaſi adulterina Sacramenta, eiſque præbent auctoritatem, ut authenticam canonum valeant vacuare virtutem, ſed Salomon non dicit* Sap. 4. quia *ſpuria vitulamina non dabunt radices altas*: & revera hunc canonem nunc non legimus in Concilio Triburienſi quod habemus. Ulterius in eodem Opuſculo 18. in quo horum Clericorum incontinentiam urget, reprehendit etiam Cunibertum quemdam Taurinenſem Epiſcopum quia permiſerat ut ſuæ Eccleſiæ Clerici, cujuſcumque eſſent Ordinis, velut jure matrimonii uxoribus confœderarentur: quod inquit, *quam Eccleſiaſticæ munditiæ videatur obſcurum, quam Canonicæ ſit auctoritati contrarium, quam certe cunctis Sanctorum Patrum ſanctionibus odioſum, illius non poterat ignorare prudentia*: ut reprehenſione olim dignum cenſuit nuper laudatus Primus Nicolaus Adonem Viennenſem Epiſcopum, & hoc patet in ejus epiſtola ad eundem, eo quod Clericus quidam nomine Albericus, qui uſque ad Subdiaconatum caſte vixerat, ejus auctoritate uxorem duxerit, quod Eccleſiaſticæ regulæ hoc non permitterent. *Sed quoniam*, inquit Nicolaus *non eſt permiſſum Subdiaconis uxores ducere*. Quæ vero fuerit circa illos Eccleſiaſtica Diſciplina, opportune explicatur.

XIII. *Primis Eccleſiæ ſæculis*, inquit Morinus Exercitat. 12. c. 5. *ad hanc dignitatem, & Conjuges eligebantur, & Virginibus electis uxores ducere fas erat*:

Digitized by Google

deinde paulatim mos invaluit ut a Conjugibus & Conjugiis abſtinerent. Antiquiſſimorum omnium monumentum quo mos hic demonſtratur eſt can. 33. ſupra relatus ex Concilio Eliberitano ante tempora Leonis I. celebrato poſt finem Sæculi III. Huic documento ſuccedit laudati S. Leonis decretum, quod extat in ejus epiſtola 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, in quo eadem Diſciplina legitur obſervanda a Subdiaconis Eccleſiæ Romanæ, quam S. Gregorius poſtea extendit ad Subdiaconos Siciliæ, ut habetur in ejus epiſtola 34. libri 3. His documentis a nonnullis additur canon 2. Concilii II. Carthaginenſis, ut probetur quod eadem Diſciplina Sæculo IV. in Africa invaluerit, cum in hoc canone, quicumque Sacramentis Divinis inſerviunt, vel qui Sacramenta contrectant continentes eſſe in omnibus jubeantur. Quia vero hæc Sacramentorum contrectatio prioribus Sæculis ubique in Eccleſiis Occidentalibus non permittebatur Subdiaconis; hinc mirum non eſt ſi Sæculis VI. VII., & ſequentibus uſque ad XI. non ubique Subdiaconi prohibiti ſunt uti conjugiis, quæ contraxiſſent ante ſuam Ordinationem, etſi mortuo Gregorio Magno tum Romæ, tum alibi Subdiaconorum cælibatus vacillaverit, qui tamen ſæculo XI. ubique floruit, ut in Melphitano Concilio teſtimonium habetur A. 1089. celebrato ſedente Urbano II. Utrum vero Continentia hæc a Sacris Miniſtris obſervata, ut hactenus demonſtravimus, fuerit obligatio ex Ordine ipſo nata, an vero ex voto Caſtitatis Ordinibus annexo proveniret, res eſt nunc inquirenda.

§. II. *Si non exigitur ab illo, qui Ordinatur ſervandæ Continentiæ Promiſſio, hæc ſolum ex Decreto Eccleſiæ Sacris Ordinibus annexa eſſe convincitur.*

XIV. Prima hujus Propoſitionis pars indicat uſum in aliquibus Eccleſiis introductum præmittendi Sacris Ordinibus Continentiæ votum. Invenerunt Theologi hunc morem antiquitus in Eccleſia Orientali, viguiſſe, eo quod in Concilio Ancyrano can. 10. aliquibus 9. legerint fuiſſe ſtatutum, quod *quicumque ſane tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, a miniſterio ceſſare debent*. Quid enim inquiunt eſt continentiam profiteri, quam Continentiæ votum emittere? Neque morem hunc exoleviſſe poſt 13. Canonem Concilii Quiniſexti; nam advertunt in hoc Canone fuiſſe Decretum, ut Sacri Miniſtri continentiam profiterentur *tempore vicis, & miniſterii*, eumdemque uſum ad hæc uſque tempora perveniſſe, quod Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, ut videre eſt in Cenſura Orientalis Eccleſiæ in ejus epilogo modum explicet, quo lex continentiæ cum propriis uxoribus ab Orientalibus obſervetur, docet enim quod prius quam hi miniſtri ordinentur monentur, ut ſi velint uxores, accipiant, quod ſi nolint, Caſtitatem profiteantur, ut ſciant nullam amplius licentiam eos habere conjugii. Etiam in aliquibus Occidentis Eccleſiis Sacros Miniſtros conſueviſſe Caſtitatem profiteri, videlicet in Eccleſia Africana, in Gallica, in Hiſpana, & in Sicula, oſtendunt varia Concilia Carthaginenſe III. citatum in canone 19. Arelatenſe II. in can. 2. Toletanum IV. in can. 16., & Magnus Gregorius in epiſtolarum lib. 1. epiſt. 42. cujus teſtimonium refertur in canone *ante Triennium* diſt. 32. qui S. Pontifex eum citet morem Eccleſiæ Romanæ, evidenter concluditur hujus quoque Eccleſiæ Miniſtros tunc conſueviſſe idem votum emittere, ex quo Sacris Altari-

eribus deſtinabantur Legem hanc innovarunt Toletani II. Concilii Patres, ut legitur in 10. canone hujus Concilii.

XV. Quod ſi non amplius eſt in ritu Eccleſiarum quod Clerici voventes Sacris Ordinibus initientur, nihilominus per ſuſceptionem Sacri Ordinis idem votum emitti in jure recentiori multo manifeſtius apparet, ubi videre licet, quod in capite unico de Voti redemptione in 6. Bonifacius VIII., & in Extravaganti *Antiquæ* eod. tit. Joannes XXII. docent in ſuſceptione Ordinis Sacri votum Caſtitatis emitti, & quidem ſolemnizatum, impediens Matrimonium contrahendum, & dirimens contractum. Huic ſententiæ ſe ſubſcripſit S Thomas in 4. diſt 37. q. 1. a. 1. & ulterius addidit, *quod ſi quis verbo tenus non emittat hoc votum, ex hoc ipſo quod Ordinem ſuſcipit, ſecundum ritum Occidentalis Eccleſiæ, intelligitur emiſiſſe, quæ Eccleſia licet non poſſit cogere quemquam ad vovendam Caſtitatem, cum ſit res mere conſilii* cap. *integritas* 32. q. 2. potuit tamen adjicere Sacris Ordinibus tale votum, ita ut omnes Sacros Ordines ſuſcipientes tenerentur Caſtitatem ſervare, ut obligantur ad recitandum Divinum Officium, nulluſque poſſit ex ignorantia ulla ab emiſſione hujus Voti implicita in ipſa Ordinationis ſuſceptione excuſari. Ex his tamen non infertur, quod duplex obligatio ſit in Ordinatis ad ſervandam Caſtitatem, altera ex lege Eccleſiaſtica, altera ex voto ab ipſis emiſſo, ac proinde eos duplici peccato irretiri, qui incontinenter vivunt. Siquidem Canonicæ regulæ, quibus Ordinati adſtringuntur ad ſervandam continentiam, non ſimpliciter illam præcipiunt, ſed præcipiunt annectendo votum Sacris Ordinibus, ratione cujus peccato ſacrilegii peccant, quo peccato ex Cajetani ſententia ille quoque peccaret, qui interius vovere noluiſſet, quia faceret contra id quod exterius Deo voviſſe viſus eſſet, & promiſiſſet, quia id quod exterius promiſit, deberet eodem modo implere, ſicut is qui juraret falſum ſine intentione jurandi, & adducendi Deum in Judicem, nihilominus peccato perjurii peccaret.

XVI. Ex his igitur oſtenditur non eſſe audiendos Theologos illos, qui docent Legem continentiæ Sacerdotum eſſe ex Jure Divino, nec illorum argumenta aliud probant, quam decere, quam maxime ut continentiam colant, & hanc perpetuam, quod nos concedimus, qui reprobamus etiam Theologos illos aſſerentes Eccleſiam, vel Romanum Pontificem poſſe hanc legem tollere, ac generali permiſſione poteſtatem facere Ordinatis, præſertim Sacerdotibus uxores ducendi, & recte, & conſulte facturam Eccleſiam, ſi legem illam ſemel tollat, & dicimus Pium Secundum nunquam hoc ſenſiſſe, & non ſine maxima ejuſdem Pontificis injuria Scriptores nonnullos hanc propoſitionem illi affinxiſſe: *Sacerdotibus magna ratione ſublatæ ſunt nuptiæ, majori reſtituendæ videntur*, nam ut Eſtius obſervat loco ſupra citato §. 6. ad 13. ſi Pius II. in Pontificatu ita ſenſiſſet, qua erat poteſtate, & auctoritate ſumma in Eccleſia præditus, aut poterat legem continentiæ abrogare, aut de ea abroganda in Concilio Epiſcoporum, vel cœtu Cardinalium agere. Quorum neutrum feciſſe legitur. Id quod in Eccleſiaſtica hiſtoria legitur eſt, ex cauſa rationabili aliquando Pontifices diſpenſaſſe, ut quis Ordinatus uxorem duceret, vel poſt Diaconatum, vel poſt Subdiaconatum ſuſceptum. Nec antiqua Diſciplina hoc exemplo caret, nam in Ancyrano Concilio canone 10. hæc facultas facta eſt Diaconis, qui in Ordinatione proteſtati fuerant ſe continere non poſſe, & in Epiſtolis Magni Gregorii legitur hunc noluiſſe ab

Olli-

Officio repelli Siciliæ Subdiaconos, qui ſuis uxoribus utebantur, & qui negavit in Eccleſia fuiſſe hanc poteſtatem Petrus Oxomienſis jam ab ipſa Eccleſia damnatus eſt; quæ omnia momenta ſufficiunt, ut Lex continentiæ Sacerdotum non tamquam Divina recipiatur, in qua non poſſet diſpenſari. Sed de his alibi ubi agemus de impedimentis Matrimonii.

XVII. Dubitatur tamen 1. utrum coacte promotus ad Sacros Ordines ad Continentiam teneatur, & ille etiam qui ad eosdem Ordines eſt promotus ante annos diſcretionis cum ad ætatem legitimam pervenerit?

Præſuppoſitis illis, quæ de coactione, ut inquiunt Theologi præciſa, & conditionata, diſputantur, quarum altera conſenſum prorſus evacuat ex cap. *Sacris*. De his quæ vi metus cauſſa, altera vero quæ accidit cum quis terroribus, atque ſuppliciis attrahitur, & ne detrimentum incurrat Ordinis ſuſcipit Sacramentum, & quæ non evacuat, ſed conſenſum attenuat, ut dicitur in cap. eodem. Unicum effugium ſupereſt, quod ſuppeditat natura illius metus, quo quis ad Sacrum Ordinem ſuſcipiendum inductus eſt. qui oportet, quod ſit graviſſimus, & ut dici ſolet cadens in virum conſtantem, quamquam hic ab aliquibus ſatis eſſe cognoſcatur ad eximendum illum tantum ab onore continentiæ, qui ſic Ordinatus uxorem prius habebat, non vero illum, qui ante Ordinationem matrimonium non contraxiſſet, ſimilitudine ducta inter coacte baptizatum, & coacte ordinatum, nam baptizatus per metum hunc compellitur ad obſervantiam fidei, & ipſius ſequelam, ut alibi etiam nos diximus, unde, & etiam ſic Ordinatus: quod latius confirmant attenta impreſſione characteris, contra quem, cum ſit indelebilis, reſtitutio dari non debet, maxime, cum ita Ordinatus dici poſſit ad maiora invitatus, ut in ſimili notatur in cap. *cum dilectus* in Gloſſa in verbo *Ad fatuitatem*. De his, quæ vi metus cauſſa. Verum etſi hanc ſententiam olim Rota tenuerit in *Cauſſa Valentina nullitatis ſuſceptionis Ordinis Subdiaconatus* die 15. Januar. 1575. nihilominus prior ſententia eſt probabilior hac ratione, quia *integritas eſt res voti non præcepti*, ut inquit Ambroſius in libro exhortationis ad Virgines, & *voluntaria eſſe debet*, ut Gregorius dixit in cap. *ante triennium* 31. diſt. & cap. *Præſens* 20. q. 3. cum præſertim obligatio continentiæ in Ordinibus majoribus non ſit Jure Naturæ, vel Divino, & eſſentialiter illis annexa, ſed tantum accidentaliter, & ex Statuto Eccleſiæ: quapropter metus, qui humana reſcindit, ſed non Divina, ſcilicet eſſentiam Sacramenti Ordinis, & impreſſionem characteris, impedit conjunctionem continentiæ, quæ eſt humana; ex quo patet ratio diſſimilitudinis allatæ, quia Sacramento Baptiſmi eſt eſſentialiter, & naturaliter annexa obligatio profitendi fidem, idcirco talis metus ſic Baptizatum non eximit ab onore ſe gerendi, ut Chriſtianum hominum decet, & fidem Catholicam profitendi, ut dicitur in cap. *de Judæis* diſt. 45. Hinc articulo diligentius diſcuſſo Rota ſub die 22 Martii ejuſdem anni huic ſententiæ adhæſit, dixitque *promotum ad Subdiaconatum per vim conditionalem non teneri continentiam ſervare, licet uxorem non haberet*, & hoc pluribus argumentis, quæ legi poſſunt apud Fagnanum in cap. *Majores* de Baptiſmo ſub numero 105. Neque his obſtat Concilii Toletani VIII. Decretum in cap. 7. nam Patres ibi loquuntur de illis, qui ab initio noluerunt, ſed poſtea conſenſerunt in ſuſcepto Ordine, & DD. omnes conveniunt, quod metus, & violentia purgantur per liberum conſenſum ſupervenientem. Idque confirmatur ex eo ulterius, quod in dicto

De-

Decreto Patres ſupponunt hujuſmodi Ordinatos abjeciſſe a ſe gratiam quam acceperant, cum certum ſit, quod qui tali metu ordinantur Sacramentum quidem ſuſcipiunt, ſed non rem Sacramenti, ut docet D. Thomas in 4. d. 6. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 3. in corpore, quippe qui ſic coactus dicitur conditionaliter volens, licet abſolute non velit, hoc eſt voluntas ejus non ſit libera, & Sacrum Ordinem ſuſcepit invita.

XVIII. Ad alteram dubii partem nonnulli Theologi indiſtincte putant promotum ad Sacrum Ordinem ante uſum rationis non ligari voto Continentiæ, niſi factus adultus Ordinationem ſuam ratificaverit. Alii vero invenientes in Ordinato capacitatem doli, hunc dicunt ad debitum continentiæ teneri, quia debuit contradicere ante ſuſceptionem ſacri Ordinis, ut in cap. 1. de Delictis puerorum decernitur, quod qui *doli eſt capax, & voto, & Sacramento, ſe obligare poteſt licet non Religioni*. Poſtremo alii animadvertentes quod ſic ordinatus recipit Characterem Ordinis Sacri, cui lege poſitiva Eccleſiæ annexum eſt votum Caſtitatis, eumdem Ordinatum teneri ſe continere dixerunt. Tutius tamen eſſet, ſi unquam iſte caſus contingeret, & Ordinatus poſt finem anni 14. Ordinationem ſuam non approbaſſet, & ratam habuiſſet (expectare enim annum 16. completum, qui annus a Concilio Tridentino præfigitur in cap. 15. ſeſſ. XXV. de Regularibus, ut valide quis ſe voto ſolemni Profeſſionis adſtringat, maxima ſtatus differentia non exigit, neque Concilium ipſum, a quo nihil quo ad hoc votum continentiæ diſpoſitum eſt, ſed relictum in diſpoſitione juris Communis) aut expreſſe, aut ſaltem aliquando ſuæ Ordinationi contradixiſſet, nimirum quando fuit ordinatus, aut poſt ſeptennium, aut poſt decimum quartum annum infra triduum. Nam Caſibus his concurrentibus dubitandum non eſſet illum non teneri ad Continentiam; tutius inquam eſſet inquirere an ordinati taciturnitas, quæ ſola illi poſſet obeſſe, adminiculis illis innitatur, ex quibus Conſenſus in ſuam Ordinationem exurgeret hoc autem maxime inſinuatur, quando cum taciturnitate concurrunt actus poſitivi, puta miniſterium Ordinis, & uſus privilegii Clericalis, alioquin ex ſola taciturnitate non erit obligatio, quamvis in favorabilibus habeatur pro conſenſu, ut in regula ſexti. *Qui tacet*, cum verſemur in materia tam gravi, & præjudiciali, & cum agatur de obligatione perſonali inducenda, in qua taciturnitas non habetur pro conſenſu, ex lege *non ſolum*, in principio, & L. *filius familias* §. *Invitus* D. *de Procurator.* & demum cum jam omnia clament, quod ubi ab initio eſt nullitas, ex defectu conſenſus per remotionem impedimenti non inducitur ratihabitio, niſi verba intercedant, vel facta. Quod etiam verum eſſe nonnulli arbitrantur ſi is qui ordinatus eſt tempore ſuæ Ordinationis fuiſſet doli capax, quia ante 14. annos non poteſt quis etiam ſi velit ſe expreſſe adſtringere ad votum continentiæ, argumento cap. 1. 20. q. 1. ergo multo minus poteſt tacite per ſuſceptionem Ordinis ſacri, cum ſola taciturnitas hinc obligationem non inducat L. *qui vas* § *vitare* D. *de Furtis*, a ſimili de Sponſalibus contractis ante annos diſcretionis, quæ nulla ſunt ex defectu conſenſus, & quem per ſupervenientiam ætatis non convaleſcunt, niſi verbo vel facto ratificentur. Contrarium tamen videtur probabilius, quia ita Ordinatus cum eſset doli capax non reclamando, ſuæ Ordinationi conſenſit, & ſolum voto caſtitatis non ſe obſtrinxit propter impedimentum ætatis, quod ſublatum eſt hoc ipſo quod 15. attingit annum, & ſuam Ordinationem nec verbo, nec facto reprobat, unde talis cenſetur in

primo

primo conſenſu perdurare, cum non conſtet oppoſitum niſi probetur, & hoc creditur ſuaderi poſſe exemplo ejus, qui ante pubertatem Profeſſionem emiſit, & non reſilivit ante finem 14. anni, hic enim ex quo ætas jam adulta eſſe cœpit non poteſt a ſua ſtatu recedere, eo quod poſt illud tempus firmatur votum virginitatis, ut dicitur in citato cap. *Firma* 20. q. 1. & notat Gloſſa in cap. *Significatum* in verbo *Ratam habuerit* de Regular, & habetur in cap. *litteras*, & cap. *Acceſſit* de deſponſ. impub & eadem Gloſſa notat in cap. *ſi quis* in verbo *Permaneat* de Regular. quidque ſit de correctione horum jurium in cap. *Is qui* de *Regular*. in 6. quod requirit perſeverantiam unius anni poſt annum 14. cum delatione habitus indiſtincti, eo quod difficilius introducatur votum ſolemne Religionis in eo, qui non eſt profeſſus, quam votum ſolemne continentiæ Ordini ſacro annexum in eo, qui jam eſt ordinatus. Nec officit exemplum petitum a Sponſalibus impuberum, quia hæc fuerunt nulla, ex defectu conſenſus, unde in illis non inducitur ratificatio, quæ bene inducitur, propter præcedentis actus continuationem, ſublato obice.

XIX. Dubitatur II. utrum minoribus Ordinibus initiati quondam cælibes eſſe debuerint? Ad quod Dubium brevis eſt reſponſio, tam in Eccleſia Orientali, quam in Occidentali variam circa hos Clericos variis temporibus fuiſſe introductam diſciplinam uſque ad Concilium Trullanum unicus: legitur in Chalcedonenſi Concilio anni 451. canon ex quo eruitur in quibuſdam Provinciis non fuiſſe conceſſum Lectoribus, & Pſalmiſtis uxores ducere cum legatur in hoc canone qui eſt 14. Patres ſe voluiſſe conformare Provinciis illis, quarum Clericis hæc facultas matrimonia ineundi conceſſa fuerat. A temporibus vero Trullani Concilii ad hæc noſtra uſque tempora Orientalibus Clericis ſemper licuit inire conjugia. Similiter in quibuſdam locis Occidentalis Eccleſiæ decem prioribus ſæculis perpetuum continentiæ jugum his clericis impoſitum fuit, ut patet ex can. 11. Concilii Auguſtodun. in quo dicitur *quod inferiores Clerici quando ad maturiorem ætatem pervenerint licet nolentes ad continentiam cogantur*: idem dicitur in Ticinenſi Concilio A. 1020. & in Concilio Bituricenſi anni 1031. & in Concilio Toloſano A. 1056. in cujus can. 7. dicitur: *Quod ſi reliqui inferiores Clerici, qui Eccleſiaſticos tenuerint honores noluerint abſtinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus, honore ſimul, & Officio priventur, & a propriis Epiſcopis excommunicentur*. Diſciplinam hanc moderata ſunt reliqua Concilia, quæ poſt hæc tempora celebrata ſunt, & ipſi Romani Pontifices, qui nulla excommunicationis pœna mulctarunt hujuſmodi Clericos uxoratos, ſed ſolum ſuis beneficiis ſpoliarunt, ut habetur in epiſtola, quam Alexander III. ſcripſit ad Epiſcopum Londinenſem A. 1176., & in Decretis Innocentii III., & Honorii III., qui Pontifices præterea eoſdem minores Clericos uxoratos privilegiis ſpoliarunt, quæ eiſdem, ut reliquis conceſſerat Innocentius II. dummodo Tonſuram, & veſtes Clericales detuliſſent, Canonis ſcilicet, & feri, ne pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis poſſent a Sæcularibus Judicibus perſonaliter, aut etiam pecuniariter condemnari. Reſtituta tamen legimus eiſdem Clericis hæc privilegia, a Bonifacio VIII. modo bigami non ſit, itemque a Concilio Tridentino in Seſſ. XXIII. cap. 6. modo alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel Miniſterio, ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſerviant, vel miniſtrent, & Clericali habitu, & tonſura utantur, immo hoc ipſo quod biga-

Digitized by Google

Bigamos illos fuiſſe conſtat, aut viduarum maritos ne poſſint aſcendere ad ſuperiores Ordines impediuntur, & vix aliud eſt, ſacrorum Ordinum impedimentum, a quo ægre magis diſpenſatum fuerit ab Eccleſia, adeo tot Conciliorum canonibus, Summorum Pontificum Decretis, ac Sanctorum Patrum placitis bigami ab ordinibus Sacris coerciti ſunt, ut vix in iis referendis aliquis ſufficere poſſet, & Gregorius Magnus diſpenſationem hanc Brunechildi Reginæ conſtanter renuit, ut videre eſt in ejus epiſtola, quæ eſt 8. libri 11. & canon. 10. Concili IV. Aurelianenſis Epiſcopos bigamis manus imponentes per annum ſuſpendit, quod non poſſint eſſe Presbyteri, vel diaconi, vel omnino ex numero Sacerdotali, ut dicitur in canone 17. Apoſtolorum, ſed neque Clerici, ut ſtatuitur in canone 18. Quod ſi aliquando bigamis collati ſunt minores Ordines per Epiſcopi diſpenſationem cap. *Lector*. 34. diſt. ex juſta cauſſa id contigiſſe ſcimus, verum non paſſim, ſed paucis tantum in locis.

CAPUT VII.

DE TONSURA CLERICALI.

INter ea, quæ voluerunt Apoſtoli, peculiare præ ceteris illud eſt, quod Eccleſiæ Miniſtri, quos oportebat fidelibus reliquis exemplar eſſe pudicitiæ, & gravitatis, ab omni laſciviæ, & levitatis exemplo eſſent alieni. Ad hoc pertinet præceptum *de coma non nutrienda* a Paulo eo ſtudioſius inculcatum in 1. ad Cor. cap. 11., quo tutius tam patenti cuivis ſigno, Gentilibus ævo illo huic Operi maxime intentis, Chriſtianæ Religionis, quam Divinis cultibus mancipati profitebantur, judicium demonſtrabatur. Omitto veterum Scriptorum teſtimonia, quibus eadem cauſſa Eccleſiæ Miniſtris copioſiſſime commendatur, & ſolum memoro ex Conciliis Carthaginenſe IV. in can. 44. Agathenſe in can 20. Barcinonenſe in c. 3. Toletanum IV. in c. 40. Romanum ſub Gregorio II. in c. 7. Ex Pontificalibus Pontificale Damaſi in vita Aniceti, & Capitularium librum c. 7. in c 234. cum ex ſingulis his locis intelligatur, quod *omnis vanæ oſtentationis anſa* capillorum rejectione Clericis adimitur, & Clericalis Tonſuræ antiquiſſima obſervatio præcipitur. Nec prætereundi ſunt ex ipſis Græcis Scriptoribus Cyrillus, Evagrius, & Gregorius Nazianzenus, ut innoteſcat utramque Eccleſiam in hac diſciplina conſpiraſſe, quam nonnulli Scriptores (& ſi hoc illorum dictum non ſit recipiendum) vel ex eo fluxiſſe putant, quod Paulus Actorum 8. in Cenchris ſibi caput totondit, vel ab imitatione Nazaræorum, cum ritus ille Judaicus ab Eccleſiaſtico tradendi modo plurimum differat, ut patet legenti caput 6. Numerorum, in quo ritus ille deſcribitur, unde quod ab illis Scriptoribus traditur, ita accipiendum eſt, ut tum origo, tum typus, aut ſimilitudo quædam obſervationis ſignificetur, & illa perfectioris vitæ profeſſio, quæ per ſupervacuarum rerum contemptum ſignificata eſſe recte intelligitur, ex quo merito Epiphanius adverſus hæreſes, hæreſi 80. poſt medium reprehendit Monachos Meſopotamiæ, quod comas muliebres producerent, & ſacco conſpicuo veſtiti incederent, *quos oportebat*, inquit, *eſſe revendos in Tonſura*, itemque Auguſtinus in libro de Opere Monachorum cap. 31. & 32., & S. Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis.

Digitized by Google

II. Illud quoque prætereundum non eſt, quod communiter ab Auctoribus inſinuatur, nimirum per plura ſecula, ſaltem uſque ad ſeptimum, Eccleſiam non conſueviſſe, ſibi miniſtros eligere, qui nullo Ordine, ſed hoc tantum externo ſigno inſigniti eſſent, ſiquidem hujus praxis antiquius non occurrit monumentum illo, quod ſuppeditat ſecundum Toletanum Concilium in can. 4., & Quartum in cap. 24., & Aquiſgranenſe in cap. 135. reliqua enim, quæ his præceſſerunt monumenta, præſeferunt Tonſuram ſimul cum primo Ordinum gradu conferri conſueviſſe, eamdemque fuiſſe partem illius cæremonialem. Certe Siricius epiſt. 1. c. 8. ſcribens quomodo ſe gerere deberent ii, qui ſe Eccleſiæ voviſſent obſequiis a ſua infantia ante Pubertatis annos, inquit: *baptizari, & Lectorum debent miniſterio ſociari*. Idem repetit Zoſimus Papa in epiſt. 1. c. 1. & 3. ſimiliter Concilium Bracarenſe in can. 38. quo prohibuit, ut ex Laico ad gradum Sacerdotii aliquis veniret, *niſi prius anno integro in Officio Lectorum &c. diſciplinam Eccleſiaſticam didiciſſet*; nec aliud eruitur ex Decretis Synodi Romanæ ſub S. Silveſtro, aut ex cap. 38. Concilii III. Carthaginenſis, aut ex cap. 1. ſecundi Vaſenſis: ita ut omnibus jam clarum fuerit, quod Pueri cum Clericatui offerebantur, ſimul quoque Lectoratui initiabantur, neque offerebantur quin ſtatim tonderentur, ut omiſſis ceteris exemplis legitur in vita S. Sulpitii apud Surium die 17. Januarii, qui floruit ſub Theodorico Principe, & in c. 8. vitæ S. Audoeni, & de multis aliis, quorum variis in locis meminit S. Magnus Gregorius. Quibus omnibus ſuffragatur praxis Eccleſiæ Africanæ, quæ nullos alios Clericos agnovit, hoc eſt in Clericali Miniſterio conſtitutos, præter illos, quos S. Cyprianus in libro 1, ſcripſit *Altaribus, & Sacrificiis deſerviſſe*. Porro nullus Altarium Miniſterio conſecrabatur, & nullus Clericus dicebatur, niſi per aliquem Ordinem, quem ſuſcepiſſet, quod expreſſe habetur in canone 21. Concilii III. Carthaginenſis, & in definitione Clerici, quam ſuppeditat S. Iſidorus in lib. 2. de Offic. Eccleſ. ubi inquit: *Omnes qui in Eccleſiaſtici miniſterii gradibus ordinati ſunt, generaliter Clerici nominantur*: Verum dum recenſent Patres veteres, illos qui gradus hos retinerent, nec verbum faciunt de illis; qui ſola Tonſura ſine ullo Ordine inſigniti ſunt, ut inde etiam patere poſſit Patres hos nullam agnoviſſe Tonſuram Clericalem extra omnes Ordines collatam, ſed tantum communem omnibus Ordinibus, & omnibus Clericis, & propriam illorum omnium, qui Dei cultui fuiſſent conſecrati. Hallucinantur itaque Centuriatores, qui Centuria 4 cap. 6. *Tonſuram Clericalem rem eſſe ſuperſtitioſam* dixerunt, *& minime conſentaneam ſtatus Eccleſiæ purioris*. Fallitur etiam Calvinus, qui in lib 4. Inſtit. cap. 19 §. 27. viſus eſt ſenſiſſe a tempore ſolum Auguſtini uſum hunc incœpiſſe. In magno quoque errore verſantur quotquot in Scriptura ſe poſſe invenire putant teſtimonia, quæ hanc Capillorum reciſionem reprobant, cum nemo unus ignoret, quidquid in Scriptura cæremoniale eſt in adventu Chriſti jam ceſſaſſe, & ita non ſolum non obligare modo, verum etiam ex vi antiqui præcepti ſervari non poſſe, & hujuſmodi ſunt quæ leguntur in cap. 19. & 21. Levitici in cap. 9. Hieremiæ, & 44. Ezechielis: *in rotundum non attondebitis comam: non radetis caput, neque Barbam: viſitabo ſuper omnes, qui attonſi ſunt in coronam*; quamquam neque repugnet hæc loca ita explicare: quod Deus tantum Sacerdotibus Hebræorum hoc præceperit ne imitarentur mores Sacerdotum gentilium, & Idolorum, qui radebant caput, & Barbam in cultum Dæmonis

Digitized by Google

ut notant Theodoretus q. 28. in Levitic., & Iſichius, & Radulphus in eumdem locum, & hæc forte cauſſa erat cur Hieronymi, Optati, & Ambroſii tempore Chriſtiani Sacerdotes non raderentur, ſed tonderentur, poſteaquam autem illa cauſſa ceſſavit nihil abſurdi fuit hoc facere, neque hoc unquam prohibitum fuit, licet neque præceptum, & ita hujuſmodi cæremonia pro temporum diverſitate variari abſque peccato potuit. His prælibatis circa Tonſuræ originem, & ejus uſum in Orientali, & Occidentali Eccleſia conſtantem, celeberrima nunc examinanda venit Controverſia, in qua diſputatur de ejus Tonſuræ natura, utrum ne proprie Ordo vocari debeat caracterem imprimens; quod multorum inſignium Doctorum, præſertim Canoniſtarum ſententia eſt, aut prævia diſpoſitio ad Ordines, quæ videtur eſſe Theologorum opinio. Sit igitur

§. I. *Licet graviſſima ſint Canoniſtarum fundamenta, quæ probant Tonſuram Ordinem eſſe, & Characterem imprimere; nihilominus aſſerimus non eſſe æquum Theologorum ſententiam vel refellere, vel parvi pendere.*

III. Et quidem graviſſimum argumentum eſt in articulis deciſis a Canone, auctorati ejusdem aſſentiendum eſſe, & tantum rationes ſcrutari oportere ad deciſionem ſuſtinendam, non impugnandam, præſertim cum in editione Canonis fuerunt omnia mature diſcuſſa, ut accidit, cum Papa de hoc dubio præcipue requiſitus in cap. *cum contingat* de ætat. & qualit. Ordinand. Deciſive reſpondit per *primam Tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalem Ordinem conferri*, & clare conſtet hanc litteram corrumpi, ſi deciſio exponatur: *per Tonſuram quis præparari, ſeu diſponi ad Ordines*: cum Papæ reſponſio congruere debeat interrogationi ex L. 1. §. 1. & 2. D. de Verbor. Oblig. & ex aliis juribus, quibus eadem doctrina confirmatur: cum Innocentius III. cujus eſt citata epiſtola Decretalis fundet reſponſionem in diſpoſitione VII. Synodi, quæ loquitur de Lectoratu, quem fatentur omnes proprie Ordinem eſſe, & cum in hac epiſtola arguat a Lectoratu ad primam Tonſuram, hoc eſt a majori ad minus, quod argumentum inefficax eſſet, ſi minus non comprehenderetur ſub majori; hoc eſt (in dubio Papæ propoſitio) ſi Tonſura Officium eſſet, & non proprie Ordo, ut habetur in regula *Plus* de regulis Juris in 6.: Cum præterea hic Papa dicat in *Collatione Tonſuræ ſervandam eſſe formam Eccleſiæ datam*, qui loquendi modus cum alius ſit, quam ſi dixiſſet *ab Eccleſia datam*, profecto innuit formam illam, quæ in uſu eſt cum confertur Sacramentum quoddam, cui tantum forma præfinita eſt ex Concilio Florentino in inſtructione Armenorum in Decreto fidei in §. 5., & ex Concilio Trident. in cap. 2. Seſſ. XIV. de Sacramento Pœnitentiæ, & in cap. 3 Seſſ. XXIII. de Sacramento Ordinis, nam in collatione Officii, & gradus nulla certa forma ab Eccleſia præſcripta legitur; profecto, inquam, innuit Tonſuram Sacramentum eſſe, & Ordinem ab aliis diſtinctum. Innocentii verba ſubjicimus, ut plenius argumenti pondus innoteſcat: *Cum contingat interdum, quod Laici ad Monaſteria convolantes a ſuis Abbatibus tonſurentur, Apoſtolicæ Sedis oraculum requiſiſti* (Robertus de Pullo Archiepiſcopus Rhotomagenis hic indicatur) *an Clericatus Ordo in Tonſura hujuſmodi conferatur. Super quo Fraternitati tuæ reſpondemus, quod cum in VII. Synodo ſit ſtatutum, ut Lectores per manus impoſitionem licentia ſit unicui-*

Digitized by Google

cuique Abbati in proprio monaſterio ſolummodo faciendi, dummodo ipſi ab Epiſcopo (ſecundum morem præficiendorum Abbatum) *manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere Sacerdotem, per primam Tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam, a talibus Clericalis Ordo confertur.*

IV. Aliud non minus efficax argumentum ſuppeditat Bonifacius VIII. in cap. *Degradatio* de Pœnis in 6. ubi Pontifex docens, quibus Aſſiſtentibus fieri debeat degradatio, de quibus veſtibus, & ornamentis, libris, & inſtrumentis in degradatione expolliatio fiat, inter cetera inquit: *Ab illo veſtimento, ſeu ornamento quod datum, vel traditum fuerat ultimo inchoando, & deſcendendo gradatim, degradationem continues* (Epiſcopus) *uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione Tonſuræ, tuncque radatur caput illius, ſeu tondeatur ne Tonſura, ſeu Clericatûs veſtigium remaneat in eodem* hactenus Bonifacius. Igitur ex his verbis conſtat, quod Clericus etiam primæ Tonſuræ ſolemniter degradatur. Quid eſt autem Degradatio, quam actualis depoſitio ab Ordinibus ſuſceptis? Si ergo Clericus primæ Tonſuræ actualiter ab Ordine deponitur, neceſſe eſt, quod Ordinem habeat, cum privatio præſupponat habitum cap. *ad diſſolvendum* de deſponſat impub., & cum præſertim ab Officiis, ſeu dignitatibus hæc actualis degradatio non fiat, ſed tantum verbalis depoſitio, ut notat Pontificale Romanum in titulo de degradationis forma.

V. Et revera idem Pontificale Romanum in titulo de Clericis faciendis, prima Tonſura initiandos appellat *Clericos Ordinandos. Pro Clericis Ordinandis*, inquit, *parentur forfices pro incidendis Capillis &c.*, & infra: *quilibet Ordinandorum habere debet ſuum ſuperpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum*; Et in titulo de Ordinibus conferendis *iidem Clerici dicuntur Ordinati ad primam Tonſuram.*

VI. Accedit his omnibus, quod in Collatione Tonſuræ adhibetur materia, veſtis ſcilicet, quæ traditur ab Epiſcopo ſedente cum mitra: profertur etiam forma ſub illis verbis: *Induat te Deus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*, quæ verba pronunciantur in ipſo actu traditionis veſtis, & in ſingulis Ordinandis ſerio repetuntur: Confertur inſuper gratia Spiritus S., ut habetur in cap. *omnes*, & cap. *Spiritus Sanctus* de Conſecr. d. 5., & patet ex Oratione quam Pontifex recitat ſuper Ordinandos, in qua dicit *Oremus Dominum noſtrum J. C. pro his famulis tuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant, ut donet eis Spiritum Sanctum.* Poſtremo in illius collatione imprimitur character ex Sixti V. conſtitutione contra Clericos male promotos, quæ incipit *Sanctum, & ſalutare &c.*, & ex decreto S. Congregationis Concilii, quæ oppoſitam opinionem anno 1621. proſcripſit, & alias reſpondit Tonſuram collatam non ſibi ſubdito ab Abbate habente juriſdictionem quaſi Epiſcopalem iterandam non eſſe, quod *characterem impreſſiſſet.* Hæc autem ſingula efficaciſſime probant ex Analogia ceterorum Ordinum Tonſuram vere, & proprie Ordinem eſſe, eo vel maxime quia ex neceſſitate præcepti (Concil. Triden. Seſſ. XXIII. c. 4.) prærequirit characterem Sacramenti Chriſmatis, quem ex D. Thoma in 4. d. 24. q. 1. a. 2. q. 4. nullum Sacramentum prærequirit, niſi Ordinis Sacramentum.

VII. Quod fortius etiam ita eſſe convincitur cum ejusdem Tonſuræ effectus attenduntur, nam Clericus Tonſuratus Jure Divino ab omni poteſta-

te

te Seculari eximitur cap. *Si Imperator* 96. d. gaudet privilegio canonis cap. *contingit* de ſenten. excom. beneficiorum eſt capax ex Concil. Trid. c. 6. Seſſ. XXIII. poteſt fieri Abbas commendatarius, poteſt excommunicare, & & ſuſpendere, beneficia conferre, ſpirituales cauſſas cognoſcere, Perſonas Eccleſiaſticas diſtringere, & omnis jurisdictionis Eccleſiaſticæ, tam Ordinariæ, quam delegatæ eſt capax, quæ omnia nulli Laico conveniunt cap. *ex litteris* de Tranſlationibus.

VIII. Perperam a quibusdam optatur, quod Tridentinis Patribus idem probatum fuiſſet, & quod ſententiam eamdem tenuiſſent, cum clarum ſit Concilium Tridentinum noluiſſe definire controverſias, quæ inter Theologos, & Canoniſtas agitabantur, hoc enim neque neceſſarium, neque expedire putavit: quapropter cum de Tonſura Clericali egit Concilium, hanc ab aliis minoribus Ordinibus diſtinxit, ut multa illa, quæ ſtatuenda erant circa hanc Tonſuram ita decerneret, ut neutri Sententiæ favere videretur, non ut nobis liceret inferre Tonſuram a Concilio inter Ordines non cooptari; ſiquidem hoc dicere vetat Sacra Congregatio, quæ nunquam declaravit hunc ſenſum habuiſſe Concilii Patres, quamquam non definiverint Tonſuram eſſe Ordinem, & quamquam in cap. 17. Seſſ. XXIII. aſſeruerint in Eccleſia reſtitui Ordinum functiones a Diaconatu, uſque ad Oſtiariatum dumtaxat, quia munus Clericorum primæ Tonſuræ fortaſſe nunquam fuit intermiſſum in Eccleſia, non ſecus ac quia nunquam prætermiſſum fuit Presbyterorum munus, neque Presbyteratus meminerunt. Ceterum ſi ſubtilius de mente Patrum Concilii inquirendum eſſet, non obſcure hæc erui poſſet ex his verbis: *Pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonſuræ &c.* quæ leguntur in capite 1. Seſſionis XXI. cum hæc aperte favere videantur ſententiæ Canoniſtarum, quandoquidem illa dictio *etiam*, ut Celeberrimi Canoniſtæ adverterunt, in loco, in quo a Patribus uſurpatur propriam naturam retinens, quæ in hoc ſita eſt, ut rerum præcedentium conditionem in ea transferat, quæ ſubſequuntur L. *etiam* D. de Verbor. Signif. Clementina *Religioſus*, & ibi Cardin. in 1. notab. de Procurat. exprimit Tonſuram ſub ſpecie Ordinum contineri.

IX. Neque hinc aliquis arguat non recte dici a Catechiſmo Romano Tonſuram eſſe præparationem, aut aditum ad Sacramentum Ordinis, & Oſtiariatum non recte primum gradum appellari, ſiquidem cujuslibet Ordinis Inferioris hæc proprietas eſt, ut ad alium Superiorem præparet, & diſponat, quare non repugnat, quod Tonſura ſit præparatio ad Ordines, & ipſa quoque ſit Ordo, ſicuti non repugnat, quod Baptiſmus qui aditus, & janua dicitur Sacramentorum ipſe quoque Sacramentum ſit. Dum vero Oſtiariatus dicitur a Catechiſmo primus gradus hoc tantum intelligendum eſt reſpectu ſequentium, ut patet a ſimili, ex iis quæ leguntur in capite *ſi Officia* d. 59. ubi de eo, qui ad Sacerdotale Officium debet accedere ſtatuitur, *quod Aſſueſcat in Domini caſtris in Lectorum primitus gradu Divini rudimenta ſervitii, nec illi vile ſit Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per Ordinem fieri*, & tamen certum eſt Lectoris gradum non eſſe primum, ſed ſecundum ab Oſtiariatu. Sicut igitur hic ſecundus gradus dicitur primus reſpectu tertii, ita Oſtiariatus poteſt appellari primus reſpectu Inferiorum, non vero quia alter Ordo illum non præcedat, cum ex variis juribus conſtet, quod primus dicitur non ſolum quem nemo præcedit, ſed etiam qui ha-

habet alios poſt ſe, ut notavit gloſſa fin. in cap. *Joſeph* de Verbor. Signif. Optima igitur eſt Catechiſmi expoſitio, nec damnum infert honorabilium Canoniſtarum opinioni, quod dici debet etiam de illis juribus, in quibus dum numerantur ſinguli Ordines, & gradus Eccleſiæ nulla Clericalis Tonſuræ ſit mentio, quod illa per alia ſuppleri poſſint, inuſitatum enim non eſt in Sacris Canonibus, ut quandoque omittatur aliquis Ordo. Acolythi, & Exorciſtæ nulla ſit mentio in cap. *ſi quis Epiſcopus* 27. q. 1. itemque Oſtiarii in cap. *in ſingulis* 77. d. & tamen ex his textibus non licet arguere Acolythatum, Exorciſtatum, & Oſtiariatum non eſſe Ordines, ita quod jura aliqua Tonſuram Clericalem retinuerint, inferri non poterit Tonſuram hanc ab Ordinum, & graduum Eccleſiæ numero expungendam.

X. Cum tamen Sacrorum Theologorum auctoritas magni ſit facienda, quia Sacrorum Canonum diſciplina Sacræ Theologiæ gaudet præſidiis, & Canonicæ ſanctiones ex puriſſimis Sacræ Theologiæ fontibus emanarunt, expedit aſſerere evidentiſſime non conſtare Tonſuram Ordinem eſſe. Primo quia antiquitus ab Ordinum minorum primo non diſtinguebatur, ſed ut ſupra diximus cæremonia erat ejus collationi connexa. 2. quia in puerorum gratiam, qui minorum Ordinum incapaces erant, ab Ordinum primo diſtingui cœpit. 3. quia antiquiſſima omnium Eccleſiaſtica monumenta teſtantur primo inventam, & datam aliis de cauſſis, quæ Ordinum inſtitutioni convenire non poſſunt. Quarto tandem eo quod illa initiati in nullo gradu eminente ad miniſterium Templi ſunt conſtitui, eſt enim eorum ſtatus communis omnibus Templi Miniſtris, cum ea exerceant, quæ communiter a toto miniſtrorum Collegio fiunt, cum Divinis laudibus vacant, nec Spirituale ullum Officium illis conceditur, ex quo appareat, quam poteſtatem conſequantur ad Corporis Chriſti conſecrationem, quod requireretur, ut Tonſura eſſet Ordo, cum ad hoc omnes Miniſtri Eccleſiæ principaliter ordinentur ex cap. *perlectis* 25. d. ex Concil. Triden. Seſſ. XXIII. de Sacram. Ordin. cap. 2. & can. 2. & ex S. Thoma in 4. d. 24. q. 2. a. 1. q. 1. ad 3. Nec ſatis probat contrarium id quod Innocentius III. ſcripſit in ſupra laudato capite *cum contingat*, cum ibi Pontifex Ordinem Clericalem acceperit pro ſtatu, quo Tonſurati a Laicis diſcernuntur, & ſegregantur, non vero pro gradu, qui aliquam poteſtatem conſerret, vel mediatam, vel immediatam ad Sacramentum Euchariſtiæ conſiciendum. Quo etiam modo accipienda ſunt illa jura, in quibus prima Tonſura initiati Clerici appellantur, eo quod ita Tonſuratos Eccleſia inter Clericos enumerat, & Clericorum privilegiis exornat.

XI. Quod dictum eſt de prima Clericali Tonſura, extenditur ad *Pſalmiſtatum*, quem Canoniſtis placuit inter Ordines recenſere, licet Theologi velint Officium eſſe Lectori annexum, quamquam in pluribus Canonibus inter Ordines recenſeatur, & præſertim in illis, in quibus Ordines non recenſentur reſpectu miniſterii in Eccleſia peragendi, ut conſtat conſulenti tum caput *non oportet* quod in 44. diſt. primò a Gratiano recenſetur, tum Canonem Apoſtolorum 25. aliis 27. ubi ſic legitur: *Ex iis, qui non ducta uxore ad Clericum promoti ſunt jubemus, ſi velint uxorem ducere Lectores, & Cantores ſolos*, & demum Novellam Conſtitutionem 123. in cap. 19. quæ habetur in Authent. de Sanctiſſimis Epiſcopis §. *Presbyteros*, & refertur in cap. de *Perſona* 11. q. 1. cujus hæc ſunt verba *Presbyteros autem, & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores omnes Clericos appellamus*; imo

quam-

quamquam *Pſalmiſtatus* habeat ſpeciale miniſterium in Eccleſia ab aliorum Ordinum miniſteriis diſtinctum, & præſertim a miniſterio Lectoris cum in cap. *Perlectis* 25. d. *Pſalmiſtæ* concedatur Officium cantandi, dicere benedictiones, laudes, Sacrificium, reſponſoria, & quidquid pertinet ad canendi peritiam. *Lectori* vero tantum concedatur Lectiones pronunciare, & ea, quæ Prophetæ vaticinati ſunt Populis prædicare, panem, & fructus novos benedicere, ut videre eſt in Pontificali Romano in tit. de *Ord. Lectoris*, quæ munera Pſalmiſtæ non competunt, & quamquam demum habeat ſpeciale nomen, ſpecialem materiam & ſpecialem formam, ut videtur in Pontificali Romano in rubrica de *Officio Pſalmiſtatus*: & in hoc videntur Theologi probabiliori ſententiæ adhæſiſſe; quod præcipue demonſtratur ex cap. 10. Concilii IV. Carthaginenſis, in quo dum agunt Patres de conſtituendis in aliquo Ordine, Epiſcoporum uſque ad Oſtiarios electionem vocant Ordinationem, & ipſos electos ordinatos dicunt, de *Pſalmiſtis* vero dicunt poſſe Officium ſuſcipere cantandi ſola juſſione Presbyteri abſque ſcientia Epiſcopi, ex quo apparet Africanis Patribus multo minus fuiſſe Pſalmiſtæ Officium, quam primæ Tonſuræ, nam primam Tonſuram Sacerdos ſine juſſu Epiſcopi conferre nequit, at vero quiſque ad pſallendi Officium eligi poteſt a Sacerdote ſine Epiſcopi licentia. Obſervandum tamen eſt, quod quamquam Græci Tonſuram Clericalem cum Lectoratu conjungant, ut videri poteſt in antiquiſſimis eorum Euchologiis, & morem hunc adhuc ſervent non conferendi Tonſuram niſi ſtatim ſubſequatur Lectoratus, ita ut apud illos Tonſura ſit velut cœremonia ad Lectoratus collationem pertinens: Nihilominus apud eoſdem non tam Cantoratus, ſeu Pſalmiſtatus hactenus Ordo eſt, quam ſit Lectoratus, & Subdiaconatus, ut docent omnia eorum Euchologia, hoc tantum diſcrimen eſt apud eorum nonnullos, quod Lectoratus, & Cantoratus inter ſe diſparatos habeat, & habentur Ordines collaterales non inferiores, ita ut unus alterius ſuſceptionem non poſtulet, apud alios vero, & præſertim apud Syros Maronitas res alio modo ſeſe habet cum Cantoratus ſit gradus ad Lectoratum, & iden diverſæ ſunt Ordinationes, ut videre quis poteſt in eorum Rituali, in quo etiam legitur, quod tam Cantor, quam Lector ante Altare conſecrantur, & poſt Conſecrationem ipſi Altari admoventur, quod Græci nunquam faciunt.

XII. Quæritur nunc utrum Clerici præcepto aliquo teneantur Tonſuram deferre? Hic non accipitur nomen Tonſuræ pro Comæ virilis geſtatione, quam nutrire ut ſupradiximus a S. Patribus, etiam in Laicis exoſum eſt, & quam Eccleſiæ miniſtri in album Sacræ militiæ relati deponunt, ut Clericalem dignitatem per comæ Tonſuram ſuſcipiant, ſed accipitur pro illa Corona, quæ in apice fit, cum in minoris circuli formam capilli raduntur, ut hoc ritu, quemadmodum D. Iſidoro placuit, *Clerici moneantur ſe tamquam Spirituales Reges coronam geſtare debere, vel ut doceantur* (quod Germanus Patriarcha COS. aſſeruit) *rotundam hanc mediam pilorum ſectionem vice coronæ ſpineæ Domini noſtri Jeſu Chriſti eſſe*, in quo cum Beda conſentit. Igitur, ut ad quæſitum reſpondeamus; Dicimus quod Clerici ſinguli (quia jure non prohibentur) Coronam hanc deferre tenentur, ſi velint Eccleſiaſticis frui privilegiis, & Officiis. Authenticum hujus neceſſitatis documentum ſuppeditat Concilium Tridentinum in cap. 6. Seſſ. XXIII. de Reformatione, ubi decernitur Clericum fori privilegiis non gaudere, niſi ali-

cui

Digitized by Google

cui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum &c. quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur, & Clericalem habitum, & Tonſuram deferat. Nec aliud decernunt Jura illa, quæ de conditionibus agunt neceſſario obſervandis, ut quis alicujus Beneficii ſit capax, itemque gaudere poſſit obtento; & præcipue hoc habetur deciſum in Conſtitutione 38. Sixti V. per quam Clerici actu non incedentes in habitu, & tonſura ipſo facto ſunt privati omnibus Beneficiis, omnique jure ſibi in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, & Beneficia ſic per hujuſmodi privationem vacantia, diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervantur, graviterque peccare in hoc delinquentes, qui prætertim in Sacris ſunt conſtituti, Doctores communiter tradiderunt, ſi notabilis in hoc exceſſus fiat, & ultra modum conſuetum, nam licet hoc præceptum ex objecto obliget ad mortale, tamen ex levitate materiæ veniale reddi poteſt, quæ levitas ex duratione temporis, arbitrio prudentis, non aliunde expendi debet, & per hoc videtur diſtinctio hujus præcepti ab aliis, in quibus levitas materiæ non ex diuturnitate temporis, ſed ex aliis cauſſis conſideratur. Quod extenditur etiam ad privationem privilegii fori, & ut aliis Canonicis pœnis mulctari poſſit, ad hoc enim non ſufficit, quod Clericus ex levitate, faſtum, aut pompam ſæcularem non nihil affectet, aut una, alteraque vice Tonſuram, & habitum, etiam ſine juſta cauſſa dimittat, ſed requiritur ut ita continuet, ac paſſim ut Laicus incedat, & dici queat illum abjeciſſe veſtes Clericales, eaſque, ut loquitur Concilium *parvi pendere videatur*. Ex hoc tamen inferri non debet unicum etiam actum abjectionis veſtium, & Tonſuræ Clericalis Epiſcopum pro ratione ſcandali, & exceſſus punire non poſſe. Poteſt profecto Epiſcopus in Clericos hoc animadvertere; ut ſcandalum ceſſet, aut nota in populo. Quod autem attinet ad Excommunicationis pœnam latam in Canone *ſi quis* de Vita, & honeſt. Cleric. contra Clericos, qui comam relaxaverint, ita explicandum eſt, ut pœna hæc ipſo facto non incurratur, niſi poſt admonitionem, ut ſi monitus quis non paruerit excommunicetur, a qua tamen excommunicationis pœna eximit Alexander III. in capite *ſi vero* 4. de Senten. excomm. manus violentas inferentem in Clericum comam nutrientem, quia comam nutrire a Clericali ſtatu alienum eſt. Dum ſupra diximus, *qui a jure non prohibentur*, hoc diximus ut, tum antiquam Eccleſiæ praxim innueremus, de qua Patres VI. Synodi egerunt in can. 21. in quo dum ob graviora crimina Clerici deponebantur, & ad Laicalem ſtatum redigebantur jubebatur, ut comam nutrirent ſicut Laici, utpote qui mundanam, ſeu ſæcularem converſationem vitæ cæleſti præpoſuerint; tum etiam ut adverteremus a Gregorio X. in Lugdonenſi Concilio Clericis bigamis prohibitum eſſe in capite *Altercationes* de Bigamia in 6. ſub anathematis pœna Tonſuram, vel habitum Clericalem deferre, ceterum, non ſolum deferre habitum, & tonſuram. Bigamis prohibitum eſt, verum etiam ipſa tonſura initiari, neque ſuper hoc impedimento poſſe Epiſcopum diſpenſare, & Laicos bigamos inter Clericos aſſumere, quod contra dictum Gregorii X. ſtatutum non poſſit illis concedere, ut veſtibus Clericalibus utantur, & privilegiis Clericorum gaudeant; quod ſi hoc faceret, etſi reciperet characterem, non tamen reciperet executionem, nec eſſet capax beneficii, & ſucceſſive ſic proviſus teneretur illud dimittere, & ad alios Ordines aſcendere prohiberetur. Hæc autem omnia contingunt bigamo propter Sacramenti de-

fectum

ſectum, non propter crimen, quia nimirum carnem ſuam diviſit in plures ab unitate recedendo, & hoc Sacramentum amplius reſtitui non poteſt per aliquam ſatisfactionem, cum non ſit crimen, & propter hoc Bigamia definiri ſolet: *irregularitas ex defectu Sacramenti proveniens, qui enim exceſſit uxorum numerum ſingularèm* ut D. Auguſtinus ait de bono conjugali cap. 18. *non peccatum aliquod commiſit, ſed normam quamdam Sacramenti amiſit non ad dutte bonæ meritum, ſed ad Ordinationis Eccleſiaſtica ſignaculum neceſſariam.*

XIII. Omittendum hic non eſt, quod cum Tridentini Patres in nuper laudatis verbis Clericis præcipiant Tonſuram, & habitum Clericalem deferre, non licere eisdem communem habitum tranſgredi, quapropter illis abſtinendum eſſe a veſtibus fluxis. & pompoſis, habituque inhoneſto, & nimio ornatu, quod indumenti genus per XIII: ſæcula ſemper Eccleſiaſtici viri abhorruerunt ut patet ex can. 15. primi Concilii Matiſconenſis, ex can. 2. Rhemenſis ſub Eugenio III., ex can. 16. ſeptimæ Synodi, alliſque quampluribus: & revera cum Clerici vi Profeſſionis ſint a mundo ſeparati, & in militiam Chriſti adſcripti, ab eorum Profeſſione alienum eſt, ſi exteriori habitu mundanam militiam, aut vitam Laicalem potius quam Clericalem profiteri velint, imo Profeſſionem ſuam ſe vili pendere, & erubeſcere, eique quodamodo ſic agentes renuntiare oſtendunt. Hos itaque inſanos Clericos Tridentinum Concilium in Seſs. XIV. cap. 6. de Reform. ita coercuit; ut ſi poſtquam per Edictum publicum moniti fuerint honeſtum habitum Clericalem deferre illorum Ordini, & dignitati congruentem, & juxta ipſius Epiſcopi Ordinationem, & mandatum non detulerint *per ſuſpenſionem, ab Ordinibus, ac Officio, & beneficio, ac fructibus, & reditibus. A proventibus ipſorum Beneficiorum, nec non ſi ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem Officiorum, & beneficiorum hujuſmodi coerceri poſſint, & debeant, Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit* Quoniam *innovando, & ampliando*. Quæ autem dicenda ſit veſtis ordini Clericali conveniens, generaliter determinare ardua res eſt, & difficilis; hæc itaque pro temporis, & loci conditione aſſumenda eſt, & quoniam mundana curioſitas quotidianas adinvenit levitates, ille habitus quibuslibet Eccleſiaſticis perſonis interdictus eſt, a quo Epiſcopus abſtinendum mandavit,

TRACTATUS IX.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

PARS ALTERA

DE SACRO PRINCIPATU.

FUit jam Anabaptiſtarum inſania, quod omnis Chriſtiano populo detraheretur politica Poteſtas, ſine qua terrenæ Reipublicæ ſalus in apertum diſcrimen, interitumque vocatur. Lutheranorum, e contra in Eccleſiaſticum quemque Ordinem livor, Eccleſiarumque Paſtores eo pervenit, ut Eccleſiaſtica poteſtate populum omnem augeret, ut cum Paſtores ab Ovibus ducerentur, & milites Imperatoribus imperarent, interim res Chriſtiana periret, periret Chriſti regnum, & ad interitum animæ ſingulæ properarent, nihil ſui, ſuorumque exitii ſolliciti, dummodo hominum ſacrorum ordinata poteſtas, debitum in ſubditos retinens principatum, Hierarchia ſcilicet Eccleſiaſtica præceps in peſſum rueret, nec nomen ipſum Sacri Principatus ſupereſſet. Impiis his Hæreticorum conatibus, vel Satanæ potius conſiliis, & furori occurrerunt ſuis Decretis Concilia plurima, ſuis doctrinis, & ſcriptis Theologi præſtantiſſimi, Sacrique Principatus Statum demonſtrarunt, Scripturæ, & antiquiſſimæ Traditioni inhærendo præſidiis, neceſſitatemque ejuſdem probantes, hunc conſtare dixerunt ex Epiſcopis, Præsbyteris, & Miniſtris, & eos, qui tantummodo a populo, aut ſæculari poteſtate, aut Magiſtratu vocati, & inſtituti ad hoc miniſterium aſcendunt, &, qui illud propria auctoritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures, & latrones per oſtium non ingreſſos habendos eſſe pronunciarunt. Nos etiam cogit Ordo diſputationis, ut eoſdem errores refellamus, & controverſias illas explicare aggrediamur, quas inſolens Hæreticorum audacia excitavit contra Sacrum hunc Principatum, & omni argumentorum genere diſcutiamus. Ita vero de hac re diſputabimus, ut non plene id quidem, nec ex toto contingat, quod magni nominis Theologi jam

præſti-

præſtiterunt, ſed quantum argumenti noſtri poſtulat ratio, & magnitudo. cum de Sacramento Ordinis agamus, ad quod cum hominum ſinguli promovendi non ſint, & qui ſunt ad illud promoti, indiſcriminatim, nulloque modo ſervato hierarchicis miniſteriis fungi non debeant, & quæ divina ſunt agere, cæteriſque Laicis diſpenſare, præſtat ſuprema illa capita attingere quæ Perſonarum in hoc Sacro Principatu excellentiam, earumdemque munera oſtendunt, & ea quæ cæterarum Perſonarum conditiones exhibent, quibus ſolent Divina hæc miniſteria commendari; hoc eſt agemus de ſupremis Eccleſiarum Paſtoribus, eorumdemque muneribus, & diſcrimine ab inferioribus, tum de reliquis miniſtris, qui in partem ſollicitudinis vocati Sacro huic Principatui adſcribuntur. His autem omnibus controverſiam præmittemus de exiſtentia Sacri Principatus.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA SACRI PRINCIPATUS.

1. QUi Cœlum terramque regit, is nimirum Cœli novit ordinem, & in terra potuit Cœleſtis ponere Ordinis rationem. Is exempla de Superis ad inferiora derivans, ſicut in Firmamento Cœli duo Luminaria magna conſtituit, ut Mundum vicibus illuſtrarent, ſic & in terra maxima dona ſua, Sacerdotium videlicet, & Imperium ad plenum ſpiritualium mundanorumque regimen, ad firmamentum Eccleſiæ militantis inſtituens, utriuſque poteſtatis ita diſcrevit officia, ut eorum officiola diverſitas nulla ſibi adverſitate diſſentiat, ſed in commiſſi executione regiminis ex Officii debito in voti unitate concordet, & ipſorum procul dubio profutura concordia, alterutrius alternis fulta præſidiis, & utriuſque mutuis munita favoribus, opus juſtitiæ liberius operetur, pacem mundo pariens, tranquillitatem inducens, & nutriens unitatem. Ex hoc tamen non licet inferre quod tota Eccleſia ſimul juncta nullum hominem punire poſſit punitione coactiva, niſi concedat Imperator. Dixerunt hoc ſane Marſilius de Padua, Joannes de Janduno, cæterique Hierarchiæ perturbatores, verum id Doctrinæ Evangelicæ noſcitur obviare; conſtat enim Chriſtum Dominum dixiſſe Petro, & in perſona Petri Eccleſiæ: quodcumque *ligaveris ſuper terram &c.* Quis autem ignorat non ſolum voluntarios, ſed etiam invitos ligari? Legitur etiam in Matthæo, *quod ſi aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Eccleſiæ noluerit emendare, quod Eccleſia per poteſtatem a Chriſto ſibi conceſſam ipſum ad hoc per excommunicationis ſententiam compellere poteſt*; quæ quidem poteſtas utique coactiva eſt, quod excommunicatum non ſolum a perceptione Sacramentorum removeat, ſed etiam a communione fidelium eumdem excludat, quod pœnæ genus a legibus ipſis Imperialibus cæteris gravius reputatur, *nam nihil magis inſenſum ſibi quis novit, quam inter homines converſari, ipſorumque ſuffragio privari, & inſenſius etiam, quam ab hominibus ſeparari*. Neque aliud evincit quam poteſtatem coactivam, non a terreno Judice, ſed ab ipſo Chriſto fuiſſe Eccleſiam conſecutam, Petri in Ananiam, & Saphiram uxorem exitialis ſenten-

tia, qui de pretio agri Eccleſiam fraudaverant, & Pauli in Elymum Magum animadverſio, itemque in inceſtuoſum Corinthium, quem in carnis interitum tradidit Sathanæ, aut illa, quæ idem Apoſtolus ad Corinthios ſcripſit *vellent ne ſe in virga ad eos venire, an in caritate, & ſpiritu manſuetudines*, itemque illa, quæ ſcribens eiſdem alibi dixit *Arma militiæ noſtra non Carnalia pro Deo*. ideſt a Deo *conceſſa ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruens, & omnem multitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei &c. in promptu habentes ulciſci omne malum*, cum nullibi legatur Paulum ab humano Die, e contra vero ipſe pluribus in locis teſtetur ſe a Deo poteſtatem hanc coactivam accepiſſe. Peſtiferam hanc opinionem, quam Marſilius expoſuit in ſuo Tractatu de Jurisdictione Imperiali, & Pontificia, quem Anno 1324. Ludovico Bavaro Imperatori nuncupavit, & cui conſarcinando damnatiſſimam operam Jandunus impendit, erudite, ac prolixe confutavit Joannes XXII. in ſententia illa ſua, quæ legitur apud Odoricum Raynaldum ad A. 1327. eamdem proſcripſit Pariſienſis facultas A. 1330. deinde Senonenſe Concilium A. 1528. cum procurantibus Lutheranis in Chriſtiani-populi perniciem, iterum Marſilii liber excuſus eſſet, terrenis Principibus impie applaudens, omnem Prælatis adimens jurisdictionem ea dumtaxat excepta, quam ſæcularia largitus fuerit Magiſtratus, eamdem denique confutarunt Alvarus, Pelagius, Alexander de S. Elpidio, Petrus de Palude, & Albertus Pighius lib. 5. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. Errorem eumdem propugnavit, Antonius de Dominis in lib. 5. de Republ. c. 1. 2., & 3. iisdem ferme, aut non diſſimilibus fundamentis, inter quæ, & illud præcipuum eſt non poſſe Eccleſiam infligere pœnam niſi volenti, & eum, qui nolit Eccleſiæ judicium ſubire, aut pœnam ab ea impoſitam ferre, nec ad judicium invitum per pœnam adduci poſſe, nec compelli ut pœnam in ſe admittat: quod ſi aliquis nolens excommunicatur, excommunicatio iſta non eſt pœna ſolius Sacerdotis, ſed totius Communitatis, ſeu Judicis a communitate electi, ſive ille ſit Sacerdos, ſive non ſit; *Sacerdos vero ſolum claviger i officium exhibet pronunciando maledicti ſententiam in eos, qui judicio totius communitatis renituntur: Judex civilis conſtringit, ut ipſa ſervetur*. Quid vero in contrarium reſpondeatur in ſequenti paragrafo exponemus.

§ Unicus *Eſt in Eccleſia poteſtas præſcribendi Leges, quæ obligent fideles: etiam nolentes, jubendo ex auctoritate, ut illæ ſerventur, & niſi fiat in forma judicii procedendi contra tranſgreſſores.*

II. Hujus propoſitionis veritatem probant hæc Chriſti verba ad Apoſtolos, quæ leguntur in cap. 20. Joannis *ſicut miſit me Pater & ego mitto vos*, cum enim a Patre Chriſtus Dominus miſſus eſſet cum poteſtate condendi leges, præcipiendi, & judicandi, ut in pluribus locis Scripturarum habetur, & ut communiter Eccleſiæ Patres verba hæc interpretantur, ſuam hanc poteſtatem in ipſos Apoſtolos tranſtuliſſe dicendum eſt, & Petro in primis tradidiſſe, tum cum exhibiturus quod ante illi promiſerat Joan. 21. dixit *Paſce oves meas*, cui muneri maxime convenit leges, & ſtatuta decernere, actuique indifferentes præcepti, neceſſarios facere, & per ſe bonos, cum nonniſi legibus perfectum communitatis regimen haberi, Politici omnes doceant, ceteri-

teriqne de hac materia diſputantes , nec alio modo quam legibus promulgatis poſſit Eccleſia gubernari. Huc faciunt ſingulæ illæ definitiones, in quibus hæc ipſa veritas ab Eccleſia ſtabilitur, & illa quæ Conſtantienſes Patres in VIII & XV. Seſſione ſtatueruut, & X. Leo in ſua Bulla. Nec aliud innuunt, tum illa quæ Apoſtoli in Hieroſolymitano Concilio decreverunt, ut in illorum Actis c. 15. deſcribitur, & illa quæ inſerta ſuut in Generalibus omnibus Conciliis, imo in Provincialibus etiam, & Nationalibus, quibus ineſſe auctoritatem ad condendos Canones adeo manifeſtum eſt, ut & ipſe auctor Apologetici pro Decretis Gregorii VII. editis in Concilio Romano A. 1074. hanc veritatem conſtituat inter axiomata diſciplinæ Canonicæ, modo Canones hi coutrarii non ſint canonibus Oecumenicorum Concilium, quorum Decreta fatetur eſſe obſervauda tamquam leges evangelicas, quæ inſtitutioni chriſtianæ Religionis proculdubio ſuffragautur.

III, Eruitur etiam exiſtentia hujus poteſtatis in Eccleſia ex eo quod Chriſtus Dominus per legem a ſe latam uon omnia juſſit, vetavit, aut permiſit, ſed ea tantum, per quæ in gratiam introducimur, & quæ ſunt de neceſſitate medii, aut præcepti ad conſequendam vitam æternam, ut præceptum de profitenda fide Matth. c. 10. & de ſuſcipiendis Sactamentis, per quæ gratiam conſequimur, & ut inſtituit Ordinem miniſtrorum inſtituendo XII. Apoſtolos, & LXXII. Diſcipulos; verum per illam legem a ſe latam nou ea omnia in particulari, quæ ad ſpirituale Regimen Eccleſiæ neceſſaria erant providit, ſed ſolum ſubſtantialia quædam fuodamenta hujus ſpiritualis Reipublicæ inſtituit, reliqua vero diſponenda commiſit ſuis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Eccleſiæ Paſtoribus, quorum conſilio, & legibus inſtitutam a ſe Eccleſiam regendam tradidit, tum ut ſuaviter, & modo hominibus congruo omnia ordinarentur, tum quia non poterant omnia in particulari ita ſtatui, ut eſſent immutabilia. Hæc igitur determinatio fit per leges Eccleſiaſticas, quæ ita neceſſariæ fuerunt in ſpirituali Republica, ut ſunt civiles in temporali, quod inter ceteros probant Carolus Bovius in præfat. ad Conſtitut. Clement. Alphonſus a Caſtro adverſus hæreſes verbo *Eccleſia* hæreſi 3. Rouſelius lib. 1. hiſtor. Pontif. juriſd. c. 3. aliique. Diſſimulandum tamen non eſt quod primis illis temporibus cum Eccleſia hæreticos non noviſſet, hæc traditionibus regebatur, quod notavit Tertullianus de Anima c. 5. *Prior fuit anima, quam littera, & ſermo prior quam liber, & prior ſenſus quam ſtylus*. Quare Traditionibus obſervabantur, Jejunium Quadrageſimale, ut S. Leo Sermone 2. de Jejunio ſcripſit: Suffragia pro Defunctis teſte Chryſoſtomo homil 60. ad Populum; ritus aquæ benedictæ ex Clemente lib. 7. c. 29. & Paſcha quotannis celebrandum, ut ait Euſebius lib. 5. hiſtor. c. 22. & 23. deinde vero aliqua præcepta ſcribi cœperunt, & ſic Chriſtiana Reſpublica, ut alia quælibet bene fundata, partim jure ſcripto, partim non ſcripto regebatur, quid enim eſt aliud traditio, niſi jus nou ſcriptum? ut inter ceteros advertit Cironius ad titulum de Conſuetudine. Certe non ii ſumus, qui velimus Conſtitutiones omnes, & Decretales Epiſtolas, quæ pluribus Romanis Pontificibus adſcribuntur eſſe genuinos illorum Pontificum fœtus; ultro concedimus plures ſuppoſititias eſſe, ut ſuppoſititia pleraque alia Scripta eſſe, viri eruditi demonſtrant, quæ Apoſtolorum nominibus inſignita ſunt. Verum quemadmodum plurima illorum opera genuina ſunt, ita ex illis intelligimus, temporibus omnibus Romanos Pontifices, reliquoſque Eccleſiarum Paſtores facultate

ſibi

ſibi a Deo conceſſa uſos fuiſſe in condendis legibus, quod penes ipſos Suprema Reipublicæ poteſtas ſemper extiterit, licet in contrarium hæreticorum impia conſpiret caterva, dum ex omni hominum memoria Sacros Canones delere conatur.

IV. Ut ad alteram Propoſitionis partem accedamus, quæ ſtatuit Eccleſiaſticas leges ab omnibus debere cuſtodiri, animadvertimus, in hac nihil ſtatui de novo, ſed illud affirmari quod plurima Concilia jam decreverunt præſertim vero Cabilonenſe II. in can 9. Chalcedonenſe in can. 1. Nicænum II. c. 1. Synodus VIII. ſub Adriano c. 1. & 2. Lateranenſis ſub Martino I. c. 17. 18. 20. Carthagin. II. c. 13. Aurelianenſis III. c. 32. & IV. c. 16. Bracharenſis I. c. 40 & II. in fine. Toletana III. VIII. & XII. Matiſconen. c. 9. & demum Tridentina in Seſſ. XXV. de Reform. c. 18. Conſonant innumera alia juris teſtimonia, quæ prædictam propoſitionem confirmant, nec deeſt Theologorum Auctoritas; ſed rem totam faciunt Divinæ Scripturæ verba, quæ leguntur in epiſtola ad Rom. c. 13. *qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit*; & iterum *qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. quam damnationem non temporalem tantum, ſed etiam æternam eſſe Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus, Ambroſius explicant, nec ipſi heterodoxi diſſentiunt, inter quos Petrus Martyr in hunc locum. Hinc Eccleſiaſticarum legum obſervantiam eſſe de neceſſitate ſalutis definitum eſt in Extravaganti. *Unam Sanctam* de Major. & Obed., neque in hoc quemquam, eſſe liberum ſcripſit Apoſtolus, ſed ex neceſſitate nos ſubditos eſſe oportere, *non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam* (*peccati ſcilicet*) ut exponit Auguſtinus hoc verbum in epiſtola 54. ad Macedonium, cum Apoſtolus hanc vocem *Conſcientia* ſemper in hunc ſenſum accipiat, & quatenus communis eſt hic effectus cuilibet legi, quæ a legitimo Superiore lata ſit, ut ſine culpa violari non poſſit, niſi fortaſſe talis lex eſſet conſilii, quia lex conſilii regulariter obligatoria non eſt, ut dicitur in cap. ultimo §. *Quod præcipitur*. 14. q. 1. § *Et ſi legibus* 4. diſt. Dixi *regulariter* ut exciperem caſum, tum illius qui conſilio ſe adſtrinxit, tum alterius, qui venit contra legem conſilii ex contemptu, aut demum ut exciperem conſilium illud, quod dicitur reverentiæ, quando ſcilicet materia, quæ a lege præcipitur eſt neceſſaria, ſed lex ob reverentiam ejus, cui loquitur utitur verbis conſultivis, non præceptivis, ut communiter declarant Doctores.

V. Nihilominus quamquam in re perſpectiſſima verſemur, non abſtinent Heterodoxi rei clariſſimæ ambiguis auctoritatibus hinc inde a Scriptura petitis refragari. Quare ad rem ſuam traducunt hæc Deuteronomii verba c. 4. *Non addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, neque minuetis ex eo*, itemque illa capitis 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, non addas quidquam, neque minuas*, & ſtatim inferunt quod ſi Deus Iſraelitis vetuit addere ad ea quæ in Teſtamento Veteri ſunt præcepta, multo magis vetitum erit Chriſtianis addere ad Evangelium, cum præſertim Dominus Iſaiæ 29. conqueratur, quod populus *illum timuerit mandato hominum*, hoc eſt, ut ipſi Novatores interpretantur, quod cultum, & Religionem Dei conſtituerit in hominum mandatis ſervandis, quod etiam Matth. 15. & 23. & Marci 7. reprehenditur. Accedit, inquiunt, quod Apoſtolus in 2. ad Cor. 3. docet quod *fideles liberati ſunt per Chriſtum a legibus hominum*, & in 1. ad Tim. 6. inquit *legem non eſſe poſitam juſto*, & ad Galatas 5. hortatur nos

ſtare

Digitized by Google

ſtare, & nullo iterum jugo ſervitutis contineri, juſtorum ſiquidem hanc eſſe conditionem, ait, quod qui *ſpiritu ducuntur non ſunt ſub lege*. Ergo fidelibus juſtis nulla lex ponitur, ſed neque Laicis ſtatui debet ulla Eccleſiaſtica lex cum Laici ſtatutis temporalibus Conciliorum non obſtringantur, ut late probant etiam Catholici Theologi, inter quos Turriſcremata in Summa Eccleſiæ Lib. 2. parte II. c. 103. Victoria in Relectione de Eccleſia q. penultima, & alii, tum ex paritate rationis, quia Eccleſiaſtici viri Laicorum legibus non ſubjiciuntur, tum ex defectu juriſdictionis, nam ſubditi alieni Conſtitutionibus alieni Paſtoris non tenentur, tum demum quia, ut inquit Origenes tract. 12. in Matth. ubi explicat illud Matth. 20. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic. Igitur Sacer Principatus in dilectione ſubjectorum debet eſſe poſitus, non in timore corporali, neque illi*, ut inquit Chryſoſtomus lib. 2. de Sacerdotio *facultas tanta a legibus data eſt ad delinquentes coercendos*, ac ne ſi dediſſent, quidem haberet, ubi vim hujuſmodi, potentiamque exercere poſſet, cum Chriſtus eos æterna corona donet, non qui coacti, ſed qui certo animi propoſito a peccatis abſtineut, neque monſtrari poſſit ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum Judex federit hominum, cum legatur *ſtetiſſe Apoſtolos judicandos, non vero ſediſſe judicantes*, ut Bernardus ait.

VI. Verum nihil nos commovent hujuſmodi argumenta, nam ex loco, ex quo eruitur auctoritas, quæ in primo argumento objicitur, & ex fine Divini Legiſlatoris, aperte cognoſcitur vanitas Calvinianæ illationis. Locus, ut jam notatum eſt, ponitur liber Deuteronomii, ſcilicet Repetitionis legis, vel Teſtamenti, quod Moyſes proponit populo moriturus, cum itaque dicit Moyſes, *non addetis ad verbum*, reſtringit præceptum non addendi, ad verba, quæ ipſe loquebatur, non ad legem Evangelicam, quæ nondum erat ſcripta. Si autem de lege Moſayca ibi Sermo erat, quis non videt legem Moſaycam tranſiiſſe cum ſuo præcepto? Præterea *addere ad verbum* non eſt præter verbum non recipere traditiones, aut ritum aliquem, cum alibi præcipiantur res ipſæ, ſed ſenſus genuinus eſt, nihil addendum eſſe, quod eſſet illi legi contrarium, vel repugnans, & præſertim quod offerret nova Numina adverſus Dominum; & ſi contextus capitis expendatur, & finis præcepti, ſatis inde patet præſertim ex ratione, quam dat Moyſes v. 7. hæc pertinere ad excludenda alia Numina, addit enim v. 16. & 19. *ne adores, & colas ea*, & v. 24. *Deus Zelotes eſt, nec patitur rivalem*. Ad hæc quomodo verum eſſe poteſt Scripturam in locis laudatis convincere nullas addendas eſſe traditiones verbo Dei, & Eccleſiaſticas leges, ſi Novatores ipſi, tum cæremonias adhibent, tum leges male ſentiendi Canones, & Conſtitutiones in ſuis Synodis editas, conſarcinant, de novo modo adminiſtrandi Sacramenta, concionandi, & pene quidlibet agendi, adeout Eccleſiæ Calvinianæ facies ſit tota nova? Dicendum igitur eſt, pro ut ipſis libet Calviniſtas has Scripturas interpretari, & revera illud tantum ſenſiſſe Moyſem, quod jam expoſuimus, aut locum hunc intelligendum eſſe de additione, ut Bellarminus ait in lib. 4. de Romano Pontifice c. 17. *corrumpente, non autem de perficiente opus perfectum*, vel ut inquit S. Thomas in cap. 1. ad Gal. lect. 2. & 3. *de additione legum contrariarum prioribus legibus*, ut videre eſt ex illis legibus quarum publicatio nova eſt in libris Eſter, & Judith c. 9. & ultimo, item in 1. Machabæorum c. 4. & 1. Reg. c. 30. in quibus locis legitur quod Judæi quartam decimam, & quintam decimam diem

Men-

Digitized by Google

Menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & revertente ſemper anno ſolemni celebrarent honore, itemque diem victoriæ Judith acciperent in numero Sanctorum dierum, & quod diem dedicationis Altaris univerſa Eccleſia Iſrael ageret in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo, & demum quod æqua pars eſſet deſcendentis ad prælium, & remanentis ad Sarcinas, ne ægre reperirentur qui caſtra cuſtodirent. Quamquam, & illud notare oporteat quod Moyſes ibi non alloquitur Principes, quibus a Deo conceſſa facultas eſt condendi leges, ſed populum, qui legibus parere tenetur, neque jota unum omittere, nihil addendo, vel minuendo, & propterea in c. 5. ejuſdem libri vult quod faciat, quæ illi Dominus Deus præcepit, *& non declinet neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, cum illi præſcripſerit omnia, quæ tam ad cultum ipſius, quam ad judicium, & forenſes contentiones pertinerent, quod facile fieri potuit, cum unus tantum populus eſſet, qui his præceptis obſtringeretur; e contra vero quia Lex Evangelica toti mundo offerebatur, neque uſque ad breve tempus duratura, ſed uſque ad finem mundi, non ita facile omnia decerni in illa poterant, ut leges aliæ neceſſariæ adhuc non eſſent, conſequenter traditis iis, quæ ab omnibus obſervanda erant, ut cetera ab Apoſtolis præſcriberentur reliquit, & ab eorum in Epiſcopatu Succeſſoribus juxta temporum, locorum, & perſonarum differentias, Deo jubente, vel inſpirante; quam conditionem hic exponimus ut diſtinguamus legitima præcepta ab illegitimis, & hujuſmodi ſunt mandata illa hominum, quæ vel ſunt Divinis mandatis contraria, vel inutilia prorſus, & vana, quorum plura ipſe Chriſtus Dominus in Phariſæis reprehendit, qui ut Iſaiæ c. 29. dicitur populos excitabant ut timerent Deum mandato hominum, & doctrinis, qui irritum faciebant mandatum Dei per ſuas traditiones, qui relinquentes Divinum mandatum tenebant Baptiſmata urceorum, & calicum, qui poſtremo ſummam religionis conſtituentes in quibuſdam exterioribus cæremoniis, has pluris faciebant quam Divinam legem, cum oportuiſſet hæc facere, & illa non omittere.

VII. Nec valet etiam altera illatio eruta ex illis auctoritatibus, in quibus dicitur fideles liberatos eſſe per Chriſtum a ſervitute; & ſic non teneri ſervare leges, quæ propterea inutiles ſunt, & ſine auctoritate ab Eccleſia publicantur, ſiquidem etſi leges plura prohibeant, libertati tamen nihil detrahunt, cum magis liberi ſint qui ſub legibus vivunt, quam qui legibus carent. *Qui rationi parent*, inquit Plutarchus in initio libri de auditu *ſoli digni ſunt qui liberi vocentur, ſolum enim hi vivunt ut volunt, qui quod velle debeant didicerunt*, quam opinionem tenuit etiam Cicero in Orat. pro Cluentio ubi inquit, *ideo legum ſervi ſumus; ut liberi eſſe poſſimus*. Ex cuſtodia enim Eccleſiaſticarum legum, non tam hominum, quam miniſtrorum Dei decreta ſervantur. Ante Calvinum extiterunt alii nefarii homines, qui iiſdem ſuffulti Apoſtolicis verbis nefandum idem dogma aſſeruerunt, hominem ſcilicet juſtum legibus non teneri, ſed hanc hæreſim damnavit Eccleſia in Viennenſi Concilio, ut legitur in Clementina *Ad noſtram* de Hæreticis. Nunquam mens fuit Apoſtoli fidelem hominem a legis onere eximere, aut a peccato ſi fractor legum cognoſcatur, ſed intellexit legem juſtum hominem non cogere, quia homines hi ultro obediunt legi, quam vim habere obligandi juſtos ipſos Tridentini PP. tradiderunt in Seſſ. vi. c. 11. & 19. Opportune ergo notetur loquendi modus, quo Paulus utitur cum di-

cis

sit *juſtos non eſſe ſub lege*, ſenſus enim eſt, inquit S. Thomas 1. 2. q. 93. a. 6. *quia ſemper ſecundum eam agunt, quia per charitatem, quam Spiritus S. Cordibus eorum infundit, voluntariè id quod legis eſt implent, e contra vero ſub lege eſt, qui timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ a malo opere abſtinet*: Alio modo poteſt etiam intelligi in quantum hominis opera, qui Spiritu S. agitur, magis dicuntur eſſe opera Spiritus S. quam ipſius hominis, unde cum Spiritus S. non ſit ſub lege, ſequitur quod hujuſmodi opera in quantum ſunt Spiritus S. non ſint ſub lege, & huic conſonat quod Apoſtolus dicit 2. Cor. 3. *ubi Spiritus Domini ibi libertas*. Ad rem eamdem ſcripſit Auguſtinus ſuper Pſalmos: *aliud eſt eſſe in lege, aliud ſub lege, qui eſt in lege ſecundum legem agit, qui eſt ſub lege ſecundum legem agitur, ille ergo liber eſt, iſte ſervus*. Conſtat igitur ex his quam temere prædicta Apoſtoli verba Novatores objiciant, nam illorum verborum verus ſenſus eſt nos lege obligari, cum aliquid ſecundum præceptum legis facimus, quod leges præcipiunt, ſed liberi ſumus a lege, quia talis lex nos non cogit, ut ita faciamus, quia nos invenit paratos, ut ita faciamus. Et revera ſi Apoſtolus dixit: *Obedite Præpoſitis veſtris*, quomodo voluit nos a Præpoſitorum legibus liberare? Hinc eſt quod in eodem cap. 5. ad Galatas explicans noſtræ libertatis conditionem inquit: *nos in libertatem tantum vocatos eſſe, ne libertatem in occaſionem demus carnis*, ſcilicet ut liberi ſimus a duro onere ſub Idolis, & ſervitute Judaica, ſi Chriſtum ſequimur, non vero ab omni inter homines poſitivo præcepto Superiorum, Parentum, & Prælatorum, quod eſſet abuti libertate naturali, & parerent Reipublicæ, ſi ſemel perſuaſum eſſet hominibus his præceptis non teneri in conſcientia, quem errorem clare damnat idem Apoſtolus ad Rom. 13. *Sed qui Spiritu vivunt non tenentur rei legis, & obſtricti pœnis legis, nam gratia adjuti legis opera implent, & ita ſunt liberi a lege feriente, cogente, & caſtigante*. Nec eſt quod quiſpiam objiciat non eſſe majorem nunc libertatem, quam ſub Moyſe, nam Chriſtiani univerſi habent quæ obligant præcepta Decalogi, & quinque leges Eccleſiæ, qui vero adſtringuntur ad Canones plures, hoc libere elegerunt, & ob finem optimum, & quia utilitatem offerunt longe aliam quam Moſaycæ cæremoniæ. Longe ergo aliud eſt jugum legis, & jugum charitatis. Merito igitur reprehenditur Calvinus quod in lib. 4. Inſtit. c. 10. §. 13. Auguſtini verbis malitioſe abutatur excerptis ex cap 19. ſuæ epiſt. 117. in quibus cum S. Doctor dixiſſet *ipſam Religionem, quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis, miſericordia Dei liberam eſſe voluit ſervilibus oneribus, premunt ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tantum ſarcinis non humanis præſumptionibus ſubjiciuntur*. Sententiam hanc ad ſuum genium extorquens ait: *ſi in ſæculum noſtrum incidiſſet ſanctus ille vir, quibus querelis deploraſſet eam, quæ nunc eſt, ſervitutem. Nam & numerus eſt decuplo major, & ſinguli apices centuplo rigidius, quam tunc exiguntur*. falſiſſimum enim eſt Sancti Doctoris quereias reſpexiſſe leges, & ritus a Pontificibus inſtitutos, ſed conquerebatur de quibuſdam conſuetudinibus particularibus vulgi, hominumque ex trivio, quæ cum neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continerentur, neque in Conciliis Epiſcoporum ſtatutæ invenirentur, neque conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborarentur, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variarentur, ita ut vix, aut omnino nunquam inveniri poſ-

Digitized by Google

ſent cauſſæ, quas in illis inſtituendis homines ſequuti eſſent, ubi facultas tri-buereretur ſine ulla dubitatione reſecanda eſſe exiſtimabat. Mens igitur hæc Auguſtini fuit, quod legitima tenerentur Patrum ſtatuta, quod tenerentur conſuetudines Eccleſiæ, quæ cum bonum jubeant, faciantque quod bonum eſt nos amare, poſſunt liberis imperare; in quibus neque illud occurrit, quod petulanter Calvinus teſtatus eſt, nam ut jam diximus, ex legibus Eccleſiaſticis, quæ abſolute Chriſtianis omnibus ſunt impoſitæ, vix inveniuntur aliæ quam illæ, quæ Feſtorum, & Jejuniorum obſervantiam præcipiunt, annuam Confeſſionem, & Communionem in Paſchate, cum ceteræ omnes, quæ in Conciliorum libris leguntur, & in Pontificum Epiſtolis, aut, citra contemptum, ad culpam non obligant, aut ad peculiarem perſonarum ſtatum referuntur, & peculiaria hominum Officia reſpiciunt, & hæ non niſi volentibus præſcribuntur, aut demum ſunt explicationes dogmatum fidei, & juris Divini, quæ nullum novum onus Chriſtianis imponunt, & ſi qua difficultas in his legibus reperitur, hæc non in poſitivum, ſed in Divinum jus referenda eſt, quod jus a Scripturis appellatur *Onus*, *& jugum*, *ſuave* tamen, & *leve* diligentibus Deum.

VIII. Jam vero neque illud concedi Novatoribus poteſt, quod nulla Eccleſiaſtica lege Laici coerceri poſſint, præſertim ſi lex talis ſit, a qua hujuſmodi perſonæ non excipiantur, ut ſunt Judæi & Gentiles non baptizati, qui excipiuntur in c. *de infidelibus* de Conſanguinit. & Affin & in c. finali de Divortiis, quia de his, qui foris ſunt quid ad Eccleſiam? Imo dicimus, quod proprietas eſt ſolius legis Eccleſiaſticæ, quæ a Pontifice, vel a Concilio generali edita ſit, fideles omnes adultos cujuſcumque ſtatus. ſeu conditionis ſint, ubicumque degentes obligare, cum Civiles leges nullæ ſint, quæ univerſum Orbem obligent, & omnes hominum conditiones. Hanc proprietatem hujus legis Eccleſiaſticæ, neque Imperator Valentinianus III. ignoravit, qui floruit A. 424. ut patet ex ejus Conſtitutione Codici Thedoſiano adjuncta, in qua hæc verba leguntur; *omnibus pro lege ſit quid quid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis Auctoritas*. Scio a Novatoribus hujus Imperatoris verba eo ſenſu accipi, ac ſi tunc primum legis ferendæ auctoritas ſedi Apoſtolicæ a Principe collata eſſet. Oppidò tamen falluntur, nam ante hujus Conſtitutionis promulgationem, Decreta quædam generalia a Romanis Pontificibus edebantur, quæ miſſa per Provincias, diſciplinæ Eccleſiaſticæ ordinem ubique ſancirent. Sic Liberius Papa Ariminenſis Concilij profanam ſententiam, qua vox *conſubſtantialis* Formulæ fidei Nicenæ addita delebatur, utpote fidei, & Nicenæ formulæ adverſam, Decretis ſuis infregit, hoc inſuper addito, in quo a plurimis peccabatur, *ne baptizati ab Arianis ad denuo ſuſcipiendum Baptiſmum adigerentur*, & Liberii Decretum omnes Occidentis Epiſcopi ſuſceperunt, ut Liberius ipſe teſtatur in ſua epiſtola XI. ad Orientales. Qui ſequuti ſunt Liberium Pontifices, videlicet Siricius, Innocentius & Zoſimus Conſtitutis generalibus fidei, & diſciplinæ caverunt ante ejuſdem Valentiniani imperium. Conſultationi Himerii Tarraconenſis Epiſcopi ea reſcripſit Siricius, quæ ab omnibus cuſtodiri jubet; *quid ab univerſis*, inquit, *poſt hac Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum, generali pronunciatione decernimus*. Conſtitutis ſuis primus Innocentius diſpoſuit, non modo Occidentales Eccleſias, imo & ipſam Antiochenam, quæ caput eſt Orientalis diæceſeos; ita ut Antiochenus Epiſcopus plenam Ordinationum auctoritatem receperit: Zo-

ſimus

Digitized by Google

ſimus Monachorum, & Laicorum ambitum, qui ad Epiſcopatum contendebant litteris ad Gallias, Hiſpaniaſque, imo & in ipſam Africam traſmiſsis, repreſſit, Decretumque ſuum pœna ſancivit. Cœleſtinus item litteris ad Epiſcopos Viennæ & Narbonenſi Provinciæ datis *ſe in Speculis a Deo conſtitutum, officii ſui inſtinctu provocari* dicit, *ut ab illicitis revocet, & vigilantia ſua diligentiam comprobando, quæ coercenda ſunt reſecet, & quæ obſervanda ſunt ſanciat*. Quod deinde poſt Valentiniani tempora a Leone, Hilaro, Gelaſio, & ceteris Pontificibus tanto robuſtius uſurpatum fuit, quanti exiſtimarunt ea convelli non poſſe, quæ & Sacerdotali, & Eccleſiaſtica præceptione fulcirentur. Laicis itaque hominibus, æque ac Clericis Eccleſiæ leges indicuntur, & præſertim iis cum quibus loquntur, vel quibus imponuntur, nec ignorare quemquam, nec eas diſſimulare, ideſt prætermittere permittitur, ut dicitur in can. 32. Aurelianenſis III. Concilii & in 40. primi Bracharenſis; ut prætercam idem Decretum prodiiſſe ex Cabilonenſi II. & Chalcedonenſi, ex II. Niceno, & Lateranenſi ſub Martino I. ex II. Charthaginenſi, Toletano III. Matiſconenſi, & Tridentino Seſſ. XXV. de Reform. c. 18. & habetur in L. *omni* 6. C. de Sacroſ. Eccleſ. & in L. *Sacris* C. de Epiſcopis & Cleric. & conſonum eſt tum iis, quæ de Paulo Actor. 15. ſcribuntur, qui pertranſiens Civitatea, præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum, tum iis quæ c. 16 de Paulo ipſo, & Timotheo narrantur, qui pertranſeuntes Civitates tradebant eis, omnibus ſcilicet ibi commorantibus, cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & ſenioribus, qui erant Jeroſolymis, & viriliter Paulus inſtabat, ut ſinguli ſuis præceptis obedirent, ut ipſe in 2. ad Theſſalonicenſes c. 3. ſcribit: *ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo*.

Neque huic opinioni quidquam ſubtrahitur, propter hoc quod Origenes dixerit: *Principatum Eccleſiaſticum in dilectione ſubjectorum debere eſſe poſitum, non in timore corporali*, ſiquidem hoc dixit Origenes, ut diſcrimen poneret inter Eccleſiaſticam, & Civilem legem, quæ quietem Reipublicæ quærit, ſive ſubditi volentes ſint, ſive inviti. Ceterum ſi id neceſſitas exigat, hoc idem præſtare poteſt Eccleſiaſticus legiſlator: quare in hanc rem ita ſcripſit Magnus Gregorius in c. 6. libri 20. Moralium *Circa ſubditos ineſſe debet Rectoribus, & juſte conſolans miſericordia, & pie ſæviens diſciplina*; quod ſcripſerat etiam Chryſoſtomus variis in locis, præſertim vero in epiſtola ad Innocentium, quem rogabat ut Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, alioſque, quorum artibus actus fuerat in exilium, Eccleſiaſticis legibus coerceret; & hoc idem ſe facturum in homil. 70. ad Populum ajebat, ubi aliquis Chriſtianorum mulierem vocaſſet ad funera deploranda, & hæc (contra legem acceſſum hunc prohibentem) adveniſſet. Quod ſi S. Doctor alibi contrarium docuiſſe videatur, videlicet in lib. 2. de Sacerdotio; notandum eſt illo in loco egiſſe de poteſtate in foro Conſcientiæ, quæ profecto non ſe extendit ad corrigendum invitum; niſi voluerimus citata ex Chryſoſtomo verba referre ad poteſtatem, quæ in Epiſcopis reſidet reformandi ſubditorum mores internos, qui non poſſunt mutari invito, licet hunc poſſit excommunicare, eidemque alias pœnas infligere.

IX. Sed ut uberius hoc pateat, & ſimul probetur 3. pars noſtræ Propoſitionis, & explicetur in quo ſenſu Bernardus dixerit in lib. 1. de Conſiderat. *Monſtrari non poſſe ubi aliquando quiſpiam Apoſtolorum Judex ſederit*

hominum: Animadvertendum eſt non eſſe in Scriptura inauditum uſum pœnæ corporales inſerendi in indignos, & in illos, qui Apoſtolicis præceptis non paruiſſent, quod I. oſtendit factum Chriſti, quando e domo Dei ementes, & vendentes ejecit. II. oſtendunt Apoſtoli verba in 1. ad Cor. 5. quo loco exprimit e medio tolli, qui indignum opus facit, & demum oſtendunt verba Joannis, in v. 10. ſecundæ ſuæ epiſtolæ Canonicæ ubi inquit: *ſi quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis*. Idem quoque colligitur ex continua Eccleſiæ praxi, quam plurima egregia documenta oſtendunt, ſive hæc petantur ex lib. 2. c. 57. Conſtit. Apoſtol. aut ex c. 5. Eccleſiaſt. Hierarch. Dionyſii, aut ex epiſtola 3. Hieronymi ad Heliodorum, aut ex can. 8. Concilii IV. Carthaginenſis, aliiſque pluribus ex locis, quibus omnibus ratio ipſa ſuffragatur, quæ fundatur in filiatione ſpeciali, qua per fidei Profeſſionem fideles ſuis Epiſcopis tamquam filii Parentibus, obſtringuntur, fundatur in adoptione, qua in Chriſti familiam, hæreditatem, & ſortem trasferuntur, cujus familiæ Epiſcopus a Chriſto Auctor eſt conſtitutus, fundatur in pacto, & conventione eorumdem cum Eccleſia, in cujus corpus admittuntur, cum ſubjectione ſuis Paſtoribus; quæ omnia ſancita Divina lege obediendi neceſſitate, in eos imperium Paſtoribus tribuunt; ita ut caſtigationes quaſdam corporales, & pecuniarias quaſdam mulctas eiſdem poſſint imponere, quod uſus Eccleſiæ perpetuus ab Apoſtolis oſtendit, cum nullus ſit, qui Pauli ſententias alta mente non retineat 1. ad Cor. 4. *Quid vultis? in Virga veniam ad vos? an in charitate. & ſpiritu manſuetudinis*; 2. Cor. 10. *In promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam*: & Patrum teſtimonia, quæ Eccleſiæ Principatum paſſim extollunt, & vere Principes Eccleſiæ Paſtores agnoſcunt eſſe; & qui ignoret, corrigi maxime a Paſtoribus fideles exhortatione, correptione ſevera, & acri objurgatione, eoſdemque aliquando, vel per refutationem abſolutionis, vel per ademptionem participationis Euchariſtiæ ligari, vel per excommunicationem, quæ ſit vera cenſura, quæ quanta hæc pœna ſit, quam perniciem, damnumque ſecum invehat, ab illuminato fidei oculo apprehenditur, cum per excommunicationem a Prælato Eccleſiaſtico latam ablegetur excommunicatus ab Eccleſia, etiam invitus, ſuffragiiſque, & fructibus Communionis Eccleſiaſticæ vel invitus privetur, infamia etiam aliqua inuratur, eo quod ſit habendus tamquam Ethnicus, & Publicanus, ut innoteſcat cohabitationem, & familiaritatem cum excommunicato interdictam eſſe, nam Ethnicos, ex lege evitabant judæi, ne eorum contagio pollerentur, Publicanos vero odio infenſiſſimo proſequebantur, quæ duo hominum exempla Chriſtus Dominus Matth. 18. attulit, ut oſtenderet, quemadmodum Hilarius, Hieronymus, & alii in eum locum exponunt, Excommunicatos a Chriſtianis evitandos ſimiliter eſſe, & execrandos. Clarum igitur eſt ex his momentis Eccleſiam, & Eccleſiaſticos Principes, quibus hujus pœnæ infligendæ poteſtas traditur, juriſdictione coactiva haud dubie gaudere, ligandi ſcilicet ſuis legibus in cœlo, & in terra, cum idem ſit ligare ac cogere, cum Patres doceant *arcte admodum illigari iſtuſmodi vinculo animas, ut niſi reſipiſcant, cœlum illis ſit clauſum*, ut aſſerit Tertullianus Scorpiaci c. 10., *inſideantque in ollam ignis æterni*, ut ſcribit Clemens Alexandrinus in lib. 1. Pedagogi c. 7. non quia abſolute, & ſimpliciter ſalvari nequeant, ſed quia ægre id poſſunt, cum remedia adverſus peccata, & Inſidias Satanæ Eccleſiæ relicta ipſis ſubſtrahantur.

X.

X. Etiam Auguſtini ætate inſurrexerunt nonnulli, qui Eccleſiaſticis Præſulibus ſolam directionem tribuerent, coercitionem negarent, ſed hos reprehendit in lib. de Fide & Operibus c. 4. ſcribens *eos perverſiſſimam ſecuritatem Præpoſitis tribuere, ut ad eos non pertineat niſi docere, quod cavendum, quodque fugiendum ſit*, quapropter hanc regulam indulgentiæ, & Coercitionis ſtatuit c. 5. his verbis: *Nos vero ad ſanam doctrinam pertinere arbitramur ex utriſque teſtimoniis vitam, ſententiamque moderari, ut & canes in Eccleſia propter pacem Eccleſiæ toleremus, & canibus ſanctum, ubi pax Eccleſiæ tuta eſt, non demus. Cum ergo ſive per negligentiam Præpoſitorum, ſive per aliquam excuſabilem neceſſitatem, ſive per occultas Obreptiones, invenimus in Eccleſia malos, quos Eccleſiaſtica Diſciplina corrigere, aut coercere non poſſumus tum nec aſcendat in cor noſtrum impia, & perniciosa præſumptio, qua exiſtimemus nos ab his eſſe ſeparandos; cum vero, eis per quos Eccleſia regitur adeſt, ſalva pace, poteſtas diſciplinæ adverſus improbos, aut nefarios exercendæ tunc rurſus, nec ſocordia, ſegnitiaque dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad ſeveritatem correctionis pertinent, excitandi ſumus &c.* Nec obſtat propoſito noſtro, quod demum contemptores legum, & pœnarum Eccleſiaſticarum a Principe ſæculari puniantur, imo maxime intereſt, ut materiali gladio cohibeantur, qui nec Deum timent, nec deferunt Eccleſiæ, nec leges, nec Cenſuras Canonum reverentur: adſtringuntur enim Divina lege temporales Principes ad Eccleſiæ poteſtatem muniendam, ejuſque, ac Dei contemptum vindicandum; verum hoc præſtant accedente Eccleſiaſtico judicio, & tamquam vocati ad Eccleſiæ ſententiam executioni demandandam, non corrigendam, vel retractandam, unde hoc agunt Eccleſiæ nomine, & auctoritate, quod cum præſtitum eſt, Juriſdictioni Eccleſiæ hoc opus poteſt attribui, ut Iudicibus cetera attribuuntur ea, quæ per poteſtatem coercitivam, & vim coactivam aſſequuntur, etſi coactionem mutuentur ab Apparitoribus, & Militaribus Magiſtratibus, inquantum debent arma togæ præſidio eſſe, cum Reipublicæ Ordo poſtulet, ut judicum ſententiæ per armatos vim, & auctoritatem habeant, ut ipſe Imperator inſinuat ſtatim initio Inſtitutionum, & ut ad rem noſtram conſtituit auctoritas, quæ ex Synodo Urbani Papæ, ex decreto Gregorii, ex epiſtola Gregorii ad Epiſcopos Galliarum, ex Concilio etiam Martini Papæ, ex Concilio Carthaginenſi III. & ex multis SS. PP. inſtitutionibus, emanavit. *Duo ſunt gladii* inquit Petrus Blaſenſis, epiſt. 73. *qui mutuum a ſe mendicant auxilium, atque ad invicem ſibi vires impartiuntur alternas, Sacerdotium Regibus, & Sacerdotibus Regnum, ideoque ſi ab altero ſuppletur alterius inſufficientia, non videtur duplex contritio, aut punitio combinata; ſcriptum eſt enim ne bis punias in idipſum: nec enim iteratum videtur quod ab uno incipitur, & ab altero conſummatur.*

XI. Quis autem ex his non intelligit coercitivam hanc juriſdictionem ab Eccleſiæ Principibus exerceri forma, ordineque judiciorum Religioſe ſervato, quem tamquam præambula præire ſolent ea, quibus cauſſæ ſolemniter apud Judices intentari ſolent, puta citatio, admiſſio accuſationum, examen teſtium, contumacia, excuſatio &c. Tum illa ſubſequi, quæ ad ſententiam obtinendam, vel diluendam magis ſunt neceſſaria? Privatis animadverſionibus hæc lex imponitur, ne coram aliis propalentur, ut nulla inde delinquentibus ſequatur infamia juxta Evangelicum illud: *ſi peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum*; & non raro contingit, quod dam-

natos

Digitized by Google

natos ab Eccleſia, injuriæ perpetuum edictum infamat: oportet igitur in Sacris Principibus publicam poteſtatem hanc reperiri, per quam more Judicum in delinquentes animadvertant, quandoquidem, ne ſi domeſtica pœna ſit nota, infamiam certam per ſe inurat, & apud bonos, & graves opinionem ejus qui deliquit eneret, ut habetur in L. *Inventis* 13. C. *ex quibus cauſſis infamia irrogatur*. Hæc autem maxime conſentiunt iis, quæ de forma horum judiciorum agens Apoſtolus ſcripſit in 1. ad Tim. 5. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi a duobus, aut tribus teſtibus, ne ſcilicet contra Eccleſiæ miniſtros via facilis ad calumniam paretur*: & ut ſecundum allegata, & probata Timotheus judicaret; *peccantem coram omnibus argue*, ut qui lapſus eſſet, melior fieret, ut honor Eccleſiæ per eum læſus ſarciretur, & ut alii exemplo abſterrerentur: *Teſtor coram Deo &c. ut hæc cuſtodias* (ſcilicet quæ de judiciis Eccleſiaſticis dixi) *ſine præjudicio nihil faciens in alteram partem declinando*; ſpectat enim ad judicis prudentiam, & æquitatem, ut in neutram partem, humano affectu propendat, nam juſtitia æqualitatem petit, & grave præjudicium eſt, ſi quis judicium non habeat hoc eſt ſi inauditum, aut indefenſum judex condemnet. Conſentiunt etiam his omnibus illi textus, in quibus Scriptura Præpoſitos Eccleſiarum Principes nuncupat, quod nomen præſupponit tum in laudata Scriptura, tum in jure Canonico ordinariam judicandi in utroque foro interno, & externo poteſtatem, quod uberius comprobat nomen ipſum Principatus ſacri, quod ſemper ſumitur pro eminenti publica Poteſtate præexcelſa, & eximia, quod & patet Proverb. 29. *Cum impii ſumpſerint Principatum gemet populus?* & ex capite 8. Epiſtolæ ad Rom. ex c. 1. & 3. epiſt. ad Epheſ. 1. & 2. epiſt. ad Colloſſ. & ex epiſtola Judæ v. 6. in quibus locis Principatus, & Dominationes illi Angeli dicuntur, qui ad exteriora mundi hujus viſibilis negotia mittuntur, & ceteris Spiritibus præcellunt, qui hujus mundi adminiſtrationi præficiuntur ex communi PP. ſententia: Conſentiunt demum Juris auctoritates in L. *Princeps* D. *de legibus* in §. *ſed & quod Princeps*. Inſtit. de jure naturali, & aliis in locis, in quibus vocantur Principes, qui ſummam rerum poteſtatem habent, & Principatus ipſe pro ſummo Imperio uſurpatur. Ad illud igitur quod ex D. Bernardo depromptum noſtræ propoſitioni ab Adverſariis objicitur, reſpondetur ibi S. Bernardum loqui de judicio in cauſſis civilibus. *Quid ni*, inquit S. Abbas; *contemnant judicare de terrenis poſſeſſiunculis hominum, qui in cæleſtibus & Angelos judicabunt? Ergo in criminibus non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra, quoniam per illa, & non propter has accepiſtis claves Regni cælorum*. Et certe hanc ſibi facultatem fuiſſe, ut hominum judex ſederet tunc oſtendit Apoſtolus, cum Apoſtolica virga inceſtuoſum Corinthium percuſſit, & cum vexandum Diabolo permiſit Alexandrum & Himeneum, ut ipſe dixit in 1. ad Tim. 1. imo quia facultatem eamdem Paſtoribus omnibus Eccleſiarum agnovit ineſſe, propterea ad Titum ſcribens, in cap. 2. hujus epiſt. illum monuit, ut argueret cum omni Imperio.

Caput

Digitized by Google

CAPUT II.

DE FORMA SACRI PRINCIPATUS.

DEmonſtrata Sacri Principatus exiſtentia, & potiſſimis ejuſdem juribus in ferendis legibus, vindicandis criminibus, dirigendiſque fidelibus, reliquum eſt, ut in inquirenda illius Forma inſiſtamus. Sit igitur

§. I. *Cum omnis Principatus* (ut docet S. Jgnatius Antiochenus in epiſtola ad Trallianos) *rite, ac ſapienter ordinatus tribus præſertim conſtare debeat, Auctoritate nimirum ad imperandum, Prudentia ad judicandum, & deliberandum, Virtute, & diligentia ad exequendum, triplicem in Eccleſia Principantium ordinem Chriſtus conſtituit, Epiſcoporum, Presbyterorum; & Diaconorum quapropter aberrat a veritate longiſſime quicunque alienæ opinionis Sectator, reliquos Clericorum inferiores Ordines, alioſque Status Perſonarum Eccleſiaſticarum, & ipſum populum Chriſtianum hierarchicis Ordinibus annumerari contendit.*

II. Atque illud in primis huic noſtræ propoſitioni argumentum ſuppeditat præteritarum retro ætatum ſilentium, cum de Eccleſiaſtica gubernatione agitur; nullibi enim legitur Subdiaconos, aut inferiores alios Clericos, reliquumque fidelem populum in ejus partem vocatum fuiſſe, aut alicui eorum, ut eam tueretur, reſcripſiſſe Patres Eccleſiæ, aut aliquam dignitatem juriſdictionem annexam habentem, in eoſdem tranſtuliſſe, e contra vero a Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. c. 28. his inferioribus Ordinibus excommunicandi poteſtas denegatur expreſſe, quæ tamen Presbyteris, & Diaconis attribuitur, quibus etiam a Clemente Alexandrino lib. 6. Strom. parendum eſſe præcipitur, non ſic illis, cum nullum cognoſcat eiſdem ineſſe jus, ut eorum mandatis, quiſquam obtemperet. Accedit quod dum agunt Patres de iiſdem gradibus Diaconatu inferioribus, illos eſſe diſpoſitiones dicunt ad Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum, quos veluti principantes Ordines, & ducatum habentes, commendant. Addunt inſuper, quod in his maioribus gradibus conſtituti cuncto populo præſidere debent, converſatione, ſermone, & ſcientia præcedere, inferiores vero gradus omnes omnino Domui Dei ſervire: Iiſdem Presbyteris, & Diaconis Romani Canones ſingulari lege caſtitatem iniunctam fuiſſe probant, quod in ſede Magiſtrorum ſedeant, & Canon. 24. Laodicæni Concilii iis, qui hierarchicæ dignitatis participes ſunt, opponit reliquum ordinem Eccleſiaſticum, ſub quo Subdiaconos, Cantores, & Exorciſtas conſtituit *quod eos ſolos pro ſacris primitiva non habebat Eccleſia*, ut poſt Urbanum II. Innocentius III. ſcripſit in cap. a *multis* de ætat. & qualit. Ordinand. *& hierarchicis Sacris explendis muneribus non aptos*, ad quæ tria tantum hominum genera principaliter conſecrantur: *videlicet Diaconi ad purgationem immundorum, Presbyteri ad illuminationem plebis fidelis, Epiſcopi ad perfectionem præterea Sanctiſſimorum Monachorum*. Hinc etiam in Agathenſi Concilio can. 69. Subdia oni & inferiorum ordinum Clerici *inſecrati* miniſtri vocati ſunt, quod ad hierarchicas actiones minime eſſent conſecrati, ſi-

cut

erant Diaconi & ſuperiorum ordinum Clerici; quemadmodum propter cauſſam eamdem extra Sanctuarium apud Græcos ordinabantur, & in Eccleſia Latina ſine manuum impoſitione, ut hoc ritu ſignificaretur tres ſolum ſuperiores Ordines in Eccleſia Sacrum gerere principatum.

III. Idem ulterius ex hoc oſtenditur, quod nomina illa, quibus inferiores in Eccleſia Ordines appellantur, nulla præfixa principatus voce leguntur, qua tamen tres reliqui ſuperiores Ordines diſtinguuntur, cum ſæpe *Archiepiſcopos*, *Archipresbyteros*, *Archidiaconos* audiamus, nunquam vero Archiſubdiaconos, Archioſtiarios, Archilectores &c. vel quod inter illos nonnulli dignitate, & juriſdictione potiores reperiantur, vel quod aliis in eadem hierarchia conſtitutis præſint, ſi præcipue de Archipresbyteris, & Archidiaconis ſermo ſit, ex quibus ſolis Sacri Principatus moderatores, & Sacri Doctores eligebantur ex teſtimonio Maximi in cap. 1. Eccleſ. Hierar. non ita vero ex ceteris inferioribus ordinibus eligebantur, qui minoribus Clericis præeſſent, ſed reſpectu illorum, Diaconi, Primicerii, Theſaurarii, qui omnes ex ordine Diaconorum erant ex c. *cum in cunctis* §. *inferiora* de electione, & electi poteſtate, & ex c. unico de Officio Primicerii, & ex c. 2. de Offic. cuſtodis Clericis, præerant; & nunquam in poteſtatem Subdiaconorum, aliorumque inferioris ordinis Clericorum inſtituendi tradebantur, ut refert Gratianus in c. *A Subdiacono* d. 93. Quod ſi in Concilio Altiſiodorenſi can. 3. nomen *Archiſubdiaconi* legitur, hujus tantum fuiſſe officium Chriſma ad Presbyteros Parochianos deferre, abſque ulla juriſdictione, & Principatus prærogativa, hujus canonis interpretes tradiderunt.

IV. Eamdem confirmant ſententiam illa, quæ deſiderantur exempla Subdiaconorum, aliorumque inferiorum Clericorum, qui Generalibus Conciliis interfuerunt ad negotiorum Eccleſiaſticorum tractationem, diſcuſſionem, & judicium advocati, cum e contra innumera occurrunt Presbyterorum, & Diaconorum. Euſebius l. 6. c. 35. Concilii cujuſdam Romani meminit ſub Cornelio adverſus Novatum, in quo aſſerit cum 60. Epiſcopis totidem Presbyteros, & Diaconos conveniſſe. Eliberitanum etiam ſub Marcello, Arelatenſe 1. ſub Sylveſtro, Romanum item II. ſub eodem Sylveſtro, Toletanum I. ſub primo Innocentio, & IV. Toletanum, eorumdem Presbyterorum, & Diaconorum conventum præſeferunt. Laici certe, & inferiores Clerici aliquando Conciliis adfuerunt, verum non ad ullum Eccleſiaſticum Officium peragendum, aut ad Cauſarum examen, ſed ad teſtimonium ſolum adfuiſſe narrantur. Diaconi vero non ſemel præfuerunt Conciliis, tamquam Apoſtolicæ ſedis Legati, quod contigit in Epheſino II. & in VI. & VIII. œcumenico: Acceſſerunt etiam non raro nomine abſentium Epiſcoporum, ut illorum vices gererent, ut legitur in Apologia 2. Athanaſii, in Actione 6. Concilii 1. Epheſini, in Actione 2. 6. & 8. Concilii Chalcedonenſis, in V. VI. & VII. Toletana Synodo, & ut ex can. 7. Concilii Trullani, aliiſque paſſim deprehenditur, & ſæpe etiam acceſſerunt, ut in Conciliis ſuis muneribus fungerentur: hæc autem erant hujuſmodi, adventantes in Concilium deducere, ex Athanaſio loco citato, acta publica legere, eaque evolvere, & Synodo proponere ex Aquilejenſi Concilio ſub Ambroſio, ex Chalcedonenſi, & ex Actione 2. Synodi VIII., Clericorum querelas ad Concilium deferre ex can. 3. Tolet. IV. Geſta Conciliorum aliis ſignificare, ex can. 20. Tolet. 1. & Fidei dogmata propugnare ex Nazianzeno Orat. 21. ex Theodor. lib. 1. c. 8. ex Epiphanii panario hæreſ. 68. ex Auguſtino lib. 2. de peccato origina-

li contra Pelag. c. 2. & 3. & ex Pontificali quod Damaſo adſcribitur, in quo legitur quod *Victor Papa fecerit Concilium, & collectione facta, cum Presbyteris, & Diaconis, conſtituerit ut a decima tertia Luna primi menſis uſque ad 21. die Dominica cuſtodiatur Sanctum Paſcha*: demum vero ut eorumdem Conciliorum Acta ſubſcriberent, ut idem Athanaſius in Apolog. non longe ab initio teſtatur, & Concilium Toletanum XI. & alia teſtantur, quæ ſupra memoravimus. Unicum in tota antiquitate exemplum ſuppeditat Concilium Conſtantinopolitanum I. ſubſcriptionis factæ, a quodam Cylo Lectore, qui nomine Ararbii Epiſcopi ſui, huic Concilio interfuit, quod tamen quia rarum exemplum eſt pro nihilo haberi poteſt.

V. Sed & illud quoque obſervatione dignum occurrit quo oſtenditur Diaconatu inferiores Ordines, non eſſe hierarchichos, quod nunquam in tota, qua late patuit Eccleſia, Clerici his ordinibus initiati, Eccleſiarum quarumdam ſpirituali regimini, atque adminiſtrationi præfecti fuerint, cum de Presbyteris, & Diaconis hoc legatur tum in canone 35. aliis 32. qui dicitur Apoſtolorum, & in can. 38. apud Zonaram, aut 39. apud Balſamonem 44. item alias 49. tum in can. 1. & 5. Antiocheni Concilii, 77. Eliberitani, 2. Trullani, 2. Toletani ſub Recaredo, & 26. Toletani IV. tum apud Gregorium Turonenſem de glor. Confeſ. c. 30. & apud Bedam lib. 2. c. 22. qui de quodam Iacobo Diacono a Paulino in ſua Eccleſia relicto ſcribit; *quod magnas antiquo hoſti prædas docendo, & baptizando eripuit*. Hoc quoque legitur de Diaconis, quod quibuſdam Collegiis, vel Perſonis in Eccleſia Dei regendis olim fuerint deſtinati, ut narrat Cyprianus epiſt. 62. ad Pomponium, Ambroſius lib. 1. de Offic. cap. ultimo, Martyrologium Romanum, & Menologium Græcorum 1. Septembris, & Iuſtinianus Imperator Novella 123. c. 36. Muneri huic ex inferioribus Clericis nullus deſtinabatur, cui neque permittebatur Catechumenos, Energumenos, & Pœnitentes purgare, tum doctrina, tum exhortationibus, tum correctionibus ſalutaribus, & benedictionibus, aliiſque prævis ritibus ad Baptiſmum, vel perfectam Altaris reconciliationem præparare, quæ omnia præſtabant Diaconi, quod in illa ſe proprie Diaconorum virtus purgativa exerceret.

VI. Nunc quod ſpectat ad ipſum populum Chriſtianum, huic Præſidentiam, ſeu Sacrum Principatum non convenire. Auctor Apoſtolicarum Conſtitutionum in epiſtola 3. ejus nomine inſcripta declarat. Hoc idem ſcribit Ignatius S. Ioannis diſcipulus in epiſtola ad Trullianos, in qua populum alloquens hæc habet *Presbyteris ſubjecti eſtote ut Chriſti Apoſtolis, qui ſpes noſtra eſt, hoc autem pacto viventes, in eo inveniamur: Oportet & Diaconis Myſteriorum Chriſti miniſtris per omnia placere &c.* Eadem repetit in epiſtola ad Magneſianos, eamdem ſubjectionem Tharſenſibus præſcribit quod Presbyteris, & Diaconis pareant, Philippenſibus, Philadelphienſibus, Smirnenſibus eamdem legem inculcat, & tandem ad Epheſios ſcribens, ejuſdem ſubordinationis ſervandæ eos admonet. Conſonant Ignatio Polycarpus in epiſtola ad Philippenſes, Origenes in tract. 24. in Math. ubi *quod fuit olim apud Iudæos velle vocari Rabbi, illud ipſum apud Chriſtianos eſſe, ait, velle vocari Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus*. Concilium Ancyranum in cap. 5. in quo plebem ſub præpoſitura Presbyteri & Diaconi colligi clariſſime oſtendit, & S. Ephrem, ut ceteros Græcos Patres prætermittam, in queſtion. de Abrenunciatione in baptiſmo in quibus *Epiſcopos*, ait, *Presbyteros, & Diaconos*

conos de grege ipſorum conquirendos, & pro Eccleſia ſibi commiſſa populo rationem eſſe redituros. Ex Latinis autem Patribus Tertullianus variis in locis idem docuit, præſertim in libro de Fuga in perſecutione cap. 11. & de Corona militis cap. 3. nec aliter ſenſit Cyprianus, & apud Cyprianum idem ſenſerunt Presbyteri, & Diaconi urbis Romæ in illis epiſtolis, in quibus vacante per Fabiani mortem Romana ſede, non ad populum, ſed ad ipſos auctoritatem regiminis totius Eccleſiæ ex antiquo more pertinuiſſe dixerunt. Optatus quoque Milevitanus in lib. 1. contra Parmenianum & 2. Laicos inquit *qui tunc in Eccleſia multi fuerant nulla dignitate fuiſſe ſuffultos*: Hieronymus in lib. 3 Commentar. in c. 5. Michææ *Judices*, inquit, *domus Iſrael non ſunt alii niſi Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi; & ab his tamquam Præpoſitis curam animarum* exigi Auguſtinus ait homil. 7. inter 50. ſeu ſermone 25. in appendice de diverſis, ac proinde ſolum eorum ordines hierarchicos eſſe demoſtrat. Nec ſane immerito, cum proprie dictæ hierarchiæ conditiones, ut alibi oſtenſum eſt ſint Ordo, Juriſdictio, & obligatio habendi Chariſmata in aliorum ſanctificationem traſmittenda, quibus omnibus Laici deſtituntur, ex confeſſione etiam eorumdem Novatorum, qui cum ponant ordinationem Paſtorum, qui dedicantur ad Paſcendum ut ſcribit Melancthon in locis cap. de numero ſacramentorum, & Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 14. §. 20. inter ſacramenta Eccleſiæ, aperte dicunt hoc Sacramentum non eſſe commune toti Eccleſiæ, ſed tantum quibuſdam, qui per illud initiantur, proinde ex eorum confeſſione Laici non ordinati non ſunt Paſtores, ſed oves tantum, qua propter in Concilio, Chalcedonenſi Act. 1. cum ad Martinum Archimandritam mitteretur ut ſubſcriberet reſpondit *non eſſe ſuum, ſed Epiſcoporum tantum ſubſcribere*, & in eodem Concilio cum pro Dioſcoro Monachi, & Laici ingreſſi eſſent, clamarunt Patres *quod foras mitterentur, ſuperflui cum judices controverſiarum Laici & Monachi non eſſent, ſed tantum Epiſcopi*, & Pulcheria Imperatrix in epiſtola ad Strategum Bythiniæ quæ legitur inter acta Concilii Chalcedonenſis, Clericos, Laicos, & Monachos etiam vi a Concilio repelli juſſit, cui præter Epiſcopos ſecundum Canones nemini judicum Laicorum intereſſe licebat: quod ſi nihil ominus aliqui remanſerunt hoc conceſſum fuit, non ut præeſſent, aut de rebus Eccleſiaſticis ſententiam ferrent; ſed ex commiſſione Comiti Elpidio ab imperatore Theodoſio data. Quas in Concilio partes haberent Laici ſatis apparet, nempe *ut nullum fieri tumultum permitterent, ſed ſi quem viderent Conturbationibus, & tumultui ſtudentem ad læſionem Sanctæ fidei, hunc cuſtodia manciparent, & ad Imperialem perferrent notitiam, & ut cauſſa ordine proveniret: Imperatore vero ad ornandum decentiſſime præfuiſſe, ſicut Zorobabel, & Jeſus Eccleſiæ Jieruſalem ædificationem renovare circa dogmata admittentes*

VII. Sed contra hactenus dicta plurimum faciunt illa, quæ ex Auguſtino, & D. Thoma, & Synodo Tridentina & Carnotenſi, aliiſque ex fontibus petuntur, ut præter Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Inferiorum quoque Ordinum Clerici demonſtrentur una cum Chriſtiano populo in Eccleſia præeſſe: *Quam multos Epiſcopos*, inquit Auguſtinus in lib. 1. de moribus Eccleſiæ catholicæ c. 33. *optimos viros, ſantiſſimoſque cognovi, quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos, & hujuſmodi miniſtros Divinorum Sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior, & majore prædicatione dignior videtur, quo difficilius eſt eam in multiplici hominum genere, & in iſta vita tur-*

turbulentiore ſervare: non enim ſanatis magis, quam ſanandis hominibus præ-ſunt. Similiter S. Thomas in ſupplemento q. 37. a. 2. in reſponſione ad 1. cum ſtatuiſſet Diaconum habere unam ex functionibus hierarchicis, ſcilicet purgare, omnes etiam inferiores ordines eadem virtute preditos eſſe cognovit, & rationem addidit in corpore articuli, *quia Oſtiarius purgat exterius ſegregando bonos a malis etiam corporaliter, interius vero Acolytus, quia per lumen quod portat, ſignificat ſe interiores tenebras pellere, & utroque modo Exorciſta, quia Diabolus, quem expellit utroque modo perturbat, ſed illuminatio, quæ fit per doctrinam, quantum ad doctrinam propheticam, fit per Lectores, quantum ad Apoſtolicam fit per Subdiaconos, ſicut quantum ad Evangelicam per Diaconos fit*, & ex hoc videtur quomodo S. Doctor inferiores Diaconatu Ordines velit eſſe hierarchicos, cum vero his ordinibus initiati omnes miniſtri ſint, ſinguloſque miniſtros ad hierarchiam ſpectare dixerint Tridentini Patres in can. 6. ſeſſ. XXIII. de Sacr. Ord. imo & ipſos Tonſuratos ex Carnotenſi Synodo A. 1526. quod Tonſura Clericalis aditum ad hierarchiam Eccleſiaſticam conſtituat; etiam ex his momentis oſtenditur Subdiaconos, & cæteros inferioris gradus miniſtros inter hierarchizantes ſtatui oportere. Laicos quoque ad hanc hierarchiam pertinere ex eo quod Apoſtoli cum ſenioribus Actorum 15. convenerint videre de verbo hoc; & Apoſtolis & ſenioribus cum omni Eccleſia tunc placuerit &c. Novatores inferunt: quibus etiam arridet Ambroſius in epiſtola 38. ubi ſic loquitur: *Cauſam fidei in Eccleſia agendam quis abnuat? Si quis confidit huc veniat*. Et paulo poſte: *iſte populum judicat cujus in corde lex divina eſt non humana, lex non atramento ſcripta, ſed ſpiritu Dei vivi*. Et arrident tandem exempla illa ſingula quæ oſtendunt quod coram populo tamquam judice non infrequenter cauſſæ fidei ſunt diſputatæ.

VIII. Nihil ominus neque ex his omnibus Adverſariorum cauſſa fit melior, & ut ambigua explicemus: Advertimus miniſtros Diacono inferiores tripliciter poſſe inter præſidentium ordines referri; vel quod ad principatum ex ſuo gradu diſponantur, & jam deſtinentur ut Novitii Religionum, quia per Tyrocinium ad religioſam profeſſionem diſponuntur Religioſi dicuntur; vel quia ad eum tamquam ad finem referuntur, unuſquiſque etenim minoribus ordinibus initiatur ut fiat Subdiaconus, Diaconus, Presbyter &c. vel demum quia ſuperiorum Ordinum Officia ſi non omnia, aliqua dumtaxat inferiores Clerici obire poſſunt, nam poteſtatis Diaconorum officia ſibi quodammodo partiti ſunt Subdiaconus, Acolytus, ceterique inferiorum ordinum Clerici, qui ideo Diaconorum miniſtri dicuntur. Verum ex horum nullo provenit id quod ab Adverſariis objicitur, quilibet enim horum reſpectuum non includit conſecrationem, in qua quævis poteſtas hierarchica radicatur, ac proinde quæcumque ex Officio ſui muneris peragunt inferiores Clerici, ſine iſta conſecratione, neutiquam hierarchicis functionibus operam dare, ſeu hierarchice agere cenſentur, niſi materialiter tantum, quod intellexit Auguſtinus cum in loco citato Præfecturæ operationes minoribus Ordinibus, & Subdiaconatui attribuit, cum Clerici his Ordinibus initiati, neque habeant cognitionem cauſſæ, neque judicandi, nequidem hic, & nunc poteſtatem, ſed ſub manu Diaconi ſunt, & in ejus directione. Præterquamquod poteſt etiam reſponderi auctoritati Auguſtini, quod cum S. Doctor dixit, *praeſſe Clericos hominibus ſanandis*, hoc ita dixit, ut in eodem loco dixerat. *Epiſcopos Presbyteros*,

& Diacones quorum Sanctitatem ibi laudat in vita turbulentiore fuiſſe, quod cum de omnibus id affirmare non potuerit, quia ex iis aliqui in monaſteriis degebant, ita neque de omnibus Clericis illud voluit aſſerere, ſed de illis ſolum, qui ſecundum morem populis revera præerant, & qui miniſtri erant Divinorum Sacramentorum, ad quod certe munus inferiores Diaconatu Ordines non ordinabantur, quemadmodum nec nunc ordinantur ad Chriſti corpus, & Sanguinem vel conſecrandum, vel diſpenſandum.

IX. Advertimus ulterius Officia omnia inferiorum ordinum partem aliquam eſſe miniſterii Diaconatus, ſive illa ad Altaris miniſterium ſpectent, qualia ſunt Subdiaconorum, & Acolytorum Officia, ſive ad gubernationem, & directionem populi pertineant, & talia ſunt ceterorum Ordinum munera, quæ in expiandis immundis, vel diſcernendis conſiſtunt. Triplex tamen inter Diaconum, & ceteros inferiores miniſtros Eccleſiæ differentia eſt. 1. quod Diaconi Ordinatione & præſcripto, alle torum agat qui in inferiori Ordine eſt conſtitutus 2. quod in iis quæ proprii muneris ſunt minores Clerici Diacono ſubijciuntur, & delinquentes ab eodem puniuntur abſente Epiſcopo, vel Presbytero, hoc vero non conceditur Subdiaconis cum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi abſunt 3. quod ubi Diaconus integram diſcretionis, & expiationis immundorum functionem ſuo munere complectebatur, partem ejus tantum, quilibet ex miniſtris inferioribus attingebat. Unde ſequitur ex hoc quod prædictæ functiones, etiam pro ut fiunt a Clericis minoribus, vocari poſſunt hierarchicæ, quatenus a Diaconis imperantur, quibus ſubijciuntur, eædem vero, quatenus fiunt ſecundum Ordinem & relationem ad ipſos Ordines inferiores, & inferiores miniſtros, qui juriſdictionis hierarchicæ incapaces ſunt, & non inſigniuntur ordine hierarchico; nec proprie ſubditos habent, utique hierarchicæ functiones dici non poterunt, niſi fortaſſe lato quodam modo, in quantum ex Officio, & miniſterio publico fiant, & a Subjecto Ordine Eccleſiaſtico inſignito; & hunc intellectum habent verba Angelici Præceptoris, quæ in ſecundo argumento leguntur, quamquam hoc non dicit S. Thomas in loco citato ſuam ſententiam exponens, ſed alienam opinionem referens.

IX. Advertimus 3. in hac quæſtione abſtinendum eſſe a ſenſibus ambiguis quorumdam terminorum, quibus ſubjecta diverſa appellantur, non ut naturæ eædem de ſingulis affirmentur, ſed ut notentur operationum ſimilitudines. Exemplum occurrit in hac voce *Miniſter*, quæ cum uſurpatur, actum, & operationem illius exponit, qui ad publicum opus aliquod peragendum eligitur. Nam hæc vox non ſignificat, vel miniſterii, vel characteris identitatem in iis reperiri, qui hac voce deſignantur, alioquin etiam in Cœleſti hierarchia nullum daretur hierarchizantium diſcrimen, quia omnes *adminiſtratorii Spiritus* appellantur, ſed ſignificat pecularia miniſteria ad quæ ſinguli in gradibus ſuis deſtinantur. Verum tamen eſt quod cum hæc vox indefinite uſurpatur a Scriptoribus Eccleſiaſticis, præſertim ubi agunt de Sacris Ordinationibus, ibi ſemper accipitur pro Diaconis, qui ſunt potiſſimi Eccleſiæ miniſtri, & ita hanc vocem uſurpant Ambroſius in lib. 1. de Offic. c. 5. & in lib. 1. de Sacramen, c. 2. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Offic. c. 2. Concilium Aquiſgranenſe 1. cap 7. & alii paſſim ſcriptores. Unde eruitur in quo etiam ſenſu Tridentini PP. in loco ab Adverſariis citato eamdem vocem uſurpaverint. Nec obſtat pluralis numerus, quia eumdem nume-

Digitized by Google

numerum retinent PP. cum hierarchiam Divina Ordinatione inſtitutam adverſus impugnantes hanc ſtatuerunt, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, &Diaconis, nam ſicut nullus Epiſcopus, nullus Presbyter excluditur a Sacro Principatu, ita quoque Diaconi omnes includuntur, qui abſolute, & ſine addito, *Miniſtri* dicuntur ipſi quoque ad dirigendum populum ſpecialiter conſecrati: Nec opus fuit, quod Concilium Tridentinum aliter intelligeret, cum id ab Hæreticis nullatenus in dubium vocaretur, & cum præterea Concilii Patribus conſtaret hanc Controverſiam eſſe inter Orthodoxos Theologos, apud quos neque communis erat ſententia, quod inferiores Diaconatu Ordines Divinam inſtitutionem ſortiti ſint, ut ſuo loco demonſtravimus.

X. Facile modo intelligitur, quare Patres Carnotenſes Tonſuram Clericalem dixerunt aditum ad Hierarchiam eſſe, quia cognoverunt per illam Clericos ad Ordines hierarchicos diſponi, ut legitime, & recipi, & exerceri poſſint, nam ſine Tonſura, non ſecus, ac ſine reliquis ordinibus Diaconatu inferioribus Diaconi jure integro carent, & plena poteſtate, & auctoritate legitima: Siquidem ex praxi Eccleſiaſticorum judiciorum, Diaconus, & Presbyter, qui Clericalem Tonſuram, & reliquos Diaconatu inferiores Ordines non recipit, jure deſtituitur ad Eccleſiaſtica beneficia obtinenda, nec minus juris, & poteſtatis habet ad eas exercendas functiones, ad quas ſpecialiter per ſingularem Ordinationem, & conſecrationem deſtinatus non fuerit, atque adeo, nec legitimus miniſter Superiorum Ordinum, quos recepit, judicatur ab Eccleſia, imo nec eorumdem illi permittitur exercitium, donec prætermiſſos Ordines non acceperit, ut Papa decrevit in canone *Sollicitudo* d. 52. quare hoc facit, quod Iſidorus apud Gratianum dixit in c. *Sicut* d. 40. videlicet quod *ſicut viri, & mulieris digna conjunctio unum facit matrimonium, & ſicut duorum copulatio unum perficit corpus, ita Clericatus, & Sacerdotium unum faciunt Presbyterum, & electio, & Conſecratio unum faciunt Epiſcopum; quæ omnia unum efficiunt corpus*. Et hoc quo ad auctoritatem ex Synodo Carnotenſi petitam.

XI. Quod eruitur ex Actibus Apoſtolorum ex ipſo Scripturæ contextu refellitur, ex quo patet 1. tantum Epiſcopos, & Presbyteros ad illud Concilium convenisse: *Convenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc*. Laici igitur non fuerunt vocati. 2. quod in cauſſæ diſcuſſione, & diſpoſitione, quæ magna fuit, ut ibi dicitur, nullus Laicorum locutus eſt. 3. quod ſoli Apoſtoli ſententias definitivas dixerunt: *Tacuit omnis multitudo, & audiebat Paulum, & Barnabam;* & poſtquam tacuerunt, reſpondit Jacobus dicens &c. 4. denique peractis, his omnibus addit S. Lucas, *quod placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia eligere viros &c.* Eccleſia ergo cujus hic meminit Lucas non condidit decretum, ſed miſit, & publicavit: imo ut in eodem textu notatur, Epiſtola nomine Apoſtolorum ſcripta eſt, ipſique in ea loquuntur, non Eccleſia; populus ſcilicet, qui non vocatus adfuit, ut iis aſſentiretur, quæ ab Apoſtolis audiit definita eſſe; & hoc etiam poſt tempora Apoſtolorum contigit, quod Laici Conciliis adfuiſſent, nam permulti adfuerunt in Concilio Carthaginenſi, cujus meminit Cyprianus, & multi fuerunt in Concilio Nicæno, ut ſcribit Nicephorus lib. 8. c. 14. ſed tamen in illis ſoli Epiſcopi ſententias dixerunt, hoc rurſum Laicis permiſſum non fuit extra Concilium cum Epiſcopis diſputare, & hoc contigiſſe in laudato Concilio Nicæno ſcribit Ruffinus lib. 10. c. 3. quemadmodum etiam aliquando licuit

Digitized by Google

cuit populo privatim judicare in cauſſa fidei, cum aliud fieri non potuit, quando nimirum hæretici impune cum Catholicis verſabantur, & multos ſeducebant, tunc enim expedit hæreticos coram populo in theologicum certamen vocare, ut audita utraque parte judicium populo relinqueretur eligendi, quam meliorem agnoviſſet ſententiam, cujus rei exemplum nobis ſacra lib. 3. Regum reliquit hiſtoria in c. 18., ut Helias populum a cultu Baal revocaret, & plura alia Eccleſiaſtica hiſtoria ſuppeditat apud Clementem lib. 1. & 2. Recognitionum, ubi deſcribitur diſputatio Petri cum Simone Mago, apud Epiphanium Hæres. 56., ubi legitur diſputatio Archelai Epiſcopi cum Manichæo, apud Zonaram in vita Conſtantini, ubi narratur diſputatio Sylveſtri Papæ cum Judæo, & apud alios, quia non poterat aliter fieri; & hoc eſt, id quod S. Ambroſius in loco citato affirmavit, quia tunc Mediolani Imperator Arianis favebat, nec poterat aliud obtineri, quod ſatis Sanctus Doctor expoſuit in illa eadem epiſtola cum ait: *Veniant plane, ſi qui ſunt ad Eccleſiam, audiant cum populo, non ut quiſquam judex reſideat, ſed unusquiſque de ſuo affectu habeat, & eligat quam ſequatur.*

XII. Aliquid addendum eſſet de illo ſtatu Eccleſiaſticarum Perſonarum, quæ ad vacandum contemplationi, & mortificationi conſecrantur, & vulgo *Monachi* appellantur, quos collocandos eſſe in hierarchia ſtricte ſumpta nonnulli putarunt: verum cum hi, nec in alios ex Officio ſuam perfectionem transfundant, nec ex Officio ad purgandos, illuminandos, perficiendoſque aliis hierarchicis functionibus ab Eccleſia deſtinentur, ut declarat Dionyſius c. 6. Eccleſ. Hierar. in theoria, ſed in ſe ac per ſe perſtent in ſingulari ſanctoque ſtatu; eorum Ordo non requirit, quod ad Hierarchiam admittantur, ſed quod inter Initiatos recenſeantur, quos recipiendis dumtaxat hierarchicis purgationibus, illuminationibus ex ſuo ſtatu, idem Dionyſius in cap. 3. citati operis cenſuit idoneos. Hoc unum tamen cum D. Thoma in Opuſc. 15. c. 4. aſſerimus ordinariam gubernandi auctoritatem Monachis convenire, ſi ſunt Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi, nec in caſu, quod omnes Laici eſſent deſtruere hierarchiam Eccleſiaſticam Papam mittentem Monachos ad prædicandum, quia in Eccleſiaſtica hierarchia ille, qui eſt inferioris Ordinis poteſt Superioris officium exercere, etiam in ſuo ordine manens, ſicut etiam & in cœleſti, & ulterius poteſt ad Superiorem Ordinem promoveri, quod non eſt in cœleſti.

XIII. Mirum eſt, quod eo dementiæ pervenerit aliquis, ut purgandi, illuminandi, perficiendi poteſtatem Monialibus attribueret, ut mulieres ipſas in hierarchia Ordinis habere locum contenderet, & eaſdem proprie conſecrari, ordinari, & aliquam miniſterii in Eccleſia auctoritatem habere. Reprobarunt olim hanc opinionem, & confixerunt errorem inter Latinos Patres, Ambroſius in c. 3. ad Timotheum, & inter Græcos Epiphanius, qui de Collyridianis loquens hær. 79. Sacerdotii honorem eos mulieribus detuliſſe queritur, aitque eas in Eccleſia Dei, neque Sacerdotale quidpiam efficere, neque quidquam aggredi poſſe; ſed controverſiam omnem Nicænum primum Concilium diremit, dum Diaconiſſas, quarum non ſolum eadem, ſed major, potiorque erat ratio, quam Monialium in hierarchia Ordinis locum habere negavit, aut vere ordinatas eſſe, ſed modis omnibus inter Laicos rejiciendas eſſe canone 19. ſancivit. Unicum ſupereſſet effugium iis, qui Monachis, & Mulieribus in hierarchia locum aperiunt, demonſtrare hierarchiam

chiam

chiam Ordinis non præſupponere conſecrationem ad Altaris miniſterium, neque Ordinem ad alios exterioribus actibus ad ſalutem promovendos, ſed tantum prærequirere interiores actus contemplationis, & pœnitentiæ pro fidelium peccatis, & publicas preces, & certe non defuit, qui hoc putaverit, verum quis non animadvertit ex hac doctrina ſequi, nequidem in hierarchia Ordinis Epiſcopos eſſe Superiores, ſed iis Monachos, & Moniales debere præferri? Satis igitur ex iis omnibus conſtat ſolos Epiſcoporum, Diaconorum, & Presbyterorum Ordines hierarchicos eſſe. Utrum vero ad Hierarchiam Eccleſiaſticam pertineat non ſolum horum Ordinum diverſitas, verum etiam in uno, & eodem Ordine graduum quædam diſtinctio, in ſequenti paragrapho diſputabitur.

§. II. *Sunt Epiſcoporum varii gradus, non quidem Ordinis, ſed juriſdictionis poteſtate, & vel majori, vel minori poteſtatis amplitudine inter ſe diſtincti, partim ex Chriſti Ordinatione, & partim Eccleſiæ auctoritate. Ex Chriſti Ordinatione unus ceteris Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus Epiſcopis cum plenitudine poteſtatis præfectus eſt, ſcilicet Petrus Apoſtolorum Princeps, ac totius Eccleſiæ Paſtor, & quicumque ei in Cathedra Succeſſor eſt. Auctoritate Eccleſiæ inſtituti ſunt Archiepiſcopi, & hic Superiores Primates, & Patriarchæ.*

XIV. Impugnant primam Propoſitionis partem Heterodoxi, qui Petri Primatum, Juriſdictionis eſſe negant, & juris eſſe Divini inficiantur contrarium tamen tota clamat Traditio, cui fundamentum ſuppeditant Chriſti verba Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni Cælorum: quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.* Et certe quod his verbis ſingulari quadam ratione promittatur Petro procuratio clavium, non ſolum cum amplitudine poteſtatis ligandi, atque ſolvendi, ſed cum dignitate capitis, ut quædam hujus imperii vis in ceteros etiam Apoſtolos transfunderetur, ſed quam, nonniſi Ordine quodam ad Petrum unitatis Eccleſiaſticæ fontem a Chriſto conſtitutum, obtinerent, omnes ferme S. Patres conſpirant; luculentius tamen Tertullianus, Optatus, & S. Leo dixerunt libro Scorpiaci c. 10. lib. 1. contra Parmenian. Sermone 3. in anniverſario ſuæ Aſſumptionis, in quibus locis legimus Dominum claves Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe: quod Petrus præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves Regni Cœlorum communicandas ceteris ſolus accepit: quod tranſivit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ Principes Decreti hujus conſtitutio commeavit. *Sed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur.*

XV. Ejuſdem Traditionis conſtantiam uberius confirmat iterata, & tertio repetita a Chriſto reſponſio Joan. 21., qua Petrus Agnos, & Oves juſſus eſt paſcere, nam ut inquit S. Bernardus lib. 2. de Conſiderat. c. 8. *cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Summa igitur rerum in Eccleſia, & ſacer nedum ſuper ceteros fideles, ſed etiam ſuper Apoſtolos ipſos Principatus S. Petro a Chriſto Domino collatus eſt; ſi paſcit Agnos, paſcit. & Oves, ſi paſcit filios, paſcit & matres, ſi regit Subditos, & Prælatos, omnium igitur Paſtor eſt, quia præ-*

ter

ter Agnos, & Oves in Eccleſia nihil eſt. Eo forte, ſequitur S. Bernardus, *præſentes ceteri condiſcipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & in uno Paſtore ſecundum illud: una eſt Columba mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio, vel* ut ſcripſerat S. Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum, *ut Schiſmatis tolleretur occaſio; ut Schiſmaticus, & Peccator eſſet*, addidit Optatus Milevitanus loco ſupra citato, *qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Solus itaque Petrus conſtitutus eſt Eccleſiæ caput, unuſque præ ceteris electus. qui procurando Eccleſiaſticæ unitatis negotio, ex Officio advigilaret.* Neque aliud eruitur ſi Prærogativas Petro conceſſas obſervaverimus, quas in mutatione ſui Nominis Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. c. 12. Auguſtinus tractat. 7. in eundem Evangeliſtam, & S. Leo loco ſupra cit. luculentius agnoverunt; alii vero in hoc, quod primus inter Apoſtolos ſemper recenſeatur: quod primum Eccleſiæ Concilium convocaverit, ut unus eligeretur, qui aſſumeret locum miniſterii, & Apoſtolatus, de quo Judas prævaricatus fuerat: quod in illa etiam Synodo, in qua de Legalium obſervantia agebatur primus ſententiam dixerit, & in ſententiam ejus, ut S. Hieronymus epiſt. 89. ad Auguſtinum, inquit *Jacobus Apoſtolus, & omnes ſimul Presbyteri tranſiverint*: quod ſedes primas, & Patriarchicas ipſe fundaverit, quod tandem de toto mundo electus fuerit unus, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponeretur, & quamvis in populo Dei multi eſſent Sacerdotes, multique Paſtores, omnes tamen proprie regeret Petrus quos principaliter regit, & Chriſtus, qui ſiquid commune cum eo ceteris, voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negavit. Opportune igitur Euſebius in Chronico anni 44. a Chriſto nato *Petrum Apoſtolum natione Galilæum primum appellat Chriſtianorum Pontificem*, e contra vero *Jacobum fuiſſe* dicit *primum Eccleſiæ Jeroſolymorum Epiſcopum, & Evodium primum Epiſcopum Antiochiæ* vocat, ut intelligamus Jacobum, & Evodium unius Civitatis, Petrum vero totius Chriſtiani Orbis fuiſſe Pontificem: Chryſoſtomus quoque homil. 55. in Matth. eumdem appellat *Paſtorem, & Caput Eccleſiæ*, neque ut Jeremias, qui uni Genti Pater eſt creditus, *ſed illum* ait, *univerſo terrarum orbi fuiſſe præpoſitum: Primatum omnium, & præfecturam orbis* hunc recepiſſe ſcribit Theophylactus in caput 22. Lucæ; ipſum *Principem, & caput non modo Latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis univerſi, verum etiam, Armenorum, Arabum, Judæorum, Medianitarum, & totius Orientis in perpetuum a Chriſto fuiſſe conſtitutum*, inquit Hugo Etherianus in libris quos ſcripſit de proceſſione Spiritus S. adverſus Græcos lib. 3. c. 17. Hæc pauca Græcorum teſtimonia ſubjecimus, ut ea quæ Calvinus dixerat *fuiſſe innudita in antiqua Eccleſia nomina*, ut ſcribit in lib. 4. Inſtit c. 7. §. 3. innoteſceret a Græcis etiam Patribus fuiſſe uſurpata, non ſecus ac eadem nomina Latini uſurparunt, inter quos Cyprianus in libro de unitate Eccleſiæ, Optatus in lib. 1. contra Parmenianum, Ambroſius in c. 12. epiſt. 2. ad Corint. & B. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum; quoniam *uſque ad Hieronymi tempora adhuc veram Eccleſiam duraſſe* loco citato Calvinus fatetur, quibus accenſetur etiam Auguſtinus, qui pluribus in locis eiſdem nominibus utitur, & præſertim in lib. 2. cap. 1. de Baptiſmo, ubi agens de Martyrio Cypriani putat hoc comparari quidem poſſe cum Martyrio Petri, quia in eodem genere ſunt Martyrum

om-

omnium palmæ, ſed non poſſe eorumdem Sedes conferri, *quod Cyprianus Carthaginis, & Petrus Romæ Epiſcopus fuerit, hic univerſi orbis, ille unius tantum partis Pontifex* extiterit. Multo plura afferri poſſent tum Græcorum, tum Latinorum Patrum teſtimonia ad idem comprobandum; ut bene iidem Novatores norunt, qui de hoc convicti reponunt *eos humana paſſos, ac deceptos fuiſſe*, verum qui hæreticorum, & hæreſum indicem texuerunt, ex Patribus nulli errorem hunc adnotarunt, aut inter hæreticos illos recenſuerut, qui dixerunt, vel ſummam rerum de paſcendis ovibus a Chriſto fuiſſe Petro traditam, vel Petrum habuiſſe Primatum, & fuiſſe caput Eccleſiæ.

XVI. Nec certe deſiit poſt Petri obitum in Urbe Roma, hic Primatus in ejus Succeſſoribus Romanis Pontificibus, quod eſt alterum eorum ad quod probandum nunc pergimus, negatum jam a Nilo Theſſalonicenſium Epiſcopo in libro adverſus Primatum Papæ, & poſt ipſum ab omnibus Heterodoxis, qui inquiunt ſe cauſſam non invenire *cur ex privilegio ſingulari perſonæ Petri conceſſo univerſalis inferri debeat regula, & quod ſemel factum fuit debeat ad perpetuitatem trahi; & quomodo evinci poſſit, quod quicumque ſit Urbis Romæ Epiſcopus Orbi univerſo præſideat*. Verum cauſſa hæc facillime invenitur hoc ipſo, quod quis animadvertat ad finem Pontificatus, & ad unitatem Eccleſiæ: cum enim dicat Auguſtinus in lib. de Paſtoribus cap 1. *Præpoſitos Eccleſiarum in utilitatem earumdem eſſe inſtitutos*, apparet, quod non minus Eccleſia his indigait, cum vivebant Apoſtoli, ac nunc his indigeat; & cum ſemper una, eademque ipſa fuerit etiam forma regiminis, perpetua, & conſtans eſſe debet, ut ſcilicet ſemper ab uno capite, & ſupremo Paſtor gubernetur, quem etſi carnis conditio non ſinit perpetuo vivere, quia tamen Ovile perpetuum eſt, oportet, quod alter illi ſuccedat, cum e vivis exceſſerit, & hic ille ſit, cui in Petri Perſona Chriſtus ait: *Paſce Oves meas*, videlicet Romanus Pontifex, cum præter Romanum Pontificem, nullus alter Epiſcopus eſſe poſſit, qui ſe Petri Succeſſorem ullo modo aſſeruerit, & cum nulli alteri, quam Petro ejuſque Succeſſoribus Chriſtus Dominus Oves commendaverit, quas proprio Sanguine fuiſſet acquiſiturus, ut S. Chryſoſtomus notavit exponens Chriſti verba Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* in libro 2. de Sacerdotio cap. 1. oportet aſſerere Pontifices Romanos Supremos in Eccleſia diſpenſatores a Chriſto conſtitutos eſſe, illorumque tam late fundi poteſtatem, quam late funditur Chriſti redemptio, nullumque omnino eſſe (cum pro ſingulis Chriſtus ſuum Sanguinem fuederit) qui curæ Petri, & Succeſſorum ipſius non ſit ſubditus.

XVII. Confirmant hanc veritatem teſtimonia locupletiſſima SS. PP. inter quæ occurrit illud, quod S. Cyprianus in epiſtola 52. deſcribit Cornelii Romani Pontificis electionem, *quæ contigit*, inquit, *cum Fabiani locus, ideſt cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*, & illud quo Optatus Milevitanus in lib. 2. contra Parmenianum demonſtrat, Romanorum Pontificum ſucceſſionem poſt obitum Petri cum dicit, quod *ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus &c.* nec aliter locuti ſunt Petrus Chryſologus, & Hieronymus, ille in epiſtola ad Eutychetem, quem hortatur obedienter *attendere iis, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt quoniam B. Petrus, qui in propria Sede, & vivit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem*, hic vero in epiſto

la 57. ad Damaſum *ſe conſociari*, ait *communione Beatitudini ſuæ*, ideſt Cathedræ Petri, *quod ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſciat*. Alios non recenſeo quod in hoc prolixi ſint Patres.. Solum memoro ex ipſis Romanis Pontificibus Clementem, qui lib. 7. Conſtit. Apoſt. c. 46. docet *Petrum iminente morte ſibi reliquiſſe Romanum Pontificatum*, Marcellum I. in epiſtola ad Antiochenos, Innocentium I. in epiſtola ad Concilium Milevitanum, Gelaſium in epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ, & Siciliæ, Joannem III. in epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ. Magnum Gregorium, Agathonem, Adrianum, Nicolaum, alioſque, qui omnes *Sedem ſuam Petri Sedem eſſe* ſcripſerunt. Memoro ex Conciliis quinque antiquiora, quæ ab hæreticis ipſis recipiuntur. Sardicenſe Epiſcoporum 300. in can. 3. Epheſinum 1. Chalcedonenſe 630. Epiſcoporum, Concilium V. & VI. in Actione 1. & 8. in quibus Conciliis *Romani Pontifices Petri Succeſſores* appellantur. Addo propter hanc RR. PP. in Catholicæ Eccleſiæ regimine Succeſſionem, ipſam *Romanam Eccleſiam ceterarum omnium radicem, & matrem fuiſſe vocatam, Romanumque Pontificem, ut vinculum Sacerdotalis Collegii, & unitatis centrum*, ubique ſemper omnes veneratos eſſe, hunc conoroverſias fidei diremiſſe, ut Judicem poſt Oecumenica Concilia Supremum, Appellationes dejectorum Epiſcoporum ſuſcepiſſe, & reſtituiſſe ſuis Sedibus, qui exautorati erant immeriti, mulctaſſe excommunicatione aliarcm Eccleſiarum Antiſtites, etiam Orientalium, vel eos Communione donaſſe, jus denique dixiſſe ceteris Patriarchis, quæ certe ſingula Supremam Romani Pontificis in Orientis, & Occidentis Epiſcopos, & in ceteros Patriarchas auctoritatem probant. Apud Euſebium lib. 5. hiſtor. c. 24. S. Irenæus agnovit in Romano Pontifice auctoritatem excommunicandi Aſiaticos Epiſcopos: apud Vincentium Lyrinenſem in Commentar. 1. adverſus hæreſes c. 5. Stephanus Primatum exercuit in Epiſcopos Africæ: apud Socratem lib. 2. c. 5., & apud Sozomenum lib. 3. c. 9. Concilia Orientis irrita habebantur, niſi Romani Pontificis auctoritate firmarentur. Secunda Oecumenica Synodus, ſeu prima Conſtantinopolitana apud Theodoretum lib. 5. c. 10. ſuorum confirmationem Decretorum a Damaſo ſupplex poſtulavit. S. Joan. Chryſoſtomus Innocentio I. libellum ſupplicem porrexit, ut reſcinderet exautorationis ſententiam in ſe latam a Teophylo, & Alexandrino Patriarcha, & Epiſcopis in Synodo ad Quercum congregatis: apud Ambroſium in epiſtola 78. ad Theolophilum data; apud Auguſtinum in epiſtola 92. ad Innocentium miſſa nomine Concilii Milevitani Antiochenæ Eccleſiæ diſſidia, & Pelagianorum errores Apoſtolica Auctoritate compeſcuntur. Apud Evagrium lib. 1. hiſtoriæ c. 4. vi mandatorum Cœleſtini I. Epheſini Concilii Patres ſe coactos teſtantur ad Neſtorium anathemate percutiendum, quod & contra Dioſcorum contigiſſe juſſu S. Leonis Chalcedonenſis Concilii Decreta demonſtrant. Infinitus eſſem ſi vellem ſingula recenſere Patrum, & Eccleſiarum monumenta, quæ Propoſitionem noſtram confirmant, hæc videri poſſunt apud Theologos Catholicos, qui Petri ſucceſſionem in Romanis Pontificibus tuentur, & horum in Eccleſia univerſali Principatum. Satis igitur eſt audire doctiſſimum Gerſonium, in Tractatu de ſtatibus Eccleſiaſticis Conſideratione 1. ſuper ſtatu Romani Pontificis ſic loquentem: *Status Papalis inſtitutus eſt a Chriſto ſupernaturaliter, & immediate, tamquam Primatum habens Monarchicum, & Regalem in Eccleſiaſtica Hierarchia, ſecundum quem ſtatum unicum, & Supremum Eccleſia militans dicitur una ſub*

Chri-

Digitized by Google

Chriſto, quem ſtatum quiſquis impugnare, vel diminuere, vel alicui Eccleſiaſtico ſtatui particulari, coæquare præſumit, ſi hoc pertinaciter faciat, Hereticus eſt, Schiſmaticus, impius, atque ſacrilegus. Cadit enim in hæreſim toties expreſſe damnatam a principio naſcentis Eccleſiæ uſque hodie, tam per inſtitutionem Chriſti de Principatu Petri ſuper alios Apoſtolos, quam per Traditionem totius Eccleſiæ in Sacris Eloquiis ſuis, & Generalibus Conciliis.

XVIII. Sed inquies, contrarium his quæ diximus, ſive de Petri Primatu, ſive de ejus legitima Succeſſione in Romanis Pontificibus demonſtrari ex ſequentibus animadverſionibus. i. quod Chriſti verba: *Tu es Petrus &c.* referantur ad Chriſtum, qui ad Corint. 1. c. 10. *Petra* vocatur, cui interpretationi non repugnant Auguſtinus in Sermone 13. de Verbis Domini, & Tract. 124. in Joan., & hoc eo verius dicitur, quod verba illa, quæ ſequuntur: *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Hilarius lib. 6. de Trinit. Cyrillus Alexandr. lib. 4. de Trin. Chryſoſt. homil. 55. in Matt. *ad fidem, & Confeſſionem Petri referenda eſſe* aperte pronunciant, ut Eccleſia ſuper Confeſſionem illam, & fidem fundata intelligatur. ii. quod S. Petrus primus dumtaxat audiatur S. Cypriano in lib. de Simplicitate Prælatorum inter pares, aut *Confeſſione, & fide*, ut S. Ambroſio videtur in lib. de Incarnatione c. 4. iii. quod S. Petrus a pluribus Patribus nimirum Epiphanio hæreſ. 27. Irenæo lib. 3. adverſus hæreſ. c. 3. Cyrillo Hieroſol. Catecheſi 6. S. Leoni Sermone 1. de Natali Apoſtolorum, Gregorio Magno lib. 1. Dialog. c. 12. Maximo Taurinenſi Serm. 5. in Feſto Apoſt., aliiſque *æqualis S. Paulo* cognoſcatur, quod ſi Petro claves datæ ſunt, id contigiſſe, idem S. Auguſtinus in poſteriori loco citato ait, *nomine Eccleſiæ, cujus perſonam gerebat, non vero privative, quo ad alios* Apoſtolus, quibus eamdem Clavium promiſſionem factam fuiſſe Origenes Tractatu in Matth, & S. Hilar. lib. 1. dixerunt, qui Apoſtoli, neque præeminentiam hanc in Petro agnoverunt, ut patet, tum ex c. 22. Lucæ ubi dicitur, quod inter Apoſtolos *facta eſt, hæc contentio quis eorum videretur eſſe major*: tum ex D. Clemente lib. 6. Recognitionum apud Euſeb. lib. 2. hiſtor c. 7. ubi Petrus, Jacobus, & Joannes, quamvis a Chriſto omnibus aliis prælati dicantur, tamen non dicitur, quod ſibi Primatus gloriam vendicaverint. iv. demum, quia ex epiſt. ad Gal. cap. 2. aperte eruitur univerſas Chriſti Oves non fuiſſe concreditas Petro, ſed inter Petrum, & Paulum fuiſſe diviſas, nam Petrus fuit Apoſtolus Judæorum, & Paulus Gentium, & propterea de utriſque dici ab Eccleſia, *quod per ipſos ſumpſerit Religionis exordium, quod ambo Judices ſeculi ſint futuri*, & quod utriſque *ligandi*, atque *ſolvendi licentiam* Chriſtus contulerit. Et hæc quidem contra Petri Primatum.

XIX. Petri Succeſſioni, quæ demonſtrata eſt in Rom. Pontificibus officiunt, quæ ſequuntur animadverſiones. i. quod *S. Petri Romam adventum* Scriptura non indicet, & Auctores diſſentiunt in illius Epocha definienda, ut patet conſulenti Lactantium, Hieronymum, & Oroſium, nec ulla fuit neceſſitas quare Petrus, cui Apoſtolatus Circumciſionis concreditus fuerat, Romam progrederetur. ii. quod Apollonius apud Euſebium lib. 5. hiſtor. c. 17. Chriſtum dicat Apoſtolis in mandatis dediſſe ne Hieroſolymis ante 12. annos diſcederent, quo poſito non conciliarentur anni vii. & xxv. quibus Petrus dicitur Antiochenam, & Romanam rexiſſe Eccleſiam, & Cruci affixum fuiſſe anno decimoquarto Neronis, ideſt anno a Chriſti morte 37. igitur ſi

Petrus Romæ non fuit, nec Romæ mortem opetiit, ut Acta Lini teſtantur, & Chryſoſtomus, & Hieronymus inferunt cum explicant hæc verba Matthæi capite 23. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & cruiſigetis, & ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris*, & ut colligitur ex hiſtor. Joſephi; qui de interfectis a Nerone agens *Petri non meminit*; dicendum profecto eſt Romanos Pontifices non poſſe eſſe Petri Succeſſores in Epiſcopatu Romano, & conſequenter neque in univerſæ Eccleſiæ Primatu, quod ſe etiam affirmare poſſe credidit Cyprianus, qui Romanum Pontificem *non debere appellari*, ait *Epiſcopus Epiſcoporum*, nec illi eſſe conceſſum reſcindere ea, quæ Epiſcopi alicujus Provinciæ ſtatuiſſent, nec licere ad illum appellare: præterquamquod monumenta non deſunt, quæ ſive ipſum Romanum Epiſcopum aliis Epiſcopis æqualem faciunt, ſive declarant ab Imperatoribus propter Urbis Romæ amplitudinem illi delatum fuiſſe Primatum. Hactenus Adverſarii, verum infecta re, cum ſemper, & Petri Primatus, & Legitima ſtet in Romanis Pontificibus indeficiens in officiis Primatus Succeſſio, & Pontificiæ plenitudo poteſtatis.

XX. Et ad rem noſtram facit primo animadvertere novum non eſſe, quod Chriſtus Dominus, quæ ſua ſunt aliquando ſervis ſuis largitus fuerit, hoc notavit S. Hieronymus in c. 6. Matth., & S. Baſilius homil. 28. de Pœniten. ex ejuſdem Chriſti Domini verbis, qui in Evangelio ait: *ego ſum lux mundi*, & tamen dicit Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundi: qui Sacerdos in æternum eſt, & facit Sacerdotes, qui Ovis dicitur*, & tamen dicit: *Ecce ego mitto vos ſicut Oves in medio Luporum*; ita nec ſibi ipſe injuriam facit, ſi cum *Petra* vocetur, Simoni, qui credebat in ipſum, Petri nomen largitur, ut *Petra ſit* non ut ipſe, qui immobilis eſt Petra, ſed propter Petram, ut ſecundum hanc metaphoram petræ, recte dicatur ei: *ædificabo Eccleſiam meam ſuper te*. Hoc autem dicere blaſphemum non eſt, licet id temere ſcripſerit Calvinus in lib. 4. Inſtit. c. 6. §. 6. nec contrarium eſt Apoſtolo, qui in 1. ad Cor. c. 3. *Fundamentum*, ait, *aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*, & id ex modo, quo Chriſtus Dominus alloquitur Petrum evidenter colligitur, hæc enim propoſitio: *Tu es Petrus* nugatorium ſenſum operaretur, & pronomen *hanc* careret ſubjecto, ad quod referretur; & verbum *ædificabo* ad exprimendum ædificium jam factum uſurparetur, quæ ſingula incongrua ſunt textui Evangelico, & prorſus a mente Chriſti aliena, qui Diſcipulos ſuos interrogans: *quem vos me eſſe dicitis*, celeberrimæ Confeſſioni, in quam Simon erupit: *Tu es Chriſtus Filius Dei Vivi*, protinus vices rependens, ait: *& ego dico Tibi, quia tu es Cepha, ideſt Petra, & ſuper hoc Cepha, ideſt & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. quaſi dicat, non amplius Simon futurum eſt tibi nomen, ſed Petra, ut in te tamquam in Petra, lapideque firmiſſimo meam ſis ædificaturus Eccleſiam. Nec huic explicationi ex Paulo recitata verba repugnant, quæ de primario fundamento intelligenda ſunt, ne ſibi contradicat Apoſtolus cum ad Epheſ. 2. ſcribit *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, imo & ne repugnet Joanni, qui in Apocal. c. 21. deſcribit fundamenta XII. in ædificio Eccleſiæ, & explicat per ea fundamenta Apoſtolos deſignari. Si igitur Petrus Fundamentum eſt ſecundum a Chriſto ſuper quod Eccleſiæ ædificium fundatum aſſurgit, & hoc neque S. Auguſtinus negavit, ſed eamdem expoſitionem admiſit in lib. 1. Retract. c. 21. falſum eſſe debet Adverſariorum argumentum. Quod ſi quandoque,

Digitized by Google

que, videlicet in loco ab Adverſariis citato ad Chriſtum hæc verba retulit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ideo hoc præſtitit, quia contra Donatiſtas agebat, qui Sacramentorum vim in Sanctitate miniſtrorum collocabant, timens propterea ne ſi Eccleſiam in Petro fundatam dixiſſet, homines de Sanctitate miniſtrorum Eccleſiæ præſumerent, & ſuper eos Spirituale fundarent ædificium, nam *volentes*, inquit, in laudato Sermone 13. de Verbis Domini, *homines ædificari ſuper homines, dicebant: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cepha: ipſe eſt Petrus: Et alii qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper Petram, ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem Paulus, ubi cognovit ſe eligi, & Chriſtum contemni, Diviſus eſt*, inquit, *Chriſtus? Numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Quomodo non in Pauli, ſic nec in Petri, ſed in nomine Chriſti: ut Petrus ædificaretur ſupra Petram, & non Petra ſuper Petrum*. Chriſtum itaque cauſſam principem, & præcipuum in ædificatione Eccleſiæ fundamentum, agnovit S. Auguſtinus, ne exiſtimaremus Petrum propria virtute, & ſeorſim a Chriſto Eccleſiam ædificaſſe; ſed non diſitetur præcipui miniſterii ratione S. Petrum eſſe fundamentum ſecundum, quia hoc ipſo in ſermone *Primum, & præcipuum Apoſtolorum* illum vocat, & in lib. 2. de Baptiſ. contra Donatiſtas c. 1. in illo *Primatum Apoſtolorum excellenti gratia præeminere confitetur?* Neque ille quoque nos commovet, qui ex Hilario, & Cyrillo Alexandrino ſuperadditur ſenſus verborum Chriſti, quæ ab his Patribus ad fidem Petri, ejuſdemque Confeſſionem referuntur. Nam hoc dicunt, ut cauſſam meritoriam oſtendant, ob quam S. Petrus dignitatem hanc eſt conſecutus, ut eſſet Eccleſiæ fundamentum. A ſimili cum S. Hieronymus in epiſtola 61. ad Pammachium ait *ſuper aquas Petri Corpus non ambulaſſe, ſed fidem*, qui S. Doctor certe negare non voluit, quod S. Petrus vere, & realiter Aquis non inambulaverit, ſed voluit cauſſam deambulationis oſtendere, dum virtuti fidei miraculum illud cenſuit attribuendum eſſe. Hanc explicationem non fuiſſe alienam a mente S. Hilarii patet ex iis, quæ ſcripſit in cap. 16. Matth. ubi de S. Petro dixit: *ob in nuncupatione novi nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolverit.* Quamquam, & notare oportet illorum temporum conditionem, quibus laudati Patres Hilarius, Cyrillus, aliique ſcribebant: ſiquidem contendentibus Arianis Chriſtum Deum non eſſe, e contra illi objiciebant Petri Confeſſionem: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; quam ſummis adeo laudibus extulerunt, ut eamdem *fundamentum Eccleſiæ* nuncuparent; & ita factum eſt, quod inauditus jam quatuor ſæculorum ſerie loquendi modus, hac data occaſione prodiret, ut illo Heterodoxi abutentes, Catholicam de vero Eccleſiæ Fundamento ſantentiam obſcurarent, non attendentes ejuſdem generis debere eſſe fundamentum, ut reliquum ædificium, quod quia ex hominibus exurgit, quaſi vivis lapidibus, ut in 1. Petri 2. dicitur, vivus etiam lapis debet eſſe fundamentum, homo ſcilicet, non aliqua virtus, ſola nimirum, & ſeorſim ſpectata fides, ſed prout edita eſt ab ipſo Petro, ſuumque meritum in illum refudit; & ita Cyrillus in loco citato inconcuſſam, & firmiſſimam Petri fidem Fundamentum appellat, ſed lib. 2. c. 12. in Joan. *Petrum ipſum eſſe Petram ait, ſuper quam fundatur Eccleſia*, non ſecus ac S. Chryſoſtomus in homil. 4. in c. 6. Iſajæ eumdem Petrum *Baſim Eccleſiæ* appellavit.

Pe-

Digitized by Google

Petrus igitur Eccleſiæ baſis, & fundamentum eſt, & quidem non eo modo, quo ceteri Apoſtoli hanc ſibi dignitatis acceſſionem procurarunt, ſed in hoc diſpar, quod fuit caput eorum in Eccleſiæ regimine, quod ſoli Petro velut Ordinario Paſtori conceſſum eſt, illis vero jure extraordinario, & tamquam pro Chriſto Legatis. *Super omnes Apoſtoles*, inquit Hieronymus in lib. 2. contra Jovinianum *licet ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto Schiſmatis tolleretur occaſio*. Sed de hoc uberius in ſequenti animadverſione. Igitur

XXI. Animadverto 2. legi aliquando dictum a Patribus præſertim a S. Cypriano in libro de Simplicit. Prælatorum Petrum, & Apoſtolos pari conſortio fuiſſe præditos, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab unitate profectum eſſe, & datum Primatum Petro, ut Eccleſia una monſtraretur, ex quo dicendi modo novum illud diſtinctionis genus prodiit, quo Heterodoxi utuntur, ut Petrum, dumtaxat inter pares fuiſſe primum tueantur. Verum quis non intelligit Cyprianum in laudato loco exponere duplicem fuiſſe in Apoſtolis poteſtatem intrinſecam, & extrinſecam, per quarum alteram in populo Chriſtiano, non autem inter ſe eamdem habuerunt omnes auctoritatem in iis, quæ pertinebant ad amplitudinem rerum gerendarum, ſed non in ordine, & modo gerendi: hoc eſt quamvis Orbis Terrarum Provincias inter ſe partiti eſſent, omnibus tamen, & ſingulis, ubivis gentium Apoſtolico munere defungi liceret, tum leges condere, jus dicere, Epiſcopos creare &c. non tamen una, eademque omnibus fuit auctoritas, quæ ſervandæ unitati neceſſaria erat, videlicet, ut nonniſi Eccleſiæ unitate ſervata munera illa implerent, ad quam unitatem ſervandam Chriſtus Dominus Petrum deſtinavit poteſtate ad hoc illi conceſſa (quæ eſt altera poteſtas a Cypriano indicata) ut compeſceret Schiſmata, eademque averteret ab Eccleſia, ut fideles omnino omnes, imo & ipſos Apoſtolos in Officio contineret, & quando opus fuiſſet ad eosdem converſus, ſingulos in fide confirmaret. Et certe quod S. Cyprianus de utraque hac poteſtate agat in textu & loco citato, ex ſequentibus verbis patet latiſſime. *Loquitur*, inquit, *Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: Tibi dabo claves &c.*, *& poſt reſurretionem ſuam dicit: Paſce oves meas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum S. &c. tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordiu ab unitate proficiſcitur, & Primatus Petro datur, ut Eccleſia una monſtretur*. Non intelligit ergo Cyprianus, quod prius Ordine temporis hæc poteſtas data ſit uni Petro quam ceteris, ut per illam poteſtatem unitas Eccleſiæ ſignificaretur. Advertatur enim hoc auctoritati Joannis c. 20. ubi ſcribit omnibus datam eſſe, & c. 21. ubi dicit ſoli Petro dictum eſſe *paſce Oves meas*, ſed intelligit, quod ab uno Petro, tamquam in fundamento, & in capite Eccleſia duxit originem, quæ ut una monſtraretur, unum ait in illa fundamentum eſt, & unum caput, ex quo deinde tamquam ex fonte, & origine omnis emanaret Eccleſiaſtica unitas, cujus pars quamquam a ſingulis in ſolidum teneretur, non tamen æquo jure, quia Petrus aliorum omnium caput a Chriſto institu-

tus

Digitized by Google

tus fuit: quare licet cum illis eamdem Epiſcopatus naturam adeptus ſit, ut frater, & collega eorum merito nuncupetur, omnibus tamen eſt major ratione unitatis a Chriſto inſtitutæ, & in illius perſona firmatæ, ut ab uno capite pendentis auctoritatis ratio conſtaret. Neque ex quo legatur in Ambroſio, Petrum egiſſe dumtaxat Confeſſionis, & fidei Primatum, non honoris, non Ordinis, habent Heterodoxi argumentum in quo glorientur: legenti enim S. Ambroſium patet ad unam Confeſſionem a S. Petro editam illum reſpexiſſe, cum Apoſtoli reliqui vulgi opinionem retuliſſent, in qua Confeſſione Divinitas Chriſti, cujus eum notione Divinus Pater imbuerat, noluit quod quivis alter Apoſtolorum hanc illi gloriam præriperet, & propter hoc, inquit Ambroſius, quod Petrus, *prævenit ſingulos non honore, ſed fide, non ordine, ſed Confeſſione, hoc eſt dicere* ait S. Doctor *nunc nemo me vincat. Nunc meæ partes ſunt. Debeo compenſare quod tacui, debeo prodere, quod ſilui; lingua mea niſi habeat ſpinas, ſine impedimento fides debet, exire*. Conſtat igitur ex his Ambroſii verbis, in quibus loquitur de Primatu Petri, mentem Sancti Doctoris non fuiſſe ad reliquos Beati Petri actus referre ſua verba, quibus Primatus Ordinis, honoris, ac poteſtatis luculentius confirmatur. Quamquam ſi ſubtiliter etiam Ambroſii ſententia perpendatur, admitti poteſt Adverſariorum explicatio, quia cum S. Petrus Divinitatem Chriſti confeſſus eſt, nullum ſibi honoris Primatum vindicare potuit, quia nondum a Chriſto audiverat ſibi dictum *Tu es Petrus &c. Tibi dabo Claves &c. Paſce oves meas*. Sed non ſecus ac reliqui a Chriſto pendebat, nihilque aliud peculiare illi fuerat, niſi quod primus eſſet in Apoſtolica dignitate, quia prius electus a Chriſto, eumdem primum Apoſtolum nominavit.

XXII. Animadverto 3. depravari ab Heterodoxis ſenſum illorum verborum, quæ leguntur in epiſtola ad Galatas; ex quo enim ibi Apoſtolus (nimirum c. 2.) recenſitis nominibus Petri, Joannis, & Jacobi, ſubdat: *quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione*, & infra: *mea nihil refert quales fuerint, qui aliquid eſſe videntur*, & rurſum: *qui videbantur eſſe aliquid, nulla mihi mandata dederunt*; & iterum: *nihil mihi contulerunt*, & poſt pauca: *dexteras dederunt mihi ſocietatis*, ſtatim inferunt Paulum fuiſſe Petro æqualem, cum ad hoc ſignificandum revera Paulus illa non ſcripſerit, ſed ut de ſuo Evangelio rationem redderet, quod ſe a Chriſto immediate accepiſſe ajebat, non ab hominibus, ut temere Pſeudo-Apoſtoli, objiciebant. Senſum itaque verborum Pauli ita exponunt Ambroſius, & Auguſtinus: *Poſtquam cum illis qui tunc præcipui erant contuli Evangelium meum, nihil ab illis accepi, dixi ab his, qui præcipui erant inter Apoſtolos eo tempore, quales enim fuerint antequam ad Apoſtolatum vocarentur, non curo: Deus enim non reſpicit perſonam, ſed de ſtercore erigit pauperem, ab his ergo nihil accepi. Non ſolum enim non reprehenderunt meam doctrinam docentes me aliquid, ſed potius intantum abfuerunt ab incuſando Evangelium meum, ut cognoſcentes plane mihi commiſſum eſſe a Chriſto Evangelium Gentibus prædicandum. Jacobus, & Petrus, & Joannes mihi, & Barnabæ dextras ſociales dederunt, declarantes hoc ſigno nos cum ipſis per omnia convenire, ſimulque conſpiravimus, ut nos inter Gentes, illi vero inter Judæos præcipue Evangelium prædicarent*. Quæ ſuperſunt verba in argumento adverſariorum, aut a Paulo ad Apoſtolos non referuntur, aut textui Pauli inſerta eſſe perhibentur. Illa quidem: *quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione*, ad Pſeudo-Apoſtolos retuliſſe Paulum ex contextu

Ser-

Sermonis ejus evidenter conſtat qui talis eſt: *Cum veni Jeroſolymam ad alios Apoſtolos, & mecum adduxiſſem Titum incircumciſum, quia Gentilis erat Apoſtoli nullo modo imperaverunt, aut ſollicitarunt ipſum ut circumcideretur, ſed a falſis fratribus, qui inſidioſe irrepſerunt ad explorandam noſtram libertatem, qua obſervamus Evangelium Chriſti ſine legis Cæremoniis, vis aliqua illata eſt ut in ſervitute legalium nos inducerent, contenderunt enim ut Titus circumcideretur, quibus minime conſenſimus, nec brevi tempore paſſi ſumus, ut de hac re nobiſcum contenderent, ut vel hoc nobis ſufficiat argumentum, quo veritas Evangelii abſque legis Cæremoniis permaneat*. Poſteriora verba cetera: *qui videbantur eſſe aliquid, nulla mihi mandata dederunt*, eadem in ſuum libellum de Primatu Papæ Smalchaldica Lutheranorum Synodus tranſtulit, cum in nullo legitimo Sacræ Scripturæ textu legantur, neque in iis, quos ſuis Commentariis addiderunt ipſi Reformatorum ſapientiores, quare jure creditur ſuperinſerta fuiſſe verba hæc ſacro textui ab ipſis Lutheranis Theologis, quod non infrequenter contigit. Si quod autem hæc epiſtola æqualitatis Pauli cum Petro argumentum ſuppeditat, objurgatio illa eſt, de qua agitur in verſiculo 11. ubi Paulus inquit, *quod cum veniſſet Petrus Antiochium in faciem illi reſtitit, quia reprehenſibilis erat*: verum quis ignorat licere minori majorem reprehendere, modo res id poſtulet, & debita reverentia conſervetur, præſertim ſi immineat periculum ſcandali circa fidem; hinc eſt quod Gloſſator Auguſtinus dicit ad hunc locum. *Ipſe Petrus exemplum majoribus præbuit, ut ſicubi forte rectum tramitem reliquiſſent, non dedignentur etiam a poſterioribus corripi, & tamquam ſua ducere* [addit S. Cyprianus epiſt. 71. quæ eſt ad Quintum] *ſi quæ aliquando a Fratribus & Collegis utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, & in hoc etiam illis præire* ut notat, magnus Gregorius homil. 18. in Ezechielem de S. Petro ſic loquens. *Qui ſe etiam minori fratri ad conſenſum dedit, atque in eadem re factus eſt ſequens minori ſui, etiam ut in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet & primus in humilitate*; imo & in manſuetudine, cujus nobis reliquit exemplum, cum multi fideles ex Judæis Chriſtiani, tamquam offenſi de admiſſis gentibus, ut legitur Actorum 11. diſceptabant adverſus illum dicentes. *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis*, cum nemo ſit qui audeat aſſerere Petrum illorum imperio debuiſſe ſubjici, quos certum erat, non tantum Petro; ſed Apoſtolis ceteris inferiores fuiſſe; ſiquidem murmuris hujus, & objurgationis contra Petrum, auctorem putat Cerinthum Epiphanius hæreſi 28. Ex ſcriptura igitur nulla eruitur Auctoritas, quæ Petrus alteri Apoſtolorum ſubjiciat, aut oſtendat æqualem.

XXII. Sed neque aliquis Patrum hoc dicit, nam qui citantur ab Heterodoxis Epiphanius, Irenæus, Cyrillus &c. non in auctoritate regendi, Petrum æqualem fuiſſe Paulo dixerunt, ſed in munere docendi, de quo præſertim loquitur in citato loco Epiphanius, quod munus propriam capitis rationem, ſive ſupremam gubernandi auctoritatem non exigit, ſed eam tantum curam, ex qua dicuntur fundatores Eccleſiarum, qui eas in fide imbuunt: dum vero illorum aliqui ajunt gratiam Primatus Paulo conceſſam, ſicut & Petro, quod præſertim ſcripſit Commentator ſuper c. 2 epiſtolæ ad Galat. itemque S. Paulum videri aliquatenus communiter Eccleſiis omnibus præſidere, quod ſcripſit S. Petrus Damiani Opuſc. 34. c. 4. profecto alterum horum intelligendum eſſe de Primatu prædicationis, non de Primatu aucto-

rita-

ritatis, conſtat ex iis, quæ idem Commentator aſſeruit ſuper idem cap. 2. epiſtolæ ad Galat., cum ait *dignum fuiſſe ut veniret Paulus videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegavit Salvator curam Eccleſiarum*. Alterum vero ſic etiam intelligendum eſſe, ut loquatur de præſidentia per prædicationem, & doctrinam, non per auctoritatem, ex locutionis modo colligitur, inquit enim: *dignum eſt, ut ſicut in omnibus fidei ſemen ſparſit, ita in omnibus jus teneat præſidendi*. Alterutrum autem horum quod ſcripſimus ex eo patet eſſe veram ſententiam iſtorum Patrum, quod laudatus Commentator in citato Commentario de S. Paulo ſcribens non ait illum abſolute obtinuiſſe primatum, ſed quod dignus eſſet ut haberet Primatum in prædicatione Gentium, ſicut & habebat Petrus in prædicatione Circumciſionis: Alter vero nimirum Petrus Damiani ubi loquitur de Eccleſia Romana, hanc univerſis Eccleſiis præeſſe ait, nimirum Alexandrinæ, Antiochenæ, Conſtantinopolitanæ, & Jeroſolymitanæ non ex privilegio Pauli, quod tamen fuiſſet proferendum, imo neque ſecundum incomparabilem excellentiam Redemptoris, ſed juxta Privilegium Petri. *Quantum* inquit *ad vulgarem pertinet ſenſum quoniam Jeroſolymis paſſus eſt Dominus, univerſis Eccleſiis, non Romana ſed Jeroſolymitana potius praeeſſe deberet Eccleſia. Verumtamen cum ex auctoritate canonum Romana Eccleſia primum teneat locum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Conſtantinopolitana quartum, Jeroſolymitana quintum, conſtat Dominum Salvatorem non uni cuilibet Cathedra ſpeciali jure præeſſe, ſed cunctis unum Paſtorem univerſaliter præſidere* ... Liquet ergo Eccleſiarum Ordinem eſſe diſpoſitum juxta privilegium Petri. Quod ſatis eſt adnotaſſe, ut vera conſtaret illorum Patrum ſententia.

XXIV. Nec laborandum eſt plurimum in demonſtrando id, quod hac in eadem controverſia reliqui Patres Eccleſiæ ſenſerunt. Appellat certe S. Maximus *Petrum & Paulum, Epiſcopos Eccleſiarum, ut Principes Sacerdotum* eoſdem vocaverat S. Ambroſius in Serm. 1. vel 28. ſed cum his nuncupationibus nihil Petri Primatui detrahitur, nam ſatis ſe explicat Maximus cum *univerſale tantum magiſterium Paulo fuiſſe demandatum ait*, & S. Ambroſius cum optime notat *omnes Apoſtolos Principes fuiſſe conſtitutos ſuper omnem terram, ſed inæquali poteſtate cum Petro*, & in Sermone 11. de Sanctis ambos Apoſtolos inter ſe comparans, de Petro ſic loquitur. *Petra eſt ſuper quam ædificatur Eccleſia, & quæ fidei Eccleſiæ fundamentum continet*; de Paulo vero tantum ſcribit, *quod vas electionis, a Domino eſt nominatus: quod bonum vas eſt in quo pretioſa mandatorum Chriſti præcepta conduntur &c.* Quod ſi utrique hi Apoſtoli *primi Romæ Epiſcopi* dicuntur ab Epiphanio hær. 27. *Oculi Romæ* a Io. Chryſoſtomo, *Patres ac Paſtores Romanæ urbis* a S. Leone Serm. 1. de Natali Apoſtolorum patet profecto non de univerſali Epiſcopatu laudatos Patres loqui, ſed de locali ſolum agere, ad quem pertinet rem gerere illius dumtaxat Eccleſiæ, quæ intra muros illius Urbis continetur; hoc eſt in caſu noſtro, tantum Eccleſiæ Romanæ, non qua univerſalis effecta eſt, ſed quatenus particularis, & in qua propter Apoſtolicum munus, quod ratione Apoſtolatus ubique Apoſtoli gerere poſſent S. Paulus extraordinarius fuit Epiſcopus. Et revera nunquam S. Cyrillus Paulum caput Eccleſiæ nuncupavit, hoc eſt ut ipſe ait, *propoſitum ſed præſtatum* appellavit ut in Catecheſi 2. illuminatorum videre eſt; quod ſi alterutrum Urbis Romæ parentem nuncupavit S. Leo, hoc dixit, quia utrique Pe-

Petrus nimirum, & Paulus Romanos in fide genuerunt, verbo, & doctrina; ſed non æquali poteſtate, cum aperte S. Leo doceat ſolum per b. Petrum. Sedem Romanam *caput Orbis* effectam eſſe non per Sedem B. Pauli & S. Jo. Chryſoſt. homil. ultima in Jo. advertit S. Paulum ſingulariter inviſere voluiſſe S. Petrum, quia *Apoſtolorum vertex erat*; dum itaque hic S. Doctor binos hos Apoſtolos appellat *Oculos Romæ* hoc recſe dicit, quia ambo Urbem hanc fidei doctrina illuſtrarunt.

Cur ergo inquies Romani Pontifices ſe appellant SS Petri & Pauli ſucceſſores? Oppido hoc verum eſt, attamen quo ad ſucceſsionem localem, non vero quo ad ſucceſſionem univerſalem in regimine totius Eccleſiæ, vel ut alii inquiunt *ſucceſſione reali*, non item *perſonali*, cum ſolius Petri ſucceſſores ſint. In eodem priori ſenſu ipſos Romanos Pontifices etiam *Principes Epiſcoporum*, & *hæredes Apoſtolorum* S. Bernardus nuncupavit in lib. de Conſiderat. cap. 8. verum *poteſtate* tantum Petri ſucceſſores vocavit. Alia levioris momenti argumenta perpendere omittimus, quod parum ad rem præſentem faciant & nihil aliud in ſe continent, quam cæremonialem quemdam Ordinem, aut devoti animi incitamentum, quod dictum volumus, ut ſcrupulus ille tollatur; qui in quibuſdam ex eo oritur, quod Summi Pontifices in ſuis Diplomatibus, Concilia in ſuis Decretis, Petri & Pauli Auctoritate glorientur, ſigilliſque utantur, in quibus utriuſque Apoſtoli cernitur ſculpta effigies, data interdum dextera Paulo, interdum Petro; abſque eo quod æqualis utriuſque deſignetur auctoritas.

XXV. Animadverto 4. Heterodoxos in hac controverſia non raro abuti figurata Scripturarum explicatione, quam Patres aliquando litterali prætulerunt; quod hæc ſæpe ſit obſcura, & non facile inveniatur, cum myſtica e contra ſit multo illuſtrior, & clarior, ex hoc tamen non ſequitur, quod hiſtoriæ, quæ ab eiſdem exponitur veritas deſtruatur, & id aperte colligitur ex illa Auguſtini ſententia. Super verba Ioannis *Tibi dabo Claves* &c., quæ legitur in Tractatu 50. in Ioan. *Si hoc*, inquit, *Petro tantum dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, ſi autem & in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur in cælo ligentur; & quæ ſolvuntur in terra, ſolvantur in cælo; quia cum excommunicat Eccleſia ligatur in cælo excommunicatus; cum reconciliatur ab Eccleſia in cælo ſolvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Eccleſia fit, Petrus quando Claves accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificavit*. Tantum enim abeſt a veritate voluiſſe hoc loquendi modo Auguſtinum aſſerere Claves fuiſſe collatas Petro nomine Eccleſiæ, hoc eſt ut Eccleſiæ Legato, in quo propterea nulla auctoritas reſideret, ut potius ex hoc loquendi modo clare appareat, quod ſi aliqua in Eccleſia auctoritas eſt, hanc totam Auguſtinus aſſeruit ex traditione Clavium Petro facta prodiiſſe, ita nimirum ut Petrus vere, & principaliter, ac immediate Claves acceperit, & ſimul eas accipiendo ſignificaverit univerſam Eccleſiam de ſuo quodammodo poſtea accepturam. Ante Auguſtinum eamdem explicationem uſurpavit Tertullianus libro Scorpiaci c. 10. inquiens: *etſi adhuc clauſum putas cælum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*, & poſt Auguſtinum eamdem explicationem retinuit Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, & S. Leo Sermone 3. in anniverſario ſuæ Aſſumptionis; ita ut laterememinem debeat claves fuiſſe a Petro acceptas, ut a Principe, & moderatore totius Eccleſiæ *cujus Eccleſiæ*, ut optime idem Auguſtinus advertit Tra-

ctat.

ctat. ultim. in Joan. *propter Apoſtolatus ſui Primatum, gerebat figurata generalitate Perſonam* Et hoc evidentius adhuc demonſtratur ex malitioſa Calviniana expoſitione Auguſtinianæ ſententiæ, quæ ſuppreſſa particula *tantum* a Calvino ita profertur: *Si hoc Petro dictum eſt, non facit Eccleſia &c.*, ut hujus fraudis auxilio lectoribus incautis, ſuctor eſſet, Petro nihil a Chriſto, vel dictum, vel datum fuiſſe, niſi nomine Eccleſiæ, cujus perſonam gerebat: ſed certe perperam hoc Calvinus tentavit, cum plane omnibus conſtet mentem Auguſtini fuiſſe oſtendere contra Donatiſtas (quibus mirum videbatur criminoſos homines, imo, & hæreticos per Sacramenta homines juſticare, & in Eccleſiam introducere) quod per Orationes Sanctorum Spiritualium, qui ſunt in Eccleſia, tamquam per columbæ creberrimum gemitum, Magnum geritur Sacramenmentum, & occulta diſpenſatio miſericordiæ Dei, ut eorum etiam peccata ſolvantur, qui non per columbam, ſed per accipitrem baptizantur, ſi ad illud Sacramentum cum pace Catholicæ unitatis accedant, in cujus typo Dominus Petro dedit poteſtatem, ut id ſolveretur in terris, quod ille ſolviſſet, ut Eccleſiæ ſupremus poſt Chriſtum, & ſub Chriſto moderator, ac Rector, & qui claves Regni Cœlorum communicandas ceteris ſolus accepit. Demum inuſitata non eſt Auguſtino, hæc figurata locutio, nam in libris de Trinitate Chriſtum, ait *geſſiſſe figuram Eccleſiæ, quando baptizatus eſt*: in eodem Tract. ultimo in Joan. Sanctum Joannem, ait cum recubuit ſupra Pectus Domini *geſſiſſe perſonam Eccleſiæ triumphantis*, & tamen ex his locutionibus neutrum horum infertur, Chriſtum revera non fuiſſe baptizatum, & Joannem ſupra pectus Domini non recubuiſſe; ita neque inferri poterit, ex quo Petrus figuram Eccleſiæ geſſerit, cum Claves accepit, revera ipſi Petro Claves has collatas non fuiſſe, ſed potius inferri poterit, quod Auguſtinus idem Sermone 13 de Verbis Domini, ait, *quod Eccleſiæ figuram Petrus gerebat, Apoſtolatus Principatum tenens*. Nec contra urget, quod vel etiam ceteri Apoſtoli has Claves acceperint, vel quod ignoraverint quis eorum major eſſet, ut eruitur ex cap. 22. Lucæ. Non primum, quia ſi Apoſtoli Claves receperunt, cum Subordinatione ad Petrum illis ſunt datæ; non ſecundum, quia Apoſtolica hæc contentio ad tempus illud refertur, quo Apoſtolorum animi adlapſu Spiritus Sancti nondum fuerant illuminati, & in ſchola humilitatis Chriſti nondum omnino conſummati, & propterea contendebant de temporalis Dominationis Primatu, qualem Gentium Reges exercebant in Subditos; unde opportune Chriſtus Dominus, ait *Reges Gentium dominantur eorum. Vos autem non ſic*, ſuppoſuit nihilominus aliquem inter eos exiſtere, cui Primatus conveniret, inquit enim, *qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor*, & quis iſte fuerit poſt Spiritus S. deſcenſum apprime agnoverunt, nec & ulla amplius inter eos fuit emulatio; quare non caret mendo Euſebii textus in c. 1. lib. 2. hiſtoriæ, ubi hæc Clementis verba legimus; *Petrus, Jacobus, & Joannes, poſt Aſcenſionem Salvatoris, quamvis ab ipſo fuerint omnibus pene prælati, tamen non ſibi vendicabant Primatus gloriam, ſed Jacobum, qui dicebatur juſtus Apoſtolorum Epiſcopum ſtatuunt*, & revera Codex Colonienſis Euſebianæ verſionis, aliique plures non habent hanc vocem *primatus*, & loco *Apoſtolorum* legit: *Jeroſolymorum Epiſcopum*, & Euſebius ipſe in citato libro cap. 14. *S. Petrum Apoſtolorum Principem* vocat.

XXVI. Animadverto 5. diſſimulare quoque non infrequenter Heterodoxos diſtinctionem illam in hac materia celeberrimam, quæ æquivocatio-

S 2 nem

nem quamcumque tollit æqualitatis inter Petrum, & Apoſtolos ceteros, & quæ neceſſario attendi debet, ubi agitur de diviſione Provinciarum, de qua præſertim Apoſtolus loquitur in laudata epiſtola ad Galat. c. 2. quando dicit: *ſibi a Deo fuiſſe creditum Evangelium Præputii, ſicut & Petro Circumciſionis*, videlicet in locis illis, in quibus Scriptura de hac re loquitur, agi non de diviſione Juriſdictionis, ſed de diviſione Provinciarum ad commodius prædicandum Evangelium Chriſti, nimirum, ut celerius, & facilius id fieret. De hac diviſione agunt inter Patres præſertim Origenes, & ex Origene Euſebius loquitur in lib. 3. hiſtor. c. 1., & non obſcurius de eadem agitur in c. 5. Actuum Apoſtolicorum, ubi Petrus de ſe hæc inquit: *Vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus elegit Deus per os meum gentes audire verbum Evangelii, & credere*. Nihil autem poſt hoc reperitur in Scriptura, quod prohibeat Petro evangelizare etiam gentibus, aut Paulo prædicare Judæis, imo utrumque legimus in eisdem Actibus, & Petrum ab Angelo admonitum, ut Cornelium, & totam ejus domum in fide erudiret, & Paulum in Synagoga Judæorum apud Salaminam, & Antiochiam Piſſidiæ, item apud Iconium, apud Theſſalonicam, apud Corinthum, & Epheſum prædicantem. Poterant ergo ſinguli Apoſtol. tam Gentibus, quam Judæis prædicare, quod Matth., & Marci, ultimo Chriſtus Dominus omnibus dixerit: *Euntes docete omnes Gentes prædicate Evangelium omni Creaturæ*. Potuit, & Paulus, qui in hoc novum aliquod Juriſdictionis genus, ſibi non arrogavit, & quia poſt Aſcenſionem Domini vocatus eſt, nec Jeroſolymam ſtatim perrexit, ut certus gentium deſignaretur Apoſtolus, ſorte ab Apoſtolis jacta, propterea Chriſtus immediate eidem totam gentium univerſitatem commendavit, verumtamen Judæos ab illius cura non excluſit. *Vas electionis*, inquit, *eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſrael*. Igitur ex hoc non licet argumentari, quod quia Paulus Præputii, & Petrus Circumciſionis Apoſtolus fuit, meras alterutri divinitus fuiſſe circumſcriptas, neque univerſas Chriſti oves fuiſſe Petro concreditas, qui Epiſcopatus ſui Sedem non Jeroſolymis, quæ Metropolis erat Judæorum, ſed Antiochiæ primum, deinde Romæ poſuit, quæ Gentium Urbes erant, & ad quem, non vero ad Paulum Gentes ipſæ properarunt, ut quæſtiones de legibus excitatas ipſe dirimeret. Canit certe Eccleſia per Petrum, & Paulum *Religionis ſumpſiſſe exordium*, ſed hoc dicitur, quia utrique fuit propoſitum, ut ex toto mundo Eccleſiam conſecrarent, ad quod munus Apoſtoli reliqui incumbuerunt, quos propterea Eccleſia ipſa Fundatores, Patres, & Magiſtros appellat, itemque *Principes ſuper omnem terram, & ſeculi juſtos Judices*, ſed nullibi dicit, quod æquo jure Primatum conſequuti ſint. Non eſt ergo major ratio cur hoc affirmetur de Paulo, qui ſi licentiam ligandi, & ſolvendi cum Petro communem habuit, per extraordinariam conceſſionem, id illi contigit, verum ſingularem aliam, & eximiam Petrus, ut Pontifex ſibi vendicavit, quæ in Sacramentario S. Gregorii his verbis exprimitur: *Deus qui Apoſtolo tuo Petro collatis Clavibus Regni Cæleſtis ligandi, atque ſolvendi Pontificium tradidiſti*: videlicet Ordinariam Poteſtatem ſibi agnovit ineſſe, a qua quælibet alia Poteſtas proficiſceretur, & ad quam reliquæ omnes in Eccleſiarum Præpoſitis diſtributæ referrentur, ne importuna, & incommoda ambitione ſe ab ejus auctoritate, & communione ſubducerent, ne vinculum unitatis ſcindentes totam perturbarent Eccleſiam, ſed ut ab uno capite omnis

peu-

pendentis auctoritatis ratio conſtaret, quod S. Cyprianus, ſignificavit epiſtola 73. ad Jubajanum, cum inquit: *Quo venturus eſt, qui ſitit? Utrum ne ad Hæreticos, ubi fons, & fluvius aquæ vitalis omnino non eſt? An ad Eccleſiam, quæ una eſt, & ſuper unum, qui Claves ejus accepit voce Domini fundata? Scilicet ad ſolum Petrum ſuper quem Eccleſia fundata eſt patet acceſſus, ut ad illum, velut ad veritatis fontem quicumque properet in regulis morum, & fidei doctrina imbuendus, cum huic ſoli a Chriſto Domino dictum ſit: rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos, ut nimirum ſtatus iſtorum certior ſit futurus, cum mens Principis victa non fuerit.* Hactenua adnotata ſufficiant, ut profligato Heterodoxorum errore, Petro ſuus Primatus, Eccleſiæ Catholicæ ſuum decus ſartum tactumque ſit, & præcipuum Chriſtianæ plebis Principem Petrum fuiſſe corde credant omnes, & ore totus Chriſtianus Orbis confiteatur. Quo poſito facile modo eſt contra hæreticos demonſtrare nullius momenti eſſe, imo eſſe omnino ficticia illa ſingula, e quibus præcipua momenta ipſi repetunt contra Petri Succeſſores Romanos Pontifices, eorumdemque Primatum, quem ſuper Epiſcopos univerſos in Eccleſia obtinent,

XXVII. Et certe non male advertunt Adverſarii jus Succeſſionis Romanorum Pontificum in eo fundari, quod Petrus Romæ Sedem ſuam collocaverit, atque ibidem, uſque ad mortem ſederit, in eo tamen peccant, quod utrumque factum negant, tum ex ſilentio Scripturæ, tum ex Auctorum Eccleſiaſticorum diſſenſione, vel quia parum utile fuiſſe putant, quod Petrus Romæ moraretur. Scripturæ ſilentium perperam nobis objicitur, cum neminem lateat plurima vere enuntiari, quamquam de illis, nihil in Scriptura inveniatur, quæ tamen ſic contigiſſe ex conſtanti ſæculorum omnium Traditione deprehendimus, & hanc Traditionem ex Novatoribus Calvinus non reſpuit, qui ſe propter conſenſum Scriptorum nolle pugnare, ait, quod Petrus Romæ ſit mortuus: Neceſſe eſt ergo, quod Calvinus, & quilibet alter Chriſtiana Religione extorris homo eidem traditioni aſſentiatur, quæ docet Petrum ab anno 2. Claudii Imperatoris ad mortem uſque rexiſſe Romanam Eccleſiam, & quæ Romanam Sedem Petri Cathedram nuncupit, quæ S. Marcum Romæ ſcripſiſſe ſuum Evangelium tradit, pro ut ibi S. Petrum prædicantem audiverat, & quæ demum Romæ contigiſſe oſtendit glorioſiſſimum Petri de Simone Mago tryumphum.

Quamquam nec omnino verum, quod in Scriptura, licet obſcurius, non indicetur Petri adventus in Urbe Roma, Euſebius lib. 2. hiſtor. c. 14. Petrum Romæ ſuam priorem epiſtolam ſcripſiſſe, ex eo oſtendit, quod Civitatem illam verbi translatione Babylonem appellat hoc modo: *Salutat vos Eccleſia noſtræ electionis conſors, quæ eſt Babilonæ, & Marcus filius meus*; nec aliter ſenſit S. Hieronymus in Cathalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum in Marco, ubi inquit *ſub nomine Babylonæ figuraliter Romam ſignificari*, & ita ſenſerunt, quotquot hanc Petri epiſtolam ſuis Commentariis illuſtrarunt. Quod itaque Auctores iſti tradûnt, profecto confirmat in Scriptura, rei de qua agitur documentum aliquod, licet obſcurum, reperiri. Neque nos moveat illa nominis mutatio, quæ fuit familiaris Apoſtolis, nam etiam Paulus in 2. ad Timot. 4. *ſe liberatum ſcribit, de ore Leonis, deſignans*, inquit Euſebius loco cit. c. 22. *Neronis crudelitatem*: & apud Joannem Apocal. c. 8. *Babylon* inquit Tertullianus lib. adverſus Judæos c. 9. *Romanæ urbis figuram portat, quæ*

ſedet

Digitized by Google

ſedet ſuper ſeptem muros, & habet Regnum ſuper Reges terræ, ſiquidem S. Joannis ætate nulla alia Urbs fuit, quæ ſupra ſeptem montes extructa eſſet, proinde, & magna, & regno ſuperba, & Sanctorum debellatrix. Nec Heterodoxos ipſos, hæc Apoſtolorum figurata locutio latuit, ut videre eſt in Luthero, & Magdeburgenſibus, qui Apocalypſim Joannis in numero librorum canonicorum recipiunt, quod in eo libro male plura adverſus Romanam Eccleſiam ſub nomine Babylonis recenſeri putent, cum potius conſtet contra Urbem Romanam Joannem eſſe loquutum, quæ dicta eſt habitatio dæmoniorum, quia cum omnibus dominaretur Gentibus, ut obſervat S. Leo, omnium Gentium ſerviebat erroribus. Accedit etiam præter Euſebii, Hieronymi, & aliorum teſtimonium, Auctoritas, quæ legitur in capite ultimo Actuum, & in cap. 1. epiſtolæ ad Romanos, ex quibus locis eruitur ante Pauli adventum in Romana urbe plurimos ibi fuiſſe Chriſtianos, & cum fictitium omnino ſit tempore Tiberii ſalutarem cunctis in illa Urbe credentibus fidem, fideli verbo Barnabam docuiſſe, non ſolum quia nulli permiſſum erat Gentibus prædicare Evangelium, antequam S. Petrus cœleſti viſione ad id munus incitaretur; verum etiam, quia ab hoc tempore Barnabas, ut Sacra Actuum Apoſtolicorum tradit hiſtoria a cap. 11. ad 15. ſemper Paulo comes fuit, uſque ad peractum Jeroſolymitanum Concilium, hoc eſt, uſque ad annum a Chriſti paſſione 18., ut eruitur ex cap. 1., & 2. epiſtolæ ad Galatas, & Paulus toto illo tempore Romam profectus non eſt, ita ut neque Barnabas Romæ potuit intereſſe, & prædicare Romanis; dicendum profecto eſt ſolum Petrum Apoſtolorum Principem tantam multitudinem, in Chriſtianæ Religionis præceptis Romæ imbuiſſe. Porro S. Paulus Jeroſolymis Romam profectus eſt anno a paſſione Chriſti 34., quo anno Feſtus Judeæ Prorex ſubſtitutus eſt Felici, hoc eſt A. 3. Neronis, Conſule Antiſtio, ſexennio circiter poſt Concilium Jeroſolymitanum, quod A. 17. a Converſione ejuſdem celebratum eſt, ibique poſt 12. annos obiit interemptus a Nerone Imperii ſui anno 14. S. Barnabas vero a Paulo diviſus, ut dictum eſt, poſt Concilium Jeruſolymitanum, nec tunc Romam abiit, ſed navigavit Cyprum, ut Acta teſtantur c. 15. cum Joanne Marco, ejus conſobrino; quem Paulus in epiſtola poſteriore ad Timotheum juſſit Romam venire. Videtur itaque quod nullo fundamento aſſeritur Barnabam Chriſtianam Religionem Romæ diſſeminaſſe, & propterea Spurium eſſe, quidquid de hoc facto ſcribitur, ſive in libris Recognitionum, qui Clementi adſcribuntur, ſive in Synopſi, quæ Dorothei Tyrenſis opus eſſe perperam exiſtimatur.

XXVIII. Non inficiamur admirationem ingerere aliquibus, quod S Paulus in illis epiſtolis, quas Romæ ſcripſit Petri nullatenus meminerit, qui tamen ſuam Jeroſolymis, & Antiochiæ cum ipſo converſationem memoriæ prodidit in illa, quam ſcribit ad Galatas; & quod ſcribens ad Romanos, nec illi ſalutem dicat. Verum non mirantur ii, qui ſciunt Paulum ad Epheſios ſcribentem Timothei non meminiſſe, & ſiluiſſe prorſus Jacobi nomen, etſi adhuc in vivis ageret in epiſtola quam ad Hebræos ſcribit; quamquam inveriſimile non eſt Paulum, & Petrum, qui aſſumpſerat Coadjutores ſuos Linum, & Clementem, ut in abſentia ſua Romæ Epiſcopalia munera obirent, tunc Roma abfuiſſe, cum Paulus ſuas epiſtolas ſcripſit, quod exulantibus Roma Judæis ex Senatus Conſulto, & Claudii decreto, Petrus ipſe exularet, aut Paulum nondum Romam fuiſſe profectum, quod præſertim verificatur, ſi difficulta-

tem

tem ingerat epiſtola ad Galatas, quæ Epheſi ſcriptam eſſe ex ejusdem Peregrinatione cognoſcitur, & argumenta Latinis exemplaribus præfixa indicant, licet Græcorum Codicum inſcriptio miſſam Roma ſignificet, quod tamen minus veriſimile eſt, ſiquidem in ea non meminit vinculorum ſuorum, ut in aliis hac ex Urbe ſcriptis facere ſolet. Quod ſi volueerimus Romæ Petrum eſſe cum illuc pervenit S. Paulus, id affirmari tuto poterit, nihilque officiet, quod Paulus inter coadjutores ſuos in Regno Dei tres tantum recenſeat in epiſtola ad Coloſſenſes cap. ult. Ariſtarchum, Marcum conſobrium Barnabæ, & Jeſum, qui dicebatur juſtus, & quod in epiſt. 2. ad Timoth. 4. dicat in ſua prima defenſione nullum ſibi aſtitiſſe, ſed omnes illum dereliquiſſe; & demum, quod Judæi Paulum ipſum rogent, ut opinionem ſuam ipſis aperiat de Secta Chriſtianorum, quod Actuum 28. narratur. Non primum quia in epiſtola ad Coloſſen. Paulus loquitur tantum de ſuis Domeſticis, qui ei miniſtrare ſoliti erant, non ſecus ac in ſua epiſtola ad Timoth. 2. c. 4. dixiſſe loquitur: *Lucas eſt mecum ſolus*. Non ſecundum, quia in laudata epiſtola ad Timoth. loquitur Paulus de iis, qui eam juvare apud Cæſarem potuiſſent, quibus profecto Petrus accenſeri non poterat, qui ob eamdem cauſſam Cæſari erat inviſus. Non demum tertium, quod Judæi ſcirent Paulum eſſe in lege eruditiſſimum, & poſſe de Religione Chriſtiana, & de ejus concordia cum Lege Moſayca recte diſſerere. Ceterum Paulum Romam advenientem non ignoraſſe Petrum ibi Evangelium prædicantem. Theodoretus oſtendit in ſuis Commentariis ad 1. cap. epiſt. ad Rom. ſuper illa verba: *Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ Spiritualis ad confirmandos vos*, ſuper quæ verba ſic inquit: *quia primus eis Magnus Petrus Doctrinam Evangelicam præbuit, neceſſario intulit, ad confirmandos vos. Non enim inquit aliam doctrinam vobis afferre; ſed eam, quæ jam oblata eſt confirmare, & arbores jam plantatas irrigare volo.*

XXIX. Neque diſſidium Auctorum in Epocha adventus S. Petri Romam hujus Hiſtoriæ falſitatem evincit, quod neque illius ſubſtantiam tangit, neque præcipuis ejuſdem capitibus adverſetur. Circumſtantias certe hujus adventus permutant Eccleſiaſtici Scriptores, verum circa ipſum adventum conveniunt omnes. & ſi illorum nonnulli voluerint illum conſignari tempori, quo Nero imperabat, qua fuit ſententia Lactantii in libro de mortibus Perſecutorum, & ab aliis conſignetur anno 4. Claudii, ut legitur in faſciculo temporum, & ab aliis referatur ad annum 13., ut videre eſt in Paſſionali de Vitis Sanctorum. Nihilominus magis probata eſt Euſebii ſententia in Chronico Hieronymi in Catalogo Scriptorum in Petro, & Adonis Vienneſis in Martylogio, quæ ad annum ſecundum Claudii hunc adventum conſignat, a qua ſententia parum diſcrepat Oroſius, qui ad exordium regni Claudii illum refert, cum certe annus ſecundus Claudii ad exordium regni ipſius pertineat; & idem ſenſerunt omnes illi Scriptores, qui S. Petrum Romæ ſediſſe 25. annis tradiderunt, uſque ad 14. Neronis, alioquin hæc annorum computatio rueret, quæ tamen a ſeverioribus Criticis omnibus defenditur, & fundamentum ſuppeditant Pontificale Damaſi, Iſidorus Hiſpalenſis, Beda, & alii. Diſcordia ergo Scriptorum illud falſum eſſe perhibet, in quo diſſentiunt, rei tamen de qua agitur non obeſt, alioquin negare oporteret etiam Chriſtum paſſum eſſe, & Samuelem, Sauli præfuiſſe, aliaque ſexcenta, quod veteres, & Recentiores adhuc diſcrepant in definiendis iis temporibus, in quibus hæc ſingula contigerunt.

Ad-

Adde quod ſi Adverſariorum argumentum valet ad faciendam fidem, pari jure ex concordia Scriptorum omnium, qui Petrum Romæ ſediſſe ajunt, erui poterit, quod de hac hiſtoria nulli liceat, niſi temere ſuſpicari; præſertim cum neque ſibi conſentiant, dum aſſerunt anno 4. Imperii Claudii Petrum Romam veniſſe, 25. annis, & menſibus duobus ibi ſediſſe, & poſtremo anno Imperii Neronis obiiſſe, deinde dicunt innixi teſtimonio Dionis Caſſii, Svetonii Tranquillini, Euſebii, aliorumque, duo hæc Imperia annos tantum numeraſſe 27. ſupra Menſes 4. & dies octodecim; nam hac ratione temporum præmiſſa, facile convincitur S. Petrum anno integro poſt Neronem obiiſſe; ſed ut diximus genus hoc argumenti aſſertionem noſtram non impugnat; cum non ſit opus hac demonſtratione, ut S. Petrum ſediſſe Romæ probemus, imo & ibi morrem opetiiſſe, quod ut ſupra jam notavimus illi ipſi Auctores concedunt, qui ad temporum ſupputationes confugiunt, ut hujus ſeſſionis tum exordium, tum durationem impugnent. Nec minus inefficax eſt argumentum, quod petunt alii a partitione prædicationis Evangelicæ inter Petrum, & Paulum, quia præter illa, quæ ſuperius tradidimus agentes de hoc Apoſtolico miniſterie, poteſt etiam illud obſervari quod tradit Joſephus lib 17. Antiquit. c. 12. & Philo in legatione ad Cajum, nimirum plurimos Hebræorum Romæ Auguſti tempore conſediſſe, & ex Iudæa *pluret quam* octies mille adjunxiſſe ſe quinquaginta illis legatis, qui poſt Herodis obitum Romam miſſi ſunt, & Auguſtum permiſiſſe teneri magnam Urbis partem trans Tiberim a Judæis illis, qui Libertini generis erant, hoc eſt, qui Roma ad Iudææ Metropolim Religionis cauſſa convenire ſolebant, quorum licet magna pars *ex Patrum Conſulto*. ut inquit Tacitus, *in Inſulam Sardiniam abiiſſet diu tamen exterres non permanſerunt, & Cajo Imperante frequentiſſimi Romæ erant*; ita ut ex Dionis teſtimonio lib. 9. *ſine tumultu, propter multitudinem urbe potuerint arceri*, ad quam iterum ſub Nerone redierunt, ubi ſatis ſecure habitabant, Dicendum ne igitur eſt horum ſalutem Sanctum Petrum neglexiſſe? nullus dubito ſine injuria Petri hoc affirmabit, quapropter Apoſtolici Officii partitio inter Petrum & Paulum adverſariorum cauſſam non juvat, quos Heterodoxus Theologus a veris Chriſtianis arcet hoc ipſo, quod dubitat Petrum Romæ non fuiſſe, ita ſentit Grotius in annotationibus in 1. epiſtolam Petri, cap. 5. v. 13. Romæ Petrum fuiſſe, nemo verus Chriſtianus dubitabit.

XXX. Infertur ex his non ſuffragari id quod Appollonius apud Euſebium lib. 5. hiſtor. Eccleſ. c. 17. ſcripſit, nimirum *S. Petrum ante duodecimum annum Jeroſolymis non diſceſſiſſe*; nam ſi hiſtoria vera eſſet, hæc Epochæ ſeſſionis S. Petri Antiochiæ, & Romæ adverſaretur, non autem ipſi ſeſſioni; cui etiam ex alio capite non adverſatur, quia ex auctoritate Scripturæ falſa convincitur, quæ docet Petrum longe ante illud duodennium, Lyddam, Ioppem, & Cæſaream peragraſſe, & anno ferme a paſſione Chriſti quarto Antiochiam ſe contuliſſe, ibique ſeptem annis manſiſſe; vicinas interim Provincias peragrans Pontum, Aſiam, Cappadociam, Bythiniam, ita ut annus eſſet undecimus a paſſione Chriſti, cum Jeroſolymam rediit, cum ab Herode in carcerem conjectus, & ab Angelo a carcere liberatus eſt, cum Romam primo perrexit, ubi manſit uſque ad annum nonum Claudii, ſcilicet per ſeptennium, reverſum enim eſſe hoc anno Jeroſolymam, Deo ſic diſponente, ut intereſſet Jeroſolymitano Concilio, in Actibus Apoſtolicis legi-

Digitized by Google

legitur, poſt quod Concilium, ut jam ſuperius diximus Romam ſecundo rediit, ubi paſſus eſt anno 14. Imperii Neronis. Peccat ergo plurimum Appolloniana ſuppoſitio, ſed nihil minus ab Onophrio Panuino peccatum eſt, cum in ſuis additionibus ab Platinam ſcripſit primo S. Petrum ſediſſe Romæ, deinde Antiochiæ, & errorem hunc Romana ſub Damaſo, & Gelaſio coacta Concilia expunxerunt, in quibus a Patribus definitum fuit *Antiochiam primitus quam Romam veniſſe Petrum, illic habitaviſſe, & illic primum Chriſtianum nomen novellæ Gentis exortum eſſe.*

XXXI. Hinc etiam eruitur nullius eſſe fidei Acta Lini, quæ Petri, & Pauli Martyrium diverſo loco, & tempori aſſignant. Et revera quis eſt qui ignoret in Apocripherum claſſem Acta hæc eſſe rejicienda? Ipſi Novatores hoc ſciunt, qui Lini hiſtoriam eſse confictam ſcribunt, erroreſque non paucos continere, quod etiam teſtatur Cenſura eidem hiſtoriæ præfixa, neque illam citarent Adverſarii, ſi Ambroſio non fuiſent infenſi, quia in Sermone 67. de Petro, & Paulo ait, *quod una die, uno in loco, unius Tyranni toleravere ſententiam.* Nec diſſimiliter abeiuntur auctoritate Hieronymi expendentis locum Matthæi *Ecce ego mitto ad vos Profetas* &c. Ac ſi dixerit Petrum Jeroſolymis crucifixum fuiſe, cum ne leviter quidem hoc innuerit, ſed ex verbis Domini tantum deduxerit diſcipulorum Chriſti mortes fuiſe diverſas. & varia futura fuiſe Martyriorum genera: nam de morte Petri agens S. Doctor in libro de Viris illuſtribus, *illum Romæ a Nerone interfectum fuiſſe* ait, nec alium locum morienti Petro conceſsit Chryſoſtomus homil. 31. in epiſt. ad Rom. Quod Ioſephus Petri non meminerit ubi de interfectis a Nerone agit in lib. 2. de Bello Judaico c 11. nihil refert, plurima enim alia Neronis ſcelera ſilentio præteriit, Matris nimirum, & Uxoris occiſionem. Sicut ergo ex hoc ſilentio non liceret inferri Neronem non fuiſſe Matricidam; ita neque licebit arguere non occidiſse Apoſtolorum Principem, cum præſertim hic Auctor in loco citato ingenue fateatur ſe Neronis omnia facinora non ſcribere. Præterea ſi hoc argumentum concluderet poſsent etiam eodem uti illi, qui negant Petrum mortem opetiiſse Jeroſolymis juſsu Anani Pontificis, quia Ioſephus in lib. 20. Antiquit., ubi deſcribit hujus Anani facinora nihil dicit de occiſione Petri; & ita tertius quidam locus inquirendus eſset, in quo Petrus extremum diem obiiſset quod Eccleſiaſtica hiſtoria non patitur. Nec juvat reponere quod ſi S. Petrus Romæ crucifixus fuiſset, Clemens Romanus, qui in Epiſtola ad Corinth. labores, & Martyrium illius commemorat, id poſterorum memoriæ tradidiſset, hoc inquam non juvat reponere, quia Clemens id narrare omiſit, quod Romanis, Corinthiis, aliiſque fidelibus innoteſcebat, neque neceſse erat ut Perſonius Ceſtrienſis in Anglia Pſeudo Epiſcopus docet Diſſertat de Succeſſione primorum Romæ Epiſcoporum, quod qui Corinthios ad patientiam hortabatur exemplo Petri, & Pauli, qui ad mortem uſque acerbiſſimam perſecutionem paſſi erant, locum Paſſionis eorum deſignaret, qui locus ad Apoſtolorum patientiam non pertinebat.

XXXII. Infertur 3. enormiter interpretari Heterodoxos Cyprianum, dum videtur aſserere Romanum Pontificem non debere appellari Epiſcopum Epiſcoporum, illique non eſse conceſsum ea reſcindere, quæ Epiſcopi alicujus Provinciæ ſtatuiſsent, aut ulli licere ad ipſum appellare. Primo quidem quia S. Cyprianus cum in epiſtola ad Quintum ſcripſit *Neque enim quiſquam no-*

ſtrum Epiſcoporum, ſe Epiſcopum conſtituit. de Antiſtitibus Africanis hoc dixit, non vero de Romano Pontifice Petri ſucceſſore. Hoc oſtendit circumſtantia illa, in qua S. Cyprianus in hanc ſententiam erupit. Patribus in Concilio Africano collectis hac mente ut quæſtionem de rebaptizandis hæreticis agitarent; loquebatur Cyprianus, ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentirent proferrent neminem judicantes, aut a jure Communionis, aliquem ſi diverſa ſenſiſſet amoventes, propterea dixit. *Neque enim quiſquam noſtrum* &c. aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigiſſe &c. videlicet ſinguli Epiſcopi in Concilio, dum res examini ſubjicitur, ac diſcutitur jus liberum ferendi ſuffragii habent, nec ab eo qui præeſt adigi debent ut in ſuas partes tranſeant antequam quæſtio finita ſit, & hoc vere dixit Cyprianus. & ſi aliter dixiſſet, oporteret illum in Eccleſiaſtica diſciplina fateri fuiſſe imperitum, quem aliunde conſtat, fuiſſe verſatiſſimum, & voluiſſe quecumque ab Epiſcopis omnibus contra Novatores decreta fuerant ea fuiſse ab auctoritate Romani Pontificis potiſſimum profecta, & inſuper Stephano ſcripſiſse lib. 3. epiſt. 13. *ut deponeret Epiſcopum Arelatenſem, & alium conſtitueret ejus loco*, quæ profecto nunquam dixiſset, aut voluiſset S. Cyprianus, ſi Romanum Pontificem non credidiſset caput eſse, & Paſtorem Epiſcoporum omnium, qui partem ſuam regendam ſuſceperunt Eccleſiæ univerſalis: Neque hoc honoris titulo eumdem Romanum Pontificem defraudarunt illi, qui in eadem Eccleſia Carthaginenſi Cypriano ſucceſserunt Epiſcopi, nam in epiſtola, quam nomine trium Conciliorum Africæ Stephanus Archiepiſcopus Carthaginenſis Damaſo ſcripſit, ſic legitur: *Beatiſſimo Domino, & Apoſtolico culmini ſublimato Sancto Patri Patrum Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſidum Pontifici* &c. quam nuncupationem deinceps Calcedonenſe Concilium non reſpuit in 3. Actione, in qua tres epiſtolæ leguntur, ad Leonem Papam, quæ ſic exordiuntur *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Univerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni*; quare non ſine impudentia dictum legimus a Calvino in ſuis Inſtit. l. 4. c. 7 §. 4. *nomen hoc profanum eſſe, & Sacrilegum, & Antichriſti prænuncium*, ſic enim a Romano Pontifice uſurpatur, hoc nomen non ut credat ſe ſolum eſse Epiſcopum omnium Urbium Chriſtianorum, ita ut exteri non ſint Epiſcopi, ſed vicarii tantum illius, verum ut innuat ſe habere curam generalem totius Eccleſiæ, ita ut non excludat particulares Epiſcopos, quibus tantum præſidet ut Princeps Sacerdotum, ut Doctor in Domo Dei, ut Cuſtos Vineæ, ut Sponſus Eccleſiæ, & ut Apoſtolatus ejus ſtudium circa ſalutem omnium intendat. Et hic opportune advertimus Romanos Pontifices ante tempora Magni Gregorii non ſe vocaſse *univerſales Epiſcopos, ſed Epiſcopos univerſalis Eccleſiæ*, ut habetur in epiſtola 2. Sixti I. & II. Victoris & III. Pontiani & Stephani, & ex aliis S. Leonis Magni, quo ad ſenſum tamen hæ locutiones conveniunt, quod ſi videtur quod Magnus Gregorius hunc loquendi modum reprobat lib. 4. epiſt. 3. nemo eſt qui neſciat Pontificem Gregorium non reprobaſſe hoc nomen quod Sanctum & catholicum non eſset, ſed ut in conveniens Epiſcopo Conſtantinopolitano, cum quo tunc lis erat, eo quod titulum univerſalis Epiſcopi ſibi uſurparet, & propterea uſurpationem hanc ſacrilegam, & prophanam appellavit, & ut melius, & facilius hujus Antiſtitis audaciam confringeret idem ſibi nomen aſſumere recuſavit, non jam quod hoc prohiberentur Pontifices aſſumere a Concilio quodam Africano, cujus canon legitur in Collectione

Gra-

Gratiani ſub diſtinct. 99. c. *Primæ Sedis*, tum quia Concilium hoc Romanum Pontificem obligare non poterat; tum etiam quia neque ab hoc Concilio Carthaginenſi id cautum fuit, nam in citato canone hæc prohibitio non legitur, ſed habetur inter additamenta a Gratiano inſerta, quod obſervare non raro contingit. Apparet hinc quanti ſit faciendum id, quod imperite ab Heterodoxis ſubjicitur non poſſe Papam ea reſcindere, quæ ab inferioribus Epiſcopis veluti ſtatuta, & pronunciata reponuntur, hoc enim ipſo quod Romanus Pontifex eſt Epiſcopus univerſalis, ad illum pertinet, ut jam demonſtravimus, confirmare fratres ſuos, & ea corrigere, quæ ab aliis Epiſcopis recte, geſta non fuerint, & ita Athanaſium Alexandrinum, Paulum Conſtantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum Epiſcopos a Synodo Orientali depoſitos Iulius I. reſtituit, ut Gregorius, & Sozomenus teſtantur, & S. Leo Epiſcopatum reſtituit Theodoreto, quem ſecunda Epheſina Synodus depoſuerat, ut legitur in Actione 1. Calcedonenſis Concilii; ut multa alia his ſimilia exempla quæ afferri poſſent, prætercam, ad quæ nihil omnino ipſi Adverſarii reſpondent, quibus etiam minime ſuffragatur Cyprianus dum Hiſpaniarum Epiſcopis reſcribit *Sententiam Romani Pontificis, qua Baſilides Aſturicenſi ſedi reſtitutus eſt, non reſcindere Ordinationem ab eis jure perfectam* eo quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam, Romam pergens Stephanum longe poſitum & geſtæ rei ac tacitæ veritatis ignarum fefellerit, ut exambiret reponi ſe injuſte in Epiſcopatum, de quo fuerat juſte depoſitus, & omnibus conſtet *Mendacem Precatorem carere impetratis*, ut in Codice Iuſtiniani legitur lib. 1. tit. 25. non vero quod Romano Pontifici deficiat poteſtas privilegia conferendi iis, qui cauſſam vere, & ſincere expoſuerint.

XXXIII. Undenam vero Calvinus acceperit *quod multi ſæpe Romanum Pontificem appellarunt, ipſe quoque Cauſſarum cognitionem ad ſe trahere conatus eſt, ſed ſemper fuit deriſus quoties ſuos fines exceſſit*, ut ſcribit in lib. 4. Inſt. c. 7. §. 9. certe non conſtat. Non conſtat inquam ex Conciliis, nam canon 6. ſeu 17. qui citatur ex Synodo Calcedonenſi, in quo ultimum judicium defertur Urbis Regiæ Oecumenico Patriarchæ, non bene exponitur: exibetur enim prima lex Generalis ab hoc Concilio ſtatuta de adeundo Romano Pontifice, & ſolum proponitur liberalis conceſſio iis impertita, qui prope Conſtantinopolim commorantur, & illius Epiſcopi judicio contenti ſint; & certe nullum exemplum occurrit, quod probet unum tantum, qui extra partes Orientis moraretur ad Orientalem Eccleſiam appellaviſſe, contra vero plurimæ ſunt Orientalium Epiſcoporum appellationes ad Romanum Pontificem, inter quas celeberrimæ & antiquiſſimæ ſunt Appellatio Athanaſii ad Iulium I. Euſtathii Sebaſteni ad Liberium, Chriſoſtomi ad I. Innocentium, Flaviani, & Theodoreti ad Leonem. Citatur a Calvino canon 22. Concilii Milevitani ubi dicitur *quod ſi ab Epiſcopis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad primates Provinciarum ſuarum: Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur*. Verum argumentum Calvini peccat in hoc quod tranſit de genere in genus, & falſo ſupponit quæſtionem eſſe de Appellationibus Presbyterorum & minorum Clericorum, cum tota eſt de Appellationibus Epiſcoporum, Zozimus ipſe Papa hoc idem voluit obſervari in Africa, ut patet ex Concilio VI. Carthaginenſi, quod non feciſſet ſi in Canone Mi-

 levi-

Digitized by Google

levitano Apoſtolicæ Sedi derogatum aliquid fuiſſet. Mentem Canonis, expoſuit Auguſtinus, qui huic Concilio interfuit in epiſt. 162. ubi ait *licere Epiſcopis Africanis appellare ultra mare*. Ex Conciliis igitur non probatur propoſitum Calvini, imo ex Conciliis contrarium probatur, videlicet in canone 4. & 7. Sardicenſis Concilii, quod Concilium *ex toto Orbe fuiſſe convocatum* ſcripſit Sulpicius lib. 2. Sacræ hiſtoriæ: interfuerunt enim huic Concilio plus quam 300. Epiſcopi ex 36. Provinciis totius Chriſtiani Orbis, ut Athanaſius in 2. Apologia, & Hilarius in libro de Synodo obſervarunt; ita ut Socrates in mora non fuit ut illud appellaret Generale in lib. 2. ſuæ hiſtor. c. 16. ita igitur Patres Concilii Sardicenſis decernunt in canone 4. *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in Urbe Roma. alter Epiſcopus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus omnino non ordinetur, niſi cauſſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata.* In canone vero 7. ita Patres Sardicenſes loquuntur: *Placuit ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit. & judicaverint Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint, ſi appellaverit qui dejectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi juſtum putaverit ut renovetur judicium, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima. & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnino requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is qui rogat cauſſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut e latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit, & quid æſtimet. Et qui decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio, ſi vero crediderit Epiſcopos ſufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo ſuo judicio judicaverit.* Videant modo Calviniſtæ quid objiciant, cum hujus Synodi auctoritatem Magdeburgenſes ipſi non reſpuant in Centuria 4. c. 9. ita profecto ſemper credidit Catholica Eccleſia licere appellare ad Romanam Sedem, ut Gregorius lib. 2. epiſt. 6. privaverit ſacra Communione Ioannem Epiſcopum primæ Juſtinianæ, quod judicaſſet Epiſcopum Thebanum, qui ad Apoſtolicam Sedem appellaverat: Ad Patres fortaſſe Calvinus confugiet & præcipue ad Cyprianum. Infeliciter tamen: cum Cyprianus ægre tantummodo tulerit appellationes eorum quorum crimina perſpectiſſima maxime fuerant, ut ſcribit in lib. 1. epiſt. 4. ubi agit de Appellatione Baſilidis. Neque quod legitur accidiſſe in Cauſſa Cæciliani favet Calvino, nimirum cauſſam Cæciliani judicatam primo fuiſſe a Pontifice, deinde ab Epiſcopo Arelatenſi, tandem ab Imperatore, nam ut Auguſtinus notavit in laudata epiſtola 162. *non quia ita opportuna, hoc factum eſt, ſed quia expediebat, ut omnino obſtrueretur os Donatiſtarum, permiſit Pontifex ſecum ſedere alios ab Imperatore aſſignatos, deinde vero Imperator veniam petiturus ab Epiſcopis cauſſam illam invitus cognovit.* Prætereundum tamen non eſt Eccleſiam Africanam appellationes ad Romanum Pontificem aliquandiu impugnaſſe, nimirum ſub Pontificatu Zoſimi, errore facti deceptam, quod ſcilicet Zoſimus Appellationum jus inniteretur Canonibus Nicænis, quos in nullis exemplaribus hujus Concilii, Africani Patres compererant, quamobrem jus illud totis viribus impugnarunt non jus arbitrati, ſed injuriam. Verum non diu in illo errore verſata eſt Eccleſia Africana, cum nobis reliquerit Exemplum Appellationis Antonii Fuſſalea-

lenſis Epiſcopi ad Romanum Pontificem ſub Cæleſtino Primo, immediate poſt Zoſimi, & Bonifacii obitum, ut patet ex epiſtola 261. S. Auguſtini adhunc Pontificem data, & ex epiſtola Concilii Africani ad eumdem Cæleſtinum, in qua de Epiſcoporum depoſitione, & eorumdem legitima appellatione ne levis quidem fit mentio, ſed ſolum de excommunicatione, & propterea Cæleſtinum deprecantur, ut deinceps ad illum venientes non facilius admittat, nec ab ipſis excommunicatos in communionem ultra velit recipere. Ne in ſua Provincia communione ſuſpenſi, a Romano Pontifice, vel feſtinato, vel præpropere, vel indebite viderentur communioni reſtitui.

Dixi *legitimæ Appellationis Africanos PP. in citata ad Cæleſtinum epiſtola non meminiſſe*, ut adverterem Patres impugnaſſe tantum Appellationes Epiſcoporum, quæ fierent immediate ante Concilii Provincialis examen, aut Nationalis Concilii Africæ judicium, ut eorum Conciliorum auctoritatem declinarent, non vero illas, quæ fiebant a Conciliis Provincialibus, & Nationalibus Africæ ad ſedem Apoſtolicam, maxime quia, ajebant, *unicuique conceſſum eſt, ſi judicio fuerit offenſus cognitorum, ad Concilia ſuæ Provinciæ, vel etiam univerſale provocare*, & certe nullus Africani Concilii canon proferri poteſt, quo Epiſcoporum legitimæ appellationes ad Apoſtolicam Sedem vetitæ ſint, nam ſi hic extitiſſet, illum non omiſiſſent Africani Epiſcopi ad Cæleſtinum I. ſcribentes, qui primo omnia monumenta protulerunt, quæ jus Appellationum ad Romanum Pontificem conferre poterant. Deinde vero concordiam, & ſubjectionem ſuam ad Apoſtolicam Sedem apertiſſime teſtati ſunt. Imo juvat advertere, quod licet prohibitum fuerit Clericis inferiorum Ordinum appellare ab Epiſcopis ſuæ Provinciæ, non tamen prohibitum abſolute fuit, nec prohiberi potuit appellare ad Romanum Pontificem, ne ſi vellet eorum admitteret appellationes, & revera admiſit Appellationem Apiarii, & audivit ejus querimonias, & mandavit Africanis, ut ejus cauſſam diligenter cognoſcerent, & fideliter judicarent; ſiquidem ejus Eccleſia ſupra ceteras privilegium habet, quod ad ipſam cura omnium ſpectat propter Sedis dignitatem.

XXXIV. Supereſt modo, ut videamus quantum Adverſarii proficiant, cum addunt ab Imperatoribus propter Urbis Romæ amplitudinem Romano Pontifici delatum fuiſſe Primatum, cum monumenta non deſint, quæ ipſum Pontificem aliis Epiſcopis æqualem reddunt, quod iſti, quoque Univerſalis Eccleſiæ curam ſuſtineant ex teſtimonio S. Clementis lib. 6. Conſtit. Apoſtol. c. 14. cui ſubſcripſerant S. Ignatius epiſt. 6. ad Philadel. Eleutherius Papa in epiſt. ad Pontifices Gallicanos, Venantius a Tiniſa in Concilio Carthaginenſi ſub S. Cypriano, aliique. Non inficiamur profecto hanc invaluiſſe ſententiam, cujus præcipuum fundamentum innititur in quadam Valentiniani III. Imperatoris Novella, quæ id diſerte teſtari videtur. Verum non officit hoc effugium, & quilibet intelliget, qui Imperatoris verba attente legerit, non enim dicit Imperator, quod Romanæ Urbis dignitas, & amplitudo Primatum illi Cathedræ contulerit, ſed *S. Petri Sedes, quam inſpirante Deo Princeps Apoſtolorum ibi collocavit in illa Urbe perpetuo duraturam*, quod ſi huic cauſſæ alterius acceſſio facta eſt ab Imperatore; amplitudo ſcilicet, & dignitas Urbis, hanc Valentinianus refudit ex parte, nimirum in Primatum Patriarchicum tantum, nimirum quod ratione hujus amplitudinis, & dignitatis Prima Patriarchalis Eccleſia eſſet Eccleſia Romana. Neceſſe igitur eſt, quod

quod Adverſarii alterutram hanc diſtinctionem obſervent: *Primatus Romani Pontificis, & Primatus Patriarchici Romanæ Eccleſiæ*, antequam pronuncient Primatum illum ſuam eſſe ſortitum originem ab Imperatoria lege, cujus ſcopus tantum eſt exterarum Provinciarum Præſules cogere, ut præceptis Romani Antiſtitis obtemperent, quod fecit Imperator ad inſtantiam S. Leonis Eccleſiaſticæ Diſciplinæ acerrimi vindicis, ut Hilarii Epiſcopi Arelatenſis audaciam cohiberet, qui indigne ferens, quod ſua Eccleſia jure Metropolitico in utramque Provinciam Narbonenſem iminuta fuiſſet a Bonifacio Zoſimi Succeſſore, ne unus Metropolita contra Nicænos Canones, duabus Provinciis præeſſet, Epiſcoporum Ordinationes, & depoſitiones extra ſuam Provinciam per vim uſurpabat, nam alios incompetenter removebat, indecenter alios, invitis, & repugnantibus civibus ordinabat; qui quidem quoniam non facile ab his, qui elegerant, recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem, vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis pacem prædicaturus per bella ducebat. Primatus itaque Patriarchicus ille eſt, ad quem Valentinianus reſpexit, ratione cujus in ſolo Romano Pontifice jus eſt in Ordinationibus omnium Epiſcoporum, quatenus eſt Patriarcha totius Occidentis, ita ut nulli alteri Epiſcoporum inconſulto Romanæ Urbis Antiſtite indebitas ſibi Ordinationes valeat uſurpare, quapropter jubet Valentinianus tam Epiſcopis Gallicanis, quam aliarum Provinciarum, ne alicui eorum contra conſuetudinem veterem liceat ſine Venerabilis Papæ Urbis æternæ auctoritate judicare, ſed omnibus pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas; ita ut quiſquis Epiſcoporum ad Judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur: Eumdem hunc Primatum Patriarchicum, & Patriarchalia tantum Privilegia inſpexerunt Chalcedonenſes Patres, dum in Canone 28., qui incipit *Antiquæ Romæ throno*, dixerunt: *quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt*, & eadem conſideratione moti, *centum quinquaginta Deo amantiſſimi Epiſcopi Sanctiſſimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt*, illos enim potuiſſe loqui de Primatu Romani Pontificis prohibent verba Nicolai I., qui Bonifacii I. auctoritate innixus ad Epiſcopos Gallicanos ſcribit: *Romanæ Eccleſiæ privilegia, adeo ſunt antiqua, & veterata, ut Nicæna Synodus non aliquid ſupra eam auſa ſit conſtituere, cum videret, nihil ſupra meritum ſuum poſſe conferri, cum omnia huic noviſſet Domini ſermone fuiſſe conceſſa*. Et hæc dicta ſint in hypotheſi, quod canon 28. Chalcedonenſis Synodi alicujus ſit ponderis, quod dicere vetat S. Leonis auctoritas, qui canonem hunc reprobavit, & ejuſdem Eccleſiæ Græcæ Codex, in quo non legitur; quemadmodum illud non habet Collectio Græca a Dionyſio Exiguo adornata, nec legitur apud Theodoretum Anagnoſten in lib. 1. Collectaneorum, & eumdem reſpuit conſenſus univerſalis Eccleſiæ.

XXXV. Quod additur de Epiſcopis, qui dicuntur a SS. Patribus Univerſalis Eccleſiæ curam ſuſtinere, concedi poteſt inſpecta ratione charitatis, non vero ſi inſpici debeat ratio auctoritatis, niſi fortaſſe, tunc cum vel neceſſitas, vel Eccleſiæ periculum, id exoptet: imo dicimus, hoc poſſe etiam verum eſſe in ſuppoſitione diſtributiva, cum ſingulis Epiſcopis pars aſſignata ſit univerſalis regiminis, quod univerſi procurant, non ſinguli juxta dictum Cypriani: *Epiſcopatus eſt unus, cujus pars a ſingulis in ſolidum tenetur, ſed*

non

Digitized by Google

non pari jure ab Epiſcopis, & a Romano Pontifice, niſi quantum ad hoc, ut omnes concordiæ, & pacis vinculum firmum teneant, hoc enim jus habent omnes ex Chriſti inſtitutione, & nititur communioni cum Eccleſiæ capite viſibili, cujus Sedes eſt veluti centrum Eccleſiaſticæ unitatis. Neque aliter docuerunt Patres illi, qui citantur ab Adverſariis, ſi concedi debeat eſſe legitima eorum teſtimonia; ſeveriores ſiquidem Critici Clementis Conſtitutiones Apoſtolicas Pſeudepigraphas, & erroribus ſcatentes agnoſcunt, & ſuppoſititiam habent omnino Eleutherii epiſtolam. Invenimus profecto apud S. Ignatium, quod de Epiſcopo Philadelphienſi dicit: *illum ſuſcepiſſe miniſterium communis Eccleſiæ*, & quod etiam Pontifex S. Hormiſda in ſua epiſtola 77. dicit Epiphanium Conſtantinopolitanum Epiſcopum *ſimilem fidei curam cum ipſo gerere*. Verum certum etiam eſt Epiſcopum Philadelphienſem illis omnibus Eccleſiis præfuiſſe, ad quas ſcribebat Ignatius, & Papam Hormiſdam non ſcribere Epiſcopum Conſtantinopolitanum pari, cum ipſo poteſtate frui, alioquin ſupervacaneum fuiſſet, quod illi impertiretur auctoritatem, ut diverſarum Eccleſiarum lapſos in communionem Catholicam poſſet recipere. Concludendum igitur eſt Epiſcopis omnibus incumbere pro ſui muneris ratione, ut in profligandis hæreſibus, & erroribus, quæ in univerſalis Eccleſiæ perniciem emergunt, omnem ſuam collocent operam, totiſque viribus enitantur, ex hoc autem non ſequitur, quod parem habeant cum Romano Pontifice poteſtatem. Neque audiri merentur, qui reſponſionem hanc adverſari putant canoni 6. Concilii 1. Nicæni, cum ſapientiſſimo cuique Theologo evidentius conſtet canonem hunc de Patriarchis intelligendum eſſe, eoque Alexandrinum Epiſcopum cum Romano componi, non ſolum quoad jus Metropoliticum, verum etiam quoad jura Patriarchica, non tantum celebrandarum Ordinationum, aut confirmandarum electionum, verum etiam quo ad cetera jura Patriarchicæ dignitatis; quorum alterum clare tradiderunt Innocentius I. in epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum, Hieronymus in epiſtola ad Pammachium adverſus errores Joannis Jeroſolymitani, & S. Leo Magnus in epiſt. 55. ad Pulcheriam Auguſtam, & 35. ad Anatolium, alterum vero oſtenditur ex cauſſa comparationis, quæ in hoc canone fit inter Alexandrinum Epiſcopum, & Epiſcopum Romanum, ne videlicet eamdem ille in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim auctoritatem exerceat Epiſcopi, ſcilicet, & Metropolitæ, quam iſte ſolet exercere in Romana Eccleſia, in qua nullus unquam fuit, nec inſtitui poteſt Epiſcopus, præter Romanum, & nullus Metropolita, ſed tantummodo jura illa habeat, quæ Patriarchica ſunt inſtar Romani Epiſcopi, ut eſt Patriarcha totius Occidentis, quorum jurium cum præcipuum ſit Ordinatio Epiſcoporum, & Metropolitarum, inter eos itaque inſtituta eſt comparatio, quo ad jus Ordinationum, ita ut ſicut ad Romanum Pontificem tunc ſpectabat (ſalvis peculiarium Eccleſiarum juribus) Metropolitas, & Epiſcopos ordinare omnibus in Provinciis, vel per ſe, vel per ſuos Vicarios, ſeu per Primates, quos ad hunc finem conſtituebat, ut conſtat ex epiſtola 44. S. Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Primatem Illyrici c. 6. Ita Alexandrino Patriarchæ, illud idem conveniret omnino. Et certe ita ſemper omnes Ægypti Epiſcopi canonem hunc intellexiſſe conſtat ex Concilii Chalcedonen. Act. 4. ita ut ſibi integrum non eſſe Ægypti Antiſtites exiſtimarent aliquid, tum in Ordinationibus, tum in Eccleſiaſticis alicujus ponderis negotiis abſque Patriarchæ Alexandrini nutu, & auctoritate

age-

agere, imo neque aliter canonem Nicænum VIII. Oecumenica Synodus intellexit, quod clarum eſt, ex iis, quæ hujus Synodi Patres ſanxerunt in canone 17., qui de poteſtate Patriarcharum, & Metropolitanorum ad eos adventu inſcribitur. Quod vero canone 6. Concilii Nicæni non deſtruatur Primatus Romani Pontificis, nec illius Patriarchica auctoritas intra ſuburbanas Eccleſias, vel ſuburbicarias, ideſt mille, & centenis paſſibus, dumtaxat ab Urbe diſſitas, aut intra decem Provincias, quæ Vicario Urbis Romæ parebant, coarctata ſit, ut Calvinus, Illyricus, ceterique Novatores dixerunt, ex laudato Chalcedonenſi Concilio Actione 16. demonſtratur. 1. quia cum canon Nicænus a Paſchaſino Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ Legato, ſic recitatus eſſet. *Trecentorum decem, & octo Patrum canon ſextus. Quod Eccleſia Romana ſemper babuit Primatum. Teneat autem, & Ægyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium babeat poteſtatem, quoniam, & Romano Epiſcopo bæc eſt conſuetudo. Similiter autem, & qui in Antiochia conſtitutus eſt &c.* nemo reclamavit, ſed Judices reſponderunt: *Perpendimus omnem quidem Primatum, ut bonorem præcipuum, ſecundum Canones, antiquæ Romæ Archiepiſcopo conſervari*. Demonſtratur etiam 2. quia hoc canone nullis circumſcribitur limitibus Romani Pontificis auctoritas, ut patet a contrario dum limites aſſignantur Alexandrino Epiſcopo 3. quia juriſdictionem, & auctoritatem Patriarcharum Alexandrini, & Antiocheni confirmat Nicæna Synodus, non vero Epiſcopi Romani, cujus Oecumenicam auctoritatem in Divino Jure fundatam eſſe, ut quæ ex Sacris Scripturis ſit deprompta ſcribit ad Innocentium I. S. Auguſtinus. 4. demum quia innuitur appellatio S. Dionyſii Patriarchæ Alexandrini ad S. Papam Dionyſium anno circiter 60. ante Concilium Nicænum, & ante, & poſt ſancitum hunc canonem Romanus Epiſcopus, & de Perſonis aliorum Patriarcharum, & de ſententiis ab ipſis latis judicium tulit, nec aliquis unquam ipſum coarguit, tamquam uſurpatæ auctoritatis & violati Nicæni canonis. Quam vero inepte Heiherodoxi Romani Pontificis poteſtatem coerceant innixi auctoritate hujus canonis intra ſuburbicarias Eccleſias, ex ipſa comparatione a Nicænis Patribus inſtituta inter Alexandrinum, & Romanum Epiſcopum conſtat, & ex epiſtola Synodica Concilii I. Arelatenſis ad Silveſtrum, in qua Patres dixerunt ipſum majores Diœceſes tenere, quas nihil obeſt cum Ruffino appellare Eccleſias ſuburbicarias, quod nomen hoc Eccleſiis omnibus Occidentis apprime conveniat, cum etiam totus Orbis ab Auguſto Cæſare, ad uſque Conſtantini Magni imperium Suburbicarium fuerit ideſt Urbis Romæ poteſtati, & moderamini ſubditum, & Ruffini tempore ſuburbicarius ſolus Occidens fuerit, quo modo igitur illo ævo Provinciæ ſuburbicariæ appellabantur omnes Occidentis Provinciæ poſtquam diviſum cum Roma Imperium Byzantium accepit, ita ſuburbicariæ Eccleſiæ dictæ ſunt, quæcumque ſubjacebant Epiſcopo Urbis Romæ, & non aliter ac Provinciæ ſuburbicariæ, quæ Diœceſim conſtituebant Vicarii Urbis Romæ, ſic Eccleſiæ ſuburbicariæ Diœceſim conſtituebant Epiſcopi Romani; & ita Græci ipſi Scriptores recenſito 6. canone Nicæno, Eccleſiæ Romanæ Præſidem in Occidentales Provincias Principatum diuturna conſuetudine obtinere nunquam impugnarunt. Quibus omnibus ſi addatur, neque ante, neque poſt tempora Concilii Nicæni Romanam Sedem, aut Antiſtitum aliquem, aut aliquod Conciliorum in jus vocare auſum eſſe, conſtans tot ſæculorum uſus, perpetuumque hoc Romanæ Cathedræ privilegium nobis adhuc evidentiſſimum

argu-

Digitized by Google

argumentum ſuppeditabit ſupremi ejus in Eccleſias ceteras Principatus. Sed de hoc argumento inferius, & prolixius dicturi ſumus. Finem huic paragrapho imponimus verbis Concilii Florentini in Definitione Fidei, qua Romani Pontificis aſſeritur Primatus, ut dogma Catholicum, & iſtius executio ad normam Oecumenicorum Conciliorum, & ſacrorum canonum exigitur. Ita ergo ſe habet illa definitio. *Item definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Romanum Pontificem Succeſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino Noſtro J. C. plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum & in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

§. III. *Cum in Concluſione quam hactenus demonſtravimus animadverterimus varios gradus Juriſdictionis, & poteſtatis Epiſcoporum, partim ex Chriſti Ordinatione, partim etiam Eccleſiæ auctoritate conſtitutos eſſe, ut omnia Ordine quam optimo in Eccleſia gererentur, modo dicimus, quod hi gradus, qui progreſſu temporis auctoritate Eccleſiæ introducti, atque inſtituti fuerunt, quorum alii aliis eſſent Superiores, totamque ſic Eccleſiaſticam hierarchiam velut aciem ordinatiſſimam abſolverent, ſunt Archiepiſcopi, qui iidem & Metropolitani, & his Superiores Patriarchæ, qui eamdem fere cum his dignitatem obtinent, qui hodie Primates dicuntur.*

XXXVI. Metropolitanorum, Patriarcharum, & Primatum antiquiſſimam fuiſſe originem, eamdemque ab Apoſtolis repetendam auctore S. Dionyſio epiſtola ad Demophilum, Chryſoſtomus, Hieronymus, Sedulius, & alii pronunciarunt, nec aliter ſenſit S. Leo epiſt. 83. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem canone ultimo, nec aliter Patres interpretati ſunt ea, quæ ſcribit Apoſtolus ad Titum, & ad Timotheum, dum illum in Inſula Cretæ, quæ dicitur a Strabone *in medio Ponto centum urbium fama memorabilis*, reliquit. & dum hunc a ſe rogatum ſcribit, ut remaneret Epheſi, quæ Aſiæ Metropolim fuiſſe conſtat, videlicet his in locis Titum, & Timotheum Metropolitanos creatos fuiſſe, cum nemo facile reperiri poſſit qui credat Paulum in ampliſſimis illis regionibus unicum tantum voluiſſe eſſe Epiſcopum, bene vero quod plures in illis Urbibus crearentur, ſub eorum poteſtate manſuri, ut videtur erui poſſe ex Apoſtolico canone 26. aliis 33. ubi legitur *debere Epiſcopos, cujuſque Nationis agnoſcere eum, qui in ipſis primus eſt, haberique eum ut caput & præter ſententiam illius nihil exſuperans facere, ſed illa tantumdem, quæ ſunt cujuſque Parœciæ, & locis ei ſubjectis competunt.* Verum & ſi non conſtat aperte Metropoliticam dignitatem, Patriarchalem, & Primatialem ab Apoſtolis eſſe inſtitutam, eam tamen antiquiſſimam eſſe nemo inficiari poteſt, cum Nicæna Synodus multis in locis ſupponat Metropolitanorum, & Patriarcharum inſtitutionem ab antiquo factam, ut legitur in can. 4. item in can. 6. & rurſum in can. 7. dum annuit Epiſcopo, qui eſt in Elia ſive Epiſcopo Jeroſolymitano aliquam, honoris prærogativam, hac cautione, *Metropoli propria dignitate ſervata*, quam dignitatem potius ex conſuetudine, & moribus, quam ex Apoſtolorum

inſtituto eſſe petendam, & definiendam ex ejuſdem Niceni Concilii canone 6. intelligimus, in quo decernitur ut *Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, Lybia, & Pentapoli. ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum*, ſive ut vertit Iſidorus *parilis mos eſt*. Uude vero horum omnium inſtitutio originem ſumpſerit, non æque expeditum. Varii varia dixerunt, ſed S. Leo, & Magnus Gregorius, ille in epiſt. 84. ad Anaſtaſium, hic in epiſt. 52. univerſis Epiſcopis Galliarum lib. 4. indict. 13. unitatem Eccleſiæ, originem hujus inſtitutionis agnoverunt, quæ Epiſcoporum concordia fovetur, cujus procurandæ optima videtur eſſe ratio, ſi omnium una voluntas pro lege habeatur, & ad unitatem diverſorum multitudo ordinate recurrat. *Ad hoc diſpoſitionis divina proviſio*, inquit Gregorius, *gradus diverſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret ex diverſitate connexio, & recte officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum, neque enim univerſitas alia poterit ratione ſubſiſtere, niſi in hujuſmodi magnus eam differentia ordo ſervaret, quia unumquodque tunc ſalubriter completur Officium, cum fuerit unus, ad quem recurri poſſit præpoſitus*. Super quæ verba notare oportet quod non ideo dixit Gregorius *hanc diſpoſitionem, & ſubordinationem hierarchicam diſpenſationis Divina proviſionem*, ut illam in jure Divino expreſſam fuiſſe doceat, ſed quia in illa agnovit, tum exemplum operationis Divinæ, per quam tota rerum univerſitas ſuperiorum, & inferiorum coordinatione ſubſiſtit, tum exemplum Divinæ ſeu cæleſtis hierarchiæ. a qua terrena formam habet per Eccleſiam, quæ cum Dei ſpiritu gubernetur & regatur, neque ipſa alia poterit ratione ſubſiſtere. Illud ſatis compertum eſt unde Metropolitani nomen derivaverit, ab Urbibus ſcilicet, quibus Epiſcopi præerant, quæ in diviſione Imperii primæ erant totius Provinciæ, unde aliæ dependerent. Ad normam igitur Metropoleon Civitatum, Metropoles Eccleſiaſticæ formatæ ſunt, ut quemadmodum ad Metropolim civitatem undequaque concurrebant omnes, qui negotia habebant, ita ad eam civitatem potius quam ad aliam negotia Eccleſiaſtica deferrentur, ibique potius, quam alibi Epiſcopi, aliique qui quæſtiones haberent convenirent, quod primum conſuetudine introductum, poſtmodum Conciliorum Decretis firmatum fuit, ut videre eſt in Concilio Taurinenſi primum, deinde in Antiocheno, poſtmodum in Chalcedonenſi, quo cautum fuit ne Epiſcopi dignitatem, & honorem Metropolitæ appetentes ab Jmperatore impetrarent Civitatem ſuam citra realem, & veram Provinciarum diviſionem, quaſi nomine tenus in Metropolim erigi, atque ita ſuam Cathedram in Metropoliticam, cujus facti exemplum tempore hujus Synodi occurrebat in Euſtathio Berytenſi ad cujus preces Theodoſius Jmperator Civitatem Berytenſem in Metropolim Eccleſiaſticam erexerat citra veram Provinciarum diviſionem. Animadvertendum tamen eſt, quod non ſola civilis dignitas Urbium Metropoleon in Epiſcopis earum Civitatum aliquid contulit dignitatis, aut auctoritatis, ſive ſuperioritatis, & neque ſemper Urbium erectio ad Metropolim civilem, ſecum traxit Metropolim Eccleſiaſticam. Alia nonnulla adminicula concurrerunt, quæ ſenſim hos Epiſcopos ſuper alios elevarunt, quorum præcipua fuerunt Ordinatio, ſeu Conſecratio Epiſcoporum, & utilitas, & neceſſitas Eccleſiarum. Ordinationes Epiſcoporum antiquitus viciniores Epiſcopi celebrabant, fieri deinde cœperunt in ipſa Urbe

Metro-

Metropoli, ad quam ob incidentia negotia frequens erat aliorum Epiſcoporum acceſſus, & hoc quidem primitus conſuetudine factum eſt: poſtmodum vero jus ordinandi Provinciales Epiſcopos in Metropolitanos translatum eſt, ex decreto Nicænæ Synodi, quo & illud ſtatutum eſt, ut inferiores Epiſcopi ſuis Metropolitanis ſubjicierentur, & quod Metropolitani cœperint vocari Archiepiſcopi. Quamquam non ſtatim hoc nomen auditum eſt, ſaltem apud Latinos, ſiquidem infra quintum ſæculum hiſtoria Eccleſiaſtica nullum hujus nuncupationis exemplum ſuppeditat. Ex quo fonte etiam didicimus nomen ipſum Metropolitani aliquibus in locis ignotum fuiſſe, præſertim in Africa, ubi Epiſcopus ſenior ordinatione, Metropolitani juribus utebatur, & Primas nuncupabatur, quod primum locum inter reliquos Epiſcopos obtineret. Utilitas vero, & neceſsitas Eccleſiarum præſtitit quod paolatim a Metropoli civili, Metropoles Eccleſiaſticæ disjungerentur, & Eccleſiæ illæ, quæ opportuniores videbantur, in Metropoles, Romano annuenie Pontifice, & ad Principum poſtulationes erigerentur; & labentibus ſæculis, etiam ſola Eccleſiaſtica auctoritate nonnullæ Sedes Epiſcopales in Metropoles erectæ ſunt, quod præſertim ſob initium ſeculi X. contigit Ioanne IX. ſic diſponente in terris Sclavorum, in quibus novum Metropolitanum, & tres novos Epiſcopos inſtituit, qui antea ſubjecti fuerant Epiſcopo Patavienſi, & alii Pontifices particulares alias Eccleſias in Primatiales elevarunt cum prærogativa & juriſdictione ſupra Metropolitanos, ut conſtat tum ex litteris Gregorii VII. quibus Eccleſiam Lugdunenſem in Primatialem erexit, eique ſubjecit tres Metropolitanas Rothomagenſem, Turonenſem, & Senonenſem, tum ex pluribus aliis monumentis. His prælibatis circa Patriarcharum, Primatuum, & Metropolitanorum originem de eorum poteſtate, quam a jure habeot, vel ejſdem a conſuetudine tribuitur modo agendum eſt.

XXXVI. Primates, & Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri canones concedunt, & priſca conſuetodo illis antiquitus contulit, ſcripſit Nicolaus I. Radulpho Bituricenſinm Archiepiſcopo, neque hoc in controverſiam eſſe poſitum Innocentius III. notavit in ſua Epiſtola Decretali Turonenſi Epiſcopo cap. *Duo ſimul* de Officio Judicis Ordinarii, obi propterea ait, *quod ſecundum Nicænas regulas ſua Privilegia ſervarentur Eccleſiis, præter quam, ſi Apoſtolica Sedes aliquam Eccleſiam, vel rectorem ipſius quolibet ſpeciali privilegio decreviſſet honorare*. Hoc poſito fundamento: Primo dicimus Metropolitanis juriſdictionem potius circa Suffraganeos, quam circa ſubditos Suffraganeorum ſuorum exercere, in hos enim nihil agunt, niſi quatenus id illis a jure permittatur, quandoquidem ut Beda obſervavit in caput. 2. Apocal. in hæc verba *Angelo Epheſi ſcribe*, nec ipſe Ioannes Apoſtolos, Propheta, & Evangeliſta, cui Aſia in ſortem ſpecialiter jure contigerat credidit ſibi populos eſſe increpandos inconſultis Epiſcopis, & quo ad hoc clariſsima ſunt, quæ in libris Decretalium leguntur teſtimonia, quæ hanc prohibitionem confirmant ſub titulis de *Officio Judicis Ordinarii*; de *Exceſſibus Prælatorum*, de *Foro competenti*, & aliis paſſim in locis, niſi partes conſenſerint, cum voluntate Suffraganeorum, ne auctoritati Epiſcoporum injoria inferator, aut temeraria appellatione ſententiæ ferendæ aditus Suffraganeis ipſis præcludatur; ſi vero cauſſæ ſint difficiliores, ita ut Suffraganei cognoſcere eaſdem non valeant, Metropolitanis licere earum cognitionem.

 Nico-

Nicolaus I. reſpondit ad Conſulta Bulgarorum cap. 72. aut ſi querela a ſubditis adverſus Epiſcopos intentaretur, aut quæſtio inter alterutros dirimenda oriretur, aut ſi per appellationem cauſſa ad eum eſſet devolutas aut ſi Suffraganeorum ſupplenda eſſet negligentia, ſic enim Nicæna II. Synodus ſtatuit can. 11. *Metropolitani Officium eſſe ut Epiſcopo negligente conſtituat Oeconomum, populum in Divina lege erudiat, Beneficia conferat, Viſitatorem, ſeu adminiſtratorem viduatæ Eccleſiæ deputet, malitiam notoriam emendet: & renuente Suffraganeo abſolutionem ab excommunicatione legitime petenti ſaltem ad cautelam tribuat*, ut ait Alexander III. in c. *qua fronte*, de Appellationibus; Ipſis Metropolitanis etiam conceditur ut fideles omnes totius Provinciæ ad pravam abolendam conſuetudinem inducat, cujus juris exemplum ſuppeditat Auguſtinus epiſt. 64. ad Aurelium, Alexander III. in c. ad *extirpandas* de Filiis Presbyterorum, & III. Innocentius c. *in tantum* de Simonia. Suffraganeo quoque mortuo plura præſtabat Metropolitanus pro indemnitate Rerum Eccleſiæ, & electione futuri ſucceſſoris, ut notatur a Gregorio VII. lib. 7. poſt epiſt. 11. & in c. finali de ſupplenda negligentia Prælatorum in 6. & in Concilio Tridentino Seſſ. XXIV. cap. 8.; imo ex pluribus momentis oſtenditur ſanctiſſimos quoque, & Zelantiſſimos Epiſcopos ſuarum Eccleſiarum curam Metropolitanis ipſis commendaſſe ubi neceſſitas, vel charitas id exegiſſet, præcipue vero ſi graviſſima aliqua infirmitate detinerentur, quod præſertim oſtendit expoſtulatio Gregorii Nazianzeni apud Theodorum Tyanenſem, qui Anthimo ſucceſſerat, & canon 47. Meldenſis Concilii, & canon *Pontifices* 7. q. 1. in quo Eccleſiarum morem diverſum fuiſſe conſtat.

Reſpectu vero Suffraganeorum, Metropolitani juſte petunt ut ſibi ſubjiciantur; vocantur enim ab Innocentio III. Suffraganeorum Prælati *quibus* propterea vult *quod tamquam Patribus, & Epiſcopis animarum ſuarum devote ſtudeant & humiliter obedire*, & Magnus Gregorius ad Felicem in Sardiniam Epiſcopum ſcribens epiſt. 10. lib. 4. quia Metropolitano ſuo obedire noluerat: *Contriſtamur*, ait, *quia ſuperbiæ de te manifeſte præbes indicium.. hortamur ut mentis tumore depoſito Ordinatori tuo humilem te exhibere, ac parere non deſinas*. Nec aliter fieri poterat propter juramentum Obedientiæ & ſubjectionis quod Suffraganei ſuis Metropolitanis in ordinatione ſua præſtabant. Quam Diſciplinam obſervavit Eccleſia fere uſque ad ſæculum XIV. quo tempore Confirmatio & Conſecratio Epiſcoporum ad Romanum Pontificem, cœpit devolvi, & ita diminui auctoritas Metropolitanorum in Epiſcopos Suffraganeos, non tamen horum reverentia, & obedientia erga illos, ut ex litteris decretalibus Innocentii III. compertum eſt.

Hæc ordinariæ, & judicialis auctoritatis imminutio in Metropolitanis erga Suffraganeos ex eo etiam patet, quod legitur in Seſſ. XIII. Concilii Tridentini cap. 8. de Reformatione *Cauſæ Epiſcoporum cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice maximo referantur, ac per ipſum terminentur* cum ante hoc decretum Metropolitanorum juris eſſet *honorabiliter Epiſcopos evocare*, ut ait Concilium Matiſconenſe II. can. 9. *ut in eorum præſentia accuſatori reſponderent, & oppoſitas ipſi actiones extricarent*, ipſique Metropolitani poterant quibuſque cenſuris in Suffraganeos *ex juſta cauſſa agere* ut ex verbis Honorii III. quæ referuntur in cap. 52. ſub titulo de Sententia excommunicationis, & Innocentii IV. in cap. 1. §. fin. de Offic.

Or-

Ordin. uno conſenſu tradunt Canoniſtæ. Ex eodem Concilio Tridentino Seſſ. XXIV. cap. 5. de Rofor. nunc tantum Metropolitanis committuntur criminales graviores cauſſæ contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quæ neceſſario extra Romanam curiam debent agitari, Minores vero Tridentini Patres voluerunt quod in Concilio tantum Provinciali cognoſcantur, & terminentur, vel a deputandis per Concilium Provinciale, illas vero ita committi volunt ut commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius Pontificis ſignata, qui nunquam his plus tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſumant, & proceſſum conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem traſmittant, reſervata eidem Sanctiſſimo definitiva ſententia. Quod vero pertinet ad Cauſſas Civiles nihil de his a Tridentina Synodo decretum eſt, unde Metropolitani, veluti judices Ordinarii has tenentur cognoſcere, niſi Epiſcopi privilegio exemptionis ſuffulti ſint. Illud etiam in Metropolitanorum jure erat, quod Suffraganei ad ipſos ſtatutis temporibus accederent, ſed in cap. 2. laudatæ Seſſionis huic juri derogatum eſt; imo ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii, ut notat Fagnanus in cap. *Quoniam* de Conſtit. n. 57. etiam liberati ſunt Suffraganei ab onore remittendi procuratores, non obſtante contraria conſuetudine, etiam immemoriali, & ſolum in caſu convocationis Synodi tenentur accedere, vel per ſe ipſos, vel per ſuos Procuratores. Olim quoque licebat Metropolitanis per totam Provinciam viſitatioois Officium exercere; verum in cap. 3. citatæ Seſſionis hoc ab illis præſtari non poteſt, niſi cognita cauſſa, & probata in Concilio Provinciali Quamquam neque antiquitus ex temeritate præſumptionis a Metropolitanis opus hoc aſſumebatur, ſed cum cauſſæ urgebant difficiliores, & tunc cum unuſquiſque Epiſcopus in ſua Diœceſi quid corrigere vel emendare nequiviſſet, quia ſcilicet ipſorum Metropolitanorum erat invigilare, ut quæ unanimi conſenſu decreta eſſent, ab omnibus ſervarentur, urgendo ſcilicet Epiſcopos, ut ea executioni demandare curarent, conſilio, & auctoritate ipſos juvando, ne fruſtra executionem injungerent, præſertim vero, quod præcipue notavit tertium Sveſſionenſe Concilium ſub Childerico can. 3. *ut Ordo Monachorum, vel Ancillarum Dei ſecundum regulam Sanctam ſtabilis permaneret*. Et hujus viſitationis Monaſteriorum extra propriam Diœceſim in ſua Provincia a Metropolitano factæ exempla ſuppeditat caput *ſopitæ* de Cenſibus, caput penultimum de Arbitris, Stephanus Tornacenſis variis in locis, præſertim vero epiſt. 77. & 88. & canon 19. Epaunenſis Concilii ubi legitur. *Abbas ſi in culpa reperiatur, aut fraude, aut innocentem ſe aſſerens ab Epiſcopo ſuo accipere noluerit ſucceſſorem ad Metropolitani judicium reducatur*.

Peculiare quoque Metropolitanis eſt ornamentum illud quod Pallium nuncupatur, per quod Pontificalis Officii plenitudo deſignatur, ut dicitur in cap. 3. de uſu, & Auctor. Pallii cum ante illius receptionem ex jure mere poſitivo, ſeu conſuetudine jam recepta Metropolitani nec ſuas functiones obire, nec nomen Archiepiſcopi poſſint aſſumere, nec Synodos celebrare, nec Epiſcopos conſecrare, neque Sacros Ordines conferre, & Chryſma conficere, & dedicare Baſilicas, unde ſcimus Gregorium VII. acriter redarguiſſet Rothomagenſem Archiepiſcopum quod ante poſtulatum, & obtentum a Romano Pontifice Pallium ſingulis Epiſcopalibus muneribus functus fuerat, ut legitur in lib. 9. epiſtolarum ejus epiſtola 1. Thomaſinus nihilominus auctor eſt in ſuo Tractatu de Diſciplina Eccleſiaſtica par. 2. c. 25. n. 10. non

re-

reperiri quod primitus Metropolitani obtenta conſecratione impedirentur obire ſuas functiones, quoadusque Pallium recepiſſent. Siquidem primum hujus oneris argumentum ſuppeditavit Ravennatenſis Synodus A. 877. ſub Ioanne VIII. can. 1. Nihilominus auctores non deſunt, qui antiquioris ætatis documentum præſeferunt in can. *placuit* diſtinc. 100. ex litteris Pelagii I. quas in ſuo Decreto Gratianus tranſcripſit, & nihil refert quod Edmundus Richerius in hiſtoria Concilii VIII. num. 12 dicat *hanc Pallii poſtulationem, & acquiſitionem rem eſſe pure cæremonialem, quæ nihil conferat ad poteſtatem Epiſcoporum*, hoc enim dixit ſubſcribens opinioni illorum Canoniſtarum, qui auctoritatem citatæ a Gratiano Decretalis, recognoſcere detrectant, recuſantque a receptis hactenus moribus recedere.

Hujus ornamenti originem incertam tradunt Scriptores, ſed tamen omnes conveniunt primitus fuiſſe Imperiale Ornamentum & ab Imperatorum liberalitate & pietate profectum, nec ſine eorum aſſenſu aliis communicatum & hoc inter ceteros ſcripſit S. Gregorius lib. 9. epiſt. 11. Labentibus vero ſæculis a Pontificibus ipſis ſine Imperatorum aſſenſu, exigentibus tamen meritis & fortiter poſtulantibus conceſſum eſt, ut conſtat ex conceſſione Pallii, quæ ſæculo 13. facta eſt ab Innocentio III. Patriarchæ Conſtantinopolitano cum poteſtate illud Auctoritate Apoſtolica Metropolitanis ſibi ſubjectis concedendi, & conſtat etiam ex conceſſionibus Pallii factis illis Metropolitanis qui ad conſecrationem Sedis Apoſtolicæ pertinebant, aut quibus vices ſuas Romani Pontifices in Provinciis committebant, & vulgo Sedis Apoſtolicæ Vicarii nuncupabantur, quod per hanc veſtem exteriorem repræſentare non incongrue videbantur vices Romani Pontificis, & hoc non obſcure ſignificavit Vigilius Papa in epiſtola ad Auxanium Epiſcopum Arelatenſem, & idem S. Gregorius lib. 2. epiſt. 64. unde poſtea natum creditur, quod Metropolitani ſinguli cum jura Sedis Apoſtolicæ non agerent, neque ad Romani Pontificis Ordinationem pertinerent, non omnes Pallium petiiſſe atque aliter accepiſſe dicamus. Diximus *fortiter poſtulantibus Pallium eſſe conceſſum*, ut ad verterem Archiepiſcopos Romæ præſentes per ſe ipſos, vel ſi abſentes fuerint per Procuratorem petere a Summo Pontifice in Conſiſtorio ſuum Pallium juxta hanc formam petitionis *inſtanter*, *inſtantius*, *inſtantiſſime*, privarique Metropolitanos ſua dignitate, qui ultra tres menſes poſt Ordinationem ſuam Romano Pontifici fidem ſuam exponere, & Pallium flagitare diſtulerint. Ævo Gregorii VII. nullum proferri potuit exemplum quo oſtenderetur abſenti pallium miſſum fuiſſe, ut laudatus Pontifex Brunoni Epiſcopo Veronenſi, & Hildebandus Archidiaconus Romanus ſcripſit Lanfranco electo Cantuarienſi Archiepiſcopo, & ut docet Petrus Damiani lib. 7. epiſt. 4. legitur tamen illis temporibus aliquando Nuncios Papæ Epiſcopos conſecraſſe Apoſtolica auctoritate, eoſdemque Pallio donaſſe. Nunc vero per Procuratores Pallium peti conſuevit, & ad Provincias mittitur, atque alicui Epiſcopo, illud Metropolitano imponendi cura committitur. Ita vero Pallium conceditur, ut Epiſcopus hoc ornamento inſignitus eo intra Eccleſiam ſuam utatur, vel ut Innocentius ait in cir. cap. 1. de auctor. & uſu Pallii, *intra quamlibet Eccleſiam Provinciæ illi commiſſæ*. Si vero Sacris indutum veſtibus Eccleſiam proceſſionaliter, vel alio modo exire contigerit, tunc ſuo Pallio minime uti debet, quemadmodum eodem uti non poterit, niſi ad certa tempora, juxta modernum Pontificale Romanum, quam limitationem ſæculo IX.

Græ-

Digitized by Google

Græcos etiam recepiſſe colligitur ex Concili VIII. can. 14. ſive 27. in editione Anaſtaſii Bibliothecarii. Cum Pallium in perſonam non tranſeat, ut Cœleſtinus III. ait in c. 3. de Auctor., & uſu Pal. non licet Pallium alicui commodare, ſed quiſque debet cum eo ſepeliri, quemadmodum ſi de una Eccleſia Metropolitanus in aliam transferatur, Pallio, quod acceperat, uti non poterit, ſed de novo aliud petet, & conſequetur, quod ſi alicui Pallium adimatur exautorationis, & depoſitionis illius, cui Pallium ademptum fuerit, hoc erit clarum judicium, vel abdicationis, ſive renunciationis, ut ex illis factis colligitur, quæ referuntur a Liberato Diacono in Breviario cap. 21. 23. ab Anaſtaſio in vita Sylverii, & a Flodoardo lib. 4. c. 45. Poſtremo Metropolitanis, hoc etiam inſigne conceditur, ut crucem ante ſe elevatam deferri faciant, de qua re legi poteſt Thomaſinus in ſuo tractatu de Diſciplina Eccleſiaſtica p. 4. lib. 1. c. 39., & Decretum Concilii Viennenſis V., quod habetur in Clementina 2. de Privilegiis, niſi quod hoc Privilegium Tridentini Patres in Seſſ. VI. c. 5. de Refor. limitarunt decernendo, quod Cruce elevata extra limites ſuæ Juriſdictionis non poterunt incedere.

XXXVII. Metropolitanis Superiores ſunt Epiſcopi illi, qui *Primates* nuncupantur, & quos Græci ſæpius *Exarchas* vocant, qui univerſæ Diœceſi ex multis Provinciis collectæ ſuperintendunt. Illorum auctoritatem ex pluribus monumentis agnovimus, ſed ſingularia ſunt illa, quæ petuntur ex Concilio Conſtantinopolitano 1. ex Antiocheno, & ex Chalcedonenſi, nam monumentum, quod ſumitur ex Concilio Sardicenſi can. 6. agit de Primatibus, vel Exarchis, prout cum Metropolitis confunduntur, plurimi enim hujus Concilii tempore erant, qui nomine Primates, re quidem vera Metropolitæ erant, & in horum numero habebantur Primates Numidiæ, Mauritaniæ utriuſque, aliarumque Provinciarum Africæ, qui tantum Ordinationis antiquitate non Urbis dignitate ad Primatus dignitatem aſcendebant. Habebantur, & illi, qui eo quod Primatibus aliis non parerent, Primates potius, quam Metropolitanos appellari placuit, & demum hoc nomine inſigniti erant etiam Epiſcopi illi, qui cum aliquando Metropolitanis præeſſent, deinde nomen ſolum dignitatis retinuerunt, & horum plurimi in Gallia reperiebantur, ut Rothomagenſis, Viennenſis, Arelatenſis, Rhemenſis, & Senonenſis, qui etiam Lugdunenſem Primatem ſuperiorem recognoſcit. Primates itaque, de quibus nunc agimus, Conſtantinopolitani, Antiocheni, & Chalcedonenſis Concilii Patres inſpexerunt, quorum jura, vel ampliarunt, vel reſtrixerunt, ſed revera Juriſdictione Metropolitis Superiores extiterunt, licet hac noſtra ætate pauciſſimi ſint, quod vel in illorum inſtitutione reſtricta, & iminuta illorum auctoritas ſit; vel per contrariam conſuetudinem jam obſoleverit. Ante factam a Conſtantino præcipuarum Imperii partium in Diœceſes diviſionem nulla Primatum memoria eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria, quæ tamen frequens occurrit poſt Vicariorum ſub Præfectis Prætorio erectionem, unde clare intelligitur quarto Eccleſiæ ſæculo Dignitatem hanc prodiiſſe. In Eccleſia Occidentali nullus auditus eſt Primas, quem Romanus Pontifex non inſtituerit, in Orientali vero Eccleſia Imperatoria auctoritate eligebantur. Primum conſtat ex Vigilii Papæ litteris ad Aurelianum Arelatenſem Primatem, ex quibus eruitur, quod cum primum in Occidente Primatus inſtituti ſunt mutato nomine Vicarii Sedis Apoſtolicæ dicebantur: *Feſtina ergo* (hæc ſunt Vigilii verba) *Frater chariſſime, ut in Sanctæ fidei ſinceritate perſiſtens Eccleſiarum pacem, quæ vel a*

Deo

Deo per meritum Sacerdotii tibi commiſſa eſt, vel a nobis per Apoſtolicam anctoritatem Vicaria poteſtate mandatur, competenti ſollicitudine Deo propitiante cuſtodias, & Vicarium te Sedis noſtræ dignis Deo manifeſtes operibus. Alterum vero colligitur ex can. 17. Concilii Chalcedonenſis, & ex Gelaſii Papæ epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, in qua Pontifex illos irridet Antiſtites, qui ultra menſuram ſibimet antiquitus deputatam, quidpiam ſuis dignitatibus uſurpare contenderunt, quod Imperator apud illas Civitates, quibus ipſi præerant conſtitiſſet,

Quinque præcipue erant Primatum jura, ut ex Eccleſiaſtica hiſtoria erudimur, nam ad illos ſpectabat 1. Canonicas Epiſcoporum, & Metropolitanorum electiones cognoſcere, eaſdemque ratas habere. 2. juris eorumdem erat ad examen iterum revocare Controverſias, de quibus in Provincialibus Conciliis jam fuerat judicatum. 3. ad eoſdem pertinebat Concilia Diœceſana convocare. 4. in eadem Diœceſi fidei integritatem conſervare, & 5. demum Primates, Clericis, Epiſcopis, & Metropolitanis extra Diœceſim proficiſcentibus formatas litteras dabant, quibus Sacerdotium eorum, vel locum Eccleſiaſticum, quem habebant Scriptorum ſuorum adſtipulatione perdocebant. Hæc omnia leguntur in epiſtola 84. Leonis Magni ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem cap. 6. in epiſtola Zozimi ad Primatem Arelatenſem, & in can. 6. Concilii Antiocheni. Quod ſi quiſpiam a ſuo Metropolitano ſe læſum credidiſſet, hunc apud Primatem Diœceſeos judicandum fuiſſe canon 6. Chalcedonenſis Concilii decreverat. Verum nulli Primatum unquam licuiſſe jura aliarum Diœceſeon invadere Conſtantinopolitana prima Synodus ſtatuit can. 2. in quo dictum eſt, quod ſecundum canones, Alexandriæ Epiſcopus Ægyptum ſolam regat, Orientis autem Epiſcopi Orientem ſolum adminiſtrent ſervatis privilegiis, ac præeminentiis, quæ ſunt in Nicæni Concilii canonibus, Antiochenæ Eccleſiæ, & Aſianæ Diœceſis Epiſcopi, quæ ſunt in ſola Aſiana adminiſtrent, & Thraciæ Epiſcopi Thraciam tantum regant, & Ponticæ Ponticam.

XXXIX. Primatum, & Metropolitanorum nomen olim fuiſſe promiſcue uſurpatum ex canone Sardicenſi cognovimus; nunc addimus idem contigiſſe in nuncupatione *Patriarcharum* cum hoc nomine exornatos inveniamus, tum Metropolitanos, tum Primates, tum juniores Epiſcopos ob ſolam dignitatem Epiſcopalem apud Niſſenum Oratione de *Magno* Epiſcopo, ubi omnes Orientales Epiſcopos, qui ad Concilium Conſtantinopolitanum venerant Patriarchas vocat. Abſit tamen, quod ex nominis Patriarchæ communicatione, dignitatis quoque æqualitatem inferre, aliqui velint, hoc ſiquidem innumeris prope exemplis fallax, atque erroneum deprehenditur, præſertim ſi hujus nominis uſurpatio ad illa tempora referatur cum titulorum diſtinctio cœpit eſſe in uſu, ſive ex ambitione profecta, ſive ex religioſa inferiorum obſervatione nata, vel propagata, ſive Eccleſiæ Judicio confirmata, nam tunc illos tantum frequentius vocatos eſſe Patriarchas cognoſcimus, qui in culmine Sacerdotii inter Epiſcopos omnes longe præcellerent, adeoque *Patriarchæ* appellationem dignitate per nomen ſignificata poſteriorem fuiſſe, & ex uſu ſingulariter quibuſdam tantum conveniſſe, quod ceteris majores illi, ac dignitate potiores vulgo cenſerentur, Nimis operoſum eſſet monumenta ſingula enumerando recenſere, quæ Patriarchæ nuncupationem ad quinque Patriarchas reducit, non ad plures extendit, ut videre eſt apud Theodoretum in Collectione canonum, ad majores Patriarchas, apud Avitum Viennenſem epiſt. 7., & apud Juſtinianum Novel-

Novella 109. ubi *Univerſam Eccleſiam in pace*, ait, *conſiſtere cum in ea concorditer Sanctiſſimi Epiſcopi, & totius Orbis Terrarum Patriarchæ, & Heſperiæ, & Romæ, & hujus Regiæ Civitatis, ideſt* Conſtantinopolis, *& Alexandriæ, & Theopoleos, & Jeroſolymorum, & omnes, qui ſub eis conſtituti ſunt Sanctiſſimi Epiſcopi Apoſtolicam prædicant fidem, atque traditionem*. Ex quibus verbis clare colligitur totum Orbem Chriſtianum Juſtiniani ævo in quinque iſtos Patriarchatus diviſum, & Patriarchæ nomen pro ſolis iſtis quinque tunc uſurpari; cujus diſciplinæ præterea inſequentibus quoque temporibus fidem augent Concilia, & Patres, & Romani Pontifices, a quibus quinque ſoli Patriarchalium ſedium majorum dici ſoliti ſunt *Patriarchæ*, reliqui *Exarchi*, vel *Primates* vocabantur, qui Diæceſim ſub Poteſtate habebant, prout Civitatum dignitas, & uſus expoſceret, & hoc ſignificarunt non ſemel Decretales illæ epiſtolæ, quæ circa Caroli Magni tempora in vulgus editæ ſunt, & confirmavit VIII. Synodus Generalis ſub Hadriano II. can. 17., & 21., & Lateranenſe Concilium ſub III. Innocentio, & communiter dixerunt omnes quotquot in Patriarcharum laudem, & commendationem ſingularem copioſe diſſeruerunt, inter quos excelluit Metrophanes Metropolitanus Smyrnæ, Walafridus de rebus Eccleſ. c. 31. Petrus Damiani epiſt. 15. cap. 15 Rupertus de Divin. Offic. lib. 1. cap. 27. Balſamon in Melete, aliique ſexcenti.

XL. Tres Apoſtolorum ætate inſtitutas fuiſſe Patriarchales Eccleſias, Petro ſic diſponente, acerrima contentione inter ſe diſputant non pauci, clariſſimique Scriptores, *Antiochenam*, videlicet *Alexandrinam*, & *Romanam* juxta triplicem Orbis diviſionem, & ad imitationem Imperatorum, qui in tribus illis Urbibus in tota Aſia, Africa, & Europa, in temporalibus Principatum civilem erexerunt. Hujus traditionis locupletiſſimi teſtes ſunt S. Innocentius I. in cap. 1. epiſt. 18. ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum, S. Leo Magnus in ſua Epiſt. 53. ad Anatolium, & aliis in locis, S. Gregorius item Magnus in epiſt. 60. lib. 5. ad Eulogium, & alibi. S. Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum cap 92. Qua autem exceptione eludi poterit id, quod tam Sanctiſſimi Pontifices ſcripſerunt, quos aut voluiſſe mentiri, aut auſos fuiſſe in iis, quæ in omnium ore circumferebantur falſa proferre, nullus dubito ſibi perſuabit, quod neminem lateat eidem traditioni adſtipulari duo Romana Concilia; quartum ſub Damaſo, ut citatur in collectione Creſconiana apud Baronium ad A. 382. n. 19., & alterum ſub Gelaſio, Chryſoſtomum quoque hom. in B. Ignatium 42. Theodoretum epiſt. 86. Maximum Antiochenum in Concilio Chalcedonenſi Act. 7., & Syneſium epiſt. 66. ad Theophilum Alexandrinum; alioſque quam plurimos. Singulare tamen hoc reperitur in auctoritate Nicolai I., quod ſcripſerit: *Veraciter illos habendos eſſe Patriarchas, qui Sedes Apoſtolicas per Succeſſiones Pontificum obtinent*, ſed hæc verba ita intelligenda ſunt, ut illas Eccleſias Nicolaus voluerit eſſe Patriarchales, quæ ab Apoſtolis Patriarchales inſtitutæ ſunt, & quæ per Succeſſionem Pontificum ab ipſis Apoſtolis jus Patriarchicum impetrarunt; neque mirum eſſe debet, quod idem Nicolaus Apoſtolos Petro conjunxerit in Patriarchalium Sedium inſtitutione, id enim dixit ex æquitate, ut ſcilicet inſtitutionem hanc non ſine Apoſtolorum conſilio Petrus definiverit, quemadmodum Diaconos jam inſtituturus, Apoſtolorum, & Diſcipulorum conſilio paruit, ut Acta teſtantur in cap. 6. Quod ſi minus recte, hoc a nobis dictum eſſe quis putet, hic tamen non inficiabitur Concilium Nicænum, tres has Patriarchales Sedes can. 6. agnoviſſe tam-

quam antiquiſſimas, & Eccleſiæ primordiis coævas, nam Alexandrini Præſulis in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim poteſtatem Exarchicam antiqui temporis eſſe præfatur, Epiſcopo Romano idem privilegium eſſe conſuetum aſſerit, ſimiliter, & Epiſcopo Antiocheno. Accedere ergo eam oportuit ad Apoſtolica tempora, imo, & Apoſtolicam eam fuiſſe inſtitutionem neceſſum eſt dicere, cum a tota Eccleſia invenitur recepta, nec a Conciliis poſterioribus introducta ſecundum regulam Auguſtini lib. 2. de Baptiſmo cap. 7. lib. 4. c. 24. & lib. 5. c. 23., & alibi. Quod tamen dici non poteſt de Conſtantinopolitano, & Jeroſolymitano Patriarchatu, quia Inſtitutiones eorumdem recentiora præſeferunt exordia, a temporibus nimirum Juſtini Senioris, & Juſtiniani, cum ante ea tempora, nullum Pontificum Romanorum expreſſe legamus, aut Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Jeroſolymitanum appellantem, aut eorum Patriarchatui expreſſe conſentientem, & hoc dicimus, ut refellamus opinionem illorum, qui a Nicæno canone Exarchicam poteſtatem Jeroſolymitano Epiſcopatui attributam, & a canone 3. Concilii Conſtantinopolitani Epiſcopum Conſtantinopoleos dignitate eadem auctum fuiſſe contendunt, Falſitatem primæ propoſitionis oſtendunt evidentiſſime verba Hieronymi in epiſtola 61. ad Pammachium adverſus errores Joannis Jeroſolymitani: *Tu qui regulas quaris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilii canonibus niteris, & alienos Clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris uſurpare, reſponde mihi,* inquit, *ad Alexandrinum Epiſcopum Paleſtina, quid pertinet?* Niſi fallor, ibi decernitur, ut Paleſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia; *aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras, cui ſpreta communione tua, communicare non noveras. Aut ſi procul judicium expetendum erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ, ſed novi cur Cæſaream, cur Antiochiam nolueris mittere, ſciebas quid fugeres, quid vitares, maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quam debitum Metropolitano ſuo honorem reddere.* Hactenus Hieronymus ex quo intelligitur Jeroſolymorum Epiſcopum tunc Metropolitæ Cæſarienſi, & Patriarchæ Antiocheno ſubditum fuiſſe. Solum igitur privilegium honoris, & reverentiæ ſingularis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ exhiberi ſolitæ demonſtrat Nicænus canon. non jus Exarchicum illi concedit, eodem modo, quo Syagrio Auguſtodunenſi prærogativam honoris præcipuam S. Gregorius decrevit, quamvis ſub Lugdunenſi Metropolitica poteſtate maneret, & Patronis Eccleſiaſticis proceſſionis aditum non ullam adminiſtrationem conceſſit Gelaſius can. *piæ mentis*, & hunc honorem Nicænus canon vocat *honoris conſequentiam*, ut nimirum in Seſſionibus Conciliorum, & ſubſcriptionibus, & nominationibus honoris locus deferatur Jeroſolymitano Epiſcopo, ideſt tertius locus poſt Alexandrinum, & Antiochenum. Falſitas alterius opinionis evincitur, quia canon, qui citatur 3. aliis 5. ex Concilio Conſtantinopolitano ſub his terminis: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eo quod ipſa ſit nova Roma* additicius eſt, neque a Concilio Oecumenico editus, ſed poſt diſſolutionem Concilii, ac diſceſſum Theophili, ceterorumque Ægyptiorum ab Epiſcopis finitimis urbi Conſtantinopolitanæ, tum Thraciæ Diœceſis, tum Orientalibus quibuſdam, qui impenſius favebant Conſtantinopolitano Antiſtiti anno 382. unde Gregorius Nazianzenus de vita ſua, ubi quæ geſta in eo Concilio ſunt deſcribit, non meminit iſtius Canonis, & Damaſus, qui teſte Photio libello de vii. Synodis, Conſtantinopolitanam 1. approbavit, cujus congre-

gregandæ auctor fuerat, non approbavit canones, qui ſequenti anno editi ſunt, eoſdemque, nec Romana Eccleſia hactenus habuit ætate Gregorii Magni, ut ipſe ſcribit epiſt. 31. lib. 6. Eulogio Alexandrino. Minus erronee loquuntur ii, qui a Concilio Chalcedonenſi Patriarchales has Sedes inſtitutas fuiſſe pronunciant, præſertim ſi id dictum velint de Patriarchatu Jeroſolymitano, nam quod pertinet ad Conſtantinopolitanum plura ſunt, quæ obſtant, & inter cetera, illud quod demonſtrat noluiſſe Romanos Pontifices approbare privilegia Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conceſſa a canone 28. Concilii Chalcedonenſis; unde Papa Gelaſius inquiſitus cujus Metropolitanæ Civitatis Antiſtes eſſet Conſtantinopolitanus Epiſcopus in epiſtola 13. ad Epiſcopos Dardaniæ, reſpondit *illum dumtaxat Epiſcopum eſſe Parochiæ Heracleenſis*; & quamvis poſt Chalcedonenſem Synodum variis occaſionibus Conſtantinopolitani Antiſtites tentaverint jus integrum Exarchicum Heracleenſi Epheſino, & Cæſarienſi Cappadociæ Præſulibus in Diœceſibus Thracia, Aſiana, & Pontica adimere, earumque diœceſea ſibi ſubjicere, ac tandem extinguere, nihilominus id ſtatim perficere minime potuerunt, nec Ordinationes Metropolitanorum ad ſe omnes rapere, nec judicia de Cauſſis Metropolitanorum eis adimere, nec impedire, quominus a Metropolitanorum ſententia ad eos appellaretur, nec firmitatem ſententiæ ab eis latæ evertere, nec Primatum dignitatem iis auferre, ut clare conſtat, tum ex epiſtolis Epiſcoporum Ægypti, & Clericorum Alexandrinæ Eccleſiæ ad Anatolium conſcriptis, quæ leguntur in parte 3. ejuſdem Concilii Chalcedonenſis cap. 22. 23., tum ex Acacii Officiis apud Leonem Auguſtum, ut ipſe CS. Sedi collata privilegia Imperiali ſanctione firmaret, quod certe non poſtulaſſet factioſus, & doloſus Præſul ſi jam a Chalcedonenſi Civitate, eadem recepta fuiſſent, & Marciani Imperatoris auctoritate fuiſſent firmata. Dixi CS. *Antiſtites*, id ſtatim perficere non potuiſſe, ut non præterirem, aliquid circa hæc ſerius obtinuiſſe ex tolerantia præſertim Romanorum Pontificum, nimirum, ut apud illos ii agerent, qui adverſus Metropolitanos controverſiam moviſſent, dummodo hæc eorum poteſtas extra memoratas Diœceſes non extenderetur, & hæc cauſſa fuit, quare ex Codice canonum expuncti non fuerunt canones IX., & XVII. Concilii Chalcedonenſis, quemadmodum refutatus eſt canon XXVIII., qui funditus auferebat Epheſinum, & Cæſarienſem Primatem, quod Metropolitanos omnes memoratarum Diœceſum a CS Epiſcopo ordinari juberet. Verum quidquid ſit de erectione Patriarchatus Conſtantinopolitani per Chalcedonenſe Concilium, quod Summi Pontifices importunis Imperatorum precibus victi illius Canoni tandem adhæſerint, agnoverintque illius Eccleſiæ Præſulem priores honoris partes habere, poſt ipſos, ut anno 381 in priore Concilio CS. dixerunt Patres, eo quod *Conſtantinopolitana Urbs ſit nova Roma*, certe id dubitari non poteſt de Eccleſia Jeroſolymitana, quæ magno ſemper in pretio habita eſt, ut probant verba 7. canonis Nicæni, & quæ a Theodoſio juniore, hoc obtinuit reſcriptum, ut illi trium Paleſtinarum, utriuſque Phœnicis, & Arabiæ Metropolitani ſubjicerentur, nam, cum tota jam quæſtio de Exarchica poteſtate verſaretur inter Maximum Antiochenum, & Juvenalem Jeroſolymitanum Antiſtitem, cedente juri ſuo Antiocheno, decreverunt Patres Chalcedonenſes, quod Arabiam, & Phœniciam haberet Antiochenus, tres autem Paleſtinæ regerentur ab Jeroſolymorum Epiſcopo hac lege, ut uni earum præſideret, tamquam Metropolita, & Exarchicam in reliquas auctoritatem exer-

 cerct,

ceret, & huic tranſactioni Paſchaſinus, & Laurentius Legati Sedis Apoſtolicæ conſenſerunt pro bono pacis, nec legitur S. Leonem Papam, qui fortiter ſemper inſtitit pro canonum Concilii Nicæni obſervatione, expreſſe diſſenſiſſe, quia res tota judiciario Ordine peracta fuerat, nec erat tanti momenti, ut propter eam valde commoveretur, hinc in epiſtola 72. quam ad eumdem Iuvenalem ſcripſit, qua illi gratulatus eſt, quod ad Epiſcopatus ſui Sedem redire ipſi licuiſſet, ne verbum quidem de nova iſta Patriarchatus confirmatione, aut probando, aut improbando inſeruit, e contra vero in epiſtola 62. quam ſcripſit Maximo, Conſtantinopolitani Patriarchæ ambitionem perſtrinxit, quod multas turbas excitaturam crederet, ut eventus probavit, nam ab eo tempore, quo Conſtantinopolitana Eccleſia in Patriarchalem erecta eſt, Schiſmate fere ſemper, & hæreſi Oriens laboravit. Quinque igitur Patriarchas ab eo tempore, quo Conſtantinopolitanus, & Jeroſolymitanus in aliorum ſocietatem adſciti ſunt, numeravit Eccleſia, Romanum, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Jeroſolymitanum; nihilominus adſcititii Patriarchæ diu in Eccleſia Occidentali minoris auctoritatis viſi ſunt quam priores, & nativi, quorum Sedes unam Petri Sedem eſſe docuit Gregorius Magnus lib. 6. indict. 15. epiſt. 37. ad Eulogium Alexandrinum, & hoc didicimus ex Nicolao I., qui diu poſt receptum quinarium Patriarcharum numerum ad Conſulta Bulgarorum cap. 92. *Deſideratis*, inquit, *noſſe quot ſint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi habendi ſunt, qui Sedes Apoſtolicas per Succeſſiones Pontificum obtinent, ideſt qui illis præſunt Eccleſiis, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam*, & hanc exceptionem legimus etiam apud Iſidorum Hiſpalenſem lib. 7. Originum cap. 12., & apud alios. Præter quinque hos Patriarchas quatuor alii in Eccleſia Latina reperiuntur, qui Romani Pontificis Indulgentia, vel ex inveterata conſuetudine Patriarchale nomen ſibi vindicant, & ejuſmodi ſunt Patriarcha Aquilejenſis, Venetus, Aethyopiæ, & Indiarum.

XL. Privilegia Patriarcharum plurima fuiſſe ex Canonicis regulis erudimur, quorum alia ipſis cum Primatibus, & Exarchis communia conceſſa ſunt, alia vero maxime ipſis ſunt propria, eoſque quodammodo ab Exarchis Diœceſeon, & Vicariis Sedis Apoſtolicæ diſtinguunt. Priora ſuperius notavimus, reliqua hic exponuntur. 1. quod electi Patriarchæ ſibi mutuo litteras communicatorias mitterent. Hujus moris teſtis eſt S. Gregorius lib. 7. indict. 2. epiſt. 54., & Tiraſius in epiſtola ad Epiſcopos Orientis relata a VII. Synodo Actione 3. initio. 2. quod nomina Patriarcharum Sacris dypticis ubique inſcriberentur, & in Sacris Liturgiis legerentur. Oſtendunt hoc privilegium frequenter ortæ contentiones in Orientali Eccleſia propter nomen Acacii, & aliorum, qui in Sede Conſtantinopolitana ei ſucceſſerunt retinendum, vel expungendum, & epiſtola Innocentii I. ad Archadium Imperatorem, in qua jubet Chryſoſtomi nomen Sacris dypticis inſeri. 3. quod non in ſuis ſolum Provinciis, ſed ubique Crucem ante ſe deferrent ex cap. *antiqua* de privilegiis, *cum lampade etiam ſibi prælata conſueviſſe progredi Græcos Patriarchas, habituque ſingulari, cui multæ cruces interxtæ erant*, ſcribunt Balſamon in Melete, & Codinus de Offic. Eccleſ. CS. c. 4. n. 6. Cabaſilas in quæſitis aliique. 4. Summi Pontificis in univerſali Eccleſiæ regimimine Aſſeſſores, & Conſiliarii ſpeciali ratione habebantur. Hanc prærogativam expreſſit Gregorius in epiſt. 24. lib. 2., & Theodorus Studita lib. 2. epiſt. 121., & hoc

ſenſu

ſenſu totius Eccleſiæ curam gerere dicuntur; Atque hinc etiam eſt, quod ad Patriarchales Sedes ſubortas de novo hæreſes renuntiare in Eccleſiaſtico more ſemper fuerit, & neceſſarium ſemper judicatum eſt ad Concilii Oecumenici plenitudinem Patriarchas invitare, ut Epiſcopi ſuis Patriarchis conſentirent, & hi Summo Pontifici, legitimique illi, & veri cenſerentur, qui Romano communicaviſſent, adulterini, quos ipſe rejeciſſet. Hanc Eccleſiæ praxim exponit, nuper laudatus Theodorus Studita lib. 2. epiſt. 129. Leoni Sacellario 5. tandem Patriarchæ, præ ceteris Epiſcopis Apoſtolicæ poteſtatis magis fiunt participes, quia illi Apoſtolorum referunt maxime figuram, tum quia totus Orbis, ipſis quodammodo concreditus eſt; tum etiam quia eorum præ ceteris Officium eſt barbaris præſertim populis, & infidelibus providere, ut Chriſti fides ab ipſis prædicetur, & Eccleſiæ apud eos per Epiſcoporum Ordinationem erigantur, quod ſæpius factum eſſe Euſebius lib. 6. c. 21. Cyrillus in vita S. Euthymii, Procopius de bello Perſico lib. 1., & 2. Evagrius, Nicephorus, aliique ſexcenti tradiderunt. Monendum tamen eſt, quod cum primi quatuor Patriarchatus Græci non amplius in poteſtate Chriſtianorum ſint, ideo qualem Juriſdictionem, & auctoritatem habeant noſtri Patriarchæ Latini ex ſpecialibus eorum privilegiis, & conſuetudine ſingulorum locorum petendum erit.

CAPUT III.

DE SUBORDINATIONE RATIONE JURISDICTIONIS INTER MEMBRA HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ.

CUM in quacumque humana Societate ex propria ejus forma, ac ſpecie, quam ſortitur ex ſuo fine, ea, qua gubernatur auctoritas præſcribatur, atque ortum habeat, neminem profecto latere arbitror etiam in ea, quæ Chriſti fidelium Societas eſt, illos auctoritatis gradus deſignari oportere, qui unicuique Ordini neceſſarii ſunt, cum ſine his Eccleſia, neque eſſe, neque conſtare poſſit, quorum quidem ſumma penes Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidem reſidere debet, atque inde in reliquos tranſire Præpoſitos, quibus Chriſtiani ſubditi ſunt, quatenus Chriſtiani ſunt, & Eccleſiæ filii. Id vero ex eo oritur, ut ſinguli recte ſe habeant in his, quæ ad Chriſtum, & Deum ſunt, ut legem ſcilicet, fidemque Chriſti incorruptam, intemeratamque conſervent, idem dicant, & ſentiant omnes abſque Sectis, ſive Schiſmatibus, & ut tandem per hæc regni cœleſtis, ad quod omnes vocati ſumus a Chriſto hæreditatem conſequamur. Quare ne diſſidentibus inter ſe Eccleſiarum Præpoſitis, unuſquiſque ad ſe raperet Eccleſiam Chriſti, ejuſque unitatem ſcinderet, hoc in primis neceſſarium fuit, ut eorum omnium ſumma poteſtas eſſet penes unum totius Eccleſiæ Præſidem Romanum Pontificem, ad quem tandem referretur omnis quæſtio, & controverſia, quæcumque inter Paſtores rectoreſque Eccleſiarum exoriri contingeret, cujus Sacroſanctum, irrefragabile, & ultimum apud omnes haberetur judicium, inferioreſque omnes gradus, atque Ordines, Chriſtianoſque univerſos contineret in Officio, in unitate, & concordia. Quandoquidem vero hujus auctoritatis uſus ſub diverſa Regiminis forma patet ampliſſime, & hæc triplex eſt *Monarchia*, *Ariſtocratia*, & *Democratia*, quibus additur quarta, *regimen ſcilicet temperatum ex omnibus tri-*

Digitized by Google

tribus formis, facile dignoſcitur varietas illarum juriſdictionum, quibus ſui Populis Paſtores præſunt, & ea gubernationis forma, quæ eorum ſingulis convenit, & quæ talis eſſe debet, qualis eſſe poteſt *Miniſtrorum & Diſpenſatorum* ut illos vocavit Apoſtolus in 1. ad Cor. 4. *cum ſolus Chriſtus ſit Rex abſolutus*, & liber totius Eccleſiæ, & *Regni ejus*, ut legitur in Lucæ Evangelio cap. 1. *nullus futurus ſit finis*. His itaque prænotatis ſit

§. I. *Monarchicum eſt Eccleſiæ Regimen, ſed temperatum ex Ariſtocratia, & Democratia.*

II. Hanc propoſitionem oſtendit multiplex ratio; ex omnibus vero illa ſeligitur, quæ convincit, neque Democraticum, neque Ariſtocraticum eſſe poſſe Eccleſiæ regimen, cui altera additur, quæ nititur in conſtanti Eccleſiæ gubernatione. Certe ſi populare eſſet Eccleſiæ Regimen, Præſides Eccleſiarum a Plebe eligerentur: ab his ad Populi judicium appellaretur, & Populus ipſe, tum Eccleſiis ſingulis leges proponeret, tum Paſtores deponeret, quando opus eſſet. Verum nihil horum contigiſſe unquam ſpatio mille quingentorum annorum omnis teſtatur Eccleſiaſtica hiſtoria, quod ipſis Heterodoxis innotuit, præſertim Magdeburgenſibus Centuriatoribus, cum ipſi ſcripſerint Centur. 1. lib. 2. c. 2. colum. 15., & c. 10. col. 624. non ab aliis, quam ab Apoſtolis, & ab Apoſtolorum Succeſſoribus Eccleſias ſuos accepiſſe Paſtores, quorum munus eſt, ut inquit Apoſtolus *regere, & paſcere*, legibus ſcilicet, & exemplo, ſe ipſos formam gregis efficere, ut digni inveniantur illius operis, ad quod Deus eoſdem aſſumpſit, & hoc in pluribus locis Scripturarum habetur expreſſum, nullibi vero legitur, quod Deus populo, vel ſemel poteſtatem tradiderit docendi, paſcendi, ligandi, aut ſolvendi, quemadmodum nullibi legitur, quod Populus a ſe ipſo hanc poteſtatem haberet, quæ non eſt in Jure Naturæ, ſed fundatur in Jure Divino, & ſupernaturali, & propterea ab alio accipi debet, & certe nonniſi a Chriſto, a quo illam Petrus accepit, cum illi ait: *paſce Oves meas: paſce Agnos meos*: aut a Spiritu S. de quo Paulus Act 20. Epiſcopos his verbis admonuit: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Popularis igitur nullo modo eſt Eccleſiæ gubernatio.

III. Ne quis vero ex mox relatis Apoſtoli verbis: *Attendite vobis &c.*, quæ ad Epiſcopos diriguntur, inferat Eccleſiæ regimen eſſe Ariſtocraticum; animadvertere igitur oportet aliud eſſe aſſerere Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, & aliud dicere ſummam totius Eccleſiæ poteſtatem ſitam eſſe in cœtu Miniſtrorum. Horum alterum certum eſt, ſed alterum eſſe falſum oſtenditur; tum quia Paulus quæſtionem hanc in illo loco non attigit, ſed ſolum Epiſcopos admonuit, ut erga ſubjectos ſibi populos paſtorali munere ſtrenue fungerentur, quod monitum etiam in 1. Petri epiſt. c. 5. ſic exponitur: *Seniores qui in vobis ſunt obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, paſcite qui in vobis eſt gregem Chriſti*; tum etiam quia inde ſequeretur, quod tunc ſolum poteſtatem hanc exercerent Epiſcopi, cum in Conciliis congregarentur, & quod poteſtas hæc major eſſet, quo major, eſſet Epiſcoporum, qui in Conciliis convenirent numerus; utrumque autem non ſolum nullibi traditum invenitur, ſed præterea contrarium eruitur ex Ariminenſi, & Conſtantinopolitano 1. Concilio, quorum poſtremum 150. Epiſcoporum ſummæ ſemper fuit

in

in Eccleſia auctoritatis, nullius vero auctoritatis fuit Concilium Ariminenſe licet Epiſcopis 600. numeroſius, & hoc non alia ratione, niſi quia hoc Concilium Summus Pontifex reprobavit.

IV. Ulterius ſummam auctoritatem perperam Optimatibus tribui etiam conſtat ex hoc, quod cum rariſſime in Eccleſia Optimates congregentur ad generale Concilium, fere ſemper Eccleſia careret Rectoribus, & Eccleſiaſtica Reſpublica omnium eſſet miſerrima, cui tamen Chriſtus Dominus opportune conſuluit optima regiminis forma, quæ perpetua eſſet, & illi ſimilis, quæ in Cœleſtibus eſt, & in Eccleſia veteris teſtamenti olim fuit, in hac enim hypotheſi minor eſſet Eccleſiæ Chriſti, quam Synagogæ gloria, & ſocietas Miniſtrorum veteris legis, magis perfecta, & ordinata magis cenſeretur, quam ſocietas Miniſtrorum novi teſtamenti.

V. Ad hæc Chriſtus Dominus, quandiu fuit in terris, ſuam Eccleſiam viſibiliter adminiſtravit, ut ſummus ejuſdem Paſtor, & Rector, idem ergo, & deinceps, & nunc debuit, & debet haberi externum, & viſibile Monarchicum regimen, ut revera tota traditione conſentiente ſemper habuit, nec alio modo eſſe videatur Eccleſia ab illa, quam Chriſtus inſtituit, cum nihil Magis Civitates immutet, quam immutatus communis gubernationis modus, ut Ethnici ipſi noverunt, inter quos Ariſtoteles, qui lib. 3. Polit. c. 2. notavit *Civitatem eamdem ſpecie eſſe, donec forma Reipublicæ eadem perſeverat*.

VI. Porro hujus traditionis conſenſum exhibent in locis ſingulis ſinguli ſemper conſtituti Epiſcopi, qui ceteris omnibus illorum locorum Miniſtris, & Paſtoribus præſunt, ſinguli Metropolitani, qui ſuæ Provinciæ Epiſcopis ſemper majores fuerunt, & ſinguli in majoribus Urbibus inſtituti Primates, & Patriarchæ, qui curam ſuſceperunt ampliorem, ut dum ceteria inferioribus imperabant Præſidibus, ſinguli demum unius Summi Paſtoris obſequerentur voluntati, & ſubjicerentur judicio; experientia ſiquidem rerum Magiſtra non infrequenter docuit, quod ubi multi ſunt pares, vix fieri poteſt, ut in rebus obſcuris, & difficilibus alter velit alterius judicium ſuo judicio anteponi; aut ſatis eſſe aliorum conſilium ad unitatem fidei conſervandam, cum deeſt Imperium. Ex his igitur omnibus ſatis conſtat, cur Chriſtus Dominus Monarchicum elegerit regimen; quod ſemper eſſet in ſua Eccleſia, quamvis Ariſtocratia, & Democratia temperatum, ut notavit etiam S. Thomas in 4. contra Gentes cap. 76. cum nemo ſit in omni Chriſtiana multitudine, qui ad Epiſcopatum vocari non poſſit, ſi tamen dignus hoc munere cenſeatur.

VII. Colligitur ex his nullum in Eccleſiaſtica Hierarchia recenſeri, qui Romano Pontifici non ſubjiciatur, & propterea ampliſſimam eſſe Romani Pontificis Juriſdictionem in univerſa Eccleſia, eumdemque eſſe omnis Juriſdictionis fontem, & nullum qui Chriſtianus ſit ab illius judicio eximi poſſe, e contra vero ipſum a nemine judicari. Ad eumdem etiam peculiariter pertinent cauſſæ quæcumque de Ordinibus, Gradibus, Sacramentis, Obſervationibus, aliarumque rerum Eccleſiaſticarum quæſtiones, & controverſiæ, quidquid denique inter quoſcumque Chriſtianos ortum habens ex aliquo, quod ſpeciali ter ad Eccleſiaſticam legem, fidemque Chriſtianam ſpectet, ejuſdemque Romani Pontificis fidem, ſententiam, ac definitionem ſemper concordare, cum Orthodoxa fide, & ſententia Catholicæ Eccleſiæ. Proinde ipſum eſſe indubiæ veritatis eorum, quæ certa nobis fide tenenda, credendaque ſunt principium.

VIII.

VIII. Colligitur 2. ſuas quoque eſſe peculiares Juriſdictiones Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque Inferioribus Gradibus, ſed limitatas, & ſingulas a Supremo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſide derivatas; in aliquibus ſibi mutuo ſubordinatas, ſed non in omnibus; ita ut nullus ex Majoribus Prælatis ea poſſit pervertere, quæ ſingularia ſunt Juriſdictionis inferiorum, & hoc ad pacificam inter ſe Chriſtianorum converſationem fovendam tantum neceſſarium fuit, quantum ita eſſe ſuperius diximus, ut Prælatus quilibet omnes inferiores gradus, atque Ordines ſubditoſque reliquos in Officio ſuo contineat, in unitate, & concordia, cui certe bono conſuluerunt Canonica illa ſtatuta, quæ intra ſuæ Diæceſeos Confinia unumquemque Paſtorum retinent, ita ut is, neque Clericum ordinare, neque dijudicare præſumat, nec Clericis ipſis liceat relictis propriis Epiſcopis aliorum judicia, aut expetere, aut pati, aut coram aliis Judicibus etiam Eccleſiaſticis conveniri, niſi proprii Epiſcopi conſenſus accedat. Multa profecto contra hos Eccleſiaſticæ Juriſdictionis gradus in contrarium proferuntur, plerumque falſis, erroneis, & præconceptis innixa opinionibus, & hujuſmodi ſunt hæc pronunciata: Plenariam Juriſdictionem non eſſe in Romano Pontifice: Epiſcopos non eſſe Presbyteris Superiores: Diaconos eſſe æquales Presbyteris, & alia his ſimilia: contendendum igitur pro veritate eſt. & quid in unaquaque ex his Sententiis erronee dictum ſit, in ſequentibus Propoſitionibus elucidandum.

§. II. Propoſitio I. ***Summi Pontificis Suprema Auctoritas, & Canonum obſervatio ſimul vindicantur.***

IX. Sacrarum litterarum, & Eccleſiaſticæ antiquitatis, Orthodoxorumque Patrum neglectus, & recepta quædam quidvis ex ſuo ſtatuendi, definiendique licentia, eo nonnullos impulit, ut faſtu ſæcularium litterarum inflati de Suprema Romani Pontificis Juriſdictione pro ſuo Judicio pronunciarent, dicerentque Univerſali Eccleſiæ ſupra ſuum Caput a Chriſto Juriſdictionis datam eſſe auctoritatem. Principio igitur juvat advertere Univerſalem Eccleſiam nullam prorſus Juriſdictionis poteſtatem, auctoritatemque accepiſſe a Chriſto, ut peccantem in nos fratrem corriperet, cum notiſſimum ſit, quod verba, quæ ad hoc Adverſarii objiciunt, unum aliquem locum oſtendant, cui ſemper aditus non impervius, ſed facilis ſit, & qui ſemper paratus ſit omnibus, cum illius præcepti uſus frequenter occurrat in dies; e contra vero Univerſitas fidelium omnium in univerſum Orbem eſt diſperſa, quos propterea in unum congregari non poſſe, non ſolum, ipſa rei natura videtur demonſtrare evidentiſſime, ſed etiam certò oſtendit, quod niſi tandem in unum conveniant, impoſſibile eſt, quod ut tota, univerſaque eſt, unum aliquem actum agat, unamque operationem. Præterea, qui corripiendum Fratrem remittit Eccleſiæ Chriſtus Dominus, profecto hunc ſupponit eidem Eccleſiæ ſubjectum eſſe; quandoquidem vero hoc ſupponere non poterat de Romano Pontifice, quem bene noverat Chriſtus Dominus Petri Succeſſorem futurum, & ipſius Eccleſiæ Caput, Paſtorem, Rectorem, & Epiſcopum animarum; igitur ad hunc non pertinere hanc ſententiam æque omnino videtur certiſſimum, qus de re ex Chriſti Domini verbis, in quibus eſt univerſum Adverſariorum fundamentum, *ſi peccaverit* &c. *dic Eccleſiæ* &c. quod contenditur, non probatur, aliquim cum tercentorum & amplius annorum ſpatio nullibi legatur peccantem in nos fratrem denunciari

Digitized by Google

clari conſueviſſe univerſitati omnium in univerſum Orbem diſperſæ Chriſti fidelium, dicendum eſſet trium ſæculorum intervallo huic Chriſti præcepto nunquam ſatis factum fuiſſe, quod dicere certe eſt abſurdiſſimum; Ex laudatis Chriſti verbis poſſunt particulares Eccleſiæ [ut aliquid Adverſariis concedatur] ſibi aliquam vindicare juriſdictionis auctoritatem in ſubditos, limitatiorem tamen ſucceſſorum Petri Eccleſiaſticæ Jerarchiæ Principum; nec aliud (ſi quidquam licet) ex illis verbis licet inferre, ut illorum ſeries, & contextus exhibet, ibi enim, (videlicet Matth. 18.) ubi hæc Chriſti verba leguntur; *Amen dico vobis quodcumque ligaveritis ſuper terram* &c. primò univerſa Eccleſia ſuper Petrum ædificanda deſcribitur, ſecundo uni Petro claves Regni cœlorum promittuntur, quibus plenitudo, & majeſtas Eccleſiaſticæ Poteſtatis Metaphorice exponitur, mox uni, eidemque Petro poteſtas traditur omnes ligandi, & ſolvendi, qui ſunt ſuper terram: poſtremo omnem Chriſtus Dominus ſermonem ſuum ad reliquos convertens diſcipulos in quibus univerſa Eccleſiaſtica congregatio reprehesentabatur, præſente tamen, incluſoque Petro ait; *quæcumque alligaveritis ſuper terram* &c. clarum eſt igitur majorem, magnificentioremque juriſdictionis auctoritatem Chriſtum Dominum attribuiſſe Petro, & ſucceſſoribus ejus præ illa, quam dedit Congregationi Eccleſiaſticæ, illorum enim ſingulari auctoritati omnes ſine exceptione ſubjecit, Eccleſiis vero particularibus tantum conceſſit, ut ſuos ſubditos, ſi horum aliquem illarum judicio ſtare oporteret, quod corripientem fratrem non audiverit, admonitionemque neglexerit, aut contempſerit, alligare poſſent, & ſolvere, cum ſubordinatione tamen a ſuo capite, & Epiſcopo, ſine quo reliquam multitudinem nullam ligandi, ſolvendique auctoritatem habere ita certum eſt, ut æque eſt certum illi a Chriſto præceptum eſſe paſcere, & regere Ovile ſuum, huic enim & non alteri dixit ut quodcumque ipſe hic obligaret in terra, hoc ipſum ſic obligatum haberetur in cœlis. Quod ſi non repugnaverint Adverſarii hoc idem de univerſali Eccleſia affirmare, hanc nimirum, ſi quam omnino voluerint accepiſſe a Chriſto juriſdictionis auctoritatem, hanc integram accepiſſe non ſolum ex reliquis membris, ſed etiam in capite idem affirmabimus omnes, mutuoque tandem conſenſu fatebimur quæcumque alia, quæ habentur in Sacris litteris ad univerſitalem Orthodoxæ Eccleſiæ pertinentia præconia, hæc ſingula inquam illius Eccleſiæ privilegia eſſe, quæ Petro, ipſiuſque Cathedræ unitur, & quæ illi, haud ſecus ac ſundamento ſuo ædificium, inhæret, ac innititur.

X. Perperam tamen ingenua hæc confeſſio expectatur ab Adverſariis, qui inquiunt ab Univerſali Concilio repræſentari univerſalem Eccleſiam, cui poteſt delinquentium fratrum fieri denuntiatio, ut plenaria ſuæ juriſdictionis auctoritate in ipſos animadvertat, ſibique etiam, ſi opus ſit, ſubjiciat Eccleſiaſticæ hierarchiæ Principem. Verum multa ſunt in unico hoc effugio quæ oſcitanter ſupponuntur. Illud in primis quod Oecumenicum Concilium ſit univerſalis Eccleſia, cum vix ſit aliquanta ejus particula; deinde quod juriſdictionem hanc tum a Chriſto obtinuerit, tum ab Eccleſia, cum id nullo facto demonſtrari poſſit, nec actus aliquis univerſalis Eccleſiæ proferri, cui hæc ſumma Conciliornm auctoritas innitatur. Certe in nullo Univerſalium Conciliorum omnium, ſi Conſtantienſe, & Baſileenſe exceperimus, hoc munus & præeminentiam ſibi Patres arrogaſſe invenitur, ut Catholicam repræſentarent Eccleſiam, & juriſdictionis ſummam poteſtatem exercerent, niſi præ-

ſideret illa Eccleſiaſticæ hierarchiæ Principum Petri ſucceſſorum ſauctoritas; nec verbum quidem eſt in Scripturis Canonicis, quod proprie loquatur de Conciliis Univerſalibus, aut auctoritate eorumdem, & verba illa, quæ ab aliquibus deſiderantur, veluti ad hunc finem a Chriſto prolata: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum*, profecto non ſine præconcepta opinione citantur, cum non magis ad univerſale, quam ad particulare quodcumque Concilium aptari poſſint, imo ad duorum, aut trium Chriſti fidelium in nomine ejus conventum. Hoc invenitur in Scripturis Chriſtum dixiſſe Diſcipulis ſuis, Satanam illos expetiviſſe, ut cribaret ſicut triticum, & ſe rogaſſe pro Petro, ut non deficeret ejus fides; ipſique Petro imperaſſe ut aliquando converſus confirmaret fratres ſuos, ſed hæc verba non probant univerſalia Concilia a jure Divino ſibi vindicari poſſe iuriſdictionem, & a delegatione Eccleſiæ ſuam auctoritatem, imo abunde conſtat, quod præcipua ſemper illis regula fuit Cathedræ Petri, & Romanorum Pontificum Auctoritas, a qua cum deſciverunt, turpiter, graviterque errarunt, proindeque eorum decreta unius hujus Sedis dejecit auctoritas, vel *propter judiciorum iniquitatem*, ut ſcribitur de multis illis Conciliis, quæ in Tyro primum; poſt Antiochiæ celebrata fuerunt adverſus Athanaſium, alioſque non paucos Orthodoxos Epiſcopos, vel *propter proditam Orthodoxæ fidei confeſſionem*, quod de Ariminenſi præſertim, & ſecundo Epheſino Concilio traditum eſt; unde ſemper in Oecumenicis Conciliis omnibus nihil aut actum, aut definitum fuit, quod firmitatem obtineret, niſi ejuſdem Romanæ Sedis auctoritate; nihilque fere fecerunt omnia, quam quæ Apoſtolicæ Sedis definitionem, fidemque amplecterentur, ejuſdemque in Adverſarios, & hæreticos cenſuram exequerentur. Conciliorum itaque univerſalium auctoritas quæ ſit, qualis aut quanta, ſi quis exacte prædefiniri ſibi exegerit, eamdem utique eſſe, & univerſam dicemus, quam Cathedræ Apoſtolicæ, atque ejus Præſidis, ſi tamen legitima hæc fuerint, hoc eſt Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiaſticæ Jerarchiæ Præſidis auctoritate celebrata, ad quem ſolum pertinent graviora quæque, atque ardua negotia Eccleſiaſtica, omnis de Chriſti fide, & Religione quæſtio, omne difficile, & ambiguum judicium, non ſecus ac olim in Synagoga veteri, quæ noſtram exprimebat, & delineabat Eccleſiam, quidquid arduum erat, & majoris momenti, & omne ambiguum, ac difficile judicium unde provocabatur a ſubalternis per Urbes judicibus, ad Cathedram Moyſis, & Sacerdotum in eadem Domino ſervientum judicium, auctoritatemque Præſidis. Nec aliud Apoſtolica ab initio traditio, eccleſiaſticæque regulæ conſtituerunt, & ipſa Concilia, ut S. Marcellus Papa notavit in ſua ad Antiochenos epiſtola citans hac in re Apoſtolorum Decreta, ut notavit mirabilis ille Athanaſius, qui Niceno interfuit Concilio ipſum citans Niceni Concilii canonem in epiſtola ad Felicem Papam quo trecentorum & octodecim Epiſcoporum voto concorditer roboratum fuit [notandus hic loquendi modus, aliud enim ſonat roborare, aliud inſtituere] non debere abſque Romani Pontificis ſententia celebrari Concilia, nec damnari Epiſcopos, & ut poſtea notarunt Iulius I. in Actis contra Synodum Antiochenam, & Damaſus totius Africæ Epiſcopis ſcribens, & Auguſtinus in epiſtola ad Optatum 167. aliique innumeri, & ipſe totius Orthodoxæ Eccleſiæ conſenſus.

XI, Nec aliter unquam univerſalia omnia Concilia, quam hujus Romanæ Sedis auctoritate, congregata, & per Acta ſunt, quod oſtenditur, vel quia

Pon-

Digitized by Google

Pontifices ipſi, vel eorumdem Legati eiſdem ſemper præfuiſſe inveniuntur qui primi cauſſas proponerent, primi proferrent ſententias, primi principaleſque eſſent in omnibus; & Catholica Chriſti Eccleſia nullum pro legitimo recognovit, cui Apoſtolicæ Sedis reſtitiſſet auctoritas; imo illud veluti Satanæ Concilium execrata eſt, quod quomodocumque, & quacunque auctoritate congregatum, quidquam egit, quidquam decrevit, quidquam definivit præter hujus Romanæ Sedis auctoritatem. Ad hæc non ſolum peracta hujus Sedis auctoritate omnia in Conciliis univerſalibus omnibus fuerunt; verum etiam quamvis per Legatos ſuos ipſis interfuiſſent, ac præfuiſſent Romani Pontifices, relata nihilominus ad ipſam propriæ Cathedram Petri ſingula eorum decreta, ab ea robur, & auctoritatem ſuam prorſus expectarunt. Hanc certe confirmationem Oſius Cordubenſis Epiſcopus Provinciæ Hiſpanæ, Victor, & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ, & ceteri Epiſcopi 318. qui Nicæno I. Concilio inter fuerunt, expoſtularunt in epiſtola, quam ad S. Papam Silveſtrum ſcripſerunt, in qua inter cetera hæc leguntur, *Quoniam quid quid conſtituimus in hoc Nicæno Concilio precamur, ut veſtri oris conſortio confirmetur*; idem præſtiterunt etiam Patres Calcedonenſis Concilii, in quo jam præſcriptam ipſis regulam, præjudicatamque beatiſſimi Leonis adverſus Eutychetem, & Dioſcorum ſententiam, ſequuti, nihilominus definitionem Synodulam, actaque omnia ad ejuſdem auctoritatem remiſerunt, robur eis impertiri ab illo adhuc expectantes; quorum exemplum ſecuta eſt ipſa quoque ſeptima œcumenica Synodus, in qua Tharaſius Conſtantinopolitanus Epiſcopus auctor fuit ut ad ſpecialem auctoritatis ejus confirmationem univerſa Synodalia Acta remitterentur, etiam ſi Patres omnes in hac Synodo, non ſecus ac antea in Conſtantinopolitana prima, & ſecunda, in Epheſina I. & in Conſtantinopolitana tertia, & quarta, ſecuti eſſent omnes hujus Romanæ Sedis ſibi præſcriptam regulam, atque jam prædicatam ſententiam. Satis igitur, ſuperque ex his demonſtratum eſt, omnem prorſus actionem Conciliorum omnium ex unius Apoſtolicæ Sedis auctoritate dependere, ab ea ſola ſuam auctoritatem, ſuum robur accipere, illa ſiquidem hujus Sedis auctoritate ſecluſa, de eorum integritate in fide Orthodoxa, & in alienis juribus pro virili conſervandis actum eſſet, ut Eccleſiaſtica teſtatur hiſtoria, tum in narratione Fidei Nicænorum Patrum quando ad eam evertendam, tam pertinaciter, tam multis annis univerſus laboraverat Oriens, tum in deſcriptione Ariminenſis, & Epheſini ſecundi Concilii, in quorum altero Orientalium fraude Occidentis Epiſcopi, alioquin Orthodoxi, circumventi fuerunt, in altero vero cunctis Eccleſiarum Præſulibus, & ipſis quoque Patriarchis prolabentibus, damnata fuit Orthodoxa fides de Incarnationis Verbi myſterio, & in locum ejus probata, receptaque Eutychetis perfidia; tum demum, ne in ceteris recenſendis prolixior ſim, ubi recenſet injuſtiſſima judicia, quæ toties a Conventibus, & Conciliis malignantium, Orthodoxi, & Sanctiſſimi Epiſcopi ſuſtulerunt, in quibus ad opprimendam innocentiam, una cum principalium Sedium, atque aliorum numeroſiſſimo cœtu Epiſcoporum in unum convenerunt etiam Imperatores, Reges, & Principes, Athanaſius, Paulus, Chryſoſtomus, Ignatius, aliique teſtes ſunt, quibus unica Romanæ Sedis auctoritas ſuppetias tulit, & in illorum damnatores convertit damnationis ſententiam. Ex his manifeſtum eſt auctoritatem Conciliorum univerſalium ſupra auctoritatem Romanorum Pontificum ſolido fundamento carere; ita ut fruſtra laborent Conſtantienſes, & Baſilienſes Patres in eorum jus, quamvis ſine ullo

Digitized by Google

jure univerſalia Concilia ſubrogare omnia, ſaltem in caſu notorii alicujus, & incorrigibilis criminis publicè ſcandalizantis Eccleſiam.

XII. Siquidem ſi jure Divino ipſi Petro, & ſucceſſoribus ejus regiminis, juriſdictionisque auctoritas omnis ſuper univerſam Chriſti Eccleſiam competit, etiam Divini juris diſpoſitione univerſali Concilio, aut ejus judicio ſubijci debet, cum adverſus divinum jus nihil poſſit humana exemptio, nec deobligari humanis conſtitutionibus, qui Chriſti Vicarius eſt, & pluſquam humanam obtinet auctoritatem. Cautum autem a Chriſto eſſe & diſtricte preceptum ut ſi criminoſus fiat Papa, & ſcandalizans vita ſua Eccleſiam, ne inferior adverſus illum ſe erigat, in eumque viceverſa ſibi uſurpet auctoritatem judiciariam, quin potius ut nihilominus illi ſubjaceat, illiuſque præcepta, & juſſa ſequatur per omnia, *Matthæi* 18. legitur ubi hæc inquit: *ſuper Cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Pharifei*, & poſt numerata pleraque eorum enormia peccata, in quæ vehementer exarſerat, ſubdit: *Omnia quæcumque vobis dixerint ſervate, & facite, ſecundum opera vero illorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt*; nihilo igitur plus licebit Conciliis, ut propter opera, vitamque perditam Paſtoris, in illum auctoritatem judiciariam ſibi arrogent, quamvis enim noſtris peccatis ita exigentibus, ut quondam ſupra Cathedram Moyſis, ita nunc Petri ſedeant Annas, & Caiphas, ſui tamen promiſſi Chriſtus non obliviſcitur, ita ut ſi pro fidei veritate, ambiguitas forte aliqua ſuboriatur ad ipſam Cathedram Petri recurrendum eſt, qui enim illi præſunt, nobis indicaturi ſunt judicii ipſius veritatem, quemadmodum certo nobis affirmavit ille, qui nec falli poteſt nec fallere, Judicabunt, inquit, etiam ſi ex vitæ ſuæ demerito, quæ tibi annunciaverint, ipſi non intelligant, nam non loquuntur a ſe metipſo, ſed quoniam ſuper illam Cathedram ſedent, ſit quoque lingua eorum calamus illius ſcribæ velociter ſcribentis, quibus præterea nihilominus præfixit regulam rectam, & infallibilem, qua eamdem illam auctoritatem ſibi traditam in finem ſuum dirigerent, ut recte ea uterentur, ipſam videlicet canonicam ſcripturam, & Apoſtolicam Eccleſiaſticam traditionem, quæ ubique docet omnem omnium Conciliorum auctoritatem dependere ab auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quæ ſi eis deſit, aut reſiſtat non jam concilia, ſed conſpirationes, & illicita conventicula ſunt, & prorſus nullius momenti quid quid ab eiſdem aut agitur, aut decernitur, e contra vero nulla Synodali ſententia correxit unquam Apoſtolicæ Sedis ſententiam, & judicium, ſed ſemper ſubſcripſit, & veluti normam infallibilis fidei, & judicii ſequuta eſt.

XIII. Dicet aliquis hoc verum fuiſſe in injuſtis Conciliorum judiciis, quæ merito retractata fuerunt. Ita profecto eſt: At nonne iniqua fuiſſe illa judicia cognovimus, quia Romanus Pontifex, utpote ſuperior, & judex Conciliorum, etiam univerſalium, etiam congregatorum legitime, ut fuit illud Epheſinum ſecundum, iniquas illas, impiaſque retractavit Sinodales ſententias? Quid ergo nobis videtur? fortaſſe quod Romani illi Pontifices præſumpſerint judicare de Synodalibus ſententiis? inferiores videlicet & ſubditi de judicio ſupremæ in Eccleſia auctoritatis? ſed nihil eos alienum, aut indebitum præſumpſiſſe, & tunc, & deinceps recognovit univerſa Chriſti Eccleſia. Præeſſe igitur auctoritatem Romanorum Pontificum auctoritati Conciliorum, etiam univerſalium, non ſubeſſe dicendum eſt, cum ad ſuperiorem auctoritatem pertineat judicare de inferiorum judicio, non e contra, quod quia facere præſumpſit

Dio-

Dioſcorus Alexandrinus ſecundæ Sedis Antiſtes, excommunicationis ſententiam proferens in S. Leonem, inter irreparabiles ejuſdem Dioſcori damnationis cauſſas exceſſum hunc potiſſimum memorarunt Calcedonenſes Patres, quod priores ejuſdem iniquitates valde traſcenderet (auctor enim fuerat prævaricationis illi Ephenſinæ Synodo, quæ S. Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum eo quod Eutycheti adverſaretur Sede ſua ejecerat, Orthodoxam veritatem de Myſterio Incarnationis Verbi damnaverat) & tamen hæc omnia parva viſa ſunt Chalcedonenſi Concilio in comparatione ad hanc ejus præſumtionem Voluerunt enim in domo Dei nihil fieri præpoſterum, nihil confuſum, nihil inordinatum, ne in ultimam confuſionem res Eccleſiæ irent, quod certe contingeret; niſi obſervaretur, ille ordo Eccleſiaſticæ hierarchiæ, quo cavetur ne ſubjecti in ſibi præpoſitos a Chriſto quomodocumque permittantur inſurgere; Neque id immerito, nulli enim ſunt in Ovili Chriſti qui non ſubjiciantur, ejuſdem Paſtori, quem idem ipſe Chriſtus conſtituit, & hoc ita ſe habere, revera cuncta per mundum novit Eccleſia, novit inſignis ille Chriſti Martyr Bonifacius, cujus aurea ſententia a Gratiano refertur in capite *ſi Papa*, & noverunt frequentiſſime illa Concilia Romæ coacta procurante primum Valentiniano adverſus Xixtum deinde Theodoſio adverſus Symmachum demum Carolo Magno adverſus III. Leonem. in quibus uno ore dixerunt Patres univerſi *non licere adverſus Romanum Pontifiiem dicere ſententiam*; *illum inferiornm non poſſe ſubjacere judicio*: *Sedem Apoſtolicam quod Dei Eccleſiæ omnium caput ſit a nemine judicari debere*; ſed tamen id ſe noſse diſſimulavit Baſileenſis illa Synodus, quæ non tantum accuſare, ſed & damnare præſumpſit Eugenium IV. indubitatum Catholicæ Eccleſiæ Pontificum tam pernicioſo exemplo in poſteros, quam ſapienriſſimum, & ſaluberrimum fuit illarum Synodorum, quæ etiam accuſationem ſubditi adverſus ſuum Præpoſitum, quamvis coram legirimo judicio, quamvis de veris criminibus inultam non tulerunt, ut Nicolaus I. ſcripſit in ſua ad Michaelem Imperatorem Epiſtola.

XIV. Nihil vero prodeſt ſubter fugere, & latebras, aut diverticula quærere dicendo Eccleſiam, aut univerſale concilium, ſaltem in caſu hæreſis, deponendi ſui capitis poteſtatem habere; præſupponitur enim tamquam verum, & indubitatum id, quod nec fuit, nec erit, nec eſſe poteſt ſecundum legem jam ordinatam a Chriſto qui pro Petro oravit, ut non deficeret fides ejus pro neceſſitate totius Eccleſiæ, ex quo ad illius auctoritatem, & definitionem referenda eſt omnis fidei quæſtio, & qui exauditus legitur pro ſua reverentia. Quod autem ab initio non fuerit, ab ipſo Petro ad præſentem uſque Clementem XIV. Romanus Pontifex hæreticus ex eo patet, quod quot quot hujus criminis hæreſis infamant adverſarii, revera ſinguli Orthodoxi inveniuntur, & ab omni nota hæreſis longiſſime abfuerunt. Marcellinum, Liberium, Felicem II. Anaſtaſium II. Ioannem XXII. præ cæteris, & I. Honorium veluti Hæreticos nobis objiciunt, non animadvertentes Hæreſim, non morum, non Confeſſionis, ſed fidei vitium eſſe, quo quis ſingulare aliquod a communi catholicæ Eccleſiæ fide, ac ſententia eligit, ac proinde ſe ipſum ab Eccleſia ſeparat, qua ſe rectius ſentire, & credere cum pertinacia præſumit, quæ duo nulli ex laudatis Romanis Pontificibus conveniunt; quamquam etiam affirmari poſſet illorum nonnullos, nimirum Liberium, & Marcellinum tædio ærumnarum, & tormentorum metu victos, aut hæreticorum ſe polluiſſe

com-

communione, aut non ſatis conſtantes, ac fortes Chriſti Confeſſores fuiſſe, tamen hæreticos fuiſſe nunquam ſatis probabitur, cum ſingulorum extent pro Orthodoxa fide glorioſa certamina, & conſummata glorioſo Martyrio fides. Sed perperam id quoque de Felice II. memoratur qui Pontifex fuit circa annum Domini 486. & qui in Acatium CS. Epiſcopum protulit condemnationis ſententiam, quod ſi de illo Felice hoc dicatur qui in Romanam Sedem adhuc vivo Liberio ab Arianis fuit intruſus. quis ignorat tunc legitimum Pontificem nondum fuiſſe? teſtatur hoc S. Athanaſius in epiſtola ad Solitarios Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum S. Auguſtinus epiſtola 165. & hoc ipſum conteſtatus eſt Orthodoxus Romanus populus, qui illius communionem, ut nothi, & ſuperintruſi ab hæretico ſemper declinavit, ut ſcripſit Theodoretus lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 17. ſed quamquam etiam fuerit verus Pontifex, ut aliquibus viſum eſt ex S. Hieronymi teſtimonio in Chronic. ad annum Chriſti 352. Adverſariorum cauſſa melior non fit nam idem laudatus Theodoretus teſtatus eſt loco citato, quod hic Felix fidem in Concilio Niceno expoſitam ſervavit integram, unde nihil detrahitur privilegio Apoſtolicæ Cathedræ, atque eidem Præſidentium. Scribit certe de Anaſtaſio II. libri Pontificalis Auctor, quod inconſultis Epiſcopis, & Clero Photino Theſſalonicenſis Eccleſiæ Diacono communicaſſet. *qui Communionis Acacii retinentiſſimus erat;* & quod Acacium ipſum clandeſtinis conciliis revocare decreviſſet, ſed jam fatentur omnes hanc fuiſſe confictam. & mendaciſſimam hiſtoriam, qui ſciunt rebus humanis jamdudum exemptum Acacium, prius quam Anaſtaſius ad Romanæ Eccleſiæ Pontificatum aſſumeretur. Præterea ex Epiſtola hujus Pontificis ad Anaſtaſium Auguſtum aperte cognoſcitur, quod nec Acacii memoriæ ſuccurrere voluerit: Orat enim Imperatorem ut conſentiat nomen ejus in perpetuum aboleri a catholica Chriſti Eccleſia, cui illud ipſum multis ex cauſſis magno ſemper offendiculo, & ſcandalo fuerit. Deinde quid quæſo probabilitatis habet quod ſe multi Clerici a communione Anaſtaſii abegerint, quod ſine concilio Epiſcoporum Photino Theſſalonicenſi Diacono communicaſſet, qui communicaverat Acacio? Omnibus notum eſt pertinere ad ipſum Eccleſiaſticæ Hjerarchiæ caput Eccleſiaſticam Communionem his reſtituere, qui ob communionem cum excommunicatis eamdem perdiderunt, neque indigere ad hoc, vel Clericorum, vel totius orbis Concilio. Poſtremo imprudentem falſitatem hujus fabulæ arguunt reliqua verba quibus citatus auctor libri Pontificalis Anaſtaſii exitum deſcribens, inquit *Divinitus percuſſum eſſe*, cum conſtet omnibus illum in Chriſto quieviſſe; propterea hanc narratiunculam, ut commentum quoddam merito reſpuunt viri peritiſſimi, & inde inferunt hunc librum nedum a multis mendis ſatis fuiſſe repurgatum: Errorem vero hunc inde prodiiſſe putant, quod illo ipſo tempore quo obiit hic Pontifex, Anaſtaſius hæreticus Imperator, ut ſcribunt Beda & alii fulmine ictus periit. Quod ſpectat ad Ioannem XXII. de quo ſcripſit Ochamus eum in ſuis libellis, & Conſtitutionibus definiviſſe animas ante reſurrectionem non donari viſione beatifica, & inſuper caviſſe ne quis in Academia Pariſienſi gradum Magiſterii conſequeretur niſi prius Sacramento se obſtrinxiſſet ejuſmodi dogma defenſurum, meræ nugæ ſunt, mera mendacia: & revera; præter quam quod fatentur ſinguli Ochamum Ioannis XXII. infenſiſſimum hoſtem fuiſſe, & propterea illum non eſſe hac in parte audiendum, magis etiam id nobis perſuadet, quod laudatus Auctor in Dial. p. 2. tract. 2. ſcri-

2. ſcribit, *ſe id reſciviſſe ex aliorum narratione, cui omimodam fidem non adhibet*, fateturque Ioannem XXII. proteſtatum ſe nihil definiviſſe. Hic igitur obiter obſervetur inter illos, qui Vitas Romanorum Pontificum ſcripſerunt non defuiſſe qui plurima ſcripſerunt pro ſuo affectu, & libidine; unde factum eſt quod plura impudentiſſime, ac mendaciſſime dixerint contra famam innocentium, & Sanctorum Pontificum, quod ut factum legimus, tum a quodam Ioanne Batto in Vita Adriani VI. tum a Platina in vita Pauli II. ita a plerìſque aliis, qui aliorum Pontificum geſta venali lingua, & calamo exararunt, inter quos erant Marſilius Patavinus, & memoratus Ochamus, qui Lodovici Bavari execrati a Ioanne XXII. familiaris, execranda multa effutiit adverſus doctiſſimum Pontificem, & dignitatem eccleſiaſticam. Recenſetur etiam Benno quidam Pſeudo-Cardinalis ab Antipapa Clemente III. creatus, qui vitam Gregorii VII ſcriptam reliquit impudentiſſimorum mendaciorum pleniſſimam, quapropter ſi quis nudis impiiſque horum, aut ſimilium ſcriptorum aſſertionibus movebitur adverſus ea quæ habemus clariſſima privilegii Apoſtolicæ Cathedræ, & eidem Præſidentium argumenta, non bene ad veritatem, pietatemque affectus videbitur. Non eſt repetendum ab his Auctoribus quod atrociſſimi criminis hæreſeos nota aliquis Pontifex inuri poſſit, ſed ab aperto Eccleſiæ judicio, ſi quando de hoc crimine notatus fuerit authentico teſtimonio. Quæ poſtrema verba adduntur ne quemquam deterreat damnatio Honorii, quæ legitur in Actione 14. Synodi VI. Probatur enim evidentiſſime, neque Honorium docuiſſe Monothelitarum hæreſim, aut illi faviſſe, & illius nomen inſertum fuiſſe inter eos, quos VI. Synodus damnavit in odium & detractionem Romanæ Eccleſiæ.

XV. Primum oſtenditur ex lectione epiſtolarum Honorii ad Sergium, in quarum altera ſcribens *utraſque naturas in uno Chriſto, unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus. Et Divinam quidem, quæ Dei ſunt operantem, & humanam, quæ carnis ſunt exequentem, non diviſe, neque confuſe, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum converſam edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes &c.* duas in Chriſto voluntates, & operationes eſſe fatetur. In prima vero dum prohibet nomina unius, vel duarum operationum ſuæ prohibitionis cauſſam (in exordiis maxime naſcentis hæreſis, & eo tempore quo nondum ab Eccleſia quidquam de his nominibus definitum erat) hanc reddit. *Ne aut duarum Operationum vocabulo offenſi Neſtorianos jectantes, nos veſana ſapere arbitrentur, aut certe ſi rurſum unam operationem fatendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur*. Quod ſi in epiſtola 2. videtur duas negare in Chriſto voluntates, id intelligendum eſſe de duabus voluntatibus contrariis & pugnantibus in eadem humana natura ex ratione, quam addit Honorius ſic perſpectum: *unde & unam*, inquit, *voluntatem fatemur Domini Noſtri J. C. quia profecto a Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa, illa profecto, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ poſt prævaricationem viciata*. Et hanc revera fuiſſe Honorii mentem S. Maximus qui Honorii tempore floruit teſtatur in Dialogo contra Pyrrhum Sergii ſucceſſorem, Monothelitarum hæreſis anteſſignanum. ibi enim ſcribit, *ſe ab Honorii ſcriba, qui adhuc ſuperſtes erat, & qui Honorii nomine utramque ſcripſit Epiſtolam, accepiſſe, quod Honorius cum unam Domini noſtri voluntatem dixit, id non eſt accipiendum*

quaſi

quaſi de duabus Divinæ & humanæ naturæ dictum voluntatibus, ſed humanæ tantum, cum enim Sergius ſcripſiſſet prædicare quoſdam duas eſſe Chriſti voluntates contrarias, reſcripſit Honorius, Chriſtum duas voluntates contrarias non habere. Leguntur hæc verba in epiſtola, quam juſſu Ioannis Pontificis, Secretarius Honorii ſcripſit ad Imperatorem Conſtantinum. Et hæc quoad primum.

Alterum quod diximus confirmat teſtimonium Anaſtaſii Bibliothecarii in Hiſtoria ſua, idemque teſtatur Blondus lib. 9. Decadis, cui conſentiunt Navvlerus, Sabellicus, Platina, aliique, qui fatentur Honorium Catholicum, & S. Pontificem fuiſſe. Idem teſtati ſunt ex Græcis Theophanes Iſaurus, Onuphrius, & Emanuel Calleca in libro, quem ſcripſit pro Latinis, & inter ceteros Photius, qui in libello de VII. Synodis referens nomina damnatorum in VI. Synodo omittit Honorium, qui omittitur etiam a Zonara in vita Conſtantini IV. Novum autem non eſt quod per falſarios, & mendaces Græculos infarcita fuerint alieniſſima a mente hujus VI. Concilii. Similem paſſa eſt injuriam V. Synodus in Actione ejus 7. ut in 12. & 14. Actione VI. Synodi per Legatos Apoſtolicæ Sedis convictum eſt; & S. Leo ad Paleſtinos ſcribens conqueritur idem ſuæ accidiſſe epiſtolæ, qua ad Flavianum Incarnationis Verbi Myſterium explicaverat. Iidem auctores Græci ex teſtimonio Magni Gregorii lib. 5. epiſt. 14. ad Narſem corruperunt Synodum Calcedonenſem, & Nicolaus I. ſcribens ad Michaelem Imperatorem, illum ad epiſtolam Adriani remittit: *ſi tamen*, inquit, *non falſata more Græcorum, ſed ſicut a Sede Apoſtolica miſſa eſt, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus conſervatur*. Alia etiam ſunt monumenta quibus convincitur Græcos Tertiam, & Quartam Synodum corrupiſſe. Non implicat ergo fateri quod etiam corruperint VI. cum nulla efficax ſuppetat ratio, quæ probet potuiſſe damnari Honorii veram & Orthodoſam ſententiam, & ſaluberrimum ejus vitandarum diſſentionum, & contentionum, ob nova quædam introducta vocabula, conſilium, ut nimirum Sergius, Pyrrhus, Cyrus & Sophronius auferrent ſcandalum novellæ adinventionis, ne unius, vel geminæ operationis vocabulo inſiſterent, a velt immorari viderentur, ſed abraſa hujuſmodi novæ vocis appellatione unum Chriſtum, cum illo, utriſque naturis, divina, & humana prædicarent operantem; neque amplius duarum operationum vocabulum prædicare initerentur, unde contentiones, diſſidia, & hæreſes excitarentur, & hinc, atque inde impingerent novitatum captatores, quo certe conſilio, nihil magis pium ac Sanctum, & ad retinendam pacem, tollendaque novitatum, & ſcandalorum ſemina magis utile exhibere potuit Sanctiſſimus Pontifex, qui poſtea ut ſe nihil profeciſſe probe cognovit, & ut intellexit quo Sergii, Cyri & ſectatorum ejus ſtudium tenderet, primus extitit, qui eorum condemnavit hæreſim, eoſdemque ſubjecit anathemati annis fere 60. ante celebratam VI. Synodum, ex quo facto clarius adhuc cognoſcitur hanc Synodum in damnatione memoriæ hujus Pontificis & epiſtolarum ejus illud paſſam eſſe, quod, ut diximus, paſſa eſt V. Synodus in Actione ejus 7. Ex his igitur omnibus luce meridiana fit clarius quod Honorius ſuos prædeceſſores imitatus ſemper reſtitit hæreſibus, & confirmavit fratres in vera fide, nihilque in ejus epiſtolis contineri, quod Orthodoxum non ſit, Ioannes IV. Martinus I. Agatho & Nicolaus I. agnoverunt, & quot quot Concilio Romano Patres interfuerunt ſub Martino congregati, qui autographa epiſtolarum ejus habuerunt, & teſtes vivos verborum, & factorum Honorii. Et ex his demum luculentiſſimum argumen-

Digitized by Google

gumentum habemus incorruptæ fidei in reliquis omnibus Petri ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, ut nullo unquam caſu humano judicio obnoxia fiat, quæ ſuprema eſt in Eccleſia auctoritas, cui ſubſunt omnes, qui ſunt in Chriſti Ovili.

XVI. Sed concedamus Hæreſis caſum locum habere poſſe in Pontifice, quem caſum Canoniſtæ, qui altius non reſpiciunt quam ad verba Canonum, legunt in cap. *ſi Papa* diſt. 40. Ergo ne univerſale Concilium ſibi arrogabit hoc poſito Papam deponere? Ivo Carnotenſis Juris callentiſſimus in epiſtola 23, temperandum eſſe ab illo judicando ſcripſit, ſi præcipiat ea quæ ſint contra doctrinam Evangelicam vel Apoſtolicam, illi tamen non eſſe obediendum exemplo Pauli Apoſtoli, qui Petro ſibi Prælato non recte incedenti ad veritatem evangelii in faciem reſtitit, non tamen abjecit. Carolus VII. Francorum Rex Baſileenſis Concilii decreta ex ſententia Eccleſiæ Gallicanæ pragmatica Conſtitutione edita amplexus eſt, ſed a Communione Eugenii IV. Baſileenſis ejuſdem Concilii Decreto diſtincti, & exautorati, etſi a Legatis Baſileenſibus urgeretur, nunquam receſſit, aut recedere voluit; quin imo laudatus Ivo evocatus in Concilium a Ioanne Lugdunenſi Archiepiſcopo ad diſcernendum factum Paſchalis II. qui novo privilegio Imperatori Henrico inveſtituras reſtituit [quoniam opinio de inveſtituris retinendis hæretica judicabatur] noluit loco indicto reſiſtere ſcribens in epiſtola 236. *ſe non convenire ad Concilia, in quibus judicare non licet perſonas contra quas agitur, nec eas condemnare*, quia inquit *nec noſtro, nec ullius hominis probantur ſubjacere judicio*. Itaque ad ſummum parendum non eſſet [ex dictis] decretis Papæ, quæ non fierent *regulariter & ſecundum miniſterium Apoſtolicæ Sedis*, ut verbis Hincmari, & Synodi Tricaſſinæ utar, Communio vero ejus, & obedientia non eſſet repellenda, ut male placuit Viennenſi Concilio habito a Guidone eo prætextu, quod opinionem hæreticam teneret, & doceret, moneri tamen ab Epiſcopis poſſet, & illis ſatisfacere teneretur, & a ſe male conceptam ſuſpicione criminis hæreſeos amoliendo, et ſe in meliorem frugem recipiendo, ut in can. 13. Synodi VIII. ſtatuitur ex verſione Anaſtaſii: *ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices*. Quæ ita dicta eſſe fatemur, ut Papa ad hæc teneatur de charitatis debito & obligatione, atque eo purgationis genere, quod ultro aſſumitur ad removendum ſubditorum ſcandalum, non quod imponitur a ſuperiore, aut judice, quem Papa nullum habet in terris. Quod ſi Pontifex Epiſcoporum monita diſſimularet audire, oporteret, ut verbis Jvonis utar *uſque ad meſſem*, ſi neceſſe ſit, Domino dicente, illum tolerare & interim Dominum interpellare, ut cito Eccleſiæ optatam tranquillitatem reſtitueret, Dominus enim, qui docet manum & pedem, & oculum eruendum ſi nos ſcandalizet, certe non ſine myſterio id tacuit de capite, quod nullibi docuit etiam ob cauſſam ſcandali eſſe amputandum. Quod ſi poſtremo illius eſſet completa, conſummataque hæreſis cum illa electione efficaci docendi, aſſerendique aliquid communi Catholicæ per Orbem Eccleſiæ fidei, ac ſententiæ contrarium, tum propria ſui ipſius Electione ſe divideret, ac ſepararet ab unitate Eccleſiaſtici corporis, a quo dividi, damnari eſt, propter

quod dicit Apoſtolus *quod qui ita ſentit ſuo ipſius judicio damnatus eſt*, ideoque ut de hoc Chriſti fideles omnes erudirentur, oporteret id fieri per generale Concilium, quod hæreſim a Pontifice pubblice profeſſam, & Schiſma magis declararet, quam Pontificem ipſum condemnaret. Nec aliud a Conſtantienſibus Patribus traditum fuiſſe credendum eſt pro tempore illo, & occaſione Schiſmatum trium Pontificum Ioannis XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. qui tamquam Pontifices ſe gerebant, quia Concilium generale in his caſibus habet auctoritatem a jure divino conceſſam ad tollendum Schiſma, legitimumque Pontificem declarandum; quemadmodum excuſari poteſt Ioannes Charlierius vulgo Ioannes Gerſo cum cenſuit Pontificem Iudicio Concilii ſubeſſe; quod cenſuerit poſſe Papam per Concilium deturbari, & redigi in Ordinem, ſi ille, in quo ſcribebat, recurreret eventus, nam extra illum eventum, & Concilii Conſtantienſis & Gerſonis doctrina nullo modo eſſet probanda, ut revera a nullo unquam, aut catholicorum, qui a præconceptis opinionibus non abriperetur, aut Pontificum probata fuerunt ea, quæ de ſua Auctorite ſupra Pontificem Baſileenſe Concilium decreverat Seſſione XXXIII. cum univerſa Eccleſia Eugenium IV. tamquam verum Paſtorem ſemper voluerit, & Felix a Concilio Antipapa creatus, cognito errore Eugenio obtemperaverit, & demum ipſum Concilium Nicolao V. Eugenii ſucceſſori ſe ſubjecerit, ut conſtat ex ejuſdem Nicolai epiſtola his Concilii Actis affixa, & ut communiter Hiſtorici omnes ſcripſerunt. Quare ex rationibus, quas in toto hoc paragrafo adduximus nobis conſtat univerſalis, & ſine ulla exceptione Concluſio, contra Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Principem ob nullum criminis caſum ſuorum ſubditorum judicio fieri obnoxium, tantamque eſſe illius juriſdictionem, ut in nullo caſu major altera, ſine hæreſis nota inſtitui poſſit, per quam ipſe deponi poſſit ab ullo Epiſcoporum Concilio, aut Eccleſia.

XVII. Jam vero, ut ad alteram Concluſionis partem properemus, quæ canonum obſervantiam vindicat pro Suprema Rom. Pontificis auctoritate, illud ſemper fuiſſe obſervatum in Eccleſia dicimus, quod ad unum Romanum Pontificem ex toto Orbe Terrarum Eccleſiaſtica negotia, & totius Eccleſiæ cura ordinatiſſime referrentur, & ut ne ordinarentur quidem ex toto Orbe, niſi ejuſdem auctoritate confirmati Epiſcopi. Primum ſatis indicat S. Anacleti Epiſtola ad univerſos toto Orbe Chriſti Sacerdotes, explicans principalium Sedium Ordinem, qui ab Apoſtolis conſtitutus eſt, Evariſti quoque idem confirmant epiſtolæ, quibus univerſæ Africanæ Regionis, & Ægypti Epiſcoporum conſultationibus reſpondit. Eamdem normam Eccleſiaſticæ diſciplinæ clariſſime atteſtantur diverſæ, tum Alexandri V. tum Xiſti I. Decretales Epiſtolæ, a quibus abſimilia non tradunt, quæ in Theleſphori, & Hygini ad fideles omnes directis Decretalibus leguntur. Dicemus ergo hoſce omnes Sanctiſſimos Romanæ Eccleſiæ Antiſtites mentitos eſſe, ut temere blaſphemavit Lutherus ſtudio efferendæ Romanæ, cui præfuerunt Eccleſiæ? Abſit profecto, ſed dicendum eſt illos ſingulos, id docuiſſe quod tunc res, & negotia requirebant, & quod illi Terraconenſis Provinciæ univerſi Epiſcopi faciendum eſſe dixerunt, cum exortas inter ſe dubitationes ad Petri Cathedram dirimendas referentes ante annos triceſies fere centenos, ita ad Hilarum Papam ſcripſerunt. *Etiam ſi nulla dictaret neceſſitas Eccleſiaſticæ diſciplinæ, expetendum nobis revera fuerat illud Privilegium Sedis veſtræ, quo ſuſceptis regni clavibus poſt reſurrectionem Salvatoris per totum Orbem Beatiſſimi Petri ſingularis prædicatio uni-*

ver-

perſorum illuminatione proſpexit. Cujus Succeſſoris Principatus ſicut eminet, ita metuendus eſt ab omnibus, & amandus. Proinde nos Deum in Vobis primitus adorantes, cui ſine querela ſervitis ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, inde reſponſa quærentes, unde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Hactenus illi non ignari, unde in occurrentibus dubiis deberent reſponſa petere, ad fidem ſcilicet illius Cathedræ, ubi nihil errore, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Non eſt igitur cur Heterodoxi ultro progrediantur, ut doceant Romanæ Sedis auctoritatem exortam nuperrime, & a recenti hominum memoria; nihilominus ſi adhuc mentiri cupiunt, ut imperitos in ſuam trahant inſaniam, illis objicitur S. Pii decretalis Epiſtola, quæ fideles omnes in Orbem univerſum exiſtentes celebrare debere præcipit Paſchalis Solemnitatis obſervationem, non die quartadecima menſis primi hæbraico ritu, ſed die Dominico proxime ſequente. Objicitur S. Victoris Papæ mandatum, quo ut Aſiaticas, Orientaleſque regiones ab antiquo ſuo Judaico ritu facilius abduceret, Sacerdotales conventus per diverſas Provincias juſſit celebrari, quod felix, fauſtumque fuit, cum in Apoſtolicæ Sedis ſententiam omnes fere convenerint, præter recenſitos Aſiaticos, quos idem Victor propter hoc Eccleſiaſtica communione privavit, & univerſa Eccleſia pro excommunicatis habuit, & deinde in eodem errore pertinacius perſiſtentes, ut hæreticos anathematizavit. Objiciuntur Xiſti II. Felicis I., & Marcellini epiſtolæ ad univerſos per Antiochenam Provinciam conſtitutos Epiſcopos, quibus decernitur nullum ab hujus Romanæ Sedis diſpoſitione deviare oportere, ad quam cuncta majora negotia Eccleſiaſtica divina diſponente gratia juſſa ſunt referri, ut ab ea canonice diſponantur. Et ut totum contrahatur argumentum objicitur, quod ſi per omnes, ut ſibi ſucceſſerunt Romanos Pontifices, ad hæc uſque tempora percurrere non pigeret, eadem ſinguli ſcripſiſſe audirentur, nec aliter ipſos geſſiſſe, totumque Chriſtianum orbem ſupremam ſemper apud illos in Eccleſiaſtica Hierarchia auctoritatem agnoviſſe, ut inde cauſſæ omnes ſuſciperent finem judiciorum, unde acceperunt initium inſtitutionum, ne quandoque *a ſuo diſcreparent capite*, quemadmodum ſcripſit Melchiades in ſua ad Hiſpaniarum Epiſcopos epiſtola. Igitur ex omnibus his monumentis ſatis probatum eſt continuo Romanos Pontifices Supremam Eccleſiaſtici regiminis juriſdictionem ſuper univerſam Eccleſiam facto proprio exercuiſſe, ut quale in Petro eorum Sedes Privilegium acceperat, illud ab Apoſtolorum uſque temporibus eatenus illæſum, intemeratumque ſervarent, non vero ut ſuam ſuper alios efferrent potentiam, ſtabilirentque Tyrannidem, quod impudentiſſime blaterant Magdeburgenſes.

XVIII. Nunc dicendum eſſet de effectu illo Supremæ Juriſdictionis, quæ nullos toto Orbe finit, niſi Romanæ Sedis auctoritate ordinari Epiſcopos, hoc tamen quia prolixius eſt argumentum, illud ſequenti paragrapho elucidandum aſſervatur. Hic ſolum addimus in illo flore juventutis Chriſtianæ Eccleſiæ talem fuiſſe ejus Hierarchiæ faciem, & eam Romanorum Pontificum Juriſdictionem, qualem Supremam eſſe decet; ita ut per Diverſos Officiorum, dignitatum, ordinumque gradus ad unam Petri Sedem totius Eccleſiæ cura tunc ordinatiſſime, commodiſſimeque ſemper confluxerit; quotquot enim etiam longiſſime poſitæ reperiebantur Eccleſiæ, omnes non minus moderationis ejus, veluti præſentis ſentiebant habenas, nec minus imperia religioſiſſime promptiſſimeque exequebantur, quam quæ vicinæ erant, & proximæ, nihilque unquam,

quam, quod alicujus momenti eſſet Eccleſiaſticorum negotiorum agebatur ſine ejus juſſu, aut permiſſu, majoreſque omnes cauſſæ ad ejus referebantur arbitrium. Epiſcopi ipſi, quando id neceſſitas poſtulaſſet, evocati ad ipſam perſonaliter accedebant ex toto Orbe, & ſublimiſſima quæque inter mundanos apices poteſtas præſto erat ad executionem mandatorum ejus, quæ etiam exequi conſueverunt, vel in extremo Oriente poſiti Metropolitani, ut cumulatiſſime comprobatur ex Magni Leonis epiſtola ad Anaſtaſium. Utinam ergo noſtri ſæculi homines zelarent, ac emularentur potius, quam Eccleſiaſticam Hierarchiam, una cum Religione molirentur evertere, quod per illa dictum eſt, ſi quæ adhuc ſuperſunt audaciora ingenia, quæ cum humana magis, quam Divina ſapiant, illa carnis ſapientia, & prudentia reguntur, quam dixit Apoſtolus ad Rom. 8. *inimicam Deo, & mortem eſſe, quia legi Dei non ſubjicitur*, & cum ſit judicium corruptum malis affectibus ad male loquendum, operandumque prælucet. Multa in idem argumentum dicta ſunt in Cap. 1. quæ non ſunt hic repetenda, ſed conſulenda.

Propoſitio II. *De plenitudine Juriſdictionis Romanus Pontifex poteſt in toto Orbe Sacros Miniſtros eligere, & ad Eccleſiaſticos gradus promovere, & licet non utatur hoc jure ſuo, ubi Miniſtri ad inferiores Epiſcopatu gradus promovendi ſunt, tamen quemadmodum nunc, ita antiquitus nullos Orthodoxus Populus agnovit Epiſcopos, quorum electionem, aut Ordinationem non confirmaſſet Apoſtolicæ Sedis Auctoritas.*

XIX. Prima pars hujus Concluſionis evidens eſt, nam quamvis Epiſcopi ratione ſuæ Ordinationis habeant activam poteſtatem Juriſdictionis, tamen applicatio materiæ, hoc eſt ſubditorum, in quos eam exercere poſſint, & debeant, ita ſubeſt Poteſtati Pontificis, ut eam aliquo modo variare, & mutare queat, ac proinde poteſt etiam ipſe ſubditos, cujuſcumque Epiſcopi ad Ordines eligere, & vocare, ſeu mittere, tribuendo illis Juriſdictionem in alios, prout ei recte viſum fuerit, atque hoc ſemper ita obſervatum in Eccleſia fuit, ut uſque ad Presbyteratum omnes ab Epiſcopo eligerentur, & vocarentur, ſeu mitterentur intra ſuam Diœceſim, tametſi ad Beneficia etiam a Pontifice Summo aliqui elligantur, & ratione eorum mittantur, ſeu vocentur.

XX. De electione autem, vocatione, & miſſione Epiſcoporum, in qua tota eſt controverſia, illud dicendum eſſe, quod decernit altera noſtræ Concluſionis pars, probat conſtans uſus Eccleſiæ, de quo loquitur Magnus Gregorius in lib. 2. Epiſtolarum epiſt. 30. nam cum ſcripſiſſet Joanni Subdiacono, ut electio Mediolanenſis Epiſcopi requiſito conſenſu populi fieret, ſubjungit: *Tunc eum a propriis Epiſcopis, ſicut antiquitus mos exigit cum noſtræ auctoritatis aſſenſu, ſolatiante, & auxiliante Domino facias conſecrari, quatenus hujuſmodi ſervata conſuetudine, & Apoſtolica Sedes proprium vigorem retineat, & a ſe conceſſa aliis jura non minuat.* Idem Gregorius Conſtantinæ Auguſtæ ſcribens de Maximo præter auctoritatem, & confirmationem Apoſtolicæ Sedis Salonitanæ Eccleſiæ ordinato Epiſcopo, hæc inquit: *Salonitanæ Civitatis Epiſcopus me, ac reſponſali meo neſciente ordinatus eſt, & facta eſt res, quæ ſub nullis anterioribus Principibus evenit* (dubitabat enim Sanctiſſimus Pontifex, ne forte id factum fuiſſet juſſu Imperatoris Mauritii, qui hæc, & alia pleraque egerat impie. Eumdem Eccleſiæ uſum deſcripſerat jam ante Gregorium S. Pon.

Pontifex Leo in ſupra laudata ad Anaſtaſium epiſtola, ubi inquit: *ex univerſo Orbe Epiſcopales electiones referri ad auctoritatem Apoſtolicæ Sedis*, & ſuo facto id verum eſſe oſtendit, quando licet rogatus ab Imperatoribus Theodoſio, & Martiano, Anatollum in Flaviani locum ſurrogatum Epiſcopum, & Proterium ordinatum Epiſcopum Alexandrinum confirmare diſſenſit, priuſquam ille ea de Verbi Incarnatione ſe credere, & tenere profiteretur, quæ tam in ſua ad Flavianum, quam in Cyrilli ad Neſtorium epiſtola continebantur, eamque profeſſionem abſolutiſſima ſubſcriptione coram omni clero, & univerſa plebe declararet: hic vero priuſquam fidei, & confeſſionis ejus teſtes, propriaque ipſius manu exaratas litteras, & proprio ad hoc nuntio miſſas accepiſſet. Clarum eſt ergo ex his Gregorii, & Leonis teſtimoniis, nunquam ante factum, ut quis ordinaretur, aut confirmaretur Epiſcopus abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ. Neque hoc temere factum eſſe dicendum eſt, cum enim Chriſtus Dominus Univerſam Eccleſiam Petro, & Succeſſoribus ejus, tamquam oves Univerſali Paſtori commiſiſſet, ad univerſalem etiam, & primarium Paſtorem pertinere debuit alios Paſtores aſſignare conſtituere, eligere, mittere, aut ſaltem confirmare.

XXI. Nec recitatis alia deſunt monumenta antiquiora. Unum ſuppeditat Julii Romani Pontificis, & Antiochenæ Synodi hiſtoria ſub Euſebio Nicomedienſi, nam cum hæc Synodus Alexandrinam, Conſtantinopolitanam, aliaſque per Orientem Eccleſias ſuperordinatis aliis, privaſſet ſuis Paſtoribus, quos ut putabat, pro eorum demeritis, & enormibus exceſſibus depoſuerat, factarum a ſe Ordinationum in illis Eccleſiis petiit confirmationem a Rom. Pontifice. Nemo ignorat Antiochenam hanc Synodum Concilium malignantium Arianorum fuiſſe, qui capto primum omnium Imperatore Conſtantio, & ſubacto, ſua perfidia, totius Imperii viribus toto Orbe, perſequebantur Orthodoxos: dicendum itaque eſt, quod tales Epiſcopi, qui Chriſti conturbabant Eccleſiam, & Hierarchiam ejus modis omnibus confundere moliebantur, & qui Synodalem præfeſerebant auctoritatem nunquam Romanum Pontificem, cujus unius gravis nimium ipſis erat auctoritas, quod ſola hæc impiis eorum conatibus poſſet obſiſtere, de ſuo conſenſu interpellaſſent, niſi tam ſuos, quam totius Orbis conſcientia communique populorum omnium conſenſu coacti fuiſſent fateri abſque Romani Pontificis confirmatione factas illas Ordinationes, viribus non ſubſiſtere, quod profecto experti ſunt, cum Julius Romanus Pontifex Judicis ſuſcepta Perſona, & Damnatores, & Damnatos coram ſe adeſſe præcepit, & examinatis utrinque accuſationum, defenſionumque meritis præcepit, ut Alexandrini ſuum reciperent Athanaſium, Conſtantinopolitani ſuum Paulum, ceteræque Eccleſiæ ſuos quæque Paſtores, & rejicerentur ii omnes, quos 90. Epiſcoporum Synodus ſuperordinaverat, nec aliter factum eſt, ſtatim enim unius Julii non Synodi (licet huic auctoritas, & ſavor Imperialis adeſſet) judicium, & auctoritatem Orbis univerſus ſequutus eſt annis mille circiter, & ducentis poſt celebratum Nicænum Concilium, ut Græci ipſi auctores Socrates, & Sozomenus tradiderunt. Supervacaneum eſt modo addere Agapeti Romani Pontificis, & Anthemii hiſtoriam, Acatii quoque Conſtantinopolitani Antiſtitis ſub Simplicio Romano Pontifice excitatam tragediam, aliaque hujus generis ſexcenta certiſſimæ fidei monumenta, ſingula hæc legi poſſunt in ſuis auctoribus, ne noſtra nimium protrahatur oratio, plurimum tamen hæc exempla valent ad oſtendendum, quod quoties unus Ro-

manus

Digitized by Google

manus Pontifex, & quanta cum libertate in omnium aliarum Sedium etiam principalium Antiſtites, ceteroſque ſuæ ſupremæ Jurisdictionis auctoritatem exercuit, hanc auctoritatem nulla unquam deflexit Imperialis, & Regia poteſtas, nullæ injuriarum vires, carceres, exilia, & malæ artes nullæ commoverunt, ut a ſe non electos, non vocatos, non miſſos, aut ſaltem non confirmatos Epiſcopos pro Epiſcopis recognoſceret, aut Orbi Orthodoxo cum illis communicare permitteret.

XXII Nec multum juvat confidere in iis, quæ leguntur in Epiſt. 2. Anacleti, in unica epiſtola Aniceti ad Epiſcopos Galliæ, & Joannis III. ad Epiſcopos Galliæ, & Germaniæ, in can. 12. Concilii II. Carthaginen. in can. 21. Arelaten. 1. in cap. 16. Africani circa tempora Bonifacii in cap. 9. Aquiſgranen. ſub Lodovico Pio, & aliis in locis. Siquidem in his omnibus monumentis cognoſcitur, id quod factum fuit, vel ſtatutum, ut fieret ex commiſſione Rom. Pontificum a Metropolitanis, aut Comprovincialibus Epiſcopis, quibus eo tempore permiſſum fuit Epiſcopos eligere, & conſecrare, ut eruitur ex laudatis verbis Gregorii, in quibus dicitur: *jus hoc eligendi ab Apoſtolica Sede manaſſe, & ab ea conſervari; & ita etiam nunc in uſu eſt, quod a Regibus, & a Principibus fiat Epiſcoporum præſentatio*, & ab aliquibus Capitulis Electio, confirmante Summo Pontifice, cui ſoli convenit, quod modum electionis aliis committat, & præſcribat, ut aliquando præſcripſit: quod non ab Epiſcopis Comprovincialibus, ſed a Clero univerſo, concurrente etiam Populo, fieret Electio Epiſcopi Mediolanenſis, & ita factum eſſe in electione S. Ambroſii plerique Auctores teſtantur. Totum igitur Electionum opus pertinet ad Supremam Jurisdictionem Apoſtolicæ Sedis, & ex illius conceſſione in alios poteſt derivare, & hoc adeo certum eſt, ut non ſolum Romanus Pontifex incumbat in alienas Epiſcoporum Electiones, Miſſiones, & Confirmationes, verum etiam in Electiones Succeſſorum ſuorum, quæ omnium præcipuæ ſunt, pro quibus electionibus modum præſcripſit, & tribuit hoc jus Cardinalibus, quod hoc modo fieri talem electionem magis expedire judicaverit, & ut ſinguli intelligerent, quod Electores Romani Pontificis non dant Pontifici electo Pontificiam Poteſtatem, neque ſunt cauſſa illius, quia hæc a ſolo Chriſto eſt, ſed per verba, quæ ipſi proferunt: *Quem quidem cum ea poteſtate præeſſe volumus &c.* illos declarare tantum, & exprimere perfectam electionem hominis in Succeſſorem Petri, conjunctionem ſcilicet Pontificatus cum deſignata ab ilis Perſona mediante actu humano, qui legitimus eſt, ſi Cardinales omnes, vel duæ ex tribus partibus in electum conſentiant ex c. *licet* de Electionibus, ſi eorum nulli repellantur a Suffragio, etſi ſint vinculo excommunicationis ligati, Clementina *ne Romani* §. *ceterum* de Electionibus, vel etiam ſi illis non ſit traditus galerus, nec os apertum ex Conſtit. Pii V., & Gregorii XV. ſi demum nulla exceptio, vel hæreſis, vel Simoniæ, electo opponi poſſit, & poſtremo ſi electio ſit expers a metu, cum non ſit electio, ubi non eſt libera voluntas cap. *cum locum* de Sponſalibus. Quare vero Romani Pontificis electio fieri debeat, ſaltem a duabus partibus Cardinalium, docuit Alexander III. in Concilio Lateranenſi, & exponitur in citato capite *licet*, quia ait *non poterit ad ſuperiorem recurſus haberi*, innuens nimirum, quod cum electio Pontificis a nemine confirmetur, nec poſſit dari Superior, qui hoc jus confirmandi habeat, & electio hæc magni momenti ſit, & in his rebus, quæ magni ponderis conſiderantur, major pars non ſufficit leg. 3. ff. de Decret. ab Ordin.

fac.,

fac., ſed duæ partes deſiderantur, non erit qui aliquam exceptionem contra hujuſmodi electionem, vel opponere, vel poſſit admittere. Olim putabatur penes Imperatorem fuiſſe jus hujus electionis poſtquam Juſtinianus Senior recuperata Italia decrevit, ut nullus eligeretur Pontifex Summus ſine ſua approbatione, nullumque alium Pontificem in Eccleſia futurum, niſi quem ipſe confirmaſſet, & quod certa pecuniæ quantitas Imperatori pro confirmatione Pontificis penderetur. Verum jus hoc uſurpatum fuiſſe potius, quam illi a jure juſte conceſſum, neque ſine impietate ad Conſtantinum uſque Heraclii pronepotem retentum fuiſſe, auctor eſt Magnus Gregorius lib. 4. epiſt. 4. Imperatorum auctoritas in electione Romani Pontificis potuit interponi ratione Schiſmatis, & revera ita ſedatum fuit Schiſma, quod ortum fuit temporibus Damaſi inter ipſum, & Urſicinum opera Valentiniani Imperatoris, quemadmodum opera Honorii ſedatum eſt Schiſma inter Bonifacium, & Eulalium, & opera Theodorici Regis aliud inter Symmachum, & Laurentium. Ceterum præter hoc nihil aliud, vel conceſſum, vel ab Imperatoribus impetratum eſt, & fabula eſt, quæ a Sigisberto hiſtorico Schiſmatico texitur, cum narrat in quadam Synodo Romana 143. Epiſcoporum Adrianum Papam Carolo Magno conceſſiſſe privilegium non modo confirmandi Pontificis electionem, ſed quod hactenus fuerat inauditum, ſola, & propria auctoritate eligendi pro libito. Commentitium illius Concilii Decretum ſuæ Canonum collectioni Gratianus inſeruit ſub diſtinctione 63. unde quanti ſit faciendum, ex narratis, quiſque vir prudens intelligit, & fateri cogitur Onuphrium, ceteroſque non paucos Scriptores, nimium Gratiano indulſiſſe, dum eamdem ſabulam, ut plenam veritatis hiſtoriam ſuis Operibus inſeruerunt. Reliquum igitur eſt, quod qui Apoſtolicæ Sedi ſine concordia, & electione Cardinalium Eccleſiæ Romanæ intronizatur, non Papa, vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus haberi debet.

Propoſitio III. ***Cum non raro ſuboriri ex Scripturis de lege, fide, Religioneque dubitationes, quæſtiones, & controverſiæ ſoleant, eas, ſi inter Chriſti fideles futura eſt fidei unitas, & concordia, Suprema Rom. Pontificis auctoritate neceſſe eſt terminari, definirique judicio, ad quod tantum pertinet illud Chriſti Oratione Petro impetratum privilegium, ne quando deficere poſſet ejus fides ad Fratrum confirmationem in fide.***

XXIII. Quod in hac Concluſione præſupponitur ex Superioribus facile eruitur, unde ne actum agamus, illud potiſſimum demonſtrandum aſſumimus, quod decernit oportuiſſe hanc Supremam Pontificis auctoritatem infallibilitatis privilegio muniri, & conſervari. Illud itaque primo ſtatuitur quod cum Chriſtus Dominus non ſcripto, ſed viva tantum Apoſtolorum traditione legem ſuam ab initio commendaverit Eccleſiis, ut immutata, & incorrupta permaneret uſque ad ſæculi conſummationem, id nunquam contigiſſet inter tot hominum mores, & horrendas hæreticorum tempeſtates, niſi in aliqua totius Orbis Sede ſingulari Privilegio fides conſervata fuiſſet, in perenni videlicet ſucceſſione Orthodoxorum ſibi mutuo ſuccedentium Epiſcoporum ab ipſis Apoſtolis ad finem uſque ſæculi, per quos velut per manus tradita illa Apoſtolica Traditio perveniret ad Poſteros, & hoc eo certius viſum eſt, quo Sancto Irenæo indubitatum fuit, ***unam & eamdem vivificatricem fidem perdurare***

Digitized by Google

rare in Eccleſiis, quæ eſt ab Apoſtolis tradita, conſervataque in veritate, quia per ſucceſſionem indeficientem, & in una hac Sede ad præſentem uſque diem, ut nos etiam ſupra oſtendimus, revera conſervata eſt. Nam ſi in hac ſucceſſione interveniſſent hæretici Epiſcopi, per quos hæretica contagione infecta fuiſſet illa Apoſtolica traditio, nullo pacto eiſe poſſet oſtenſio pleniſſima conſervatæ per eam integritatis fidei, & traditionis Apoſtolicæ, ægrotum enim, & peſtilens caput, quam cito univerſum corpus inficiat, quis non intelligit? Vitium hoc depravatæ fidei cum agnoviſſet Magnus Gregorius in Conſtantinopolitanis Epiſcopis, ex hoc tantum illi licuit inferre, ſcribens ad Græcum Imperatorem Mauritium: *ſtultiſſimam fuiſſe inſolentiam, quod Joannes Oecumenicum, & Univerſalem ſe faceret Patriarcham*, quod multos noviſſet Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in hæreſeos voraginem incidiſſe Sacerdotes, & non ſolum hæreticos, ſed etiam hæreſiarchas factos, inter quos Neſtorium, & Macedonium, nam ſi illud nomen Univerſalis Epiſcopi in ea Eccleſia ſibi quiſquam arripit; Univerſa Eccleſia [quod abſit] a ſuo ſtatu corruit, cum is, qui appellatur Univerſalis, cadit. Porro Univerſalem Paſtorem appellari Romanum Pontificem conſtat ex iis, quæ diximus agentes de Primatu Eccleſiæ Romanæ; igitur impoſſibile eſt ejus fidem ſingulari aliquo Privilegio non fuiſſe munitam, conſervatamque ut in aliis omnibus Orthodoxæ Fidei eſſet, & regula, & magiſtra. Hinc Sanctiſſimi Pontifices ſui memores Officii cunctos ſemper toto Orbe Chriſtianos Fratres, quoties per hæreticos exagitata fides eſt confirmaverunt in fide, intelligentes, illud Chriſti Oratione Petro impetratum Privilegium, ne fides ejus deficeret, & fratres confirmaret in fide, tamquam dictum omnibus eidem Cathedræ Præſidentibus. Clariſſima ſunt Sanctiſſimi Martyris Lucii Romani Pontificis verba, quæ in hanc rem leguntur in ejus epiſtola ad univerſos Occidentis per Gallias, & Hiſpanias Epiſcopos, quos hortatur, ut fidem, ſententiamque Apoſtolicæ Sedis firmiter ſequantur: *quod Apoſtolicos*, inquit, *meæ exiguitatis Prædeceſſores confidenter feciſſe* [ut poſtmodum factum etiam eſt a Succeſſoribus] *cunctis ſemper eſt cognitum. Alioquin ſi & ipſi Pontifices, ſicut unus quilibet noſtrum errare permitteretur in fide, ad quem omnis inter nos fidei quæſtio referenda eſſet, & cujus omnes ſequi oporteret judicium, & ſententiam? Nos una omnes cum illis in foveam traheremur.*

XXIV. Ad Scripturas inquiet aliquis eſſet confugiendum. Optimum ſane effugium hoc eſt, ſed importunum, cum nullus ignoret, quod ſuo quilibet ſenſu Scripturas intelligit, nec uſquam ita ſunt apertæ, ut ab hæreticorum vi, fraudeque ſe prorſus vindicent, ut quovis flecti, trahi, detorquerique non ſe patiantur a callido, verſutoque ingenio. Certe in ſubortis dubiis altercantes non remiſit Moyſes ad Scripturam, ſed ad Sacerdotes Levitici generis, qui præerant loco, quem elegerat Dominus, ibique pollicetur illos inventuros dubii judicii, aut motæ controverſiæ veritatem, nec de eorum ſententia eſſe amplius inquirendum, ſed faciendum, ait, *quodcumque illi dixerint, nec declinandum ad dexteram, vel ad ſiniſtram, expiandamque eſſe mortis ſupplicio contumaciam adverſus præſidentis Sacerdotis auctoritatem*. Hæc Moyſes ille, ſeu Sacer Spiritus, qui Deuteronomii cap. 17. loquebatur, qui non contentus ſemel hæc dixiſſe, iterum utrumque inculcat, & repetit inquiens: *juxta legem, quam docuerint, & juxta judicium, quod dicent tibi facies*: quorum alterum ad Supremam Judiciariam auctoritatem pertinet, al-

terum

terum vero ad auctoritatem definiendi incidentia circa legem, Religionemque dubia.

XXV. Nec aliter ſe geſſerunt Orthodoxi ſinguli Scriptores, inter quos doctiſſimus ille Hieronymus, qui non confidens de his, quas pertractabat fidei, Scripturarumque quæſtionibus, quiſnam certus eſſet Catholicæ Eccleſiæ ſenſus, inter tot tumultuantes Orientis Eccleſias invenire ſe poſſe, ac perſpicere, apud unam Petri Cathedram eumdem requirendum cenſuit, ut oſtendit illa, quam ad Damaſum Papam ſcribit epiſtola, *in qua ſola Sede*, inquit, *ſervatur incorrupta Patrum hæreditas, viva Apoſtolica traditio, quam ab initio ab ipſis Apoſtolorum Principibus accepit, illa Orthodoxa Catholica Eccleſiæ fides*, quam etiam Angeli de Cœlo, ſi aliter annuntiarent, præferre non dubitat; Et huic veritati adeo inſtiterunt Orientales Eccleſiæ revertentes a Schiſmate ad gremium Catholicæ Eccleſiæ, ut non dubitaverint ad hanc ſe fidei profeſſionem, etiam anathemate in ſe dicto, perpetuo adſtringere, ut firmiter crederent non poſſe Domini Noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententiam, quæ Petrum Petram ſuperædificandæ Eccleſiæ pronunciat, nec inferorum portas adverſus eamdem prævalere poſſe; quoniam inquiunt in Apoſtolica Sede inviolabilis ſemper fides Catholica cuſtoditur; quod profecto non ſine peculiari Spiritus S. inſtinctu Patres illi dixerunt, quia in reliquis omnibus Patriarchalibus Sedibus inveniuntur Antiſtites, qui a fide defecerunt. Jam illos memoravimus, qui hæreſis crimine notati ſunt in Conſtantinopolitana Eccleſia, nunc memoramus Georgium, & Lucium, Dioſcorum, & Cyrum, qui olim Epiſcopi Alexandrini, Arianis, Eutychianis, & Monothelitis poſtea conſenſerunt: Memoramus Paulum Samoſatenum, Petrum Gnaphæum Eutychianum, Macharium Monothelitam, quos omnes Orbis Orthodoxus, ut hæreticos, & hæreſiarcas damnavit Antiochenæ Sedis olim Epiſcopos: Memoramus Eutychium, & Joannem Originiſtam, qui in Sede Jeroſolymitana ſederunt; *ſed in Eccleſia Urbis Romæ, neque hæreſis ulla*, ut Ruffinus ait in expoſitione Symboli, *ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus*. Conſtat igitur, quod Summus Pontifex cum totam Eccleſiam docet in his, quæ ad fidem pertinent nullo caſu poteſt errare, quod ſi idem dixerimus contingere, cum aliquid decernit in moribus, qui toti Eccleſiæ præſcribuntur, & doctrinis, quæ in rebus neceſſariis ad ſalutem verſantur, vel in iis, quæ per ſe bona, vel mala ſunt, graviſſimorum Theologorum Judicium in hoc ſequemur, quibus hæc arriſit opinio, a qua recedere nefas ducimus. Ex his tamen inferre non licet Concilia Generalia perperam convocari; communiter enim definitiones de fide pendent a traditione, & conſenſu Eccleſiarum, qui conſenſus non alia meliori ratione innoteſcere poteſt, quam ſi in unum conveniant omnium Provinciarum Epiſcopi, ut quiſque referat ſuæ particularis Eccleſiæ conſuetudinem. Adde quod convocantur etiam Concilia propter hoc, ut Decretum factum de fide facilius ad praxim reducatur; ſi enim Epiſcopi, qui Synodo interfuerunt primi ſubſcripſerint, Paſtorum exemplum imitabuntur Oves, & ad ſalutem una audietur in omnium ore Confeſſio.

XXVI. Nec minus efficax infallibilitatis Pontificiæ in fidei controverſiis experimentum eſt quod Romanus Pontifex ſine Generalibus Conciliis non raro ſe Orthodoxæ ejuſdem fidei vindicem præſtitit, ſuæque auctoritatis gladium in hæreticorum, impiorumque damnationem vi magna diſtrinxit, & eoſdem illos ab Orthodoxa Fide alienos eſſe Catholica Eccleſia pronunciavit, Sabellia-

nos, Eunomianos, & Macedonianos perpetuo ſubjecit anathematis vinculo S. Pontifex Damaſus, & ad Paulinum Theſſalonicenſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis per Orientem Vicarium ſcribens præcepit, ut ſuam in eos cenſuram per Orientis Eccleſias publicari curaret: In Jovinianum, & complices ſurrexit Papa Syricius. Pelagium, & Cœleſtium a duobus Apoſtolicæ Sedis Epiſcopis toto Orbe Chriſtiano damnatos eſſe ſcripſit Auguſtinus in epiſtola ad Optatum 157. Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum Cœleſtinus dejecit, Eutychetem Leo: Timotheum, & Petrum Alexandrinum, Petrum alterum Antiochenum, Acatium quoque Conſtantinopolitanum Simplicius, Felix, & Gelaſius exautorarunt. Et ne in ſingulis his exemplis recenſendis nimium protrahatur argumentum, ingenue dicendum eſt tanti ſemper feciſſe veteres hanc Romani Pontificis auctoritatem, ejuſque in fidei controverſiis judicium, ut illud magis revererentur, quam eorumdem Conciliorum auctoritatem, idque ſatis inter ceteros (cum exempla plurima afferri poſſent) illi Epiſcopi oſtenderunt, qui ex pluribus Orientalibus Eccleſiis congregati in Antiochena Synodo ſub Euſebio, ut Nicænam fidem everterent, unius Julii Romani Pontificis auctoritati ceſſerunt; & ut oſtendit Arianus ille Leontius Antiochenus Patriarcha, qui referente Theodoreto Ætium Eunomii magiſtrum, qui Arii blaſphemiam ſuis impiis opinionibus auxerat, ſuſpendit ab Officio Diaconatus, in quo miniſtrabat ab ipſo ſublimatus, quod Apoſtolicæ Sedis cenſuram metueret, quam Flavianus, & Diodorus minitabantur, poſtquam ipſi in Heſperias, Occidentaleſque partes venientes, ea quæ callide, inſidioſeque adverſus veritatem ab eo gerebantur, Apoſtolicæ Sedi detexiſſent. Quod clarius adhuc perſpicitur in eo quod idem ille Theodoretus ſcribit in ipſo libri 5. hiſtoriæ ſuæ initio. Cum enim impiorum Imperatorum nonnullorum, & Epiſcoporum eiſdem conſentientium culpa, univerſa illa Orientalis Eccleſia fœdiſſima omnium ordinum confuſione aliquandiu perturbata permanſiſſet, & Orthodoxis Epiſcopis magna parte deturbatis, aut relegatis, ab hæreticis paſſim occuparentur Eccleſiæ, Gratianus Orthodoxus, & ſapientiſſimus Imperator mox, ut Imperio inauguratus fuerat, zelans Orthodoxæ fidei ſinceritatem per Orientem reſtituere, legem promulgavit, ut quicumque Romano Pontifici Damaſo communione, & fide non ſociarentur, tenere non poſſent Eccleſias, ſed ab eis expellerentur. Non putavit ergo Imperator Orientalium Epiſcoporum fidem diſputatione inquirendam, utrum ſincera, & Orthodoxa eſſet, ſed ad fidem unius Romani Pontificis ſingulorum fidem explorandam putavit, a qua quidquid diſcreparet, erroneum, & Heterodoxum eſſe certum habebat. Quod igitur priſcis illis temporibus tam veneranda toto Orbe fuerit Romani Epiſcopi Auctoritas, ut quæ illi pro diverſis fidei quæſtionibus ſuis epiſtolis ſcriberent, acciperetur ab omnibus, velut ſi ea Chriſtus dictaſſet, oſtendunt profecto Orthodoxam Eccleſiam credidiſſe indeficiens fidei Privilegium Petro Chriſti Oratione impetratum, in ipſum Romanum Pontificem derivaſſe, & inde in eodem auctoritatem damnandi hæreticos, eorumdemque Propoſitiones, Scripta, & Libros in toto Orbe Chriſtiano, exautorandi muneribus, & Officiis in Eccleſiaſtica domo, & per illud demum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ diſciplinæque vigorem, Orthodoxæque fidei integritatem, ac ſinceritatem ſemper perſtitiſſe.

XXVII. Non tamen hic imus inficias, quin Præſidentes Cathedræ in definitione relatarum ad ſe fidei quæſtionum, & controverſiarum, quæ magni ali-

Digitized by Google

alicujus ponderis ſunt, adhibere ſecum debeant aliorum conſilium, & ſi expediat Sacerdotale Concilium. Id ex citato Deuteronomii loco ſatis eruitur, ſed comprobat etiam ab initio obſervatio Eccleſiaſtica, quæ in dificillimis diſputationibus ad Cathedram Petri relatis demonſtrat Romanos Pontifices doctiſſimos conſuluiſſe viros, & ſecum congregaſſe Epiſcoporum Concilium nonnunquam viciniorum, aut etiam Antiſtitum remotiorum pro qualitate negotii. Nullus autem ignorat non habere Concilium illud ex ſe ipſo, aut ex proprio privilegio infallibilitatem, niſi ex Petri privilegio Eccleſiaſticæ Hierarchiæ capitis, & Succeſſorum ejus, quibus impetravit Chriſtus ne eorum fides deficeret ad confirmandos fratres in fide, cui propterea capiti uniri, & inniti debet, ſi ejus privilegii particeps eſſe velit, & verum, juſtum, & ſacroſanctum eſſe debeat, quidquid ab ejuſmodi Concilio definitur, ut demonſtrabimus in ſequentibus. Colligitur ergo, quod etiam ſi multorum conſilio definiantur ea, quæ ad Apoſtolicam Cathedram referuntur, tamen unius Præſidis auctoritate, & privilegio profertur indubiæ veritatis ſententia,

XXVIII. Aliud ejuſdem Pontificiæ infallibilitatis argumentum ſuppeditarent præcipui inter interpretes Juris Canonici, lectiſſimique Theologi illi, qui eorum duce, & Anteſignano Angelico Præceptore conſtanter tenent, quod Papa errare non poſſit cum legem facit de Colendo Divo, quem colere, ſi Divus non eſſet, & cum ratione, & cum Evangelico pugnaret; nam repugnat rationi, quod Summus Pontifex poſſit univerſam Eccleſiam ad errorem inducere in his, quæ ad mores ſpectant, ad quorum genus reducitur aliquem inter Divos referre, cum hoc nihil aliud ſit, quam publicum Eccleſiæ judicium de vera Sanctitate, & gloria alicujus hominis defuncti. *qui damnabilis error in Eccleſia eſſe non poteſt*, ut teſtatur S. Thomas Quodlibeto 9. q. 7. a. 16., *& multum refert*, ut ait Canus de locis Theolog. lib. 5. c. 5. concluſ. 3. *ad communes Eccleſiæ mores ſcire, quos debeas religione colere*, ſiquidem ut ait textus in can. 57. 11. q. 3. *æque abominabilis eſt apud Deum, qui juſtum injuſtum dicit, & qui injuſtum juſtum affirmat; & Chriſtum violat*, ut additur in can. 58. *qui hominem, qui Sanctus non eſt, Sanctum eſſe credit, & Dei eum jungit Societati*. Pugnat etiam cum Evangelio, a quo Petrus, & Succeſſores ejus vocantur caput Eccleſiæ, quæ eſt *columna, & firmamentum veritatis*, quæque a *Spiritus S. regitur, & gubernatur*, unde illi peculiariter providere putandus eſt, ſicut Chriſtus promiſit Joan. 14. quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de neceſſariis ſcilicet ad ſalutem, ne quorumlibet hominum teſtimonia ſequatur in Sanctorum canonizatione, & erret, cujus peculiariſſimæ Providentiæ abunde magnum argumentum eſt, quod nunquam infirmata eſt fides ab humanis teſtibus, ſemel in hujuſmodi Judicio ſuſcepta, ut Ceparius notavit in ſuo Directorio Canonizationis lib. 1. c. 6. n. 21. Canus loco cit., & ut notarunt Auctores ſinguli, qui argumentum hoc pertractarunt. Quia nihilominus multi Doctores catholici, & pii in contrariam abjerunt opinionem, licet poſtea in aliorum ſententiam convenerint, cum docuerunt Sanctorum cultum inter fidei dogmata eſſe recenſendum: Sententiam a Summo Pontifice prolatam in Canonizatione Sanctorum eſſe definitivam: parendumque eſſe Papæ definienti hunc, aut illum eſſe Sanctum, & propterea reſpuendum eſſe damnatum VViclefi errorem: & demum quod Summi Pontifices recte potuerint, & poſſint anathematis pœnam imponere debitam negantibus obedientiam Canonizationis Bullæ: propterea ab hoc argu-

Digitized by Google

mento abſtinemus. Pronunciamus tamen cum S. Bonaventura relato a Catharino lib. 1. de certa Sanctorum gloria *fore incredibiliſſimum, & horribiliſſimum ambigere de vita, Beatitate Sancti Canoniſmo donati, & vendicati*; nam ut ſapienter ratiocinatur Cardinalis de Laurea: *Papa Canonizans non utitur ſolo inſtinctu tamquam principaliori cauſſa inducente ad Canonizandum, & proponendum Eccleſiæ Canonizatum, ut debito obſequio, & honore veneretur, habeaturque pro Sancto, ſed utitur Theologico diſcurſu habente majorem propoſitionem revelatam, ſcilicet Beati Mites, qui perſecutionem patiuntur &c. & ubi ego ſum, illic, & miniſter meus erit; minorem vero naturalem, nempe cognitionem virtutum, & miraculorum, præcipue poſt obitum, teſtantium eſſe unum ex illis, quos in iis univerſalibus revelavit Deus, cujus quidem minoris veritatem Papa recognoſcit per inſtinctum: unde Concluſio, ut dependens a majori explicite revelata, & a minori inſpirata per inſtinctum dici debet objectum fidei, ut quædam profeſſio fidei eſt*, ex S. Thoma loco ſupra citato *honor, quem Sanctis exhibemus*, & conſequenter pie quoque aſſerendum eſt, quod nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit. Nec contrarium ſentiebant Pontifices illi, inter quos numeratur Bonifacius IX. qui ante Canonizationem orabant ne in errorem perducerentur, aut proteſtabantur ipſos non intendere facere contra Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, cui proteſtationi innixus Launojus inferebat *Papam recognoſcere ſe errori ſubjectum*; nam quod attinet ad hoc caput, videre facile eſt, quod ex declaratione a Papa emiſſa, non recte infertur id, quod Launojus contendit, nimirum Papam ſe reputaſſe capacem proponendi univerſali Eccleſiæ aliquem errorem tamquam aliquem articulum fidei; quemadmodum recte non concluderetur, ab aſſerentibus Concilium Oecumenicum eſſe infallibile, poſſe Concilium Generale univerſæ Eccleſiæ aliquem errorem proponere tamquam fidei articulum, ex quo dixiſſet, ſe non prætendere aliquid ſtatuere contra fidem; aut ita Deum deprecatus eſſet: *Nos non patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem, ut in Siniſtrum nos ignorantia non trahat*; ut legitur in Ordine qui obſervatur in Celebratione Concilii Generalis apud Mabillonium Tom. 2. Muſæi Italici; & ut inter Opera Labbei Tomo 14. legitur Præſidem Concilii Tridentini Cardinalem de Monte oraſſe, ſed in alterutro caſu inferri debet, vel ſumma rei de qua agebatur, quæ non humano, ſed Divino definienda Conſilio erat, lumine, & inſtinctu, vel quod Papa nolebat decernere cultum Sanctis, qui Deo debetur, eſſe impendendum, quod fuiſſet contra fidem, & contra Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, & ne populus in cultu Sanctis deferendo erraret, non aliter ac ſeptimæ Synodi Patres ſuam Proteſtationem declaraſſe legimus aſſerendo, *Se Sanctorum Imaginibus colendis Latriam non aſſerere ſoli Deo debitam*. Verum hæc obiter dicta ſint, & hac mente, ut uberius demonſtremus Divini Spiritus inſtinctu loquentem Pontificem non errare, ſi Cultum Sanctorum Univerſali Eccleſiæ proponat, aut ſi decernat Sanctum ab eo Canonizatum eſſe cultu Duliæ colendum. Dixi *Sanctum ab eo Canonizatum* propter ea, quæ in ſequenti paragrafo elucidanda reſervantur. Nec quemquam movere debet ſententia Gloſſæ in cap. unico in verbo *Sedis Apoſtolica* de Reliquiis, & veneratione Sanctorum in 6. ubi ejus auctor admittit poſſibilitatem erroris in Canonizatione, cum teſte Nicolao Peguleto plures in Gloſſis juris Pon-

tifi-

tificii inveniantur errores, quos late ennumerat in ſuo Tractatu probabilitatis cap. 10. cui titulus *Errores plurimi Gloſſæ Canonicæ*. Nec diſſimulamus textus qui in contrarium citari poſſent, ſed dicimus hos ſingulos referri ad facta particularia, quæ non connectuntur cum materia fidei, & morum, & in illis non repugnat Pontificem errare poſſe, ut in allegato Quodlibeto docet S. Thomas, propter falſos teſtes, ut in hac materia falſum teſtimonium habemus illud quod ex S. Auguſtino citatur. *Multorum Corpora Venerari in terris, quorum animæ cruciantur in inferis*, cum hoc effatum in ejus Operibus non inveniatur, cui tamen nihilominus reſponderi ſolet, illud accipiendum de Reliquiis, quæ putantur eſſe Reliquiæ Sanctorum, & cultum habent, licet Sanctorum Reliquiæ revera non ſint; quamquam ſi etiam bene notentur verba Auguſtini hæc non juvant contrariam opinionem: Non enim dixit Auguſtinus, ut Covvaravias ſcripſit Variarum Reſolut. lib. 1. c. 10. ſub n. 13. multa corpora eorum, qui ab Eccleſia Canonizati fuerunt nos falſo venerari cum eorum animæ in inferis crucientur, ſed nos multa Corpora in terris venerari, quæ exiſtimamus eſſe eorum, qui ab Eccleſia fuerint in Sanctos, & Divos relati, cum tamen vere eorum non ſint, ſed potius hominum damnatorum, qui in inferis cruciantur. Cenſet ſane Eccleſia venerandum, & colendum, ut Sanctum Divum Hieronymum, at non ita decrevit proprio judicio Corpus hoc, quod nos Divi Hieronymi eſſe exiſtimamus vere corpus illius eſſe.... Quod ſi & hoc Eccleſia prævia cognitione, & diligenti examine cenſeret, dicendum quidem eſſet non permiſſurum Deum Optimum Maximum Summum Pontificem in hoc falli, noſque ejus judicio decipi. Quod & dictum intelligimus cum Papa auctoritate a Chriſto accepta judicat de ſenſu librorum, & fideles ſub graviſsima Anathematis pœna adigit, ut ſuo ſubſcribant judicio, non manu tantum, ſed corde, & animo, quia ut ait Cardinalis Laurea Tom. 3. ſuæ Theologiæ Diſp. 6 *propoſitiones doctrinales includentes aliquid facti, aut aliquid facti, & juris ſimul, licet ratione unius partis non ſint expreſſe revelatæ, non per hoc ceſſant eſſe objectum fidei, ideoque ut tales recipiendæ ſunt ab Eccleſia, & Pontificem in his dignoſcendis aliquando erraſſe nullo monumento ex tota antiquitate deprompto probari poteſt, imo nec proferri exemplum libri inerranti hoc judicio damnati, qui altero Eccleſiaſtico judicio abſolutus ſit, & ab errore immunis declaratus*; & hoc mirum eſſe non debet, cum Pontifex ſit a Chriſto inſtitutus judex omnis doctrinæ, ut de illa, pro ut in libris continetur, judicium ferat, quod certe judicium non pendet ex relatione, & teſtimoniis hominum plane incertis, & errori obnoxiis, ſed ex comparatione, quam Pontifex per ſeſe inſtituit doctrinæ alicujus libri cum immotis fidei noſtræ regulis, Scriptura ſcilicet, & Traditione, unde fit, Deo ita providente, ut nec falli poſſit nec fallere, ſed æque certe judicet de falſa, ac de vera libri, vel Auctoris alicujus doctrina, nec magis liceat in uno, quam in altero judicio ei repugnare.

Propoſitio IV. *Inter ea, quæ omnium maxime Chriſtianæ Religionis negotia cenſentur, ennumerari ſolet Sancti alicujus Canonizatio, quæ propterea ſolius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Præſidis ſupremo reſervatur judicio, & illius Definitivæ ſententiæ*.

Digitized by Google

XXIX. Gentilium Apotheoſim, cum Sanctorum noſtrorum Canonizatione convenire Heterodoxi homines arbitrati ſunt, ut videri poteſt apud Rodulphum Oſpinianum in Tractatu 2. de Origine, progreſſu, cæremoniis, & ritibus Feſtorum cap. 6. & apud Fabricium in Bibliographia Antiquaria cap. 8. n. 24. ſed mendaciſſimos homines arguunt quot quot in utraque obſervantur diſcrimina, de quibus latè egerunt qui argumentum hoc pertractarunt; præcipuè vero quod Apotheoſis Gentilium conficiebatur etiam per unius teſtis aſſertionem referentis ſe conſecrandum vidiſſe ex igne redivivum Cœlum penetraſſe: quod hæc ad Imparatores tantum, & Fœminas Auguſtas erat adſtricta nulla habita conſideratione vitiorum, quibus dum viverent inquinabantur: quod ſic conſecrati Dii crederentur, Divinoque cultu adorari ſolerent; cum e contra noſtrorum Canonizatio tum heroica eorum facinora præſupponit, tum miracula eorum interceſſione patrata, & multorum teſtium affirmatione corroborata; nec tantum fit de Summis Pontificibus, de Regibus, de Epiſcopis, ſed de quocumque, perſpectis tantum virtutibus, quibus dum viveret effulſit, aut morte, quam fortiter ſubierit pro Chriſti fide; & Eccleſiaſtico accedente judicio, in quo ſtatuatur an hic, vel ille publice colendus ſit, non ramen ut Deus, ſed ut Amicus Dei, & tamquam Dei teſtis, ſervuſque amantiſſimus, cujus judicii tutiſſimum teſtimonium nobis reliquit Optatus Milevitanus Auctor IV. ſæculi lib. 1. adverſus Parmenianum. Perperam ergo ex his dictum eſſe cognoſcimus noſtras Canonizationes a ſuperſtitioſa Gentilium Apotheoſi originem traxiſſe, ſed fundamentum habent in doctrina Catholica de cultu, invocatione, & interceſſione Sanctorum, & in antiquiſſima Eccleſiæ Diſciplina, quæ priorum ſæculorum monumentis innixa Religioſi cultus exhibitionem probat, tum erga Martyres vindicatos (illos ſcilicet, qui declarati erant communi Piorum ſententia in eam ſummam dignitatem relatos jam inter Cœli indigenas) & ipſorum cineres, & memoriam, ut cumulatiſſime legitur in amplo fragmento Epiſtolæ Smyrnenſis Eccleſiæ de S. Polycarpi Martyrio, quod in Euſebii hiſtoria inſertum eſt, cui Origenes, Tertullianus, & Cyprianus ſuffragantur, & in litteris illis Encyclicis, per quas Martyrum notitia ab una ad alteram Eccleſiam tranſmittebatur, ut nedum glorioſa certamina omnibus innoteſcerent, ſed ut cultus Eccleſiaſtico judicio in una Diæceſi ab uno Epiſcopo introductus ad alias, aſſentientibus ipſarum Epiſcopis extenderetur, de quibus epiſtolis Florentinius in admonit. 2. de vetuſtioris Martyrologii vulgandi propoſito, Ruinart. in Præfat. ad Acta Martyr. §. 1. n. 3. Bencinus in Differt. 1 de litteris Encyclicis §. 4. n. 14. & Rodvvellus licet auctor heterodoxus in ſuis Cyprianicis Diſſertationibus late ſcripſerunt: tum erga Confeſſores, quibus quarto currente ſæculo honos publico cultu delatus eſt, ut perſuadent ea, quæ S. Hieronymus refert in vita S. Hilarionis, & ea quæ Sozomenus lib. 3. c. 13. Socrates lib. 8. c. 19. uterque Gregorius Niſſenus ſcilicet, & Nazianzenus in laudibus Baſilii, & Athanaſii ſcripſerunt, quibus addi poteſt Severi Sulpitii teſtimonium in epiſtola 2. & Concilium Turonenſe I. anni 461; & id quod ſcribit Cardinalis Bona Rerum Liturgicar. lib. 2. c. 12. n. 3. cui adhæret Martene de Antiquis Eccleſiæ Ritibus Tom. 4. c. 30. n. 3. imo & illud quod Magnus Gregorius in ſuis Dialogis n. 543. ut oſtendit Auctor Præfationis ad eoſdem in nova Pariſienſi editione ſcripſit, præſertim vero in lib. 1. c. 14.

&

Digitized by Google

& fuſius in lib. 3. c. 15. ubi narrat Eutichium Sanctiſſimum Monachum tanta apud Nurſiæ populos in veneratione poſt mortem fuiſſe, ut quoties æſtu nimio terram longa ſiccitas exurebat, collecti in unum Cives Urbis illius, ejus Tunicam levare, atque in conſpectu Domini cum precibus offerre conſueverint, cum qua Tunica dum per agros pergerent exorantes, repente pluvia tribuebatur; quod poſtremum teſtimonium addidimus, ne huic Praxi, & Diſciplinæ Eccleſiæ aliquis reponeret ejuſdem S. Gregorii Papæ Decretum editum in Concilio Romano A. 597. ut coherceret plebem, quæ in colendis ſummis Pontificibus recens defunctis nimis facilis erat, non vero ut inferri poſſet nondum tunc temporis datum fuiſſe initium Cultui Confeſſorum, cum concors eſſe videretur penes Auctores omnes ſententia, quæ hujus Diſciplinæ initium ad ſæculum IV. refert poſt tempus B. Silveſtri, ut ait Innocentius III. lib. 3. de Myſteriis Miſſæ c. 10. progreſſum vero ad tempora Atrebatenſis Synodi, quæ inter alios hæreticos, illos etiam condemnavit, qui aſſerebant ſolis Apoſtolis, & Martyribus venerationem ab Eccleſia eſſe impendendam, excluſis Confeſſoribus. Hi quippe, dixerunt Patres, etiamſi non ſenſerint gladium, tamen per vitæ meritum Deo digno Martyrio nou privantur, quia Martyrium, non ſolum effuſione ſanguinis, ſed abſtinentia peccatorum perficitur, & ipſi gloria Martyrum non carent, quia, & voto, & virtute, & potuerunt eſſe Martyres, & voluerunt. Atque hæc breviter dicta ſint de Religioſo Sanctorum cultu juxta antiuam Eccleſiæ Diſciplinam: nunc de Eccleſiaſtico in Canonizationibus judicio requiſito dicendum eſt.

XXX. Eccleſiaſtici judicii neceſſitatem, cum agitur de colendo Divo ad cohercendam Plebem, de qua timeri poteſt, ut non tam conſilio, quam impetu quodam pio, & reverentia magis erga recens defunctos, quam prudenti æſtimatione Sanctitatis in ea obſequia prorumpat, Sacri Canones agnoverunt; unde in 3. Parte Decreti apud Ivonem cap. 54. ſic legitur; *De Eccleſiis, ſeu Sanctis noviter inventis, niſi Epiſcopo probante in ejus Territorio minime venerentur*: & hoc idem legitur in Capitularibus Caroli Magni, & in Synodo Atrebatenſi A. 1025. c. 2. hoc fundamento, *ne ſepultis temere Divina ſolvantur, & ut vita ſepulti examinetur, ſi ſecundum Evangelium fuit, & ne quis temeraria auctoritate*, ut apud Guillelmum Malmesberienſem Epiſcopum S. Anſelmus in ſua Synodo dixit, *Corporibus mortuorum reverentiam Sanctitatis exhibeat*. Hinc Eccleſiaſtica Hiſtoria plurimis referta eſt monumentis, quibus oſtenditur ſolemnes Corporum tranſlationes, & elevationes, quæ erant prima Eccleſiaſtici Cultus indicia erga Defunctos, nunquam ca ruiſſe Epiſcopali auctoritate, ut late oſtendit Fontaninus in ſua Diſſertat. de S. Petro Urſeolo, & ut demonſtrat Lupus in ſuis Notis ad IV. Concilium Romanum S. Leonis IX. apud quem Scriptorem non pauca etiam leguntur exempla pro remotione cultus erga eos, qui ex errore populi, nulloque præcedente Epiſcopali examine inter Beatos publico cultu fuerant recenſiti. De hoc antiquiſſimo Eccleſiaſtico examine loquitur Bencinus in ſua citata Diſſertat. de litteris Encyclicis c. 3. §. 1. n. 6., & inter cetera ſcribit quod *Eccleſiarum Antiſtites magna ſemper ſolertia, ſummoque ſtudio caverunt, ne cui Religioſum hunc cultum decernerent, qui ſuo re ipſa merito mactandus hoc honore non eſſet, ejuſque rei gratia invigilarunt, ut ex certis indiciis merita uniuſ cujuſque dijudicarent* [*licet Martyr occubuiſſet*] *ut cau-*

ſam

Digitized by Google

ſam Martyrii, vitamque Martyris penitus internoſcerent, eadem docuit Cyprianus qui cum in epiſtola ad Rogatianum Epiſcopum, & alios Confeſſores ſcripſiſſet *quoſdam infeciſſe eorum numerum, ut laudem præcipui nominis prava ſua converſatione deſtruerent*; addidit quod dignoſcere oporteret an in Eccleſiæ Catholicæ unitate mortui fuiſſent, an potius inani gloria, aut alio ſæculari motivo ducti paſſi fuiſſent, & ut demum cauſſa eorum mortis pateret, dicente Auguſtino, quod *Martyrem non facit pœna, ſed cauſſa*. In Africana Eccleſia hoc examen ad Primatem tantum deferebatur, ut adnotavit Lupus loco citato, quod cauſſæ fuit cur Savoſſajus, non alteri quam Primatibus examen hoc faciendum conceſſerit, adhibitis in Conſilium collegia Epiſcopis, ut ait in Apologia Theologica, pro Sanctorum cultu pag. 32. ſed revera communiter traditur extra Africanam Eccleſiam judicium hoc in unaquaque Diœceſi ad ſuum pertinuiſſe Epiſcopum, quo rite peracto, qui dignus Eccleſiaſtico cultu inventus fuerat, hoc honore non carebat, qui Altaris potiſſimum, aut Oratorii erectione, expleri tandem conſueverat ut comprobant ea, quæ in Sermone 310. Auguſtini leguntur, & illa quæ notavit Ammianus Marcellinus lib. 22. c. 21. quibus ſuffragatur Optatus lib. 3. n. 4. qui hunc morem in Donatiſtis reprehendit, qui Circumcelliones ſuos, quos Taurinus Comes publica auctoritate compeſcuerat, Martyres occubuiſſe jectabant, & honore erectionis Altaris eos proſequi auſi ſunt, & epiſtola Eccleſiarum Viennenſis, & Lugdunenſis, ad Eccleſias Aſiæ, & Phrygiæ apud Euſebium lib. 5. c. 1. ut Ioſeph Scaliger in animadverſionibus ad Chronicon Euſebii, apud quem Martyrium proprie, *eſt Altare impoſitum Martyrum cineribus*, quod Latine *Confeſſio* appellatur.

XXXI. Ex hoc autem quod Epiſcopali auctoritate Religioſus cultus alicui Martyri, vel Confeſſori eſſet aſſignatus, clare colligitur intra aliquam tantum Diœceſim, aut Provinciam cultum hunc definitum fuiſſe, cum Epiſcopale præceptum terminos ſuæ Diœceſis prætergredi non poſſit, cum Epiſcopi particulares, nec ſeorſim in Sedibus ſuis, neque in Conciliis congregati toti Eccleſiæ legem dare poſſint, neque eorum judicium certam fidem faciat; qua de re, ut ad alias Eccleſias perveniret, & ad univerſas etiam extenderetur, vel expreſſus, vel tacitus Romanæ Sedis interceſſit aſſenſus; & ita revera veteres Sanctos non certa lege, ſed conſuetudine univerſalis Eccleſiæ, non ſine expreſſa, vel ſaltem tacita Summorum Pontificum adprobatione canonizatos fuiſſe, communis eſt Theologorum ſententia, & late oſtenditur ex eo quod nullum ſolidum fundamentum occurrat ſuper quo nitatur fides, quam de certa, & indubitata Beatitudine habemus veterum Sanctorum Martini, Nicolai, Hilarii, Laurentii, Vincentii, Agnetis, Agathæ, & innumerabilium aliorum, qui non leguntur a Summis Pontificibus nominatim canonizati, ſicut noviſſimi ab aliquot ſæculis. Porro, ut id plenius intelligatur animadverſione dignum cenſemus, notitiam Martyrum, & Acta Martyrii eorumdem ex antiqua Eccleſiarum praxi conſueviſſe ad Romanum Pontificem tranſmitti, ut examinarentur, & Cultus eorum approbaretur. Ex pluribus monumentis id poſſet probari, ſed quia eorum [pleraque dubiæ ſunt fidei, unum eligimus Codicem, in quo exponitur Martyrium S. Vigilii Epiſcopi Tridentini, quem Codicem Mabillonius cenſuit bonæ notæ, & annos ſeptingentos ſuperare. In hoc igitur Codice ita legitur: *Geſta Beatiſſimi Martyris Vigilii, qui ſæculo IV. obiit (ut moris erat) Urbis Romæ Epiſcopo tranſmiſſa*

ſmiſſa

Digitized by Google

miſſa ſunt, ut Sacris Martyrum memorabilibus inderentur, quæ Venerabilis Papa legens cum omni veneratione ſuſcepit. Huc etiam facit, id quod ſcribit Magnus Gregorius in epiſt. 29. lib. 7. Indictione 1. ubi dicit: *Nos pene omnium Martyrum diſtincta per dies ſingulos paſſionibus collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus*. Quomodo autem potuiſſet in Eccleſia Romana hic Codex reperiri, niſi ab aliis Eccleſiis, & ab aliis Epiſcopis delata ad eam cenſenda ſit notitia eorum, qui in ſuis Diœceſibus moriebantur pro Chriſto, ut Apoſtolico munimine cultus eorum introduceretur, aut introductus confirmaretur? Et certe ſi fatentur omnes ab Eccleſia Romana, & a Summis Pontificibus admonitas fuiſſe ceteras ſibi ſubditas Eccleſias de illorum obitu, qui Romæ Sanguinem pro Chriſto fuderunt, dubitandum non erit ceteras inferiores Eccleſias Romanam certiorem reddidiſſe de illis, qui apud ipſas Martyres moriebantur, ut cultus apud illas permiſſus univerſalis Eccleſiæ approbatione ad Canonizationis terminos perveniret, quæ nihil aliud eſt quam Religioſi cultus extenſio ad univerſalem Eccleſiam, uti adnotarunt Lucas D. Acheri, & Mabillonius in Actis SS Ordinis Benedictini ſæculo 5. in Præfat. §. 6. n. 92. Sed ne in iis recenſendis, quæ dubia ſunt immoremur: Dicimus tandem mirum non eſſe, quod Eccleſiaſtica hiſtoria Actis non abundet, quibus ante Joannem XV. invicte probetur Romanos Pontifices Sancto alicui Religioſum cultum ſolemniter indixiſſe, cum ejuſmodi Cauſſarum definitio, ut conjiciunt Continuatores Bollandiani in Propyleo ad Acta Maji Diſſert. 20. fieret in Synodis, quas Romani Pontifices celebrari coram ſe faciebant, & quia ejuſmodi Synodorum Acta vix ſcribebantur, ſed ut in iis ſola voce decernebantur multa, ſic etiam approbabatur populorum Religio circa eos, quorum annunntiata Synodo Sanctitas, & miracula fuerant. Dixi *uſque ad tempora Joannis XV.*, quod ſatis non conſtet utrum Leo III. in Civitate Uverdenſi ſolemniter inter Sanctos Suuibertum retulerit, quod aliqui ſcripſerunt innixi cuidam Epiſtolæ S. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis, quæ de hac ſolemni Canonizatione agit, ſed quia hæc epiſtola ſeverioribus Criticis ſuſpicione non caret, & Morinus in Commentar. de adminiſtrat. Sacramenti Pœnitentiæ lib. 10. c. 20. vult hanc fuiſſe confectam ante forſan trecentos annos, aut ut maxime ante quadringentos nomine S. Ludgeri ab aliquo Verdenſi Monacho in ſui Monaſterii commodum, & gloriam. Brovverus vero in notis ad vitam S. Ludgeri c. 32. Sanfelicius in epiſtola, quam ediderunt Continuatores Bollandiani ad diem 26. Martii, Lucas D. Acheri, Pagius, aliique cenſuerunt ſuppoſititiam ſatis demonſtrari hanc epiſtolam ex iis, quæ in illa ſcribuntur de congreſſu Leonis, & Caroli Magni, itinerибuſque cum eo ſuſceptis, tum etiam ex eo, quod illa Canonizatio facta narratur eo modo, & Ordine, quibus nunc fiunt Canonizationes; tum demum quia contra morem illius temporis Cardinales præponit Epiſcopis. Hinc Mabillonio l. c. ad Sæculum III. pag. 243. viſum eſt Actum hunc ſolemnis Canonizationis adſcribere Leoni IX. quando hic Pontifex Coloniæ ab Herimanno Archiepiſcopo exceptus eſt quo eodem itinere Beatum Gerardum Tulli Leucorum Antiſtitem in numerum Sanctorum imputandum decrevit. Reliquum igitur eſt, ut iis aſſentiamur, qui primam ſolemnem Canonizationem Joanni XV. attribuunt cum in Lateranenſi Concilio B. Udalricum Epiſcopum Auguſtæ Vindelicorum Sanctorum Cathalogo adſcripſit, quem poſtea imitati ſunt poſteriores Romani Pontifices, ad quos ſemper

Digitized by Google

Canonizationum negotium delatum eſt, quod illis tantum reſervatum eſſe Catholica Eccleſia cognoſceret, ut dicitur in Tomo 2. Monaſtici Anglicani p. 125., & in Bulla Canonizationis B. Chunegundis Imperatricis, quam edidit Innocentius III., & in epiſtola Archiepiſcopi Viennenſis in Gallia, & Suffraganeorum ejus Gregorio IX. pro obtinenda Canonizatione S. Stephani Dienenſis Epiſcopi, & tandem ne monumenta ſingula perſequar, ut legitur in epiſtola Eduardi II. Angliæ Regis ad Stephanum Epiſcopum Londinenſem, in qua illum admonet, ut juxta Canonicas Sanctiones cohibeat populum fatue accedentem ad quamdam Tabulam in Eccleſia S. Pauli Londini exiſtentem, effigiem Thomæ quondam Comitis Lancaſtriæ exhibentem, quam abſque auctoritate Eccleſiæ Romanæ, tamquam rem ſanctificatam colebat, & adorabat, aſſerens ibi fieri miracula in opprobrium totius Eccleſiæ: qua de re communiter viſum eſt affirmari poſſe 1. ita pertinere ad Summum Pontificem Dei Servos in Beatorum, & Sanctorum numerum referre, ut id interdictum ſit Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis. 2. hoc jus non pertineſe ad Sacrum Collegium Cardinalium, licet Sedes Apoſtolica vacet. 3. neque ad Legatos de Latere. 4. neque ad Concilium Generale abſque interventu auctoritatis Pontificiæ, neque demum ad ipſum Concilium Generale, etiam ſi Sedes Apoſtolica vacet, cum in dictis circumſtantiis Concilium tantummodo exequi valeat ea, quæ pro Regimine univerſalis Eccleſiæ ſunt executioni demandanda. Ne quis autem miretur in his Aſſertionibus jus Beatificationis adimi Epiſcopis, Patriarchis, Primatibus &c., id enim vetuit Alexander III. in illa Decretali, quæ incipit *Audivimus* ſub numero 6. de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum, & quamvis tunc ab omnibus Epiſcopis hoc executioni mandatum fuerit, Controverſiam tamen omnem diremit Urbanus VIII A. 1634. qui fines Auctoritatis Epiſcopalis clare ſtatuit, & omnia ad cultum publicum Beatorum pertinentia, ipſamque Servorum Dei Beatificationem Sedi Apoſtolicæ reſervavit, quod non ſine Divini Spiritus inſtinctu factum eſſe credendum eſt, cum non raro deceptiones irrepſerint, quando privato Epiſcoporum judicio cultus in honorem alicujus in unaquaque Diœceſi, aut Provincia decretus eſt. Accedit etiam quod cum Cauſſa Beatificationis, & Canonizationis Servorum Dei una ſit de majoribus cauſſis, quæ inter Chriſtianos proponi poſſit, merito ad Sedem Apoſtolicam referenda eſt, ſic enim ſcripſit Innocentius I. ad Victricium Rotomagenſem: *Si autem majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit* [Nicæna videlicet can. 18.] *poſt Epiſcopale Judicium deferantur*, cui ſubſcripſerunt reliqui Patres, Leo epiſtola 4. c. 5. Hilarus Concil. tom. 4. p. 1043. epiſt. 8. c. 2. Vigilius ad Auxanium Arelatenſem tom. 5. Concil. p. 320., & demum Magnus Gregorius lib. 3. epiſt. 54. ad Virgilium Arelatenſem. Quod vero Beatificatio, & Canonizatio ſit de majoribus Cauſſis apparet, utpote quæ univerſam Eccleſiam reſpicit & multiplicibus, & gravibus difficultatibus obnoxia eſt, quæ in ea diſcutiendæ occurrunt; occurrunt etiam miracula examinanda, quæ attribuuntur fidei, hæc igitur quæſtio cum pertineat ad fidem, præcipue eſt ad Sedem Apoſtolicam referenda can. *quoties* 24. q. 1. ad quam Sedem cum præcipue ſpectet declarare dubia Scripturarum cap. *per Venerabilem* qui filii ſint legitimi, multo fortius dubia Sanctitatis, quia circa majora majus periculum vertitur: & tandem ne propter multorum Epiſcoporum ſimplicitatem populum decipi contin-

ſingat, & ne in infinitum Sancti multiplicentur, & ſic devotio refrigeſcat, & Sanctitas vileſcat, quod ultimum quidam male feriati homines objiciebant in contemptum Pontificiæ auctoritatis, ac ſi Romani Pontifices in infinitum Sanctorum numerum auxiſſent, cum tamen tot Canonizationes, nec factæ ſint, nec fiant, quot fieri exageratur, ut Elenchus ipſe Canonizationum a Romanis Pontificibus factarum plurium ſeculorum decurſu ſomniatam hanc frequentiam evidenter excludit. Id autem non eſt unum illud, quod hæretici homines objiciunt, nam VVicleffus, Kemnitius, Calvinus, & Petrus Molinius, inquiunt quod Romanus Pontifex canonizando ſibi uſurpat Divina, unde Pontificem, Eccleſiam, & Sanctos ipſos furore abrepti ferali voce impetunt, & Canonizationis materiam in jocos, & cachinnos ſolvunt, ſed Diabolicas illorum criminationes invictiſſimis argumentis proſtrarunt Eccleſiæ Romanæ Theologi, Juris Canonici Profeſſores, deinde etiam eruditiores, & in Eccleſiaſticis hiſtoriis peritiores, ut videri poteſt apud Gravinam in continuatione ſecundæ partis Catholicarum præſcriptionum. Romani Pontifices in Canonizatione, nihil aliud agunt, quam declarant hos, & illos Dei Servos virtutibus, inſigni morte, eximiiſque miraculis præfulgentes, & ſic in Cœlo triumphantes in Eccleſia colendos eſſe, & quia dum hoc agunt debitum, & rigoroſum jubent examen præcedere, hinc occaſionem arripiunt hæretici clamandi, quod Papa ſibi aſſumit in Canonizatione Divinam poteſtatem, Perverſam hanc Heterodoxorum hominum indolem egregie deſcripſit Sauſſajus in ſua Apolog. §. 9. cum inquit: *Si Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & Romana Sanctos ſine ulla Fidei, & meritorum indagine, vel Perſonarum delectu honoraret, tunc clamarent adverſarii eam promiſcue Baal cum Chriſto miſcere, tenebras cum luce confundere, nec diſcernere a juſtitia iniquitatem; cum vero omni ſedulitate, ac diligentia, maturique examinis libra, ac ſeveri judicii cenſura Eccleſia ipſa Sanctos inquirit, ac vindicat, pretioſumque a vili ſic diſcernit, ut inter Sanctos memoria venerandos nullum cooptet, niſi quem certo comperit Deo, fidei, & operis ſinceritate fuiſſe acceptum; quotquot autem utriuſque hujus Divinæ dotis teſtimonio carent ex Albo Sanctorum ablegat, impioſque quoſvis, nec colit, nec recolit, ſed a Faſtis ſuis proſcribit, & execrandos judicat; tum nihilominus ipſimet Adverſarii eam dilacerant, Divinaque, & ſibi uſurpare, dum Sanctos nominat, & Sanctis tribuere dum decernit colendos, importune clamitant, atque perperam calumniantur.*

XXXII. Nunc dubitatur utrum Romanus Pontifex aliquando ipſam Cauſſæ Canonizationis definitionem prudentiæ, & arbitrio nonnullorum delegaverit, & verum ne ſit, quod aliquando Generale Concilium abſque interventu auctoritatis Pontificiæ in Beatorum, & Sanctorum numerum aliquem retulerit, primum creditur contigiſſe ſub Benedicto Papa VIII. ſub Urbano II., & ſub Clemente III. in cauſſis Canonizationis B. Simeonis Eremitæ, B. Nicolai Peregrini Tranenſis, & B. Othonis Epiſcopi Bambergenſis. Alterum traditur Concilio Conſtantienſi, de quo fertur in Beatorum, & Sanctorum numerum retuliſſe Rocchum, & egiſſe de Beatificatione Petri de Lucemburgo Epiſcopi Methenſis, & poſtremo litteras Remiſſoriales expediviſſe pro formanda inquiſitione ſuper vita, & miraculis Nicolai Lincopenſis, Brimulphi Scarenſis Epiſcoporum, & Ingridis Monialis Ordinis Prædicatorum. Ad primum autem quod ſpectat, notorium eſt, quod ſcribit Alphonſus de Caſtro in ſuo Tractatu de juſta Hæreticorum punitione Tom. 2. cap. 6. editionis Pa-

Digitized by Google

riſienſis A. 1578. p. 45. *Nunquam ab ipſis Eccleſiæ primordiis*, inquit, *ad hoc uſque Sæculum auditum fuit, ut Papa alicujus Sancti Canonizationem Legato ſuo committeret*, idem repetit Cardinalis Petra in Commentar. ad Conſtit. Apoſtol. Tom. 1. p. 533. concludendum igitur eſt nullo niti fundamento, id quod a nonnullis in contrarium aſſeritur; & certe Arnoldus VVion in Ligno Vitæ Tom. 2. lib. 3. *Simeon*, inquit, *connumeratus eſt in numerum Sanctorum a Benedicto Papa VIII. petente, & rogante Illuſtriſſimo Duce, & Marchione Bonifacio Tedaldi filio*, idemque repetit Benedictus Bacchenus in hiſtoria Monaſterii S. Benedicti Padolironis lib. 1. p. 31. niſi fortaſſe melius dicendum ſit hunc Simeonem a Benedicto VIII. tunc beatificatum fuiſſe, ut probat Scacchus in ſuo Opere de Notis, & ſignis Sanctitatis Sect. 10. c. 5. quod non officit aſſertioni noſtræ, quæ contendit Bonifacium VIII. non detuliſſe ad Bonifacium Marchionem, aut quemcumque alium definitionem cauſſæ Canonizationis B. Simeonis. Nec aliud erui poteſt ex Diplomate Urbani II. ad Biſantium Archiepiſcopum Tranenſem in cauſſa Canonizationis B. Nicolai Peregrini, niſi quod Urbanus II., commiſerit eidem Archiepiſcopo ſecundum conſuetudinem tunc vigentem, ut re maturius conſiderata ad ejus Beatificationem procederet, nullibi enim legitur, quod Papa annuerit huic Canonizationi, & quod Archiepiſcopus Biſantius Nicolai cultum extra ſuam Diœceſim, vel Provinciam dilataverit, nec ejuſdem cultus prolatio, ſive extenſio ex Urbani Diplomate eruitur, quod inſcriptum tantum eſt: *Clero, & Ordini, Nobilibus, & Plebi Trani conſiſtentibus*: imo ſi conſideretur, id quod idem Urbanus reſpondit Benedicto Abbati Rempeſſegenſi poſtulanti, ut inter Sanctos referret Gulgoſium Anteceſſorem ſuum, ſcilicet, *quod Sanctorum quiſque non debet Canonibus admiſceri, niſi & teſtes adſint, qui ejus miracula viſa ſuis oculis atteſtentur, & plenariæ Synodi firmetur aſſenſu*, quod reſponſum legitur in ejus epiſtola Tom. 4. Galliæ Chriſtianæ, profecto nullus ſibi perſuadebit eumdem Urbanum voluiſſe integram Canonizationis Peregrini Cauſſam Archiepiſcopo Tranenſi committere. Nullo etiam nititur fundamento, id quod additur de Canonizatione B. Othonis Bambergenſis Epiſcopi, obſtat enim huic opinioni epiſtola ejuſdem Clementis III. ad Bambergenſes relata in Codice Canonizationum; & id quod ſcribitur, tum a Ricciolio in Opere, cui titulus *immunitas ab errore, tam ſpeculativo, quam practico definitionum S. Sedis*, lib. 1. c. 6 n. 1. tum ab Ebbone Monacho apud Bollandianos Tom. 1. menſis Julii n. 151. hic enim in lectionibus poſt vitam S. Othonis. ita loquitur: *Anno Dominicæ Incarnationis* 1189. *Clemens III. Romanæ Sedis Antiſtes eorum, qui hujus negotii auctores extiterant atteſtationes recepit, habitoque Fratrum, qui preſentes erant conſilio Sanctiſſimum Confeſſorem Dei Othonem Sanctorum Cathalogo adnumerandum decrevit. Eo igitur canonizato executionem Translationis Venerabilibus Epiſcopis fratribus ſuis delegavit. Proinde anno a diſſolutionis ſuæ tempore* 50. *Apoſtolici executores mandati, ſuo reverenter functi ſunt officio*. Verba Clementis ſunt hæc *Diſcretioni veſtræ* [ſcribebat Pontifex Epiſcopis Marſeburgenſi, atque Eiſtetenſi] *per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus de vita ipſius, & miraculis diligentius inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata; & ſi non inveneritis aliquid, quod obſiſtat, ipſum Canonizatum, Authoritate freti Apoſtolica, ſolemniter, & publice nuntietis*. Non dixit *Canonizetis*.

Nunc

Digitized by Google

Nunc redeundo ad ea, quæ tradita ſunt de Concilio Conſtantienſi dici- mus falſum eſſe, quod hoc Concilium in Sanctorum Album retulerit S. Rochum, cui ſtatim, ab obitu publicus cultus approbantibus Epiſcopis conceſſus eſt. Concilium Conſtantienſe tantum præcepit quod ejus imago ad propulſandam ingruentem luem ſolemni pompa, per Urbem deferretur, ex hoc autem quomodo inferri poteſt, tunc ei fuiſſe exhibitum publicum cultum, & tunc fuiſſe Canonizatum? Neque Petrum de Lucemburgo Concilium hoc inter Beatos referendum cenſuit, ſed geſta pro ejus Cauſſa Martino V. adſcribuntur, qui tamen eamdem non perfecit, ſed Clemens VII. ut conſtat, ex ejus litteris, quas expedivit die 9. Aprilis A. 1527., & quæ legi poſſunt apud Launojum in Parte 1. epiſtolarum ſecundæ edit. Pariſienſis A. 1675. in epiſtola ad Ludovicum Marreſium, & in Actis Bollandianis Tomo 1. Menſis Julii pag. 611. n. 17. Quod tandem narratur de Cauſſis Nicolai Lincopenſis, Brimulphi, & Ingridis monialis, hoc unum probat Conſtantienſes Patres commiſiſſe nonnullis, qui Concilio aderant, ut de more inquirerent, ſuper eorum Vita, & Miraculis. Verum nullus etiam ignorat, quod Martinus V. ad Summum Pontificatum evectus, ſuæ ſuper his impertitus eſt auctoritatis adminiculum, commiſſiones, nec non mandata, ac litteras hujuſmodi, & omnia inde ſecuta rata habuit, & grata, illa Auctoritate Apoſtolica laudavit, approbavit pariter, & confirmavit, ac ſui ſcripti patrocinio communivit ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſant interveniſſent in eiſdem. Legantur hæc in Tom. 2. Bullarii Ordinis Prædicatorum, quod accurate collegit, & Notis illuſtravit Bremond. Quæ ſingula certe concludunt, ex nullis, ex recenſitis factis quidquam legitime deduci poſſe adverſus ea, quæ ſtatuimus, de Auctoritate Romani Pontificis, in Sanctorum Canonizationibus. Conſulatur Benedictus XIV. in ſuo egregio Opere de Canonizatione Sanctorum, ubi materiam hanc cumulatiſſime pertractavit.

Propoſitio V. *Canonum Diſpenſationes, quarum eſt in politia, Eccleſiaſtica frequentiſſimus uſus Summo Pontifici præcipue concreditæ, non minus quam ſuperiora convincunt Apicem Auctoritatis ſolum Romanis Pontificibus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Rectoribus convenire.*

XXXIII. Servandorum Canonum ſtudium Romani Pontifices, per omnes ætates perpetuò, & verbis, & factis teſtati ſunt, & ſatius duxerunt aliquando ſciſſionem Eccleſiæ perpeti, quam conivere, ut Canonibus aperta vis inferretur. Occidentis, & Orientis communio ad tempus interrupta propter damnatum Chryſoſtomum in Synodo ad Quercum contra Canonum præſcripta, rei hujus inſigne præbet exemplum. Illud vero confirmant tum epiſtolæ Zozimi in cauſſa Arelatenſis Epiſcopi: tum Bonifacii cura in oſtendenda Patrocli præſumptione: tum Leonis conſtantia in reprobatione canonis XXVIII. Synodi Chalcedonenſis, quod contrarius eſſet Canonibus Nicænis, ut ipſe declarat in ſuis litteris ad Pulcheriam Auguſtam; tum demum, ne ſingula perſequar, Hilari hoc idem oſtendit tum Reſcriptum, Epiſcopis quibuſdam Gallicanis, in quo candide, & ingenue fatetur nullum eſſe id, quod a ſe per obreptionem contra canones elicitum fuerat, vimque Regulis illatam in Domini injuria cedere, tum ejuſdem aſſertum in Concilio Romano A. 477. in quo Magni Leonis premens veſtigia, in ſe reatum omnem transfert, ſi Conſtitutiones canonum,

vel

vel Apoſtolicæ Sedis decreta, aliquem temerari permittat. Non deſcivit a ſententia Deceſſorum Gelaſius in epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ, *in qua pium & devotum eſſe*, ait, *Romanæ Sedis propoſitum, ut paternas regulas retineat*, & in epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, ubi hujus propoſiti rationem reddit his verbis; *quia Romana Sedes unamquamque Synodum, & ſua auctoritate confirmat, & continua moderatione cuſtodit*. Neque ceteri Pontifices aliter unquam pronuntiarunt, quin imo ſolemnem ſervandorum Canonum profeſſionem inaugurationis ſuæ tempore edere conſueviſſe, ex pluribus exemplis, quæ in Annalibus Eccleſiaſticis leguntur docuit Ivo in ſuo Decreto pag. 4. & epiſt. 60. & 75. quod illis ſemper viſum ſit Canones non poſſe ſine Magno diſſidio negligi, ut eleganter obſervarunt Auctor Conſtitut. Apoſtol. lib. 8. c. ultimo, Leo I. in epiſtola 66. quam ſcripſit ad Maximum Antiochenum, & Symmachus in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, in qua dicit: *Univerſalis Eccleſiæ concordiam præcipue adoleſcere, ſi ea quæ a PP. ſtatuta ſunt, ætas ſubſequens reverenter obſervat*,

XXXIV. Quamquam vero apud veteres nunquam daretur venia Canonis infringendi, infracti tamen, & violati pœna, ob graviſſimas cauſſas aliquando remittebatur. De hac remiſſione agit Eulogius Epiſcopus Alexandrinus in libris quos ſcripſit adverſus Novatum, qui pœnitentiæ beneficium lapſis ſub Decio denegabat, & ad eamdem referuntur verba Innocentii I. quæ in Decretalibus c. 22. leguntur, in quibus dicitur quod *obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior fuit*; & eo tendunt etiam Decreta tum Nicæni Concilii, tum Ancyrani, quæ minuendæ pœnæ poteſtatem Epiſcopis tribuunt, & eadem humanitate Laicos proſequi, etſi quatuor Pœnitentiæ laborioſiſſimos gradus non ſubiiſſent, poſtquam criminibus a canone vetitis ſe obſtrinxiſſent, quod hæc venia neceſſaria illis Patribus viſa ſit, ne triſtitia pœnæ diuturnioris in diſperationem adduceret pœnitentes, quos propterea ad Sarracenos deficere aliquando, & non raro ad Paganos Zonaras, & Rodulphus Bituricenſis Archiepiſcopus monuerunt. Non ſolum autem exempla occurrunt in veteri Diſciplina conceſſæ veniæ in eo genere pœnarum, quæ criminibus errogabatur, ſed apud Athanaſium in epiſtola ad Rufinum legitur quoque indulta venia a Synodis in Græcia, in Hiſpania, ceteriſque Provinciis, pœnis illis, quæ Degradatione, & dejectione contrahebantur [hodie diceremus cum irregularibus eſſe diſpenſatum poſt Ordinationes] & eo præſertim tempore contigit cum propter Conſtantii impietatem Clericorum plurimos Ariana communione pollutos eſſe conſtabat, ne forte poſtquam Clerici ſic infecti expulſi eſsent, eorum Eccleſiæ Arianis traderentur. In epiſtolis etiam laudati Innocentii ad Epiſcopos Synodi Toletanæ leguntur toleratæ Ordinationes tum Epiſcoporum, quæ vitioſæ erant, quia factæ ab Epiſcopis in alienis Eccleſiis contra Nicænos Canones omiſso Metropolitano, tum inferiorum Clericorum ob neglectas conditiones, quas in Perſonis ordinandis Canones requirebant, nempe ne, aut a foro, aut a militia, aut e curialibus aliqui ſtatim adſciſcerentur ad Sacerdotium; Imo ipſa Nicæna Synodus Catharis, ſive Novatianis ad Eccleſiam redeuntibus indulſit, ut accepta manus impoſitione manerent in Clero; quod privilegium Chartaginenſis etiam Concilii Patres ſub Anaſtaſio Rom. Pontif. eodemque annuente, ſpeciali Decreto Donatiſtis conceſserunt propter Eccleſiæ pacem, ut ipſi inquiunt c. 35. & utilitatem, quam pacem, & utili-

tatem

catem reſpexerunt quoque Leo, & Simplicius Romani Pontifics, cum ille permiſit Anatolio ordinato a Synodo Epheſina II. quæ nulla erat, ut retineret Epiſcopatum, & cum Maximo Antiocheno contra Canones ordinato, vitium illud indulſit; hic vero cum ſimile vitium Stephani in gratiam Imperatoris Zenonis diſſimulavit.

XXXV. Præter recenſitos hos Caſus, in quibus ex antiqua Eccleſiæ Diſciplina infracti Canonis venia concedebatur, nullum addi poteſt teſtimonium quo doceamur a Veteribus omnem veniam infringendorum Canonum alicui collatam fuiſſe, quia potius eorum violatores ſtatim Canonica pœna plectebantur, niſi manifeſta ratio aliud ſuaſiſſet. Invaluerat olim Opinio Gregorium III. diſpenſaſſe cum Franco quodam, ut avunculi ſui uxorem duceret, contrarium tamen reſcripſit Zacharias Bonifacio Moguntino de hoc indulto conquerenti: *Abſit*, inquiens, *ut hoc prædeceſſor noſter ita credatur præcepiſſe. Neque enim ab hac Apoſtolica Sede illa diriguntur, quæ contraria eſſe Patrum, ſive Canonum inſtitutis inveniantur*. Dixi *omnem veniam*, ut adverterem quod Gelaſii ætate, cum fame, & bello devaſtata eſſet Italia, exacta diſciplina, ad tempus remiſſa fuit, ut ſtatus Eccleſiaſtici reſtitutioni conſuleretur; hic enim Pontifex miniſtrorum Officia, in Eccleſiis reparaturus promotionum Eccleſiaſticarum intervalla antiquis decretis præfixa, ad tempus remiſit, quod tamen, *ſe agreſſum eſſe*, ait in epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ, *neceſſitate cogente, & ut accedenti defectui provideretur, non ut novam legem proponeret adverſus ſcita Majorum, quæ ubi nulla rerum, vel temporum perurgeret anguſtia, regulariter*, inquit, *convenit cuſtodire*, & revera laudatus idem Zacharias Bonifacio enixe poſtulanti, ut ſibi liceret Epiſcopum ſucceſſorem eligere ſe vivente: *hoc nulla ratione* reſpondit *concedi patimur, quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta Patrum eſſe monſtratur*; eidem tamen indulſit, quod ea hora, qua ſe cognoſceret moriturum præſentibus ceteris ſibi eligeret ſucceſſorem.

XXXVI. Corrupti Sæculo XI. mores Diſciplinæ tenorem immutarunt, & præſertim ſubditorum contumacia, & freques in Eccleſiis Canonum contemptus, unde Romani Pontifices potius quam Eccleſiarum Rectoribus præciperent, ut Reorum multitudinem a depravatis eorum moribus vindicta deterrerent, ſatius eſſe duxerunt, Canonibus liquos ſolvere, & ita infractarum legum reatus vitare. Cauſſam hanc expoſuit Anſelmus, qui circa illa tempora floruit apud Juretum in notis ad Epiſtolam Ivonis, optimumque fuiſſe hoc ab Apoſtolica Sede paratum remedium, viri & doctrina, & pietate clariſſimi tradiderunt, Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus, in ſua epiſtola, quæ edita eſt, in Tomo 4. Spicilegii pag. 250. ita ſcribit: *Multa ex loco, multa ex tempore, multa ex perſonis differentius fiunt. Rector Eccleſiæ non nunquam, aut diſſimulabit, aut faciet qua accuſat. Cum viderit malum ſchiſmatis iminere, Canonum ſcita mutabit. Debet ceſſare Cenſura, cum diſſolvitur unitas, Caritas læditur, Pax vacillat*. Non aliter ſenſit Ivo variis in locis, nec alia tradiderunt Golfridus Vindocinenſis, & S. Bernardus, quorum alter Calixto, & alter Eugenio declararunt quis modus ſequendus eſſet in diſpenſationibus, quæ tunc in anteceſſum concedebantur, quare non niſi cum Novatoribus quis ad Curiam Romanam hujus remiſſionis omnem culpam revocabit, & non ſine ſuxima injuria Romanæ Sedis dictum audivimus, quod in diſpenſationibus Chriſtiana fides periclitetur, cum Pontifices Romani nonniſi ſalvo fidei fun-

da-

damento, & nota communi regula morum, reliqua infirma faciant, aut tolerent, ut ſubditorum vitam in propoſito ſuæ Sanctitatis valeant continere, quod patet evidentiſſime legenti ea, quæ a Romanis Pontificibus prærequiruntur, ut cum aliquo poſſint diſpenſare, de quibus late agunt reſcripta Sedis Apoſtolicæ, Juris interpretes, & varia Concilia, præſertim vero Tridentinum in Seſſ. xxv. c. 18. ubi hæc leguntur: *ſciant univerſi Sacratiſſimos Canones exacte ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens, juſtaque ratio, & major quandoque utilitas poſtulaverit, ut cum aliquibus diſpenſandum eſſet, id cauſſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis, a quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit erit præſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur*: Neque unquam aliter quam ſub his regulis fuiſſe per Romanos Pontifices diſpenſatum in Votis in Beneficiis, in Jrregularitatibus, & Matrimoniis, ii bene norunt, qui nullis præconceptis opinionibus, diuturnaque cum diligentia argumentum hoc pertractarunt.

XXXVII. Unum eſt quod in Decreto Concilii Tridentini non legitur, nimirum Canonum diſpenſationes Summo Pontifici eſſe concreditas, ſed hoc nihil officit ſententiæ noſtræ, nam cum tempore hujus Concilii diſpenſandi auctoritas in gravioribus ſingulis materiis eſſet ad Sedem Apoſtolicam devoluta, ſive Sedi Apoſtolicæ reſervata eſſet, Patribus viſum non eſt hoc definire, ſed ſatis eſſe putarunt regulas in materia diſpenſationum ad Romanum Pontificem dirigere, ut ipſe tamquam fidelis diſpenſator conformiter ad has regulas ſua in diſpenſando auctoritate uteretur. Porro reſervationem diſpenſationum Romanæ Sedis præceſſiſſe tempora Concilii Tridentini, longa inductione probatur. Invenitur enim quod in Impedimentis Matrimonium dirimentibus Alexandro III. agente Summo Pontifice vetitum fuit Epiſcopis diſpenſare, qui nec diſpenſare potuerunt cum Bigamo ad omnes Ordines, nec ut Clericus in titulum plura haberet Beneficia curam animarum hahabentia. Circa eadem tempora nulli Epiſcoporum licuit diſpenſare, in voto ſolemni Paupertatis, & continentiæ, in matrimonio rato non conſummato, in juramentis, pactis, & privilegiis in limine fundationis, aut cum clerico ſæculari, qui in excommunicatione recepiſſet ordines, etiam ſi ab illa excommunicatione poſſent Epiſcopi abſolvere. Nunquam etiam ante Concilium Tridentinum auditum eſt, per diſpenſationem Epiſcopalem ſimplicem Sacerdotem Chriſma contuliſſe, pias diſpoſitiones, tam in ultima voluntate, quam inter vivos fuiſſe commutatas, & Laicos admiſſos fuiſse cum Collegialibus ad eligendum; aliaque his ſimilia contigiſse, de quibus latiſſime DD. diſputant variis in locis. Cæterum non tantum jure reſervationis ad Romanos Pontifices ſpectat diſpenſandi facultas, ſed quia omnis, quæ in Epiſcopis reperitur juriſdictio, ut alias docuimus, ab ipſis Rom. Pontificibus in Epiſcopos in ſua Diœceſi generaliter emanavit; in hac tamen conceſſione non veniunt multa, & illa præcipue, quæ ſpeciali indigent commiſſione, ut cap. *Quod translationem* de Offic. Leg. c. 2. de Offic. Vicar. & c. *qui ad agendum* de Procur. in 6. & lege 1. in princip. ff. de Offic. ejus, cui mandanda eſt jurisdictio. quemadmodum non veniunt ea, quæ veriſſimiliter non eſset quis ſpecialiter conceſsurus c. *in generali* de Reg. Juris in 6. l. *obligatione generali* ff. de Pignoribus l. *qui peculii* ff. de Peculio; item majora non committuntur ſine ſpeciali mandato l. *Pomponius*, & l. *mandato* ff. de Procur., & propterea

etiam

etiam ſecluſis reſervationibus Apoſtolicis in Univerſali Eccleſia Diſpenſationum omnium regula Pontifici concredita eſt in apicem ſuæ auctoritatis, quia ipſe eſt Succeſſor Petri, & Vicarius J. C. unde omnia regit, ordinat, & diſponit prout ſibi placet, & qui dummodo non faciat contra fidem, omnia poteſt, nec ullibi apparet hanc poteſtatem fuiſſe Epiſcopis conceſſam, niſi a Romano Pontifice in quibuſdam caſibus, & præviis aliquibus circumſtantiis, & ſub quibuſdam clauſulis, & conditionibus, quas hic recenſere ſupervacaneum eſt. Hoc unum addimus non tantum ſolere Pontifices Romanos Juri Canonico derogare per diſpenſationes, ſed etiam per varia privilegia, quæ ab eiſdem indulgentur, ſive hæc ad tempus, vel perpetua ſint, ſive perſonalia, vel realia, & hujuſmodi ſunt Exemptiones Regularium, & Capitulorum quorumdam ab Epiſcoporum Juriſdictione contra Decretum Concilii Chalcedonenſis, quæ privilegia licet primum profecta ſint *ob immodeſtiam Epiſcoporum*, ut dixerunt Gregorius VII. in epiſtola ad Taurnenſem Epiſcopum & Alexander II. in ſua epiſtola 19. tandem a ſola Pontificum liberalitate, & gratioſo beneficio prodierunt. Ad Jus Divinum, aut Naturale Pontificias Diſpenſationes non porrigi fatentur omnes Theologi, & ſaniores Juris Canonici Interpretes, quia non licet Pontifici Jure ſuo aliquem ab obligatione Juris Divini, & Naturalis eximere, licet jura illa interpretari poſſit, quod egregie explicat D. Thomas Quodlib. 9. a. 15. ait enim: *Sunt quadam actiones, quæ abſolute conſiderata inordinationem, & deformitatem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus bona efficiuntur*, ſicut non reſidere propter incompatibilitatem in beneficio curato eſt per ſe malum; tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire, *ita honeſtantes actum, ut prædicta inordinationes totaliter evacuentur, ut puta ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequi, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantumdem abſens, quam alius præſens, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi, & tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantum ſecundum jus naturale, quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ſolum ad poſitivum. Nunc autem certum eſt per antiqua jura hoc eſſe prohibitum, & ideo neceſſaria eſt diſpenſatio, etiam illis circumſtantiis ſupervenientibus, quæ ſecundum conſiderationem juris naturalis actum poterant honeſtare*. Hæc S. Thomas. Merito igitur Almainus Gloſſarum auctores, & pleroſque Juris Canonici interpretes arguit, quod aſſerant, ex cauſſa Pontifici liberum eſſe, ut circa jus illud diſpenſet, quod dicendi genus repudiari debet, cum Summus Pontifex proprie non diſpenſet, ſed interpretetur jus Divinum in eo caſu propter aliquam circumſtantiam non obligare.

XXXVII. Merito etiam arguuntur Theologi illi, & illi Canonici Juris interpretes, qui dum cauſſam diſpenſationum inquirunt, hanc non invenientes, Diſpenſatorem ipſum redarguunt, nec licitam, nec validam eſſe ejus diſpenſationem contendunt, maxime ſi de Romano Pontifice hæc controverſia moveatur. Quis enim ignorat poſitivas leges omnes, quæ fundatæ non ſunt in aliqua ratione deſcendente a Jure Divino, vel a dictamine rationis mere naturalis, ut laudatus Præceptor Angelicus docet Quodl. 9. a. 5., & quæ præſertim jura tertii, vel publicum ſtatum non lædunt, ab ejus nutu pendere; ita ut ſola liberalitas Papæ ſufficere poſſit pro cauſſa diſpenſationis? Sed neque illis aſſentimur, qui in perpetuo uſu, ut ipſi ajunt, a quadringentis

Digitized by Google

circiter annis in Romana Curia recepto, præcipuum diſpenſationum fundamentum conſtituunt, & aſſerunt ex hoc uſu tantum pendere, quod irregularitates tollantur, impedimenta Conſanguinitatis, & Affinitatis in tertio, vel quarto gradu amoveantur, Beneficiorum pluralitates concedantur, pœnis a Canone indictis illi eximantur, qui diſpenſationibus talibus utuntur, neque eorum ordinationes vitioſæ cenſeantur, nec de matrimoniorum viribus dubitetur, neque ſtatus liberi quæſtiones ex ejuſmodi nuptiis editis moveri poſſint &c. cum apud iſtos nullum extet, aut ab illis proferatur exemplum hujuſmodi diſpenſationum, in quibus ſola Pontificis voluntas legitimæ cauſſæ vim habuerit, vel tollendæ, vel ſolvendæ legis per diſpenſationes alioqui indebitas; e contra vero innumera decreta Pontificum Romanorum ſubreptitias, inanes, & irritas declarant illas diſpenſationes, quæ ementitæ cauſſæ narratione extorquentur. Infertur ergo, quod non Conſuetudinis vis toleravit diſpenſationes in iis, quæ a Conciliis Oecumenicis instituta ſunt in gravioribus negotiis, hoc eſt ne Epiſcoporum Conſecrationes inconſultis Metropolitanis fierent, ne duabus Eccleſiis Clericus unus adſcriberetur, ne permitterentur Epiſcopatuum Succeſſiones futuræ, aut præſentationes in ceteris Beneficiis per reſignationes, quæ vulgo in favorem nuncupantur &c. ſed legitima cauſſa diſpenſationes conceſſit, ita tamen ut nihil indulgeatur propter privatum petentium commodum, niſi meritis aliunde inveniatur, & quin utilitas publica compenſetur, ut colligere licet ex præfatione Ivonis, quam Decreto ſuo præfixit, ex Bernardo lib. 3. de Conſideratione, & ex aliis. Porro legitimis præſuppoſitis cauſſis, ubi fuerit, aut quomodocumque a Pontifice in Jure Canonico, etiam per derogationem diſpenſatum, nulli licere agere contra Papæ Reſcripta, ea oſtendunt, quæ Romani Pontifices præſtiterunt reſcindentes, ſi quid contra illa quomodolibet, & a quolibet fuiſſet attentatum, additis excommunicationibus in contumaces, ex quo patet nihil reliqui penes Epiſcopos eſſe, quam Pontificiis his reſcriptis parere, & a Pontificis nutu pendere. Leonis IV. comminationes referuntur ab Ivone 5. Parte Decreti c. 35. petitæ e Concilio 72. Epiſcoporum: *Si quis Dogmata, Mandata, Sanctiones, Interdicta, vel Decreta pro Catholica Fide, pro Eccleſiaſtica diſciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione ſceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum a Sedis Apoſtolicæ Præſulibus ſalubriter promulgata contempſerit Anathema ſit*, qui rurſum capite 36. adiicit Gregorii VII. gravem ſententiam, in qua legitur *Idolatriæ peccatum incurrere illum ex Samuelis teſtimonio, qui Apoſtolicæ Sedis noluerit obedire præceptis*, quod ajebat etiam Magnus Gregorius, niſi fortaſſe Romano Pontifici ab aliquo obreptum fuiſſet, in quo caſu poſſent Epiſcopi inferiores decretorum executionem ſuſpendere ſine injuria Romanæ Sedis, quod ex privilegio B. Petri illa lata non ſint, cujus privilegii vis eo tendit, ut aboleantur potius, quam cumulentur peccata, quod accidit cum ad Superiora peccata, fallaciæ, & circumventionis crimen accedit. Qua de re cum id contingebat antiquitus, Epiſcopi ſtatim ad Romanum Pontificem reſcribebant; ſi tanti eſſet res controverſa, ut diligentiam illam exigeret, ut poſſent de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere, quemadmodum loquitur VIII. Synodus in can 24. de iis quæ diſceptantur cum Eccleſia Romana. Alia nunc ſunt tempora, alii mores, aliique variis in regionibus uſus, & non minus in

San-

Digitized by Google

Sanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quam in injuriam ipſius Domini proſilitur.

XXXIX. Inquiet aliquis ipſam Apoſtolicam Sedem ſedulo jam proſpexiſſe Reſervationibus Gratiis, aliiſque Diſpenſationibus in perniciem Canonum inductis, cum Leo IV. Ludovico II. Imperatori arbitrium detulit, ut ſiquid a ſe incompetenter, ideſt ultra fines juriſdictionis ſuæ actum eſſet, ſuo, Miſſorumque ſuorum judicio emendaret. Verba hujus privilegii refert Gratianus in cap. *nos ſi incompetenter* 2. q. 7. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtum legis tramitem non conſervavimus, veſtro, ac Miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio*. Itemque legitur Galliarum Reges privilegium habere, quod externus, & alienigena non poteſt beneficiari in ſuo Regno ſine ejus permiſſione: Aliis Principibus, Republicis, & Civitatibus quorumdam Canonum cuſtodiam commiſſam eſſe, ut pro arbitrio iiſdem utantur. Ex hac autem reſponſione hoc unum infertur adprobari diſpenſationes infringendorum Canonum illorum, quibus temporalis aliqua utilitas impediatur, e contra acriter oppugnari diſpenſationes illas, quas evidens Eccleſiæ utilitas cognoſcit eſſe neceſſarias. Verum diſtinctionem hanc maxime injurioſam eſſe Eccleſiæ, eaque Juriſdictionem Eccleſiaſticam turbari plurimum, nemo eſt qui non videat. Abuſum hunc ſuorum temporum Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis in Parte 2. ſui Tractatus de Celebratione Concilii Generalis titulo 70. perſtrinxit, cujus verba quiſque lubens conſulet loco cit. perſtrinxerunt nobiliſſimi alii Scriptores, nec ſiluerunt ipſi Rom. Pontifices, cum ex hoc abuſu obſervarunt, tum oppreſſam Sacrarum Electionum libertatem, tum Sacrilegam Epiſcopatuum, Abbatiarumque nundinationem contra Apoſtolicos Canones, Conciliorumque Oecumenicorum Decreta Niceni 1. in canone 6. II. in can. 5., & Conſtantinopolitani IV. in can. 12. Enim vero patent omnibus ea, quæ contra abuſum hunc verbis, & factis VII. Gregorius geſſit cum Inveſtituras prohibuit, damnavitque in frequentibus Synodis, quas Romæ coegit. Nullus etiam ignorat Gregorii VII. Decreta Victorem III. innovaſſe, atque confirmaſſe in Synodo Beneventana, nec aliter ſenſiſſe Urbanum II. in Conciliis, quæ Melphiæ, Claromontii, & Romæ celebravit, Paſchalem quoque ſecundum in ſuis litteris ad Henricum V. Angliæ Regem, quæ exhibentur ab Eadmero lib. 3. hiſtoriæ Novorum, & in Synodis Lateranenſi, Guaſtallenſi, Trecenſi, Beneventani, iterumque Romana A. 1112., & 1116. in quibus, ut ſcribit Abbas Urſpergenſis in Chronico privilegium Inveſtiturarum, quod A. 1111. in tentoriis conceſſiſſe videbatur Henrico V. Imperatori obliterare volens iterans ſententiam Papæ Gregorii VII. Inveſtituram Eccleſiaſticarum rerum a Laica manu rurſus excommunicavit ſub anathemate dantis, & accipientis. Leguntur adhuc Decreta Caliſti II., qui eaſdem Inveſtituras in Concilio Rhemenſi damnavit, & Henricum Imperatorem eas pertinaciter retinentem excommunicavit; qui tandem Imperator, ut teſtatur laudatus Urſpergenſis loco cit. ad A. 1120. in generali Conventu apud VVormatiam cum Eccleſiaſticas Inveſtituras, ceteraque Spiritualia negotia, quæ tanto tempore Reges Teutonici adminiſtraverant, quæque ipſe, ne Regni diminueretur honor, nunquam vita comite ſe dimiſſurum propoſuerat, humiliatus pro Chriſto coram multitudine maxima abrogaſſet, & in manus Epiſcopi Oſtienſis in perpetuum Eccleſiæ dimiſiſſet, hoc unum ex liberalitate Pontificis obtinuit, ut Electiones ſe

Cc 2 præ-

Digitized by Google

præſente fierent, & ſi quæ oriretur diſcordia, ipſe ſaniori parti aſſenſum, auxiliumque præberet, Metropolitani, & Comprovincialium Judicio, vel Conſilio; & ut Electus Regalia ab ejus Majeſtate per Sceptrum acciperet, ideſt Civitates, Ducatus, Marchionatus, Monetas, Dominationes, & reliqua Feuda ad Imperii ſervitium pertinentia, neve illa deinceps occuparet abſque conſenſu Imperatoris. In id vero jus per Sceptrum poneretur, quod ut Goſfridus Abbas Vindocinenſis illorum temporum Scriptor obſervavit in Opuſculo ad Caliſtum Papam cap. 3. Inveſtituram per virgam, & annulum accipere, niſi a ſuo Conſecratore manifeſtum erat eſſe damnatum, quia nulli Laico licet illa Eccleſiæ Sacramenta dare, ſicut ei non licet Epiſcopum conſecrare. Abſtinerent vero Epiſcopi ab homagio, & juramento fidelitatis, quia Ordini ſuo, & Sacræ Unctioni derogarent, ſi Sacratas Dominico Corpori, & Sanguini manus, Laici manibus gladio Sanguinolentis obligando ſupponerent.

XL. Audivimus ergo, quod Romana Sedes non acquievit infractoribus ſuorum Decretorum, cum ſenſit Eccleſiam Dei, quæ a Chriſto libera facta fuerat, ancillari deinceps debuiſſe, aut ad ſervitutem redigi: aliquando certe Laicas audacias diſſimulavit Oeconomia quadam, & diſpenſatione minime damnanda gravioris mali metu, nimirum Schiſmatis, ſecundum regulam a S. Auguſtino traditam in 3. lib. contra Parmenianum, *aut neceſſitate cogente, aut ſubreptione fallente*, & ut hoc Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vulnere gravioribus malis obviam iret. Ceterum nec prima, nec ſola facta eſt diſpenſatrix Dominicorum præceptorum, quia Mediator Dei, & hominum, cujus vita in terris diſciplina fuit morum, primo præcepit Diſcipulis, ut neque Sacculum, neque peram ferrent, quia tunc nulla neceſſitas urgebat; imminente vero tempore paſſionis ſuæ, ſciens eos panis penuriam paſſuros, cum tranſirent de loco ad locum temperavit præceptum dans eis licentiam, ut ferrent peram, & Sacculum, non jam imperans cupiditati, ſed indulgens neceſſitati; Ita cum hæreſes diverſi generis pullularent per diverſas partes mundi, ut Catholici territi ſeveritate ſententiæ hæreticorum ſeductiones caverent, ſeveriſſime præceptum eſt, ut revertentes ab hæreſi, vel Clerici non fierent, vel Clerici non manerent. Pro cujus rigore Decreti, cum Eccleſia maxima damna pateretur prudens diſcretio religioſorum voluit, & docuit mutandam eſſe ſententiam, & ab Hæreſi revertentes, & Catholicam unitatem profitentes fraterne ſuſcepit, & in honoribus ſuis manere conceſſit; judicans melius eſſe, ut fieret aliquod vulnus in cortice Matris arboris, quod charitas ſanaret, quam Eccleſia de omnibus, quos poſſet, membra ſua non colligeret. Sic etiam antequam uſus Inveſtiturarum in manifeſtam abiret Tyrannidem, & ſubverſionem Canonum, Eccleſiaſticæque libertatis oppreſſionem, Eccleſia conniventibus illum aſpexit oculis; quod præſertim accidit in Germania per tres Othones, & S. Henricum, in Gallia, & in Anglia uſque ad Gregorium VII. quoniam digniſſimos Epiſcopos Eccleſiis præficiebant, & novos in dies Epiſcopatus Regia munificentia fundabant, dotabantque, ut legitur apud Ditmarum Epiſcopum Merdeburgenſem in Chronico, alioſque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, & demum ne vel tales Reges, & Principes Inveſtituras concedentes in Eccleſiaſticis Poſſeſſionibus propter hoc perirent, & Sancta Eccleſia detrimentum pateretur. Nec quidquam modo prohibet poſt Electionem Canonicam, & Conſecrationem per Inveſtituram Regalem in Eccleſiaſticis Poſſeſſionibus conceſſionem auxilium, & defenſionem Epiſcopo dare, ſi tamen propter hoc ſæcularis po-

teſtas

teſtas pecuniam non extorqueat, aut quod eſſet gravius, ſibi inordinate ſubjectam non efficiat Pontificis Perſonam, a qua ſola manavit, quidquid recentior ætas cuſtodit circa bona Eccleſiaſtica vacante Sede, quæ plerique Principes retinere conſueverunt, donec Antiſtitum electioni conſentirent. Caliſti Conſtitutio A. 1122. edita, ea fuit, quæ Regibus tribuit poteſtatem exigendi a Prælatis univerſa Officia, & Obſequia, quæ ratione Feudorum exhibere tenentur; cumque aliquarum Provinciarum conſuetudo Domino Feudi uſumfructum adjiceret vacante Feudo per Vaſſalli obitum, ſic Reges eo Feudorum jure, quo ad Regalia, ſive Patrimonia Epiſcopatuum uſi ſunt, dum eorum cuſtodiam ad ſe receperunt. Profectum etiam inde eſt jus illud Regium per quod Collatio beneficiorum interim vacantium, dum Regalia aperta eſt, ad Reges pertineret, idemque jus poſteriora varia Pontificum reſcripta non improbarunt, nimirum Alexandri III. reſcriptum editum in antiqua Collatione Decretalium, quam publici juris fecit Antonius Auguſtinus, & III. Innocentii, & Clementis IV., & Gregorii X. quorum alter revocavit proviſionem quamdam, quæ auctoritate ejus facta fuerat, de quadam Præbenda Rhemenſi, quod Rex Ludovicus IX. conquereretur, id tentatum fuiſſe adverſus jura Regia: alter vero epiſtola ſua data A. 1271. approbavit collationem a Rege factam Archidiaconatus Senonenſis, qui ob conſecrationem Archidiaconi in Curia vacaverat. Et tandem profectum eſt, quod etiam ſpolia Epiſcoporum defunctorum manu, & poteſtate Regia retinerentur, licet antiqui Canones ab iiſdem ſpoliis Clericos, & Metropolitanos removiſſent, & licet Urbanus II., & II. Innocentius eorumdem ſpoliorum occupationem Laicis interdixiſſent. Poſt electionem Othonis IV. Germaniæ Principes ad Innocentium III. ſcripſerunt abolitam ab Othone fuiſſe Conſuetudinem occupandi bona mobilia Epiſcoporum morientium, aut Abbatum Principum, eumdemque ſtatuiſſe, ut ea Succeſſoribus conſervarentur, idque contigit A. 1200. Anno vero 1213. Fridericus II. Imperator peculiari Conſtitutione, quam deinde A. 1219. confirmavit Bulla aurea ad III. Honorium data eumdem abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum Vacantium, conſueverunt ſui Prædeceſſores committere poſt editam Caliſti Conſtitutionem, pro motu propriæ voluntatis, demiſit, & refutavit, Spiritualia omnia Pontifici, & aliis Eccleſiarum Prælatis relinquens libere diſpenſanda, ut quæ eſſent Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo recta diſtributione redderentur. Occidentis Principibus præiverunt in facto hoc Conſtantinopolitani Imperatores, Joannes Commenus, ejuſdemque Frater Manuel, qui cum vidiſſent Gubernatores Provinciarum contra Concilii Chalcedonenſis canones bona mobilia Epiſcoporum, qui obierant occupaſſe, & immobilium uſumfructum in ſuos uſus convertere voluiſſe, quamdiu Sedes vacabat, A. 1120. & 1150. id fieri deinceps vetuerunt jubentes, ut partes, ſive membra Eccleſiæ vacantis, ideſt Clerici illius Eccleſiæ eorum bonorum adminiſtrationem ſuſciperent, donec Succeſſor adveniret, quibus exemplis excitati Galliarum Reges, ſi non remiſerunt in univerſum uſumfructum redituum Eccleſiaſticorum, & collationes Præbendarum, jus tamen illud in illis ſolis Eccleſiis retinuerunt, ubi recepta erat illa conſuetudo, relicto ceteris antiquorum canonum uſu, vetueruntque hoc induci, in iis Eccleſiis, quæ ei non erant obnoxiæ, & optimum factu eſſe exiſtimarunt Principes, ut hujus conſuetudinis confirmationem decerni procurarent in Concilio Generali Lugdunenſi, quod a Gre-

Digitized by Google

a Gregorio X. convocatum, & celebratum eſt A. 1274. in quo ita legitur fuiſſe ſancitum cap. 12. *Generali Conſtitutione ſancimus univerſos, & ſingulos, qui regalia, cuſtodiam, ſive gardium advocationis, ſeu defenſionis titulum in Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu quibuslibet piis locis de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantecumque dignitatis bonore perfulgeant .... eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere ... Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum, ceterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vindicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos Miniſtros in eis ſollicite faciant abſtinere, quod ea, quæ non pertinent ad fructus, ſive reditus provenientes vacationis tempore non uſurpent, nec bona cetera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam dilabi permittant, ſed in bono ſtatu conſervent.* Huic Conciliari regulæ innititur Ludovici XII Conſtitutio edita A. 1499. aliudque Regium Edictum anni 1606., & ſub Regno Philippi Auguſti Eccleſiæ plurimæ exemptionem a jure Regalium obtinuerunt, teſtante id Chopin. lib. 2. de Sacra Po i. tit. 9., & Paſquierio lib. 3. Diſquiſit. c. 37. ſed tandem Rex Ludovicus XIV. conſentiente Eccleſia Gallicana definivit *Regaliæ jus valere debere in univerſis Regni Francici Eccleſiis.*

XLI. Quæcumque tamen fuerit, aut eſſe poſſit Recentior praxis in hac materia Diſpenſationum ab Apoſtolica Sede petendarum, nec ne, alii viderint, hoc unum certo ſcimus ſententiam hanc noſtram, quæ ſolis Pontificibus Romanis docet fuiſſe a Chriſto Domino concreditam Poteſtatem temperandi ſeveritatem Canonum, qui ab Eccleſia recepti ſunt univerſa, Oecumenicam VIII. Synodum, & verbo, & factis tradidiſſe, quæ proinde una cum Baſilio Auguſto, & Ignatio Patriarcha oravit Pontificem, ut de Lectoribus plurimis Ordinatis a Photio ſententiam diceret, de quibus non judicaverat Synodus, an a Sacerdotii Ordinatione removendi eſſent, illumque deprecata eſt, ut eis gratiam faceret ob Eccleſiæ neceſſitatem; poſtulavitque ut cum Theodoro Metropolita Cariæ diſpenſaret, eique reſtitueret Epiſcopatum, quia multa pro Ignatio paſſus fuerat, neque defecerat ad Photium, niſi tormentis compulſus: & denique interceſſit pro Paulo Cartophylace, ut conceſſa ipſi venia poſſet ad Epiſcopatum promoveri. Sed de his pluſquam ſatis.

§. III. *Caſtigantur Novatorum Errata circa Epiſcoporum, & Presbyterorum Juriſdictionem.*

XLII. Catholicorum nemo in dubium revocabit Sacramentorum omnium, & ſpeciatim Sacerdotii inſtitutionem a Chriſto eſſe repetendam, cum id a Florentina, & Tridentina Synodo definitum ſit. Quilibet etiam ſibi perſuadebit Poteſtatis Spiritualis, & ſupernaturalis, cujuſmodi eſt Sacerdotalis Ordinis Poteſtas, ſive in Epiſcopo, ſive in Presbytero nullum alium quam Chriſtum eſſe poſſe Auctorem, Deumque ſolum, qui Auctor eſt Gratiæ, & Gloriæ ut legitur in Pſalmo 83. *Gratiam, & Gloriam dabit Dominus*, ſolum quoque potuiſſe inſtituere Ordinem, cui gratiæ per Sacramenta conferendæ Poteſtas concredita eſt. Hæc itaque cum certa ſint apud omnes, facile erit, & ea, quæ ſequuntur ex iis, vera eſſe in ſequentibus Propoſitionibus demonſtrare.

Pro-

Propoſitio I. *Chriſtus Paſtorum omnium Caput Paſtoralem Ordinem in nova Lege inſtituit, quem in veteri ſe daturum Deus, & inſtituturum promiſerat.*

XLIII. Divinam hanc promiſſionem Jeremiæ 3. 6. 23. 60. & 62. habemus, in quibus locis hæc leguntur: *Dabo Vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos Scientia, & doctrina: Venient Paſtores ad Sion, & Greges eorum fixerunt in ea tentoria in circuitu, paſcet unuſquiſque eos, qui ſub manu ſua ſunt: Ego congregabo reliquias Gregis mei de omnibus terris, ad quas ejecero eos illuc, & convertam eos ad rura ſua, & creſcent, & multiplicabuntur. Et ſuſcitabo ſuper eos Paſtores, & paſcent eos: Ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos juſtitiam*: & demum *ſuper muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes tota die, & nocte in perpetuum non tacebunt*. Nihil profecto illuſtrius, aut clarius dici poterat ad explicandum futurum Paſtorum Ordinem, eorum munera, & per ipſos Chriſtiani populi propagationem, & futuram amplificationem eorum auctoritati, & Subordinationi ſubditam, & quaſi in manu poſitam, ut ei præſto eſſe poſſint, cum opus fuerit.

Minoris tamen momenti non eſt, & illud argumentum, quod ea ſuppeditant quæ in uno illo ex omnibus electo populo Deus ipſe geſſit, ut veluti præludamento quodam oſtenderet, qualem in plenitudine temporum deſcendens ipſe in terras Catholicam ſuam toto Orbe diffuſam ædificaturus eſſet Eccleſiam, ut vera ſit Apoſtolica illa ſententia, quæ docet *legem umbram futurorum bonorum habere, non ipſam rerum imaginem*. In primis itaque videmus in veteri illa Synagoga diſtinctionem prophanæ multitudinis ab his, qui Numinis dicati, mancipatique erant miniſterio. De Aaron, & filiis ejus notum eſt, ut ſeparati fuerint a vulgo filiorum Iſrael, & Sanctificati Oleo Unctionis Sancto, conſecratique Domino. De Levitis idem teſtatur Scriptura. Deinde bipartitum illic Sacerdotalem videmus ordinem, nempe & Aaron Sacerdotem, & filios ejus, ſed ille non ſolum Sacerdos, ſed etiam Pontifex, hoc eſt Sacerdos Maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt Sanctæ Unctionis Oleum, & cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, filii autem ejus inferioris gradus Sacerdotes, quorum manus tantum, non etiam capita Oleo Sanctæ Unctionis in Sacerdotio conſecratæ ſunt. Quin & Sacræ illæ veſtes eorumdem Pontificalis eminentiæ a gradu Sacerdotali evidentem differentiam indicant, illorum enim erat ex auro, hyacintho, purpura, gemmiſque pretioſiſſimis refulgens Ornatus, cum filii Aaron inferioris gradus Sacerdotibus lineæ tantum paratæ eſſent tunicæ. Porro inter Secundarios Sacerdotes duo maxime inſignes fuere, primus principum cujuslibet familiæ Leviticæ caput, qui in Caathitarum Provinciam inſpiciebat, alter ipſius Legatus, cujus erat inquirere in munus Gerſonitarum, & Meraritarum. Fuerunt & Principes cujuſve Leviticæ familiæ a Deo conſtituti, qui populo cum Imperio præerant, cum vero vaga, & incerta eſſent Levitarum munera, poſtea per Davidem illorum diſtinctio cœpit eſſe accuratior cum in Sacra, tum in Civili adminiſtratione, ſiquidem diverſis, diverſas Provincias adjunxit, quibus præeſſent; & hunc ordinem qui poſt Davidem regnarunt Joſaphat, & Joſias religioſe tenuerunt, qui etiam Levitas, & Sacerdotes miſerunt viſitatores per Civitates, qui populum docerent, & ut ad eorum eruditionem omnis Iſrael ſanctificaretur Domino, & hinc Synagogarum uſus manavit, quæ

ad

ad docendum, orandum, & ad innobedientes corrigendos, & caſtigandos inſtitutæ erant ſub diſciplina unius Archiſynagogi. Hactenus umbram, & figuram complexi ſumus, nunc ab ea ad ſolidam rei veritatem transferamus oculos, ſuam cuique aptantes particulam. Illud vero in initio ſermonis notandum eſt, quod ſcripſit Apoſtolus: *Omnia in figura illis contingebant, ſcripta vero ſunt ad eruditionem noſtram*, ut liceat inferre ſoliditatem umbratici illius Ordinis veteris Tabernaculi diligentiſſime conſtituti a Deo, oportuiſſe in Chriſtiana eſſe Eccleſia cum vetus illa Synagoga non potuerit abſque ordine diligentiſſime conſtituto ſubſiſtere. Et certe tanto præ illa veteri, exactiori hæc ordine conſtituenda neceſſario, ordinandaque fuerat, quanto individuam unitatem, & concordiam difficilius eſt ſervare in tam diſpari toto orbe diffuſa multitudine, quam in uno cognatoque populo eiſdem ſemper & moribus, & ritibus aſſuefacto. In veteris igitur illius tabernaculi umbra, in veteri illa Synagoga, clariſſime videmus expreſſum, quam diligenti ordine noſtra formanda erat Eccleſia; videmus & id quod requirebat neceſſario ratio, quod expreſſum erat in illa umbra veteri nunquam defuiſſe noſtræ Eccleſiæ, ſed fuiſſe in eadem ab initio, ab ipſis Apoſtolorum temporibus, & in hunc uſque diem toto orbe terrarum, quacumque patet nomen Chriſtianum adhuc conſervari, tum prophanæ multitudinis a Clero diſcriminationem, tum inſtitutam ab ipſo Deo plebis gubernationem per ſuos Paſtores, qui id officii in Eccleſia gererent, quod vel anima in Corpore, vel mens, & ratio operatur in anima, ut utraque pariter compaginata, & ſibi invicem mixta, in quo quid deeſt, & in quo abundat, velut in membrorum diverſitate conſonantia facta per ſpiritum perfectum, & integrum, atque ad omnia aptum corpus exiſtat, & dignum quod Chriſtum habeat caput, ut Nazianzenus ait Gregorius, Videmus tandem ædificatam noſtram Jeruſalem inſtar Civitatis nobiliſſimæ, cujus cives Præſidum, Magiſtratuum, & Officiorum ordine diligentiſſime conſtituto in arctiſſimam, quam fieri potuit unitatem coiverunt.

XLIV. Age nunc audiamus quomodo ille loquatur, qui Eccleſiam hanc condidit, & deinde in ea natus eſt Chriſtus Dominus. Hic Joan. 10. *ſe Paſtorem bonum* appellat, quod non ſicuti Mercenarius, qui non eſt Paſtor, aliunde, quam per Oſtium ſit ingreſſus, quod proprias Oves habeat, quod Oves vocem ejus audiunt, & proprias vocat nominatim, & educit eas, & cum proprias emiſerit ante eas vadit, quæ vocem ejus ſequuntur, quia ſciunt vocem ejus, & quod tandem animam ſuam pro Ovibus ponit, & Lupo veniente non fugit. Unde quæſo tanta ineſt illi ſollicitudo, ut oſtendat ſe Mercenarium non eſſe, quem veluti furem deteſtatur, & de quo ait, quod venit ut Lupus, ut Oves perdat, & mactet? Profecto cum Chriſtus ſingula veri Paſtoris Officia exponit, ſibique munus idem aſſumit, hoc unum inferri debet fuiſſe ab ipſo Paſtoralem Ordinem inſtitutum; quod poſtea ipſe Apoſtolus declaravit, ſive cum ad Cor. 12. & ad Epheſ. 4. ſcripſit *quoſdam quidem poſuiſſe Deum in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas &c. alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*; ſive cum in epiſtola ad Titum 1. ad Timot. 3. oſtendit Epiſcopos, & Presbyteros nullos ordinari debuiſſe, niſi ut Eccleſiis præeſſent, & Principatum haberent in populos; nefas enim eſt dicere Apoſtolum eo tempore, in rebus tanti momenti, quæ ad Eccleſiæ formam conſtituendam facere videbantur, voluiſſe quidquam addere Chriſti inſtitutioni, ac ſi Chriſtus imperfectam Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

eleſiæ formam inſtituiſſet, ut nequidem brevi tempore ſibi ſufficeret. Fuiue autem ſic ab initio, fidem faciunt in primis Apoſtolorum Canones, Ignatius item Antiochenus, deinde S. Pontifex Anacletus in Epiſtola ſua de Patriarchis, & Primatibus, & reliquis Epiſcopis, quibus conſonant, & ſubſcribunt ſubſequentes Orthodoxi univerſi abſque ulla prorſus, aut hæſitatione, aut diſſonantia, ut in eorum ſcriptis, & monumentis clariſſime juvat perſpicere; & licet in rudi illo Chriſtianitatis initio, nondum videlicet ordinata, & conſtituta Hierarchia, & diſciplina Eccleſiaſtica, plurima perfunctorie ex quadam Spiritus Sancti diſpenſatione pro neceſſitate illius temporis peracta fuerint ab Apoſtolis, quæ paulo poſt eodem ductore, & auctore Spiritu, qui ſuis quæque diſpenſat univerſa temporibus, eorumdem Apoſtolorum traditione, & ordinatione præſcriptam, certamque formam receperunt; tamen in Paſtoralis Ordinis Inſtitutione non ita geſtum eſt, nam vix Chriſtus Eccleſiæ ſuæ poſuit fundamentum, quod in Petrum paſcendi gregis omne jus transtulit, data illi ligandi, atque ſolvendi poteſtate, deinde in Apoſtolos ceteros, quos ad ſui Sacerdotii honorem ordinatos, conſtituit Paſtores ad regimen Eccleſiæ Chriſtianæ, quod illi per diverſas Provincias ad prædicandum diſperſi ſtrenue executi ſunt vivæ vocis doctrina commendantes primitivæ illi Eccleſiæ ea ſervare, quæ a Chriſto didicerant, & a Sacro Spiritu; & demum in illos, quos cum meſſis creſcere cœpiſſet videns paucos eſſe Operarios ad eorum adjumentum elegit Septuaginta Diſcipulos. Ex quibus quilibet facile intelligit, qualis, quantique momenti fuerit Paſtoralis Ordinis inſtitutio, cui non homo, ſed Deus ipſe auctoritatem tribuit, tametſi humano miniſterio poſt Chriſti Aſcenſionem conſtitutos eſſe Paſtores affirment Sacræ litteræ. Dignum eſt igitur nos obedire Paſtoribus noſtris, & in nullo eis contradicere. Terribile enim eſt talibus contradicere, non enim hos viſibiles quis ſpernit, ſed illum inviſibilem in illis contemnit, qui non poſſunt a quoquam contemni, hi enim non ab homine, ſed a Deo habent promotionem, hi a Deo ordinati ſunt Patres, & hi demum ſunt, qui, ut inquit Apoſtolus, evigilant quaſi rationem pro Animabus noſtris reddituri.

Propoſitio II. *Epiſcoporum Ordinis Inſtitutio, tamquam Paſtorum primi gradus Chriſtum Dominum habet Auctorem.*

XLV. Ordinationis ritum novæ Legis eſſe Sacramentum, & inſtitutum fuiſſe a Chriſto ſuo loco jam demonſtravimus, ac nominatim id de Epiſcopatu probavimus. Ex ipſa Sacramenti natura, & Juris, inſtitutioniſque Divinæ proprietate conſequens eſt nulli hominum fas eſſe mutare, vel innovare quidquam in Ordinis Sacramento, nec quo ad ea, quæ complectuntur ſpecies ipſas, ac differentias Ordinum ſub eodem genere conſtitutorum, nec quo ad ſingulorum proprietates, & functiones, a quibus ſpecifica, ut Scholæ nominant, eorum omnium differentia petitur. Ideoque neque Sacramentorum augere numerum, aut e contrario minuere, quibusdam vel additis, vel extinctis Eccleſia poteſt, neque quod Divino Jure uni uique tributum eſt functionis genus in totum erigere, uti valide ſaltem, quod dici ſolet, præſtari nequeat. Ex quo deducitur Epiſcopatum perpetuo ſingularem Ordinem inſtitutum fuiſſe, per quem ſolis his, qui hoc Ordine initiati ſunt conveniat Ordinare, & conſtituere ceteros in ſuis gradibus Ordinis Eccleſiaſtici, Cujus ra-

tionis quoque Sacramento Baptizatis abundatiorem Spiritus gratiam tribuere; præterea dedicare, & conſecrare Templa, Altaria, & Vaſa, item Sacræ Unctionis Chriſma conficere, & conſecrare; inſuper & Oleum ſanctificare, ac benedicere in varios uſus Eccleſiæ, nec reperiri poteſt quod munera hæc adminiſtrentur ab inferioris gradus Sacerdotibus, id enim toto Orbe terrarum, nunc ſervat Chriſti Eccleſia, eodemque inconcuſſoque tenore omnibus retro ſæculis obſervavit ab ipſis Apoſtolorum temporibus ut videre eſt tum in Actis Apoſtolicis, tum in Pauli Epiſtolis, tum in Decretalibus Clementia, Anacleti, Fabiani, Urbani, & in Epiſtola Leonis ad Galliæ, & Germaniæ Epiſcopos, quæ eſt 60. in ordine. Patet igitur ex his Chriſtum inſtituiſſe Epiſcopos, quo ad ordinis Poteſtatem. Ita vero hæc poteſtas Ordinis poteſtati Juriſdictionis connexa eſt, ut duæ hæ poteſtates mutuo conſpirent, & in unam, eamdemque Epiſcopi Perſonam coaleſcant, quod patet præſertim. vel quia Epiſcopi in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, vel quia ſimul cum Eccleſia Epiſcopalis hujus nominis, Officiique dignitas, & emmerſit, & adolevit; unde etiam ex hoc conſtat, & tum quo ad Ordinis, quam quo ad juriſdictionis poteſtatem, Chriſtum voluiſſe in Eccleſia ſua eſſe aliquos Paſtores in ordine, & gradu Pontificio, qui Pontificalia Sacramenta poſſent conferre, quique haberent regendi, & corrigendi auctoritatem huic gradui, & dignitati convenientem, & ſuo muneri exercendo parem, atque ſufficientem, quod ſecundo loco probandum aſſumpſimus.

XLVI. Ut vero pauliſper hæreamus, in fundamentis iis perpendendis, quæ nuper attigimus: neminem ignorare permittimus, quod Epiſcopatus ſit quidam Apoſtolatus, licet non ita eminentior, tum propter hujus ampliorem, & univerſaliorem poteſtatem, quæ in univerſum Orbem exercebatur, cum e contra Epiſcopatus anguſtior ſit unius Provinciæ; tum propter varia gratiæ dona, quæ Apoſtolatui adnexa erant, & quibus nunc Epiſcopatus deſtituitur, quod fidelibus modo neceſſaria non ſint. Ita certe communiter ſenſiſſe Patres, clariſſimeſque Theologos, ex eorum libris eſt ſatis perſpicuum, in quibus non infrequenter legimus Epiſcopatum eſſe *Apoſtolicæ dignitatis culmen*, ut Magnus probat Gregorius in libro, quem edidit Curæ Paſtoralis; Epiſcopos *inſidere Apoſtolorum ſolio*, hoc eſt inferiorum Epiſcoporum Sedes, eſſe Apoſtolicas Sedes, ut præter laudatum Gregorium ſcripſerunt Sidonius libro 6. epiſt. 1. ad Lupum, Venantius lib. 4. Carminum in epiſtola ad Siagrium Auguſtodunenſem, Paulinus epiſt. 28. ad Victricium Rothomagenſem, Gregorius Turonenſis lib. 4. cap. 26. Baſilius epiſt. 55. ad Ambroſium, aliique: Epiſcopalem dignitatem nomine *Apoſtolatus* eſſe inſignitam, & Epiſcopos eſſe nuncupatos *Apoſtolicos*, ut videre eſt apud eumdem Sidonium loco cit. Ruricium epiſt. 8. lib. 2. Evodium lib. 6. epiſtola 17. Avitum Viennenſem epiſt. 23. Pacianum Barcinonenſem epiſt. 1. ad Sempronianum, apud Cyprianum epiſt. 65: Hilarium in fragmentis, Gaudentium Brixianum Idacium, ceteroſque, & penes Concilia ipſa quæ hujusmodi loquendi formulas, non abjeciſſe ſatis patet ex Pariſienſi IV. in epiſtola Synodali, & Valentino A. 584. imo, & ex formula Felicis III. in Appendice ad Codicem Theodoſianum, qui in Acacio Conſtantinopolitano Apoſtolicam dignitatem ignovit, ut alia monumenta prætermittam, quæ longum eſſet recenſere. Evidens ergo eſt Epiſcopalem ſtatum origine ſua vere Apoſtolicum eſſe, atque

adeo

adeo Chriſtum Eccleſiam ſuam fundare volentem per ſe primo intendiſse, in Epiſcopalis Auctoritatis inſtitutionem *ad Conſumationem Sanctorum*, ut dicitur in 4. ad Epheſ. *in opus Miniſterii, donec occurramus omnes in unitatem fidei &c. ut non eſſemus parvuli fluctuantes, & circumferremur omni vento doctrinæ*, que ſingula demonſtrant in totam Paſtoralem præcipuam Apoſtolorum curam Epiſcopos ſucceſſiſſe, nec ſolum figuram, & ſimilitudinem quamdam Apoſtolorum habere, ut dixerunt Heterodoxi, arbitrati ita ſe poſſe eludere ea, quæ citantur, ex Patribus teſtimonia, videlicet ex Clemente epiſt. 1. ex Anacleto epiſt. 2. ex Iſidoro Hiſpalenſi lib. 2. de Divinis Officiis c. 5. ex Aquiſgranenſi Concilio can. 8. & 9., ex Rabano, Cypriano, Chryſoſtomo, aliiſque ſexcentis, apud quos non ſolum Epiſcoporum Ordo, ſeu Epiſcopatus, ſed & Epiſcopatus unitas, atque omnium Epiſcoporum conſenſio in Petri Sedem, tamquam in centrum Eccleſiaſticæ unitatis confluxum, ipſaque unitas, quæ ad functionem Epiſcopalem, ut legitimè, obeatur, conditio neceſſaria eſt, ſicut & ipſa poteſtas haud dubie a Domino inſtituta docetur, & traditia, ſed etiam quod per Apoſtolos hæreditario quodam jure, & virtute ſucceſſionis, quam ab Apoſtolis habent Epiſcopi, ineoſdem derivaverit; Verum evanuerunt in cogitationibus ſuis, quia revera Patres non dixerunt *ſimilitudinis ſucceſſionem*, ſed *Vicariam Ordinationem*, ut uno decedente, alter in ejus locum ordinetur: dixerunt *tranſlationem juris* a decedentibus ad ſucceſſores; & Verba Chriſti qui *vos audit me audit* &c. quæ ad Apoſtolos diriguntur, non ſecus ac obediendi neceſſitas, quæ in gratiam Apoſtolorum ſtatuitur, ad Præpoſitos, ideſt Epiſcopos perperam ampliarentur, niſi Apoſtolicis juribus, & privilegiis ordinariis omnibus ſuccederent. Opportune ergo Concilium Romanum II. ſub Sylveſtro admonuit non debere quemquam Apoſtolorum ſucceſſoribus detrahere, dignitatem enim tantam illos aſſumpſiſſe docet Chryſoſtomus homil. 76. de Anathemate, ut vere, ſicut olim Apoſtoli, ſic nunc iſti ſint pleni gratia, & virtute, & quia illi receſſerunt a Mundo, iſti nunc Parentes noſtri ſint in illorum ſedibus poſiti, & illorum poteſtatis hæredes in omnibus terræ partibus eadem Divina ordinatione conſtituti, ne aliqua reperiatur Natio, cui Epiſcopale regimen ſubtrahatur. Illuſtria etiam ſunt pro eadem ſucceſſione verba Paolini Nolani ad Amandum Epiſcopum in epiſt. 23. verba Proſperi in lib. 1. de Vita contemplativa cap. ult. verba Juſti Urgelitani in verſiculum 194. Canticorum, & verba Iſidori lib. 2. c. 5. de Eccleſ. Offic. quippe qui inquiens quod *decidentibus Apoſtolis, Epiſcopi ſucceſſerunt, qui ſunt conſtituti per totum mundum in Sedibus eorum*, oſtendit jus ſucceſſionis proprie dictæ, quæ ut dicitur in lege *Cum quidam* §. *filius familias* ff. de Liberis, & Poſthumis. contingit cum priore ſubducto de ſua poteſtate ſuo hærede, ulterior ſucceſſit in proximum locum, quod ita certum eſt in noſtro caſu, ut aliter nunquam Eccleſia ſenſerit, ſive extra Concilia per doctrinam ſuorum Præſſidum, ſive in ipſis Conciliis, inter quæ (nationalibus omiſſis, quod in promptu ſint Generalia) præcipua memorantur Lateranenſe ſub Innocentio III. alterum Lateranenſe ſub Leone X., & poſtremo Tridentinum quod Seſſ. xxiii. c. 4. declarat præter *ceteros Eccleſiaſticos gradus Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem pertinere, & poſitos, quemadmodum ipſe Apoſtolus ait a Spiritu S. regere Eccleſiam Dei*, quibus verbis nihil clarius afferri poteſt, ut ſucceſſio proprie dicta explicetur contra illos, qui Analogiam quamdam, & ſimilitudinariam ſucceſ-

Digitized by Google

ſionem admittunt in eadem Ordinis poteſtate cum de juriſdictione, & juriſdictionis functionibus, & Patres, & Concilia ſemper loquuta ſint, illudque tenuerint quod in Eccleſia invenerunt, docuerintque quod didicerunt, quod a Patribus acceperunt hoc filiis tradiderint, & nondum apud eos acta eſſet hæc cauſſa, nec illis nota illa Epiſcopalis ordinis ſimilitudinaria ſucceſſio, quam frivolis diſtinctionibus Novatores inutilem reddiderunt, quod uberius demonſtrare non moramur;

XLVII. Quod igitur Epiſcoporum Ordo, hujuſque nominis, ac Officii dignitas emerſerit ſtatim ac Apoſtoli Eccleſiis erigendis ſedulam navarunt operam, quod erat alterum fundamentum, cui præcipua noſtra demonſtratio nitebatur, id Chriſtianis, omnis antiquitas dixit, ac credidit, & ut incertiora prætereạm monumenta, quæ varias Epiſcoporum Creationes præſeferunt factas ab Apoſtolis, aut apud Dorotheum in Synopſi, aut apud Pſeudoprochorum, nec tanti faciam tum ea, quæ Beda, Uſuardus, Romanus in ſuis Martyrologiis ſcribunt de Epaphramo, cujus Paulus meminit in epiſtola ad Coloſſenſes c. 1. & 4. Coloſſenſium Epiſcopo ab eodem Paulo ordinato, tum illas Epiſcoporum ordinationes, quæ in Chronico Flavii Dextri, ex traditione Eccleſiarum Hiſpaniæ deſcribuntur: Imo, & exempla, quæ referuntur ab Euſebio in Chronico, & a Hieronymo in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, de Papia auditore Ioannis Hieropolitani in Aſia Epiſcopi, de Pothino nonagenario Lugdunenſi, & de Traſea qui Smyrnæ Polycarpo ſuffectus eſt, & demum, ut omittam ſingulares illas Epiſcoporum ordinationes, ex quibus Eccleſiarum reliquarum traditio, ab Apoſtolis repetit fundatores ſuos, ſatis eſt Alexandrinæ, Antiochenæ, Jeroſolymitanæ, & Romanæ Eccleſiæ primordia intueri, Marcum cum Petro aliquanto tempore Civitates, ac Provincias obeundo peregrinatum eſſe, ab eodemque in Ægyptum, poſtremo miſſum, Alexandriam nempe ut Eccleſiam ibi conſtitueret, Sedemque Epiſcopalem ſibi caperet, a Sanctiſſimis, & graviſſimis auctoribus memoriæ prodita ſunt. Hinc *Evangelicus Thronus* appellata eſt Sedes Alexandrina, & *Evangelica ſucceſſio*, quod eam Marcus Evangeliſta fundaverit, & primus in ea Epiſcopatum geſſerit. A Marco Evangeliſta ſingularem Antiſtitem Eccleſiæ Alexandrinæ, præpoſitum fuiſſe, eumdemque, juſſiſſe ut vita functo Epiſcopo ſucceſſor electione crearetur a Collegio Presbyterorum, Pentapolim deinde pergiſſe, & manſiſſe ibi duobus annis prædicans Evangelium, & Ordinans Epiſcopos, & Diaconos in univerſa ea Provincia, ii qui Patriarcharum Alexandrinorum vitas ſcripſerunt Severus-ben-Maſphabo, & Eutychius docuerunt, quibus conſentiunt Hieronymus libro de Scriptor. Eccleſ. & Euſebius l. 2. c. 24. qui & Anianum poſt ejus mortem ei ſucceſſiſſe tradunt, deinde Abilium anno 4. Domitiani vivente adhuc Apoſtolo Ioanne. Evodium ſimili in Officio, & gradu poſitum cum eadem Antiochiæ poteſtate, ibidemque ex Apoſtoli Petri auctoritate conſtitiſſe, nemo eſt tam ineptus, qui negare audeat. Hujus Ordinationis locuples teſtis eſt Irenæus, Tertullianus, Optatus, Euſebius, Hieronymus, & teſtes ſunt illi ſinguli qui cum Antiochenæ Eccleſiæ dignitatem commendant adverſus Dioſcori Alexandrini temerariam præſumptionem, hanc *Sedem Sancti Petri* appellant, non tantum quia primus Petrus in hac urbe ſedit, verum etiam quia a Petro miſſus eſt quicumque fuit ille, ſive Barnabas, ſive Evodius qui Primatum in illa obtinuit, & Presbyteris cum ſumma poteſtate, auctoritate, ac nominis etiam prærogativa præfuit, ſiquidem non

niſi

niſi demandati, & voluntate Principis Apoſtolorum illam Eccleſiam gubernare, aut iis ipſis Presbyteris præeſſe potuerunt, niſi ab Apoſtolo Petro id eiſdem fuiſſet impoſitum, eique deſtinati fuiſſent Eccleſiæ, a quo illorum Miſſio, *&* Officii, ac Miniſterii ratio tota pendebat. ***Jacobum*** minorem cognomento Fratrem Domini Jeroſolymis re ſediſſe tamquam ordinarium, & ſtabilem illius Eccleſiæ curatorem, ac Præſidem poſt ceteros huc illucque diſperſos Apoſtolos, Hegeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum ait, idemque dixerunt omnes, qui Jeroſolymitanorum Epiſcoporum mentionem attigerunt, huic mortuo ſucceſſiſſe ***Simeonem*** Cleophæ filium, & huic rurſus tertium ***Judam***, Conſtitutiones Apoſtolicæ tradunt, quas non dubium eſt Apoſtolorum morem deſcripſiſſe, & factas ab ipſis Apoſtolis Epiſcoporum ordinationes, puod in Romana præ ceteris inſigniter elucet Eccleſia, cujus a Petro, Pauloque ductam Epiſcoporum ſucceſſionem Chriſtianæ antiquitatis memoria celeberimam ad Linum deducunt, conſentientibus ex Irenæi deſcriptione Epihanio hæreſi 27. Euſebio, aliſque. Plurimum quoque faciunt ad firmam hanc per Civitates Epiſcoporum ſucceſſionem, ex Apoſtolorum manda to probandam Timothei, nec non & Titi Ordinationes, hos enim Epheſi, & in Creta inſula manere juſſit Apoſtolus Paulus, & Apoſtolicum ibi munus, quod eſt Epiſcopale, obire præcepit, facit Epiſtola Ioannis Apoſtoli juſſu Domini ſcripta ad Epiſcopos VII. totidem Eccleſiarum, & Civitatum in Aſia; facit Egeſippi auctoritas apud Euſebium lib. 4. c. 21. agens enim de ſuo itinere Romam, multis cum Epiſcopis Sermonem contuliſſe teſtatur, & unam, eamdemque accepiſſe ab omnibus Doctrinæ formam, & inſtitutionem, & creatos fuiſſe Epiſcopos Apoſtolorum ætate, ab iiſdem Apoſtolis. Ejus verba ex græco ſermone ſic vertit fidelis interpres: ***in ſingulis ſucceſſionibus, ac ſingulis Civitatibus ita habet, ſicut lex, & Propheta, & Dominus prædicavit:*** faciunt demum Auctores illi, qui ſæculo 2. Epiſcoporum origines ſcripſerunt ***Apoſtolicas eſſe***, quod nunquam auſi aſſent aſſerere, ſi nuperæ fuiſſent illorum creationes, & ſuo ſæculo primum Eccleſiis præfici cœpiſſent Epiſcopi. Præter quam quod cum ſecundo, ac tertio ſæculo toto Orbe Epiſcoporum in Eccleſia Dei haberetur prælatio, nec aliquod Concilium exiſtat, per quod tam univerſalis conſuetudo introducta demonſtretur, nec clandeſtina totius Orbis conſpiratio, cui nemo reſtitiſſet, fingi poſſit, quæ Epiſcoporum per univerſas Eccleſias Monarchiam inveheret, opus eſt ut fateamur non recentem, nec nvam, ſed ipſi Eccleſiæ coævam hanc formam fuiſſe, ut Presbyterorum, & Paſtorum Collegio ſuperponerentur aliqui, & auctoritaris majoris, & poteſtatis divinioris.

Propoſitio III. ***In Eccleſiis ſingulis Epiſcopos ſediſſe ſingulos, idque Auctoribus eſſe factum Apoſtolis, demonſtratur.***

XLVIII. Salmaſius Heterodoxus homo in contrariam abiit opinionem, & nonniſi poſt Apoſtolorum obitum, ac ſecundo inclinante ſæculo ſuum cuique Eccleſiæ ait præpoſitum fuiſſe Epiſcopum, cum hactenus a pluribus, hoc eſt toto Presbyterio, ſive Presbyterorum Collegio pari jure, ac poteſtate Eccleſiæ ſingulæ regerentur. Pluribus autem momentis fabula hæc erroris convincitur, & redarguitur, illudque præcipuum eſt, quod petitur ex antiquiſſima Traditione. Irenæus qui Apoſtolorum pene tempore vixit, unum dumtaxat Eccleſiæ præſe-

ſediſſe ſcribit Epiſcopum; & in unius item mortui locum alterum eſſe ſuffectum; *habere ſe*, inquit lib. 3. c. 3. *quos annumeret, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & Succeſſores eorum, uſque ad ſua tempora*, & harum ſpecimen in una præbet Romana ſubjiciens Romanorum Pontificum indiculum a Petro, & Paulo uſque ad Eleutherium, & hoc ipſum, quod in Eccleſia Principe factum eſt, in ceteris uſuveniſſe demonſtrat. Idem & Polycarpum, Joannis Evangeliſtæ diſcipulum Smyrnæ in Aſia ab Apoſtolis conſtitutum Epiſcopum ſe vidiſſe in prima ſua ætate ait; deſignat & alios, quorum ſucceſſiones unius, poſt alterum extare dicit in Archivio omnium Eccleſiarum. Irenæo Epiphanius, Euſebius, aliique veteres aſſenſi ſunt, qui accurate ſingulorum Epiſcoporum ad ſua quique tempora numerum, ordinem, ac nomina perſcripſerunt, & quamvis ob ſe tentiarum diſcrepantiam haud plene conſtet, quinam proxime a Petro, ac deinceps per aliquot capita Pontificatum geſſerint, illud inter omnes convenit unum ibi, & ſingularem. & Clericorum Collegio, & Eccleſiæ præpoſitum fuiſſe, & nuſquam inquiunt Presbyterorum, vel Epiſcoporum Collegium pari in ulla Eccleſiarum jure, & auctoritate, ac poteſtate præfuiſſe; imo Apoſtolicas traditiones ex earum Eccleſiarum auctoritate, quæ ab Apoſtolis fundatæ ſunt, dum probare volunt in ſingulari, hac ſucceſſione ubivis Epiſcoporum argumentum ad perſuadendum inſtruunt, ut conſtat non ſolum ex Irenæo loco cit. verum etiam ex Tertulliano, qui in libro de Præſcriptionibus adverſus hæreticos cap. 32. *Ceterum*, ait *ſi quæ audent interſevere ſe ætati Apoſtolicæ, ut videantur ab Apoſtolis tradita, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant ergo Origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant Ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentes, ut Primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctorem, & Anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrneorum Eccleſia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert. Sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit, proinde utique, & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici*, Nullum itaque de ſingulorum Eccleſiæ Præſidum ſucceſſione dubium fuit, ſi eam adverſus hæreticos PP. adſtruebant.

XLIX. Eumdem morem in Eccleſia uſu receptum eſſe Chriſtianorum, ut unus Eccleſiis ſingulis præeſſet Epiſcopus, non plurium in iis Epiſcoporum, aut Presbyterorum regimen eſſet, æquali jure, ac poteſtate præditorum Juſtinus Martyr in ſua Apol. 2. quam anno 150. ſcripſit, teſtatum reliquit, & nuper laudatus Tertullianus in libro de Corona cap. 3. hunc appellabat præſidem, & moderatorem, & paſſim *Epiſcopum*. Sic Chryſoſtomus in Oratione Panegyrica Ignatium laudat, quod poſt Petrum Apoſtolorum primum Epiſcopatum, & Principatum Antiochenæ Urbis accepiſſet, de quo illud ſingulare etiam legitur, quod cum Romam ad ſupplicium duceretur, ad Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum ſcripſit commendans illi Antiochenſem Eccleſiam, quod ſupervacaneum fuiſſet, ſi in illius Eccleſiæ adminiſtratione, & regimine Epiſcopi plures intendiſſent. Ita & Hieronymus in epiſtola 85. *Alexandriæ*, inquit, *a Marco Evangeliſta, uſque ad Hieraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteros ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominaſſe, quomodo ſi Exercitus Imperatorem faciat*, ex quibus verbis evidenter concluditur ab Apoſtolorum tempore, unum tantum

Ale-

Alexandrinæ Eccleſiæ præſediſſe dignitate præſtantiorem, ut Imperator eſt iis præſtantior, a quo eſt electus, quæ cum ab aliis narrata ſint Patribus, qui de ſingularibus aliarum Civitatum Epiſcopis ſcripſerunt, quid deinde conſequens erit? Non aliud niſi, quod inanis illa fabula confutata eſt, quæ ſingularium Epiſcoporum Succeſſiones in pleriſque Civitatibus ab Apoſtolorum ætate ductas, memoriæque mandatas falſitatis arguit, & convincit erroris.

L. Neque hactenus dicta aliena ſunt a ſenſu Scripturarum, ſed quadrant tum iis, quæ ad Timotheum 3. tum iis, quæ ad Titum 1. de Ordinandis Epiſcopis, & Diaconis ab Apoſtolo præſcribuntur. Siquidem ad Timotheum, ſcribens Apoſtolus, Epiſcopi, non vero Epiſcoporum ordinandorum conditiones ſcribit, quia nonniſi unus in una Civitate conſtituebatur Epiſcopus, e contra vero, cum ad Diaconos deſcendit, non Diaconum qualis eſſe deberet, ſed quales eſſe deberent Diaconi tradit, quia plures in una Eccleſia Diaconi conſtituendi erant. *Si quis*, inquit, *Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, & paulo poſt *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues &c. Diaconi ſint unius uxoris viri &c.* Titum quoque admonet Apoſtolus, ut per ſingulas Civitates Presbyteros conſtituat, ſed unum Presbyterum Epiſcopum præficiat, quia in tanta Eccleſiæ Miniſtrorum varietate, ſaltem unus præficiendus erat, qui integrum Sacerdotale munus explere poſſet, adeoque ubi Titum Cretæ relictum dixit, *ut conſtitueret per ſingulas Civitates Presbyteros*, in ſingulari numero deinceps loquitur: *Si quis ſine crimine eſt unius uxoris vir &c. Oportet enim Epiſcopum &c.* in quibus locis parum ſollicitus dici poteſt, quod Apoſtolus fuerit de Presbyterorum inferioris gradus creatione, quam minus neceſſariam eſſe putabat in iſta, quæ tunc erat paucitate fidelium, cui unus Epiſcopus ad omne Eccleſiaſticum Miniſterium ſufficiebat, cui e contra Presbyter inferioris Ordinis, nequaquam ad omne Miniſterium ſuffeciſſet, non ad Confirmationis, non ad Ordinationis Sacramenta conferenda, quæ tunc in Eccleſia neceſſaria maxime erant. Ideoque cum pauci digni viderentur Sacerdotali munere, ſatius judicabat Paulus, ut is qui Sacerdos crearetur, ſimul etiam crearetur Epiſcopus, qui & Sacris Conventibus præſideret, qui curam gereret totius communitatis, apud quem collectæ viritim pecuniæ deponerentur, & qui eas pro eo, atque æquum videretur, in pauperes orphanos, ac viduas, & cauſarios diſpenſaret, tum qui omnium neceſſitate laborantium curam gereret, quam ut vel indignus Sacerdotio ordinaretur, vel ad partem tantum Sacerdotalis muneris explendam idoneus. Quis igitur ex his non intelligit unum, & ſingularem Apoſtolorum tempore Eccleſiæ Epiſcopum præfuiſſe?

LI. Quid cauſſæ eſt igitur, cur Salmaſius, & qui ipſum ſecuti ſunt Chriſtiani nominis hoſtes contenderint ab Apoſtolis nullos ordinatos fuiſſe ſingulares ſingularium Eccleſiarum Antiſtites? Quia inquiunt: *nullo certo in loco conſiſtere poterant, ſed huc & illuc ex Officio curſitabant*, cum Epiſcopatus propriae tamptus ſtabilis ſit, ac fixus, vel quia conſtat plures in omnibus Eccleſiis fuiſſe conſtitutos. Atqui hæc illorum ratio falſiſſima eſt, idque ejuſdem Salmaſii teſtimonio convincitur, qui in capite 1. ſuæ Diſſertationis aperte pronuntiat, neque Jacobum fratrem Domini, neque Joannem Orbem ambulaſſe prædicandi Evangelii cauſſa, ſed uno in loco manſiſſe, ac præſentes præſentibus illud expoſuiſſe. Habet igitur quemadmodum Epiſcoporum ſingulis in Civitatibus ſingulorum ſeries, ac ſucceſſio, & inchoari ab Apoſtolorum tem-

Digitized by Google

temporibus, & deinceps propagari potuerit, quod luculentius fatetur, cum aſſentitur Hieronymo, qui in epiſtola jam citata pronunciat Alexandriæ a Marco Evangeliſta, uſque ad Heraclam, & Diooyſium Epiſcopos, Preſbyteros ſemper unum ex ſe electum in excelſiore gradu collocatum, Epiſcopum nominaſſe, igitur ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis Epiſcopus in una Eccleſia unus eſt poſitus, & quia quod de Marco dixit, hoc idem de ***Evodio*** Antiochiæ dicendum eſſe teſtatur, qui Petro ſucceſſit in Antiochena Eccleſia, conſtat profecto Apoſtolorum Ævo Jacobum, Joannem, Evodium ſingulares fuiſſe ſingularium Eccleſiarum Epiſcopos, qui propriam Sedem, ac præfecturam obtinerent. Idem conſtat dicendum de Tito, & Timotheo, quos peculiares habuiſſe Sedes legitur in epiſtolis Pauli, quorum hunc Epheſi, illum Cretæ ſpeciali utique, ac locali Præfecturæ Paulus addixit.

LII. Quamquam nec illud verum eſt, quod Salmaſius contendit, veteres aliquem Epiſcopum appellaſſe, quod a ſua Urbe non adfuerit, neque quoquam extra eam urbem pedem moverit. Nec quid in Epiſcopi appellatione eſt, quod eum uno in loco, una in Urbe defixum teneat? In Epiſcopi nomine nulla vagandi, aut ſine certa ſtatione currendi notio eſt, propria eſt inſpectionis, quæ nulli ſatis convenit, qui non in rem præſentem venerit, hinc eſt, quod omnem Diæceſim ſuam, & omnia ejus oppida pervagari, & obire neceſſe haber, & ſic Epiſcopi Apoſtolorum Ævo una in Urbe conſidebant, ut non interdum alio ſe conferrent, quocumque illos charitatis officia vocabant, aut procurandi Evangelii ratio ire compelleret. Hinc quando opus fuit Paulus Epheſiis, Aſianis, Corinthiis, item & Theſſalonicenſibus, ac Philippenſibus, Athenienſibus etiam prædicavit Evangelium, quod & reliqui præſtiterunt Apoſtoli, licet eſſent illarum Eccleſiarum Epiſcopi, quas ipſi fundarunt, nec concedendum eſt Salmaſio, quod Jacobus frater Domini Jeroſolymis nunquam abfuerit, & quod Joannes in uno loco ſemper conſtiterit, cum ſingulorum peregrinationes, ſatis Eccleſiaſtica hiſtoria recenſeat.

LIII Neque illud Heterodoxis ſcriptoribus, concedi poteſt plures in eadem Urbe conſtitiſſe Epiſcopos Apoſtolorum tempore, pari omnes auctoritate, & poteſtate, qui ſingularem tuebantur unius Eccleſiæ Præfecturam, quod tum Romæ, tum alibi accidiſſe compertum eſt, ita quod Petrus, & Paulus varias in Provincias prædicandi cauſſa longius abirent. Linus, & Cletus Epiſcopi Romæ fuiſſe memorantur, & quidem omnes vivente Petro, quem etiam paulo ante obitum ſuum conſecraſſe Clementem traditur in libro de vitis Pontificum. Quod ſi adhuc extra caſum hunc voluerint, primis illis Eccleſiæ temporibus, in quibuſdam Civitatibus Preſbvteros plures cum Epiſcopali conſecratione creatos eſſe, eoſdemque dictos Epiſcopos, unumque inter illos fuiſſe primarium, & præpoſitum omnibus Epiſcopum, idem & nos fatemur, quibus hujus moris exemplum ſuppeditat Jeroſolymitana, & Antiochena Eccleſia, in quibus non unus, ſed plures Apoſtoli fuiſſe perhibentur, aliique, qui generali Prophetarum, & Doctorum nomine comprehenduntur, ut ex Actis Apoſtolicis conſtat, qui & adjutores Epiſcopalis Officii accederent Jacobo in Jeroſolymitana, & Petro quamdiu Antiochenam Cathedram rexit, eiſque tamquam propriis Epiſcopis ſingularem illarum Urbium, & Diæceſium curam, atque auctoritatem præcipue relinquentes, concedenteſque eis aliquid, quod ſibi minime arrogarent; & ita ioterpretari neceſſe eſt, vel Clementis Alexandrini ſententiam, in qua dicitur Petrum, Jaco-

bum

bum, & Joannem ceteris Apoſtolis prælatos, tamen cum Jacobo juſto de gloriâ, & honore minime contendiſſe, ſed cum uno conſenſu Jeroſolymorum Epiſcopum deſignaſſe, vel id quod ſcripſit Heſychius Presbyter Jeroſolymorum in fragmento Orationis in Jacobum fratrem Domini apud Photium in Bibliotheca Codice 275. cum Jacobum: *Novæ Jeruſalem Summum Ducem* appellavit, *Sacerdotum auctorem, Apoſtolorum Primatem, in Capitibus Summitatem*. Neque diſſentit Salmaſius aliquando, nimirum p. 273. 274., cum inter Presbyteros, & Epiſcopos plures in eadem Eccleſia, diſparem unius dignitatem agnovit, qui in priore, & altiore gradu eſſet conſtitutus, nam Primatem eſſe, vel Primatum habere, quid aliud eſt, quam eminere, undecumque demum Primatus ille contingat, ſive ex ordinationis tempore, ſive ex merito, & electione? Nec fingi poteſt, quemquam eſſe Primatem, qui par ſit, & æqualis iis, quorum Primas dicitur. Ita ergo in eodem Clero plures tunc eſſe potuerunt Epiſcopi, ut ſummus emineret aliquis, alique eſſent velut adjutores tantum Pontificalis Officii, præſertim in amplis illis, & populoſis Civitatibus, quas ejus opera carere, qui Epiſcopales obiret functiones, minime oportuiſſe Apoſtoli cenſuerunt. Aliquando certe Scriptura Presbyteros, & Epiſcopos promiſcue vocat; verum quid hoc? Profecto non ut negemus Apoſtolorum ævo in Eccleſiis ſingulares conſtitiſſe Epiſcopos, ſed pro illorum temporum more. Siquidem ſub initia prodeuntis Eccleſiæ Chriſtianæ, illi qui honore, ac functione ceteris antecellebant, & horum curam gerebant, eoſque verbo Dei, & Sacramentis paſcebant, & adminiſtrationi Eccleſiæ in communi præerant, utroque nomine appellabantur, quorum vocabulorum primum ab inſpectione, & curatione, poſterius, non tam ab ætatis prærogativa, quam a dignitate, ac veneratione cœpit originem, revera tamen duo ſemper fuerunt Ordines, quorum alter Epiſcopi poſtea proprium ſibi nomen retinuit alter Presbyteri. Ita ſenſiſſe legimus Chryſoſtomum in ſua Epiſtola, quam ſcripſit Coepiſcopis, & Hieronymum in epiſtola ad Evagrium, qui etiam cum Chryſoſtomo convenit in reddenda ratione quam repetit ex vera Epiſcoporum ſingularitate. Theodoretus etiam in notis ſuper caput 3. 1. ad Timot. non diſcrepat ab illorum opinione, cui favet Epiphanius hær. 75. n. 5. unde in hac Summa Catholici dogmatis belle inter ſe conveniunt, & Epiſcopatum a Presbyteratu, ideſt Ordinem ab Ordine diſtinctum (ut deinceps fuit) ſic Apoſtolorum temporibus fuiſſe oſtendunt, & Epiſcopos veros proprie dictos illos, qui in primo Ordine cenſentur, non ſecundo, tertioque ſæculo, ſed primo, dum adhuc Apoſtoli viverent, & ſingulos in ſingulis Eccleſiis ibi ubi erant extitiſſe confirmant, nec unus eſt ex Patribus, qui Epiſcoporum Succeſſiones deſcribens dixerit Presbyteros Presbyteris, aut Epiſcopis ſaltem Epiſcopos ſucceſſiſſe, ſed conſtanter ſcribunt omnes Epiſcopum unicum unius ſucceſſorem fuiſſe, idque per omnes Eccleſias factum eſſe ſignificant, idque Divini eſſe Juris, & a Chriſto Apoſtolis traditi, cujus executio pro locis, ac temporibus illorum eſſet prudentiæ permiſſa.

Digitized by Google

Propoſitio IV. *Non humana inſtitutione illud ipſum, quod nunc cernimus Epiſcoporum, & Presbyterorum diſcrimen introductum eſt, ſed Catholicam ab initio Chriſti Eccleſiam illud agnoviſſe, & recepiſſe ex Apoſtolorum doctrina, & traditione, cuique adeſt luce clarius perſpicere.*

LIV. Majorem fuiſſe Apoſtolorum auctoritatem, qui primi fuere noſtræ Religionis Pontifices, & quibus ſucceſſerunt reliqui Epiſcopi auctoritate ſeptuaginta duorum Diſcipulorum, quos Dominus deputavit in Apoſtolorum ſuorum adjutorium, & quorum formam Presbyteri nobis exhibent, plane atteſtatur Evangelica hiſtoria in Ordine vocationis eorum a Chriſto, & in Electione Matthiæ, quam Lucas exponit in Actis Apoſtolicis. Apoſtolos Chriſtus Dominus XII. elegit, nec majore numero, nec plures quamdiu in terris egit, in eumdem accivit Ordinem. Longe poſt LXXII. deſignavit Diſcipulos Apoſtolorum ſub eisdem Coadiutores, formam exhibens eiſdem ordinandorum ſub ſe plurium Presbyterorum pro plebium, & fidelis populi neceſſitate. Petrus poſt Chriſti Aſcenſionem volens Proditoris locum, quem Epiſcopatum per os David appellat, repleri, non alium quam unum ex Diſcipulis ad gradum hunc putat aptiorem, qui Reſurrectionis Chriſti teſtis eſſe poſſet, unuſque ſortito Matthias electus eſt. Quis autem ignorat, ex inferiori gradu ad Superiorem electionem fieri? *Qui provebitur*, inquit Hieronymus in epiſtola laudata ad Evagrium, *de minori ad majus provebitur*. Si itaque ex Diſcipulo Apoſtolus, quod idem eſt dicere ſi ex Presbytero Matthias Epiſcopus a Petro, aliiſque Apoſtolis, imo a Spiritu Sancto conſtituitur, utriuſque gradus ſatis innoteſcit diſcrimen, & *naufragari* merito, cum eodem Hieronymo in epiſtola ad Pammachium centendus eſt, qui *Epiſcopi, & Presbyteri* dignitatem eamdem eſſe contendit. Et re quidem vera illi iidem Heterodoxi, qui nobiſcum ſentiunt Jeroſolymorum Epiſcopum fuiſſe Jacobum fratrem Domini cognomento juſtum, ſcribunt eumdem cœtui Presbyterorum illic conſtitutorum, quos & Epiſcopos tunc nominabant, cum auctoritate majore præfuiſſe. Salmaſius, hoc dixit in ſua Diſſertatione de Epiſcopis pag. 46. idem Salmaſius aſſenſum præbet D. Hieronymo, qui in epiſtola 126. auctor eſt Alexandriæ a Marco Evangeliſta, uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteris ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominaſſe. Jacobus itaque, & quisquis ille fuit qui a Marco, hoc eſt Apoſtolorum ætate cœpit in excelſiore collocari gradu ſub Epiſcopi nomine, teſtibus ipſis Heterodoxis par non fuit honore, ac poteſtate iis, quibus erat excelſior, & cum id quod de Marco dixit, de Evodio quoque Antiocheno dicendum velit Salmaſius, conſtat jam etiam Evodium ſimili in Officio, & gradu cum eadem Antiochiæ poteſtate, ex Apoſtoli Petri Auctoritate conſtitiſſe, nullumque alium pari jure, ac dignitate tunc in Eccleſia illa fuiſſe. Nec minoris eſt ponderis quod in cap. 4. Diſſertationis ſcribit. *Antiquior ac prior mos fuit Eccleſiarum ab ipſis Apoſtolis inſtitutus, ut primatus inter Presbyteros non ex electione decerneretur, ſed ex ordinationis tempore ſeniori deferretur*: & quod rurſus in eodem capite, de illa ipſa primi ſæculi inſtitutione loquens ait: *Qui ſucceſſionem primorum in variis Civitatibus Epiſcoporum litteris conſignarunt, dum ad ſuorum temporum conſuetudinem reſpiciunt Epiſcopos nominarunt, qui primi erant Ordinis ex tempore Ordinationis,*

tionis, & qui primum in Ordine Officii gradum habebant; nam quid deinde conſequens erit? non aliud niſi quod illi ipſi, qui ſingulari Epiſcoporum appellatione præditi erant, dignitate præſtabant reliquis, id enim ſonant hæc verba *primatem eſſe*, vel *primatum habere*, præſtare ſcilicet inter alios, iiſque dignitatem habere majorem. ut paulo ſupra notavimus; & ex illorum genere Primatem Epiſcoporum fuiſse Linum, & qui ei ſucceſſerunt Anacletus & Clemens, quibus Dei Eccleſiam adminiſtrandam crediderunt Apoſtoli Petrus, & Paulus, ut ex illius dictis oſtenditur. Imo quot quot in ſucceſſionis Epiſcoporum ſerie, quales Irenæus, Ignatius, Tertullianus aliique memorant, nomine Epiſcoporum ſignati, accenſiti ſunt, omnes veros, & noſtris ſimiles Epiſcopos fuiſse ab ipſo Salmaſio conceſſum, & expreſſum habemus. Illud ergo quod probandum ſumpſimus ſatis clarum, & perſpectum eſt, fuiſse per Eccleſias Apoſtolorum tempore Epiſcopos dignitate, ideſt honore, ac poteſtate tales, qui ceteris anteirent, & in eos Juriſdictionem haberent, quod primus omnium Aerius negavit, qui non ſolum omnem ſuſtulit differentiam inter Epiſcopum, & Presbyterum, ſed neque Divino jure ullam introductam putavit, nec humano introduci debuiſse.

LV. At non illud Heterodoxis concedimus, quod ipſi ſtatuunt hunc primatum honoris, & conſeſſus pro Ordinationis tempore Epiſcoporum quemque obtinuiſse, cum citra electionem nullus ad illam dignitatem provectus ſit. Hoc in Presbyteris tantum, & inferioribus Clericis uſurpatum reperimus, quibus ſolum Ordinationis tempus attribuebat primatum, ut videri poteſt in epiſtola Decretali 5. Leonis I. ad Dorum Beneventanum Epiſcopum, cum Epiſcopi Cleri ac Populi ſuffragiis eligi conſueverint *ex traditione Divina, & Apoſtolica obſervatione*, ut inquit Cyprianus in epiſt. 68. in qua diſſerit de Epiſcoporum creatione, & innumera evincunt Eccleſiarum Occidentalium Decreta de eligendis a Populo Epiſcopis, ut qui præfuturus eſset omnibus, ab omnibus eligeretur. Habemus etiam hujuſmodi electionum non pauca Exempla in Orientalibus Eccleſiis, tum ante, tum poſt Nicænam Synodum, Laodicenam, & Antiochenam, a quibus hoc interdictum fuiſse putarunt Zonaras, & Balſamon, licet non invicto argumento, cum Sardicenſis canon. 6. & Synodica Concilii Niceni jubeant, ut is eligatur, quem Plebs poſtulavit in unum collecta. Præter quam quod etiamſi ab ſolis Epiſcopis Provinciæ creati, & ordinati fuerint, ut laudati Auctores ſenſerunt in Commentariis ad can. 4. & 6. Nicænum, & ad can. 12. ac 13. Laodicenum; quin imo etiam ſi deinceps Principum juſſu, ac poteſtate Epiſcopos Civitatibus datos eſse affirmemus, illud ſemper certum erit Heterodoxos nullo argumento perſuadere poſse Epiſcopos priſcis illis, Apoſtolicisque temporibus ex tempore Ordinationis ſuæ, quaſi rata, & certa lege ſucceſſionis eſſe ſuffectos, ut moris erat Presbyterorum, & Diaconorum, qui in locum primi, is qui proxime ab eo cooptatus fuerat antiquitatis jure ſuccedebat. In Eccleſiæ veteris uſu invenitur, quod inter Epiſcopos conſidendi locum ex Ordinationis tempore dabatur, & in quibuſdam Provinciis, qui omnibus antiquior erat, omnibus præerat & Metropolitani inſtar erat, ut alibi obſervavimus, ſed nullibi legimus primatum Epiſcoporum ſola Ordinationis antiquitate conſtitiſſe, ſine electione (*& conſequenter Epiſcopos, & Presbyteros omnes per illud tempus honore, & poteſtate æquales fuiſſe*, ut temere Novatores dixerunt) quod enim legitur apud Pſeudo-Ambroſium in Commentario ad cap. 4. Epiſtolæ Pauli ad

Ephes. videlicet *quod primum Presbyteri Epiſcopi appellabantur, ut recedente uno ſequens ei ſuccederet &c. ſed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente Concilio ut non Ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum multorum Sacerdotum judicio conſtitutum* &c. Mori Eccleſiæ, & auctoritati Hieronymi non refragatur, primo cum idem ſonet vox *ſequens*, *ac alter*, Deinde *alter*, *ut omnibus notum eſt ſecutus Imperator*, inquit Optatus Milevitanus in lib. 2. de Juliano ſcribens poſt obitum Conſtantini Magni, Secundo, quia cum antiquus mos eſſet ut ex ſolo ordine Presbyterorum Epiſcopus eligeretur, & non raro contingeret in Presbyterio neminem reperiri qui dignus eſſet Epiſcopatu, qui tamen fuiſſet in Ordine Diaconorum, ne indignus eſſet eligendus, decretum eſt in Concilio *quod non Ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum*, ſcilicet quod ex alio, quam ex Ordine Presbyterorum Epiſcopus crearetur. His accedit quod idem ſuppoſititius Ambroſius electos per illud tempus fuiſſe ſucceſſores Epiſcoporum Presbyteros ſignificat, inquit enim quod *non Ordo, ſed Meritum crearet Epiſcopum*, ergo etiam ante immutatam rationem Ordo creabat Epiſcopum. Creare autem Epiſcopum idem eſt ac ſuffragiis eligere ex eodem ordine Presbyterorum, non unum illum definite ſuccedere, qui antiquitate proximus erat mortuo Epiſcopo, & propterea vocabulum *ſequens*, quo laudatus auctor eſt uſus, totam ipſam Presbyterorum ſeriem ſignificat, ex qua ſucceſſor creari debuit, non temporis prerogativa ſubrogari, ut perſuadent citata verba Hieronymi, quæ egregie cum illis Pſeudo-Ambroſii conſentiunt *& ita recedente uno, ſequens* [ideſt ſequentium aliquis ex eodem Ordine] *ſuccedebat*: cum vero identidem eveniret, ut qui minus digni eſſent Epiſcopatu in Presbyteris invenirentur, immutata eſt ratio, & tunc ex meriti prerogativa creari cœperunt Epiſcopi, etiam alio ex ordine quam Presbyterorum.

LVI. Nec multum eſt laborandum in eo definiendo quod conſtituit Epiſcopos Presbyteris potiores. Alibi enim jam diximus nullum eſſe poſſe Epiſcopum, qui Epiſcopali jam Ordine, & Charactere inſignitus non ſit. & cui hierarchica quædam officia attributa non ſint, quæ Presbyteratui attingere nullo modo licet, & ſi hæc uſurpare audeat, non modo nefariè agat, ſed nihil agat omnino. Demonſtratum ulterius eſt duos illos Ordines Presbyteratum, & Epiſcopatum, ex inſtituto Chriſti, ac jure Divino eſſe diverſos, tametſi in majore comprehendatur minor, & utrumque præter externum munus, ac miniſterium, internum quoddam habere Sacramentum, & Characterem, ut Epiſcopum ordinari de integro neceſſe ſit. Non eſt igitur arbitraria utriuſque functio; & Calvinianus auditur, qui nihil eſſe putat aliud Epiſcopatum, & Presbyteratum præter monera quædam externa, & Officia, quæ pro hominum arbitratu in eumdem hominem conferri, vel in plures dividi poſſunt. Non inficiamur viventibus adhuc Apoſtolis, tum Presbyteros, tum Epiſcopos fuiſſe conſtitutos, ut Eccleſiam gubernarent tam in iis quæ ad Diſciplinam, legeſque pertinent, quibus Sacra Reſpublica continetur, quam in ejus ærario curando, ac bonis, & fortunis adminiſtrandis (unde Epiſcopi nomen derivatum eſt, & ratio potiſſima cur iidem appellarentur Epiſcopi, & Presbyteri, & inter utroſque maneret æqualitas, nam Epiſcopus proprie eſt *curator rei cujuſpiam cum poteſtate, ac functione aliqua circa rem illam*) quæ ſi ratione prædita eſt, tunc ipſi inſpectioni auctoritas accedit, & juriſdictio, Ordinatione tamen, gradu, & Sacerdotii genere diſtarent, alioquin ſi unus tantum in Eccleſia

fuiſ-

fuiſſet Presbyteralis, & Epiſcopalis Ordo duplici hoc nomine inſignitus, tunc nullus ſine Epiſcopali poteſtate, & Ordinandi jure creari Presbyter potuiſſet, atque ita Ordinandi jus fuiſſe penes Presbyterum inſcite negaſſet Hieronymus in epiſtola ad Evagrium, & utriuſque diſcrimina imperite notaſſet Epiphanius cum hæreſi 75. ſcripſit, *quod Epiſcopatus Ordo gignendorum Patrum Eccleſiæ vim, & poteſtatem habet*, hoc eſt Presbyteros, & Epiſcopos, qui ab Epiſcopis ordinantur. Presbyteratus non Patres, ſed filios generat, Chriſtianos ſcilicet, qui per Baptiſmum a Presbyteris generantur. Ergo in eo ſolo unum & idem eſt, cum Epiſcopo Presbyter, quod cum illo facere poteſt, in eo vero diverſus eſt, quod ſolus poteſt Epiſcopus facere, Presbyter non poteſt, & ita intelligimus qua parte S. Hieronymus in Commentariis ad Titum illos invicem exæquatos aliquando dicat, ac quid viciſſim habeant in æqualitate illa diſſimile. Hunc enim ordinem tum ratione ſolius externæ adminiſtrationis ac Regiminis, aut ejus quod illi per ſe convenire poteſt ſpectavit Hieronymus, & tum ea ratione ille Epiſcopos cum Presbyteris contulit, qua præcipue ſunt Epiſcopi, ideſt primi Ordinis Antiſtites, diſtinxit nimirum in Epiſcopatu duo, unum intimum, quod cum inferiori ordine communicari non poteſt, ut eſt Character, & jus ac poteſtas ordinandi, ſine qua Epiſcopatus eſſe non poteſt, alterum externum ſcilicet poteſtatem, & jus adminiſtrandi, ac regendi, & quia hoc poſterius citra illa, quæ a ſolo Epiſcopo præſtari poſſunt deſcendit in Presbyteros ſimplices, in hoc Presbyteris Epiſcopus ſuppares eſſe conſenſit.

LVII. Eſſet actum agere cetera rurſum exponere, quæ Epiſcoporum peculiaria ſunt munera, quibus præcellunt Presbyteris; de iis enim luculenter alibi egimus. Unum itaque illud referam quod Heterodoxos maxime exagitat nunquam Epiſcopatum fuiſſe nudam ſine poteſtate curationem, ac Juriſdictione vacuam, cum Epiſcopatus ſemper fuerit Spiritualis Præfectura, quæ per ſe ad animam refertur, & ſempiternam ſalutem, & qui judicandi poteſtatem Epiſcopis detrahit, Spiritualem illis juriſdictionem adimit ligandi atque ſolvendi, quam Apoſtolis, & per Apoſtolos eorum ſucceſſoribus Epiſcopis mandatam a Chriſto, Concilia omnia, omnia veterum Patrum monumenta teſtantur. Quid enim ligare, atque ſolvere aliud eſt quam judicare, ac vel damnare, vel abſolvere, quæ eſt duplex Judicum functio? Certe curare pertinet ad Epiſcopum, cujus eſt curam Eccleſiæ gerere, ac ſolicitudinem eidem impendere, tamen nec ipſi Novatores ignorant Curationem non infrequenter habere poteſtatem adjunctam, cum Magiſtratibus tribuitur; quapropter cum Auguſtinus in Pſal. 67. Epiſcopatum *Miniſterium honorabile* appellet, ejuſdemque proprium eſſe dicat Chryſoſt. Orat. 64. *præeſſe imperio, vel imperium tenere, & Civitatem ſuæ curæ commiſſam regere* ut Apoſtolus ſcripſerat, non erit illius mera ſine poteſtate, & honore curatio; niſi quis vellet inferre nullum in Republica eſſe Magiſtratum, ideſt nullam poteſtatem, ac dignitatem, neque regium imperium, & nullum denique legitimum Principatum propter hoc, quia ii, qui præſunt *totum corpus Reipublicæ curant*, ut inquit Cicero in 1. de Officiis, nihilque ulterius illos habere præter ſimplicem procurationem, ut onus, ac munus honoris, & poteſtatis exprimit, quo nihil abſurdius eſt dicere. Non omnia quæ ad rem quampiam ſpectant, & cum ea connexa ſunt, hujus proprio vocabulo ſunt expreſſa, aut ejus primario fine continentur, ſed ab eo plerumque ſolo, ad quod per ſe, & ex inſtituto refertur, appellationem unumquodque accipit. Ex quo ſe-

Digitized by Google

ſequitur, quod licet nomen Epiſcopus primario per ſe, & ex inſtituto nihil aliud ſignificet niſi proviſionem, procurationem, & attentionem, illud ſcilicet quod primarium eſt in qualibet Præfectura, ac Magiſtratu, ſive legitima poteſtate, cui propoſita eſt publica, privataque commoditas eorum, quibus præeſt, inde tamen & oritur, & veluti effloreſcit altera dos velut ſecundaria, honor ſcilicet, ac dignitas ſubjectorum & reverentia, & obſequendi ſtudium, ſine quibus prior ille fructus, & primario immertas obtineri non poſſet: Nec merentur audiri Novatores cum aſſerunt tunc ſolum Epiſcopatum, pro Magiſtratu Eccleſiaſtico habitum fuiſſe, cum ea Officia, quæ Curationis erant certis Perſonis attributa ſunt, quæ non creabantur per manuum impoſitionem, ſed per promotionem; ſiquidem Epiſcoporum omnium ſemper ſine ullo diſcrimine munus, Officiumque fuit prædicare verbum Dei, docere, cohortarique populum, hæreticos, & Chriſtianæ fidei oppugnatores diſputando refellere, delinquentes cohercere, regere Eccleſiam Dei, ut in Actis Apoſtolicis c. 20. legitur, & ut teſtatur Apoſtolus in 1. ad Tim. c. 3. ubi vult Epiſcopum amplecti eum *qui Secundum Doctrinam eſt, fidelem Sermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere* & ut eoſdem Epiſcopos in ſua 1. epiſt. c. 5. Petrus hortatur, ut paſcant commiſſum ſibi gregem Dei *Epiſcopantes*, hoc eſt *providentes non coacte*, quod docendo præſertim, & Sacramenta adminiſtrando perficitur. Et ita revera Epiſcopi quilibet ab ipſis Eccleſiæ incunabulis hoc in totius gregis portione ſibi tradita præſtiterunt, quod in toto ipſo facere juſſus fuerat Petrus, ut ſuam quiſque Divini verbi, & Sacramentorum pabulo reficeret, Baptiſmi præſertim, Pœnitentiæ, & Euchariſtæ, quorum Sacramentorum jus omne penes Epiſcopos erat, ut aut per ſe illa fidelibus impertirent, aut Presbyteros, & Diaconos, pro ſuo quemque munere vicarios illius gerendæ functionis adhiberent, quæ res non oneris tantumodo ſine dignitate functionem, ſed jus, poteſtatemque, magiſtratum, juriſdictionem in Eccleſiaſticis rebus ampliſſimam latiſſime oſtendunt, hoc eſt *principatum curationi, & operi, ac negotio junctum*, ut Philo obſervavit in libro *De eo quod deterior potiori inſidiatur*, & quia functionis ipſius ſevera ab Epiſcopo repoſcenda ratio eſt, & hujus maxime gratia dignitas illa conſtituta eſt, idcirco primo loco ſpectanda, præque honore, qui ei eſt annexus, cura omni, & æſtimatione dignanda eſt Officii geſtio; ita enim vices in terris agunt Epiſcopi Paſtoris magni qui illos gregi ſuo præpoſuit, ut curationis, & proviſionis, ſic duplicis illius honoris participes eſſent de quo Apoſtolus loquitur in ſua 1. ad Timot. c. 5., quam Apoſtolus in 2. ad Cor. 10. vocavit ædificandi, & deſtruendi, nam, & jubere poterunt, ac leges præſcribere Chriſtianæ Eccleſiæ, & pœnis afficere eos, qui adverſabuntur, in promptu habentes, ut ipſe, ajebat ulciſci omnem inobedientiam; nec aliter omnes antiqui PP. Cyprianus, Hilarius, Cyrillus Jeroſolymitanus, ceterique ſenſerunt, qui eamdem poteſtatem mortalibus a Deo conceſſam infinitis laudibus, & cum ingenti admiratione prædicarunt. Nec ſuffragabitur Novatoribus Hieronimi locus ex lib. 1. contra Jovinianum ubi Epiſcopum ſcribit non *eſſe meriti* hoc eſt ut ipſi interpretantur dignitatis, & honoris nomen, ſed *Officii*, hoc eſt muneris tantum, & curationis; nam meriti nomen a Hieronymo hoc in loco uſurpatum eſt ut ſignificet id quo mereri aliquid dicimur, non ut ſignificet dignitatem, & honorem. Non enim omnes qui fiunt Epiſcopi rite id merito conſequuntur, ut indicat Auguſtinus in

in libro de Paſtoribus cap. 1. ſed Dominus ſecundum dignarionem ſuam conſtituit, & revera cum illud ſcripſit Hieronymus, nomina graduum iſtorum, ut eos ibi vocat Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum non meritorum fuiſſe, ſed Officiorum, non de nominibus loqui voluit, ſed de rebus illis ſubjectis, ac ſignificatis, ideſt de ordinibus ipſis, quos per ſeſe non in meritum, præmiumve meriti cadere ſignificavit, quod non in eum finem tribuantur, ut ſit mercedis, & compenſationis inſtar dignitas, & honor ille, qui ex iis capitur, ſed ut qui in majori Ordine eſt conſtitutus, poſſit, ſi velit occaſionem exercendarum habere virtutum. Conſulant Novatores Hieronymum in Commentariis in verſum 7. cap. 60. Eſajæ ubi legit: *& dabo Principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos juſtitiam*, poſtea ſubdit, *quorum omnium viſitatio in pace, & vocabulum dignitatis in juſtitia*, ergo penes Hieronymum nomen Epiſcopus vocabulum eſt dignitatis, ſed recte ſcripſit Epiſcopatum non meriti fuiſſe, quia non omnes, qui fiunt Epiſcopi, vitæ id merito conſequuntur, nec propterea quia ſunt Epiſcopi meritis, ac probitate ceteris præſtant, atque ita probatum remanet, quod Epiſcopi, quales erant Apoſtolorum tempore, Præpoſiti fuerunt, & quod eorum Præfectura, ideſt Magiſtratus non ſine poteſtatis ſumma amplitudine enituit &c. Dixi *a Patribus omnibus* ampliſſimam hanc poteſtatem commendari, etſi me non lateat, Tertullianum in libro de Pudicitia teſtari Epiſcopum, & quidem Romanum nihil habuiſſe, præter diſciplinæ officium, ac docendi modum ſine ulla juris dicendi, vel cohercendi poteſtate, nullus enim dubitat Tertullianum in libro de Pœnitentia veniam, ac remiſſionem peccatorum pro poteſtate concedi ab Eccleſia, & in ejus Antiſtitibus agnoviſſe, deinde hæreticum factum, & vaniſſimis captum mulierculàrum præſtigiis, quod antea dixerat reſcidiſſe.

LVIII. Hic tamen obſervare non inutile ducimus, ut illa intelligamus, quæ perplexa, minimeque cohærentia, atque adeo inter ſe pugnantia dicta occurrunt in Patribus, ob non diſtinctam indiſcretam, genericamque vocabulorum Epiſcopi, & Presbyteri ſignificationem in Apoſtolicis litteris, quod omnes gradus Sacri Ordinis Eccleſiaſtici, in duo omnino genera dividuntur in *principantes* ſcilicet, aut *ſuperintendentes*, ut ajunt, ac *miniſtrantes*. Primum genus etſi bipartitum, uno tamen generico vocabulo proprie Epiſcoporum dicitur, hoc eſt Superintendentium, quod proprie Epiſcoporum, & Presbyterorum eſt munus, ordinate tamen, ut colligitur ex Umbra veteris Tabernaculi. Alterum etiam genus ſub ſe plures ſpecies complectitur, omnes tamen ſub unica hac generica appellatione Diaconorum contineri certum eſt. Quare ad ſingula hæc duo genera, illorumque ſingulas ſpecies ſæpe referuntur ea, quæ in Sacris litteris leguntur, cum Epiſcoporum tantum, aut viciſſim tantum Presbyterorum, & Diaconorum mentionem faciunt, ita ut Apoſtolica illa doctrina nec diminuta, ac manca ſit, ſed ſufficienter univerſos Sacri Ordinis gradus comprehendat. Cum itaque Apoſtolus non raro his vocabulis Epiſcoporum, & Presbyterorum ſit uſus, ut genericis, non ut appropriatis, quemadmodum poſtea uſus obtinuit, confuſa hæc, & generica dictorum vocabulorum appellatio attendenda eſt, ut ex uſu vocabulorum, quem jam obtinuit Eccleſia, non autem quem obtinuit ab initio, Epiſcopatus Presbyteratu, major cognoſcatur, idque propterea, quod vocabula illa per uſum loquendi ſunt appropriata ſpeciebus diverſis, quarum altera non ex uſu loquendi tantum, ſed re ipſa

Digitized by Google

ipſa altera major eſt. Huc certe reſpexit Auguſtinus, cum ad Hieronymum ſcribens, inquit: *Quamquam ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen Auguſtinus in multis Hieronymo minor eſt*. Epiſcopatum ſcilicet Presbyterio majorem dixit S. Auguſtinus ſecundum honorum vocabula, quæ uſus Eccleſiæ obtinuit, quia nomen Epiſcopi, jam a ſuis exordiis uſurpavit Eccleſia ad majorem Presbyteratu dignitatem deſignandum. E contra vero non animadverſa illa generica Epiſcopi, & Presbyteri appellatione, non ſatis cohærenter Pauli dicta interpretabimur, ut aliquando contigit Theodoreto, Ambroſio, Epiphanio, Hieronymo, quorum poſtea mentem non aſſequuti Novatores, eo dementiæ pervenerunt, ut illos in ſuas partes traherent, & in communionem cogerent Sectæ fœdiſſimæ Puritanorum, cujus proprium illud eſt omnem odiſſe Principatum, nec unius inter multos eminentem auctoritatem tam Civilem, quam Eccleſiaſticam perpeti, contra antiquiſſimam, & Apoſtolicam traditionem, quæ tres hierarchicos, invicemque diſtinctos agnovit gradus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum; & contra morem omnium Eccleſiarum, quæ ſuos ſuſceperunt, & veneratæ ſunt Antiſtites Presbyteris ſuis gradu, & honore ſuperiores.

LIX. Cum in uſu & more omnium Eccleſiarum id fuiſſe contendimus nullas excipimus, neque Scoticam, neque Britannicam. Non primam etſi Eccleſiam illam velint Heterodoxi a Culdeis gubernatam fuiſſe ſine Epiſcopis a Donaldi Regis, Victoriſque Papæ I. temporibus ab A. 197. uſque ad A. 430. quo primum a Cœleſtino Urbis Pontifice ordinatus eſt Palladius, ſic enim ſcribebat Joannes Fordonus Scotic. Chron. lib. 3. c. 8. Ante Palladii adventum habebant Scotii Fidei Doctores, ac Sacramentorum miniſtratores Presbyteros ſolummodo, vel Monachos, ritum ſequentes Eccleſiæ Primitivæ: nam neque ex hoc, neque ex aliis monumentis probare poſſunt, primos illos Presbyteros, & Monachos Scotorum Ordinationes celebraſſe, & Presbyteros, ac Epiſcopos conſecraſſe, qua Ordinationum Poteſtate Presbyteris præcipue antecellunt Epiſcopi. Sic recente adhuc Chriſtianiſmo putavit Hieronymus in multis Civitatibus peculiarem Epiſcopum non fuiſſe, ſed Chriſtiano populo gubernando, & paſcendo plures in commune Sacerdotes ſimplices, & Presbyteros præfuiſſe, nam Samariæ cum primum Chriſtiana fides, & Eccleſia coaluit, Philippus unus e Diſcipulis, præfuit ſine Epiſcopo, nam ibi nullus erat, ſed quando opus fuit Apoſtoli miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui Epiſcopale ibi munus implerent, hoc eſt Sacramento Confirmationis baptizatos initiarent. Corinthi etiam, & Epheſi, & in aliis quibuſdam Civitatibus, & Eccleſiis recens ab Apoſtolo Paulo, vel ab aliorum opera conditis ſolos Presbyteros conſtitiſſe, ut ea munera præſtarent, quæ habet hic Ordo cum Epiſcopali communia, Chryſoſtomus, Theodoretus, ac Græci plerique cenſuerunt, atque ad ea munera, quæ primi Ordinis Antiſtites poſtulabant, identidem vel Apoſtolos, vel ab illis ordinatos Epiſcopos accurriſſe. Hoc idem in Orientalibus, & Occidentalibus Eccleſiis, quæ ex infidelibus hac ætate coaluerunt uſuvenit, atque etiam num cernere eſt in barbaris illis regionibus, in quibus complures ad Chriſtum adducti, nullos alios præter ſimplices Presbyteros Paſtores habent, ac Rectores, qui nec Epiſcopi ſunt, nec proprias Epiſcoporum functiones uſurpant, & his exceptis cetera omnia miniſtrant. Tales itaque fuiſſe Scotorum Paſtores ultro concedimus, & quales ſunt hodie ii, quos

Paro-

Digitized by Google

Parochos, & a Cura Curatos vulgus nuncupat, non vero illis defuiſſe Epiſcopos, uſque ad Cœleſtini tempora, cum ex Boetio Scotorum hiſtor. lib. 7. f. 128. erudiamur ante hæc tempora populi ſuffragiis ex Monachis, & Chuldeis Scotos ſibi Pontifices aſſumpſiſſe, qui ad vicinarum Eccleſiarum Epiſcopos conſecrandi procul dubio mittebantur, & Palladium primum fuiſſe intelligimus, qui contra priſcum morem a Romano Pontifice Scotorum Epiſcopus creatus, & ordinatus eſt. Inſeqvutis etiam temporibus Epiſcopos in Scotia fuiſſe, tum epiſtola Laurentii, Melliti, & Juſti, qui a S. Auguſtino Anglorum Apoſtolo fuerant ordinati Epiſcopi ad Scotos, tum altera Joannis IV. Papæ ad Scotos conſcripta ſatis oſtendit. Ex quibus monumentis eruitur peſſimæ cauſſæ patrocinium a Novatoribus ſuſceptum, cum ad uſum Britannicæ Eccleſiæ nos provocant, ut in ſuam ſententiam nos trahant, quod erat alterum eorum effugium. Hoc enim ipſo, quod ſtatuunt Britannorum Eccleſiam propaginem eſſe Hienſium Presbyterorum, vel inviti fateri debent Hierarchico Epiſcoporum Ordine Eccleſiam hanc non caruiſſe; ſiquidem teſtatur Beda in Britannica hiſtor. lib. 3. capite 3. Aldanum de Inſula, quæ vocatur Hy e Collegio Monachorum ad Provinciam Anglorum inſtituendam in Chriſto miſſum eſſe, accepto gradu Epiſcopatus, & hoc defuncto Epiſcopatus ſui anno 17. Chriſti vero 651. illi ſuffectum fuiſſe Finam ex eadem Inſula, & ex eodem Monachorum Collegio depromptum, & tempore non pauco in Epiſcopatu permanſiſſe. Defuncto Finano A. 661. Colmanum ſucceſſiſſe, & hoc in patriam reverſo, ſuſcepiſſe pro illo Epiſcopatum Tudam, qui erat apud Scotos Auſtrinos eruditus, & ordinatus Epiſcopus. Addit inſuper Middelenglorum Rege Penda occiſo, Deunam ab eodem Finano] Epiſcopo ordinatum, qui cum brevi tempore non paucam Domino plebem acquiſiviſſet defunctus eſt apud Mediterraneos Anglos, ſuſcepitque pro eo Epiſcopatum Ceollach, & ipſe de Natione Scotorum, cui non multo poſt Epiſcopatu relicto ſucceſſit Trumhere vir Religioſus, natione quidem Anglus, ſed a Scotis ordinatus Epiſcopus: ait inſuper Orientalium Anglorum Epiſcopum Cedda jamdudum fuiſſe Ordinatum a Scotis: denique plures alios commemorat Epiſcopos Venerabilis Beda, quos miſſos facio: ex Anglicanæ igitur Eccleſiæ moribus argumentari non poterunt Novatores contra ademptam Jure Divino Presbyteris Ordinationum, aliarumque Epiſcopis reſervatarum functionum poteſtatem, qua hi præcipue Presbyteris antecellunt, nec eorum cauſſam juvat ſcire nos Scotorum Epiſcopos Abbati Presbytero fuiſſe ſubjectos, ut in eadem gentis Anglorom hiſtoria lib. 5. c. 4. narratur; nam ipſe laudatus hujus Hiſtoriæ auctor Beda obſervat hoc ordine inuſitato contigiſſe, vel ob Sanctimoniæ reverentiam, quæ in Monachis, & Abbatibus præfulgebat, vel quod ipſorum plerique ex Monaſteriis ad Epiſcopatum aſſumpti hanc ſibi ſubjectionis, & obedientiæ in aliis regionibus, & Eccleſiis inſolitæ, legem ſpontaneo ſingularis pietatis, & humilitatis affectu impoſuerunt. Quamquam neque ipſi Heterodoxi de hoc dubitant, qui Salmaſio Duce pronuntiant Apoſtolorum tempore fuiſſe quidem eosdem Presbyteros, & Epiſcopos, ſed ſub finem ſecundi ſæculi a Pontificatu Victoris, vel tertio ineunte hunc Ordinem fuiſſe ab Eccleſia immutatum, & Epiſcopi Presbyteris majores eſſe cœperunt. Porro Exempla petita ex ementito Eccleſiæ Anglicanæ uſu morem ſapiunt ætatis longe recentioris, & propterea illorum cauſſæ favere non poſſunt.

LX. Abſit vero, ut credamus ab Eccleſia fuiſſe hunc Ordinem immutatum, Divina enim ordinatione, id factum eſt, Dei enim Sacramenta hæc ſunt, & ex Divina non humana ordinatione proprios ſortiuntur miniſtros, a quibus conferri poſſint, id quod bene ſenſit ipſe Hieronymus, qui ad Nepotianum ſcribens inter Aaronem, & filios ejus, hoc eſt Epiſcopum, & Presbyteros diſcrimen fuiſſe non dubitavit aſſerere: conſtat autem inter Aaronis tificatum, & filiorum ejus Sacerdotium non ex humana, ſed ex Divina inſtitutione interfuiſſe plurimum, unde ex Chriſti inſtitutione tantumdem, aut etiam plus intereſſe debet inter Pontificalem apud nos, & Sacerdotum inferiorum Ordinem, ſeu ut nunc dicimus, inter Epiſcopos, & Presbyteros. Inſtitutioni Eccleſiæ, & conſuetudini attribuit Hieronymus Commentar. in epiſt. ad Tit. quod non teneantur Epiſcopi cum toto communicare Collegio Presbyterorum, & conſilii ac deliberationis, gubernationiſque ſocios, & participes illos facere, ut olim erat in more, non vero Ordinem, quem Divino Jure conſtitutum, & agnovit, & docuit. Quandoquidem ergo illud idem, quod nunc diſcrimen ſervat, & agnovit inter Epiſcopum, & Presbyterum univerſa per Orbem Chriſti Eccleſia, etiam obſervaſſe probavimus primitivam illam ab Apoſtolis inſtitutam, ex Chriſti voluntate, & mandato, deſinant jam Epiſcopalis Ordinis hoſtes, de hoc tam pervicaciter, tamque ſtulte contendere. Renuunt tamen his momentis acquieſcere; quare ut dogma demonſtretur uberius, ſtatuitur

Propoſitio V. *Chorepiſcopi Ordinatione ſua non erant Epiſcopi, ſed meri Presbyteri aliquo Juriſdictionis Epiſcopalis privilegio adaucti.*

LXI. Quæ in ſuperiori quæſtione fuerit Apoſtolica Doctrina, & traditio, quæ illius primitivæ Eccleſiæ communis ſententia, & obſervatio atteſtantur monumenta ſuperius allata, ad quæ plures Apoſtolicos canones addere potuiſſemus, primum ſcilicet, quintum, & decimumquintum, qui canones diſcrimen indicant inter Epiſcopum, & Presbyterum, & Diaconos, ſive Ordinem miniſtrantium, ſed abducimur ab illis recenſendis, ne illorum auctoritatem elevarent Epiſcopalis honoris impugnatores, aut nothos dicerent, adſciticios, & ab aliquo quovis impoſtore confictos, non autem ab Apoſtolis editos, nihil enim magis in promtu eſt his male feriatis hominibus, quam quidvis dicere, rejicere, aſſerere pro ſua temeritate, & arbitrio; Et re quidem vera, nihil hos impudentiſſimos homines pudet comminiſci, quantumvis ſit impudens, nihil omittere quantumvis ineptum, *dummodo depravatæ eorum fidei præſidio ſit, illudque putent, tum ad extenuandam Epiſcoporum dignitatem, tum ad furioſum, & immane illorum dogma*, quemadmodum ſcripſit Epiphanius hær. 75. n. 3. *propugnandum* aptiſſimum, ſcilicet nulla re præſtantiorem eſſe Presbyterum Epiſcopo, & penes Presbyteros perinde atque Epiſcopos reperiri jus, & poteſtatem conferendi Ordinis, & juris illius, & poteſtatis uſum, & functionem, etſi per Epiſcoporum Tyrannidem uſu detracto, ſola tractu temporis poteſtas in Presbyteris manſerit. Hinc eſt quod cum videant illorum cauſſæ nihil prodeſſe monumenta illa, quæ oſtendunt Epiſcopos non infrequenter nuncupaſſe Presbyteros ſive Compresbyteros, ſive Comminiſtros, Collegas, & Fratres, eo quod nuncupationes ejuſmodi, non ad æqualitatem gradus referantur, ſed ad explicandum in miniſterio adjutorium, vel

vel æqualem Euchariſtiæ conficiendæ, & remittendorum peccatorum poteſtatem, ad Chorepiſcopos, & ad eorum inſpicienda munera nos provocant hac mente, ut dum intuemur in illis Presbyterorum gradum, & factas ab ipſis manuum impoſitiones ad Ordinationem, intelligeremus Epiſcopos non eſſe revera Jure Divino Presbyteris ſuperiores: ut itaque poſtremum hoc effugium præcludamus de Chorepiſcopis hoc in loco agimus, ut ex dicendis eluceat inconcuſſa hæc Catholici Dogmatis veritas, Chorepiſcopos ordinatione ſua non fuiſſe Epiſcopos, ſed meros Presbyteros. Atque ante omnia animadvertimus non ſemper Epiſcopos Diœceſium ambitum in Urbibus, quibus præſidebant coarctaſſe; in agros partim, ac Villas, ubi Chriſtianorum familiæ diverſabantur porrectæ, iſtarum curam alicui Presbytero commendabant, & ita Pareciæ natæ ſunt, quæ univerſum illud Territorium occupabant, quod circa Urbem erat aliquam, Urbis Magiſtratui parentem intra cujus fines Jurisdictionem habebat; & Regio ipſa *Chorepiſcopon* appellabatur, & *Chorepiſcopus* vocabatur ille Presbyter, qui familiarum illarum curæ invigilabat. Hujus nuncupationis teſtem habemus Dionyſium Exiguum in canone 10. Concilii Antiocheni, alioſque interpretes, qui non ſolum advertunt in ipſis Chriſtianæ Religionis exordiis primos Eccleſiarum conditores bifariam operam ſuam, & operæ adminiſtros partitos eſſe, in Urbem ſcilicet, & Urbi adjunctum Territorium, ſed præterea *in ipſo Territorio plures aperuiſſe Eccleſias, cum propter longinquitatem una congregandis fidelibus omnibus non ſatis erat Eccleſia, quas Eccleſias græci* χώρας *Latini regiones, Villas, & Parochias nuncuparunt*, earumque adminiſtri, antiquo immutato nomine *Archidiaconi* apud Sigibertum in Chronico dicebantur, communiter vero *Curatores*, & ne honos, & dignitas, nomenque Epiſcopi vileſceret in his Vicariis, *Presbyteri*. Quod ſingulæ hæ Pareciæ toti Diœceſi ſubjecerentur, legitur in canone 9. Concilii laudati. Quod hi Curatores ad formam LXX. Diſcipulorum eſſent ab Epiſcopis ſuis promoti, poſt Damaſum Balſamon adnotavit in can. 13. Synodi Neocæſarienſis. Atque hoc illud eſt, quod demonſtrare decrevimus, & cujus cauſſa iſta notavimus, ut prorſus ineptum appareat, quod traditum eſt de manuum impoſitione ad Ordines facta a Chorepiſcopis.

LXII. Ex innumeris autem monumentis, quæ Orthodoxam firmant ſententiam illa ſunt luculentiora, quæ ſuppeditant Canones Laodiceni Concilii, Sardicenſis, Toletani XXII., & XXII. Francfordienſis, in quibus dicitur *non oportere in Villulis, aut in agris Epiſcopos conſtitui, ſed Viſitatores*. Negare igitur in locis his debere Epiſcopos reſidere, idem eſt ac aſſerere Chorepiſcopos, quorum curæ Pareciæ illæ adjudicabantur Epiſcopos non fuiſſe. Nec aliud profecto crediderunt Hiſpalenſis Concilii Patres, & Patres Concilii Ratisbonenſis, Meldenſis, & Metenſis, qui conclamarunt contra Epiſcopalia Miniſteria, vel conniventiam Epiſcoporum, & propriam præſumptionem uſurpatam a Chorepiſcopis, hac unica ratione moti, quia juxta Decreta Damaſi Papæ, Innocentii, & Leonis vacuum eſt, & inane quid quid in Summi Sacerdotii Chorepiſcopi egerunt miniſterio, quod ipſi iidem ſunt, qui & Presbyteri; quam ab cauſſam partim fuiſſe damnatos ſcimus, & partim repreſſos, eiſque imperatum ut modum menſuræ ſuæ, qui in Sacris Canonibus præfixus eſt, non excederent. Conſulatur epiſtola 9. Gelaſii I. ad Epiſcopos Lucaniæ §. *nec minus*, & niſi haberi debeat commentitia, conſulatur epiſtola unica Joannis III. quæ prohibitionis a Damaſo, & Leone Prædeceſſoribus ſuis factæ memi-

nit, & Pariſienſe Concilium Ludovico, & Lothario Imperatoribus habitum cap. 7. Nos interim certi ſumus momenta hæc ſingula luculenter probare Chorepiſcopos Ordinatione ſua ſimplices, meroſque fuiſſe Presbyteros.

LXIII. Revocemus modo in memoriam, ſi quod in uſu antiquitatis, & hiſtoria reperiri poteſt exemplum Chorepiſcoporum, qui Epiſcopali ordinatione, & charactere inſigniti eſſent; id autem eruitur tum ex Nicæno, tum ex Antiocheno Concilio. In canone 8. Nicænæ Synodi ſancitum legitur *quod reverſi a Novatianorum hæreſi ad Eccleſiam ubicumque ſive in vicis, ſive in Civitatibus ipſi ſoli reperti fuiſſent Ordinati in Clero, in eodem habitu perſeverarent. Ubi autem Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo, vel Præsbytero conſtituto quidam ex illis adveniſſent Epiſcopi in Eccleſia haberet Epiſcopi dignitatem. Is autem qui nominaretur apud eos*, qui Cathari dicebantur, *Epiſcopus, honorem Presbyterii poſſideret, niſi forte placuiſſet Epiſcopo, nominis cum honore cenſeri. Si vero hoc ei minime placuiſſet, ut provideret ei, aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ne in Clero prorſus eſſe videretur, ne in una Civitate, duo Epiſcopi probarentur exiſtere.* Antiochena vero Synodus ita decrevit can. 10. *Ii qui ſunt in vicis, vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſunt, tamen Sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant* &c. Erant itaque ex his monumentis Chorepiſcoporum aliqui meri Sacerdotes, & alii Epiſcopi, non quidem vi Chorepiſcopatus, qui nudum miniſterium, & Eccleſiarum, quæ in agris erant adminiſtrationem concedebat, ſed ob ſuſceptam antea manus impoſitionem, & conſecrationem, ut profecto nemo diſiteri poſſit, quin Epiſcopus ille a Novatianiſmo converſus talem characterem aliunde antea ſuſcepiſſet, quam a miniſterio Chorepiſcopatus. Idque noverunt etiam Laodiceni Patres in can. 57. quo ſanxerunt ut *Chorepiſcopi jam quidem Epiſcopi conſtituti nihil facerent præter conſcientiam Epiſcopi Civitatis*, quod certe dictum eſt ne ſeditiones commoverentur ibidem conſtitutis Epiſcopis, & vis Præſulibus earum inferretur, quod inconveniens notatum eſt in Concilio Ancyrano canone Græcis 18. Latinis quibuſdam decimoſeptimo; & in Concilio Antiocheno can. 18. ex quibus canonibus etiam intelligitur, quomodo reperiri tunc poſſent Presbyteri, qui Epiſcopi eſſent, & quibus permitteretur honoris, & miniſterii communio ea conditione, ut negotiis Eccleſiæ in qua morabantur, non ſe immiſcerent; ſiquidem intelligitur ex laudatis canonibus quod ii erant, qui ad Urbes aliquas regendas ordinati Epiſcopi nulla ſua culpa ab iis, quibus deſtinati erant, non erant admiſſi, & idcirco priſtinum in locum denuo erant recepti, videlicet inter Presbyteros, unde poſtea contingebat, quod vicinus Epiſcopus Collegæ ſui repulſam ægre ferens Chorepiſcopatus ei miniſterium conferebat. His porro Chorepiſcopis ab eodem Antiocheno Concilio permiſſum erat, ut conſtat legenti ejus canonem 10. ut conſtituerent Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, nunquam vero auderent Presbyterum, aut Diaconum ordinare abſque Urbis Epiſcopo cui tum ipſi, tum illorum Parœcia ſubjiciebatur, idemque legitur in canone 13. laudati Concilii Ancyrani, in Epitome Canonum ab Hadriano I. concinnata, in Capitulari Aquiſgranenſi Caroli Magni, & in Breviario Canonum Ferrandi Diaconi Carthaginenſis titulo 79. Ad eoſdem quoque ſpectabant teſtimonia initiandorum excipere, diſcutere, deque iis ad Epiſcopum referre, & cooptare Miniſtros in Clerum ruſticanarum Parœciarum, conſulto prius Epiſco-

ſcopo Civitatis, ut dicitur in Collectione Canonum Arabicorum can. 60. Tandem vero ſuperiorem dignitatis gradum præ ceteris Presbyteris non ſolum Ruris, ſed etiam Civitatis obtinuiſſe, unicè docet VIII. canon Nicænæ Synodi, & II. Concilii Chalcedonenſis, ſi ordinem ſcripturæ ſequi velimus. De cetero, ne quis arbitretur poſteriora hæc, quæ addidimus regulam ſtatutam labefactare, quæ Chorepiſcoporum ordinationem ſolis Civitatis Epiſcopo tribuit, eoſque in Presbyterorum numero recenſet, patent omnibus Antiocheni Canonis verba, perſpicuumque eſt quod ex Apoſtolica Traditione per univerſam Eccleſiam ad hanc uſque diem religioſe obſervatam fatentur omnes, Epiſcopos a tribus ſaltem Epiſcopis ordinandos eſſe. Ex iis igitur, quæ ſuperius contigiſſe adnotavimus, licet infrequenter, facile oſtenditur factum aliquando fuiſſe ex varietate negotiorum, ut Epiſcopus adſciſceretur in Chorepiſcopatum, quo nihil ad negotium noſtrum fingi poteſt accomodatius, ut explicemus unde natum eſt quod Sacri Canones aliquando probare potuerint manus impoſitionem ad ordinationes a Chorepiſcopis factas, quod Chorepiſcopi illi Charactere Epiſcopali erant inſigniti, & quod eiſdem non defuit ſuorum Epiſcoporum conſenſus. Aliorum contra vero Chorepiſcoporum ſemper irritas & inanes fuiſſe dixerunt, & ab Epiſcopis iterum rite peragendas Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum, imo etiam Subdiaconorum, ut conſtat, ex Reſponſo Leonis III. licet hæc ordinatio Chorepiſcopis diſerte permiſſa eſſet a Concilio Antiocheno, nec dum fuiſſet ullo decreto vetita. Hæc videantur in Selectis Capitulis tit. 4. c. 1. Tomi 2. Conciliorum Galliæ ad annum 800. & ſufficere poſſunt ad oſtendendum cauſſa ſua excidiſſe adverſarios qui Chorepiſcopos vi ordinationis ſuæ Epiſcopos fuiſſe defendunt, cum gravioris ponderis fundamentis hactenus allatis careant, & ſingularia illa, quæ repetunt teſtimonia partim ex uno Rabano Mauro, ex Nicolao I. inutilia ſint, & plus detrimenti Chorepiſcopis afferant, quam utilitatis, Innutilia ſunt, quia hæbes, & plumbeus eſſe debet qui putat unius Rabani ſententiam pluris eſſe faciendam quam tot Pontificum Decreta, Conciliorumque ſtatuta, quæ uſque modo recenſuimus, qui ignorat nos ejus auctoritatem eadem libertate explodere poſſe, qua ille Leonis III. reſponſum, & tot Synodorum judicia inſuperhabuit. Præter quam quod fatentur omnes quod cum Nicolaus I. Rodulpho Archiepiſcopo Bituricenſi anno 864. conſulenti de Ordinationibus Presbyterorum & Diaconorum celebratis a Chorepiſcopis, quos quidam Epiſcoporum deponebant, quidam vero denuo conſecrabant, reſpondit *ſe dicere: nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas conſecrationes. Adformam enim LXX. Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officia? Sed quia Sacri canones vetant ne omnes omnia ſibi vendicent, ac per hoc dignitas Epiſcoporum ad Chorepiſcopos ſuos videatur transferri, fiatque vilior honor Epiſcopis, ſe decernere nihil in hoc præter regulas effici*; fatentur inquam omnes quod diverſis occupatus negotiis curſim reſpondere coactus fuit, & hoc idem ipſe Pontifex præfatur in dicta epiſtola, quod intuentes Patres in Synodo Metenſi congregati A. 888. non obtinuit apud eos hæc reſponſio, ſed can. 8. definiverunt ea quæ jam ſuperius retulimus, nimirum Chorepiſcopos eoſdem eſſe ac Presbyteros, vacuumque, & inane quid quid in Summi Sacerdotii egerunt miniſterio. Plus vero detrimenti attuliſſe Chorepiſcopis invidioſam hanc Nicolai ſententiam quam utilitatis oſtendit Auctor Operis de Concordia Sacerdotii, & Imperii lib. 2. c. 14. n. 9. cum enim nihil ſibi reliqui eſſe viderunt Epiſcopi ſi Presbyterorum Or-

Ordinationes a Chorepiſcopis tentatæ irritæ non eſſent, &ſi a Canonibus vetitæ, & vacantibus Eccleſiis, prætextu miniſterii quod a Chorepiſcopis impendebatur, Principes ab Electionibus concedendis ceſſare, Eccleſiaſticis proventibus ad ſuorum utilitatem reſecatis, tacita definitione potius quam expreſſa ad executionem Capitularis, rerum experimento conſultiores facti Epiſcopi conſpirarunt, a conſtituendis Chorepiſcopis abſtinentes, tuncque ſollicitudinem animadvertendi in Presbyteros, & Pagorum viſitandorum, quæ præter cetera Chorepiſcopis competebat, Archidiaconis conceſſerunt. Deſinere itaque cœpit Chorepiſcoporum ordo in Eccleſia Gallicana ſæculo IX. qui tribus primis Eccleſiæ ſæculis in Eccleſia non fuit: quod poſtremum addidimus ad demonſtrandum Chorepiſcopatum a Chriſto non fuiſſe inſtitutum, & Heterodoxos hoc effugio abuti, ut oſtendant primis duobus Eccleſiæ ſæculis Presbyteros Epiſcopis cum ordine tum juriſdictione æquales eſſe, quod inſcitiæ, & ſtupiditatis maximum eſt argumentum, ut pudeat ulterius in hoc immorari. Tantum adverto ita abhorruiſſe Eccleſiæ Patres, & Eccleſiarum Præſides in Chorepiſcopis munus hoc imponendi manus ad ordinationem Diaconorum, & Presbyterorum ea ratione, qua Chorepiſcopi erant etiam tunc cum illorum officia nata ſunt in Eccleſia, ut non ſolum viventibus Diœceſanis Epiſcopis ab eiſdem abſtinere debuerint, ſed etiam illis demortuis, & id præcipue prohibuerunt Synodi Meldenſis Patres in can. 44. quia ut ipſi inquiunt *ex hoc magnum ſcandalum, & diviſionem rerum Eccleſiaſticarum, atque dilationem in canonice ordinandis Epiſcopis Dei Eccleſiis accidiſſe conſpeximus.* Quæ duæ res potiſſimæ illæ cauſſæ fuerunt, quas Leo IV. notaverat in ſuo reſcripto ad Hincmarum qui illum conſuluit ſuper his Ordinationibus, ut refert Flodoardus in lib. 3. hiſtor. Eccleſiæ Rom. c. 10. & quibus perpenſis eaſdem Ordinationes, ut temerarias inhibuit.

Propoſitio VI. *Cujuſlibet Eccleſia Particularis Regimen ad breve tempus neceſſitate urgente Presbyteris, & Diaconis committi poſſe, rationibus, & certiſſima fidei hiſtoriis demonſtratur.*

LXIV. Quam Chriſti Eccleſiæ neceſſarium fuerit unum omnibus Presbyteris Rectorem Epiſcopum præponere, in quem totius Eccleſiæ cura præſertim incumberet, quem audirent omnes, cui & ipſi parerent Presbyteri, & populi obſequerentur, ſatis opinor intelleximus; Verum quam apte etiam, & idonea utilitati Eccleſiarum probandæ, illa opinio ſit, quæ cujuſlibet Eccleſiæ particularis regimen ad breve tempus neceſſitate cogente Presbyteris ipſis committi poſſe aſſeverat, clarius adhuc audiemus in progreſſu. Sublato Epiſcopo ſtatum Epiſcopalem manere, ideſt obligationem ad habendum Epiſcopum remanere, item Monarchici Regiminis formam, Epiſcopalem ſcilicet auctoritatem, negare auſerit nemo, quem non latuerit quod quamdiu Epiſcopo ſingulæ Eccleſiæ vacant, cavendum eſt, ne aut Anarchia inducatur, aut Ariſtocatia, aut Democratia. Arduum hoc dictu, & eſt explicatu difficile, inquiet aliquis, penes Presbyteros, vel Diaconos Cathedralis Eccleſiæ (quod idem eſt ac Capitulum dicere, vel Capitularem Vicarium) Epiſcopalem auctoritatem Sede vacante reſidere, & Monarchicum Eccleſiæ ſtatum non convellere; certiſſimum tamen id eſt, tum quod nullum novum regimen inducitur, in quo imperent omnes, tum quod plebs in hac ſententia imperare

non

non dicitur. Optimatibus profecto Provincia hæc demandatur, ita tamen ut illis naturalis non ſit, nec ordinaria, ſed extraordinaria, violenta, ac temporaria, donec Epiſcopo creato ad ſuum principium redeat, & in connaturali ſubjecto reſideat, quod ſane nil aliud eſt quam Ariſtocratiam excludere, & Monarchicum gubernium non invertere; Non aliter ac Regni alicujus Monarchicus ſtatus perſeverat cum Rege demortuo, aut annis minore, aut in captivitatem detento, aut imbecilli, vel plures imperant, aut unus qui Rex non eſt, vel Regia, vel ſimili præeſt poteſtate: quamquam & ſuperſedere ab hoc Exemplo poſſumus, quod par habeamus in Vicario Epiſcopi, qui vivente Epiſcopo ejus operam ſupplet, etſi non dicatur Epiſcopus, nec turbetur Eccleſiæ ſtatus, nec Epiſcopalis regiminis neceſſitati derogetur, nec poteſtas Epiſcopalis eodem modo afficiat Vicarium generalem Epiſcopi quomodo Epiſcopum, ſed reſideat in Epiſcopo tamquam in nativo ſubjecto, in Vicario tanquam in extraneo, vices tantum alterius gerente, ut conſtat ex titulis integris Decretalium de Officio Vicari, nec non de Officio Archidiaconi. Accedit his quod Canones ipſi Epiſcopo capto a Paganis, vel a Schiſmaticis, dant Capitulo, ac ſi Sedes per mortem ipſius vacaret, ut ſuppleat vicem Epiſcopi in juriſdictione, donec eum libertati reſtitui, vel per Sedem Apoſtolicam, cujus intereſt Eccleſiarum providere neceſſitatibus, ut dicitur in c. *Si Epiſcopus* de ſupplen. negl. Prælat. in 6. ſuper hoc per ipſum Capitulum quam cito commode poterit conſulendum, aliud contigerit ordinari; & mortuo revera Epiſcopo inquiunt poſſe Capitulum iis, quibus poſſet Epiſcopus ſi viveret, ab Excomunicationis ſententia ſive juris, ſive hominis fuerit ab ſolutionis beneficium impertiri, niſi ei fuerit a Sede Apoſtolica ſpecialiter interdicta poteſtas cap. 1. de Major. & Obedien. in 6. itemque de hæreſi convictum damnare c. ad *abolendam* de hæreticis, & demum juriſdictionis omnia munia exercere c. *Pontifices* 7. q. 1. nimirum electiones Prælatorum confirmare, & infirmare c. *cum olim* de Major. & obed. admittere reſſignationes Extrav. Joan. 22. c; *execrabilis* de præbendis, inſtituere præſentatos a Patrono c. 1. *de inſtitutionibus* in 6. permutationibus auctoritatem præſtare gloſſa 1. in Clem. 1. *de rerum permutatione*. Bona Eccleſiæ vacantis tam in ſpiritualibus quam in temporalibus adminiſtrare c. 3. *de ſupplend. negl. Prælat.* in 6. punire denique delinquentes, & corrigere, argumento ducto ex cap. *cum iis quæ* juncta gloſſa *pro bono pacis* eod. tit. conſtat igitur per Presbyteros Regimen Epiſcopale ſuppleri poſſe, qui tamen poteſtate, ac juriſdictione Pontifices dici non debent, ſicut nec Vicarii Epiſcoporum dicuntur Epiſcopi, quod delegata poteſtate fungantur, nec conſecrationem habeant Pontificiam, quæ eſt potiſſima ratio, cur in his, quæ requirunt Ordinem vocare debent vicinos Epiſcopos cum cautelæ ſtudio, & cum Beneficia, quæ ſpectant ad collationem ſolius Epiſcopi prohibentur conferre, & dare Clerico licentiam transeundi ad aliam diœceſim, ut Notat Gloſsa in dicto cap. *ſi Epiſcopus*, verbo *ſpiritualibus* itemque alia agere, quæ futuri Epiſcopi honori cedunt, & commodo, & Eccleſiæ utilitati; & quæ pleno jure ad Epiſcopum ſpectant jure Ordinario, ut habetur in cap. finali de regularibus, & cap. *illa* ne Sede vacante, & in Gloſsa 1. in can. *Presbyteri* diſt. 14. ne videlicet Presbyteri, & Diaconi Sede vacante iis negotiis intricati Electionis, Epiſcopi curam deferant, & ſe plebis commiſsæ gubernationi ſufficere putent, nec ad Epiſcopatum quantopere ſibi procurandum ardentius aſpirent.

LXV.

Digitized by Google

LXV. Eorum, quæ diximus nobile exemplum ſuppeditant Antiquitates Britannicæ poſt obitum Waltheri Archiepiſcopi Cantuarienſis. Ex quo enim hic e vivis deceſſit, illius Eccleſiæ Prior nomine ejuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ paucis menſibus omnem illam intermediam juriſdictionem ante intermiſſam plene exercuit, atque renovavit, de Clericis ad Eccleſiaſtica beneficia præſentatis, & Patronorum jure diligenter inquiſivit, electiones confirmavit, inteſtatorum bona adminiſtranda commiſit, provocantium appellationes recepit, viſitavit, procurationes percepit, Synodum celebravit, Clerum ex mandato Regio ad Parlamentum citavit, contumaces, & in ſuam juriſdictionem committentes coercuit, beneficia vacantium Sedium contulit. Ad hæc Cappas chorales, annulum, & Sigilla Cantuarienſis Provinciæ Suffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ vindicavit, omniaque ad Archiepiſcopalem juriſdictionem per ſingulas ſpecies, tam exquiſite exercuit, ut nihil fuerit prætermiſſum, præter Epiſcoporum Conſecrationem, quam cum ſua auctoritate peragere non potuiſſet, Epiſcopo Londinenſi mandavit, & injunxit, ut is Suffraganei Cantuariæ in Chriſti Eccleſia die quodam ſtatuto congregatis Menenenſem, & Pangorenſem Epiſcopos tum electos, & ſua auctoritate confirmatos conſecraret, quibus ſic conſecratis in teſtimonium, & fidem conſecrationis litteras Conventus ſigillo ſigillatas dedit, excitata hoc modo, & agnita Cantuarienſis Conventus Sede Vacante poteſtate. Adderem exempla Synodalium Conciliorum, quæ Capitula vacante Sede cogerunt, niſi hæc paſſim vidiſſent priora ſæcula, & præſens ætas non ignorat. Nec nullus unquam vetitum legit quod novorum Beneficiorum, & Oratoriorum fundationem admittere poſſit Capitulum vacante Sede, cum nulli dubium ſit quin gerere, & firmare ea omnia poſſit, quæ ad Eccleſiæ ſpectant utilitatem. In eo ergo partem Regiminis Presbyteros ſupplere poſſe probatum eſt, quod futuro ſucceſſori non reſervatur, & quod non verſatur ad aliquod circa ipſum regimen innovandum.

LXVI. Qui momentis allatis non acquieſcunt, Theologi illi ſunt, qui nituntur Scripturæ Verbis a Tridentino Concilio uſurpatis in cap. 4. Seſſ. XXIII. *Epiſcopos a Spiritu Sancto poſitos regere Eccleſiam Dei*, non autem Presbyteros. Verum extra aleam ſunt, cum hic agatur non de ordinaria poteſtate, ſed de extraordinaria, & delegata juriſdictione, quam in Presbyteris reſidere ſuperiora argumenta convincunt. Ad hæc ipſi Sacrarum Scripturarum interpretes, ut alibi obſervavimus, incerti ſunt utrum Apoſtolus ad veros Epiſcopos illa verba direxerit, nullo habito reſpectu ſecundi Ordinis Sacerdotum, an vero ad omnes majores natu, quos Miletum advocaverat, quod non improbabiliter exiſtimatur. Porro quicumque ſit illorum Verborum ſenſus, certe Eccleſiæ Patres, inter quos S. Ignatius cenſuerunt, etiam Presbyteros deſignari, quibus Chriſtiani Gregis cura demandata ſit: *Presbyteri* (verba ſunt Ignatii in 12. epiſtola ad Antiochenos) *paſcite gregem, qui inter vos eſt, donec Deus deſignaverit eum, qui Principatum in vobis habiturus eſt*. Regendi ergo, & paſcendi munus agnovit Sanctus Antiſtites ineſſe Presbyteris, ſaltem Epiſcopali Sede vacante. Nec diverſimode crediderunt Presbyteri, & Diaconi Romanæ Eccleſiæ, ſic enim ſcripſerunt in epiſtola 2. ad Clerum Carthaginenſem vacante Romana Sede: *Et cum incumbat nobis, qui videmur præpoſiti eſſe, & vice Paſtoris cuſtodire gregem ſi negligenter inveniamur dicetur nobis, quod Prædeceſſoribus noſtris dictum, qui cum negligentes præpoſiti erant; quoniam perditum non requiſivimus, & errantem non*

cor-

correximus, & claudum non colligavimus, & lac eorum edebamus, & laniꝭ eorum operiebamur &c. nec invenimus Africanam Eccleſiam munus hoc illis contendiſſe, ſed legimus Cyprianum factorum ſuorum rationem, tamquam ſuperiorem habentibus poteſtatem reddidiſſe, ut patet ex ipſius tota epiſtola 15. in qua Clerum Romanum ſtatim initio iis verbis compellat. *Quoniam comperi fratres chariſſimi minus ſimpliciter, & minus fideliter vobis renuntiari, quæ hic a nobis, & geſta ſunt, & geruntur, neceſſarium duxi has ad vos litteras facere, quibus vobis actus noſtri, & diſciplina, & diligentiæ ratio redderetur*: imo invenimus hæreticos ipſos ejuſdem Romani Cleri auctoritatem maximi feciſſe, cum Privatus Lambelitanus hæreticus furtim, ac fraudolenter litteras communicatorias ab eodem Clero elicere curavit, ut hoc teſtimonio ſe jactaret Catholicum. Hujus poſtulationis teſtimonium in eadem laudata epiſtola habemus, quod cum a Principe Sede vacante prodierit, multo evidentius concludit idem in inferioribus reliquis Sedibus contigiſſe, & temere dictum eſſe Regimen Eccleſiæ a Presbyteris, nec ſuppletum fuiſſe vacante Sede, nec ſuppleri potuiſſe, & quod Presbyteros, & Epiſcopos ordinandi officio Eccleſiæ caruerint, non attendentes officium hoc in unaquaque particulari Eccleſia ordinarium eſſe, ac proinde temere etiam affirmari, quod pars regiminis Univerſalis Eccleſiæ, per inferiores Miniſtros ſuppleri nequeat.

§. III. *Diaconorum in Presbyteros inſurgentium Ambitus, & antiquus, & antiquis temporibus notus impugnatur.*

LXVII. Evangelicam Legem Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum diſtinxiſſe Officia, & gradus, nec voluiſſe inferiores ſuperioribus ſubſultare, nec unum Ordinem in alium involare, Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. c. ultimo expreſſe teſtantur, ſiquidem inquiunt, *non licet Ordinem invertere, cum non ſit Deus diſſenſionis, ut inferiores, quæ ſunt Superioris per vim ſibi vendicent, novam legem in malum ſuum refingentes, ignorantes durum eſſe ſibi contra ſtimulum calcitrare*. Ejuſdem Subordinationis præceptum legimus in Epiſtola Ignatii ad Tarſenſes, & ad Epheſios, eamdem præſcribit Clemens Alexandrinus in lib. 6. Strom. additque Dionyſius in epiſtola ad Demophilum: *Nefas eſſe Sacerdotem a Miniſtris, Superiorem ab inferioribus corrigi, ſive aliquid impie in Divina facere videatur, ſive aliquid aliud eorum, quæ vetant leges feciſſe arguatur. Si enim diſtinctionis, ordiniſque confuſio quadam inſtitutorum, legumque Dei violatio eſt, nullam habet rationem Dei cauſſa, & nomine Divinitus traditum Ordinem pervertere*. Diſcimus itaque ex his Superiores Ordines inferioribus imperitare, & unumquemque in ſuo eſſe Ordine oportere. Nihilominus de Diaconis legimus, ſæpe in Seſſionibus, & aliis actibus Presbyteris voluiſſe eſſe potiores, & Prioritatem ſibi vindicaſſe. Baronius hoc ſcribit ad annum 402. n. 45. de Diaconis Urbis Romæ, & Severinus Binius in notis ad Concilium Andegavenſe can. 3. idem teſtatur de Diaconis Eccleſiæ Gallicanæ; imo Cyprianus ad Rogatianum ſcribens lib. 3. epiſt. 9. aliis 65. cui titulus eſt *de Superbo Diacono*, in Epiſcopum inſurrexiſſe Diaconum quemdam diſerte docet, unde factum eſt, quod eorum ambitum, & tumentem inſaniam plura Conciliorum Decreta cohibuerint, quæ leguntur in Concilio Romano ſub Silveſtro in cap. *a Subdiacono*, in Concilio Nicæno in cap. *pervenit*, in Concilio Lao-

Laodiceno in cap. *non oportet*, in Concilio Andegavenſi ſub Leone I. in cap. 3., & in aliis non paucis. Undenam vero Tumoris occaſionem acceperint Diaconi, qui curioſe requirunt, inveniunt quod divitiarum, quas adminiſtrabant potentia freti, & clientela Miniſtrorum, quibus imperitabant, & Epiſcoporum, in quorum comitatu verſabantur amicitia, & aſſiduo, quod illis impendebant miniſterio tumeſcentes invaluerunt, quod non obſcure colligitur ex canone 18. Arelatenſis 1. Concilii, quo Urbici præſertim Diaconi reprimuntur, qui in Epiſcopali gubernatione Epiſcopum ſublevabant, referentes ad eum quid ageretur, minora judicia exercentes, introducentes adventantes ad ipſum, & Eccleſiaſticas ſubſtantias diſpenſantes: Ex eo etiam tumoris occaſionem accepiſſe notavit Hieronymus epiſt. 85. ad Evagrium, quod ad eorum teſtimonium Presbyter ordinari ſoleret, & quod Presbyteris pauciores eſſent, & inde voluiſſe in Eccleſia Romana adverſus Presbyteros abſente Epiſcopo ſedere, & in conviviis eorum Presbyteris benedictionem dare, quaſi iſta ad prærogativam pertinerent magnitudinis. Nonne legimus ad plebem dixiſſe Apoſtolum Petrum *eligite ex vobis, quos conſtituamus deſervire Myſteriis Eccleſiæ, ita & teſtes poſſunt eſſe Diaconi creandorum Presbyterorum*. Præterea qui provehitur de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinatur Diaconus, ut Presbyter minor Diacono comprobatur, in quem creſcit, aut ſi ex Diacono ordinatur Presbyter noverit, ſe Sacerdotio eſſe minorem. eo vel maxime, quod non ſolum non habeat poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, quam Presbyteri habent, verum etiam, quod caret ordinaria poteſtate, idem Chriſti Corpus diſtribuendi ſub ſpecie panis, ut Theologi omnes, Concilia, & Patres docuerunt, qui cognoſcunt ſolum Presbyterum Divina hæc dona ex Officio, & auctoritate ordinaria dare poſſe. Etſi vero tot Decretis Conciliorum Diaconorum ambitio repreſſa fuerit, omnino tamen evelli non potuit, quin variis temporibus non exſurgeret. Suſcitatam enim eamdem Gregorius IX audivit ab illis Diaconis, qui ex eo quod prius recepti eſſent in Eccleſia, Presbyteris poſtea admiſſis debere præferri contendebant, quod tamen ipſe reprobavit in c. *ſtatuimus* de Major., & Obed. ſtatuens, ut major in ordine, licet poſterior in receptione præferretur antiquioribus, ſed gradu inferioribus, quia temporis prioritas, quoad præcedentiam attenditur inter æquales ejuſdem gradus, non vero inter majores, & inferiores gradus obtinentes conſideratur, horum enim qui major eſt gradu, minorem debet antecellere, & qui majori pollet dignitate primum locum obtinere, quod Imperatores ipſi variis legibus ſanxerunt pœnas refractariis indicendo, ut habetur in Lege 1. & 2. Cod. Theodoſ. ut dignitatis Ordo ſervetur; unde cum Presbyter major ſit in gradu, quam Diaconus, ideo recte Gregorius cenſuit præferendum eſſe Ordine majorem minori, non tantum in ambulando, & ſedendo, verum & ſuffragia præſtando, imo etiam in portione percipienda, ex quo colligitur, etiam tum Diaconos contra veterem Eccleſiæ morem Sacerdotibus lucris majores fuiſſe, & ſportulas majores habuiſſe.

LXVIII. Excipitur nihilominus a Synodo Trullana Caſus, quando nimirum Diaconus proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens, adeſt in alia Civitate, tunc enim ſtatuitur in canone 7. hujus Concilii, *ut locum implens illius, honoretur*. Moris hujus monumentum ſuppeditat Gregorius lib. 4. Indict. 13. epiſt. 22. 27. 28., & pluribus aliis in locis agens de Cypria-

pria-

Digitized by Google

priano, Caſtorio, & Sabino Diaconis, qui Romani Pontificis locum tenentes in Epiſcopos inquiſiverunt, & Imperium exercuerunt. Idem legimus in Actis Concilii Epheſini, in Actis VI. & VIII. Concilii Oecumenici, in quibus ut Legati Apoſtolicæ Sedis Diaconi præfuerunt Hilarius, Joannes, & Marinus, & tunc certe quamquam minori ordine, aut inferiori dignitate pollerent, tamen prælati fuerunt aliis majoribus Ordinibus inſigniti, quia ut Vicarii Pontificis aderant, quod etiam plerumque contigit, cum in pluribus Provincialibus, & Nationalibus Conciliis abſentium Epiſcoporum loco Diaconi interfuerunt, qui tunc temporis Præsbyteros præceſſerunt. Ceteraque leguntur veteris ævi exempla poteſtatis Diaconorum oſtendunt Diaconos hanc exercuiſſe in fideles, & Miniſtros, hoc eſt tantum in graduum inferiorum viros, ac Populos, nullum vero Diaconorum poteſtatem hanc in Presbyteros extendiſſe demonſtrant: *Diaconus*, inquit Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. c. 28. *excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, & Cantorem, & Diaconiſſam, ſi hoc facere opus ſit abſente Presbytero*, & Iſidorus Peluſiota libro 4. epiſt. 178. cui favet Theodoretus lib. 1. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ c. 26. Archidiaconum commendat, quod Divina permiſſione, ut Princeps Diaconorum Diaconis reliquis præſit; quod idem Nicænum quoque Concilium can. 57. ratum habuit his verbis: *In omnibus vero, quæ ad Diaconos ſpectant, quibus præeſt Archidiaconus, ſive quid inimicitiæ, aut peccati, aut litis inter eos ortum fuerit, aut aliud quid, quod ad judicium ejus neceſſario pertineat, nihil referat Archidiaconus ad Epiſcopum, ſed ipſe potius eorum controverſias dirimat, ſiquidem ſub poteſtate ejus ſunt Diaconi*.

LXIX. A veteri hac Conſuetudine ſæculo circiter VI. Archidiaconi receſſerunt, qui dignitatis turbato ordine Sacerdotibus præeſſe cœperunt, & in eos vim, & poteſtatem ſuæ Juriſdictionis exercuerunt. Iſidorus Hiſpalenſis poteſtatis hujus Archidiaconorum ſupra Presbyteros inſigne ſuppeditat monumentum apud Ivonem in Decreto Parte 6. cap. 30. ubi ſic legitur: *Archipresbyter ſe eſſe ſub Archidiacono, ejuſque præceptis ſicut Epiſcopi ſui ſciat obedire*: & quamquam hæc ſententia Severioribus Criticis ſuppoſititia ſit, quod non habeatur in Codice Regio, neque extet in cap. 50. libri 3. Decreti Burchardi, neque cenſeri debeat canon alicujus Concilii Toletani, quod in nullo eorum hactenus reperta ſit, tamen per horum verborum relationem in Decretales Gregorii IX. in cap. 7. de Officio Archidiaconi, Archidiaconorum auctoritas ſupra ipſos Archipresbyteros, quaſi in jure communi fundata reputari cœpit, & haberi certum documentum illius diſciplinæ, qua Archidiaconi Presbyteris omnibus altiorem gradum obtinuerunt, & Juriſdictionem in eos exercendi auctoritatem, quæ Juriſdictio primum, ut docuit Innocentius II. Vicaria fuit, ſive delegata, totaque ab Epiſcoporum delegatione dependens, verum paulatim in ordinariam mutari cœpit, cumque prius Archidiaconorum miniſterium tantum eſſet merum officium ab arbitrio Epiſcopi committentis dependens, tandem in beneficium, & dignitatem mutatum fuit, ipſique Archidiaconi, qui hactenus Epiſcoporum dumtaxat fuerunt Vicarii cœperunt ſenſim Prælatis Ordinariis annumerari, Juriſdictionemque contentioſi fori a delegatione Epiſcopi indipendentem ita exercere, ut *ab ipſis*, quemadmodum loquitur Innocentius IV. c. 3. de Appellat. in 6. *aliiſque inferioribus Prælatis Suffraganeis ſubjectis, eiſdem, & eorum Officialibus ad Suffraganeos ipſos opus eſſet, & non ad eamdem Cu-*

 riam

riam (*omiſſis dictis ſuffraganeis*) *appellare*. Non ubique certe locorum eadem fuit Archidiaconorum auctoritas, & Juriſdictio, quilibet tamen eorum a conſuetudine dependebat, quod notavit etiam Pontifex Honorius III. in cap. 10. hoc titulo, quæ cauſſa fuit, quare plurimis in Urbibus vix priſtinæ auctoritatis, & contentioſæ Juriſdictionis veſtigia retinuerint, & quod magis eſt, Synodus ipſa Tridentina in Seſſ. xxiv. cap. 20. de Reform. præcepit, *ut cauſſæ matrimoniales, & criminales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando dirimantur, ſed Epiſcopi tantum examini, & Juriſdictioni relinquerentur*, quibus Epiſcopis reſervavit etiam (adempta Archidiaconis hac facultate) cauſſas Clericorum Concubinariorum, aut cognitionem eorum, qui de hujuſmodi crimine ſuſpecti eſſent, ut legitur in cap. 14. Seſſionis xxv. ſub eodem titulo de Reformatione. Dixi *plurimis in Urbibus*, ut jura Archidiaconorum octo Eccleſiæ Leodienſis in Belgio exciperem, & Archidiaconorum Eccleſiæ Metropolitanæ Trajectenſis ad Rhenum, & aliarum Eccleſiarum ejuſdem Provinciæ, quæ ſi non ampliora, profecto eadem ſunt conſervata in latis illis, ac diffuſis Eccleſiis, quarum Epiſcopi, qui ſimul ſunt Principes ſæculares, Archidiaconis imponunt, ut Eccleſias ſuas diligenter viſitent, ut in Proceſſibus contra Paſtores, & alias Perſonas Eccleſiaſticas gerant ſe, & eorum Officiales mature, & circumſpecte, ne quid in contemptum ſtatus illorum temere committatur, ut Synodos conſuetas celebrent, ac temerarios a Synodis abſentes puniant, idque non jure mere Vicario, ſed jure quaſi ordinario, ideſt jure dignitatis, cui tamen dignitati non competit ſententiam excommunicationis proferre ex cap. *Archidiaconis* hoc titulo, niſi ex conſuetudine talem Juriſdictionem ſibi acquiſiverint; tunc enim, ſicut alia, ratione conſuetudinis Archidiaconi exercere valent; ita & excommunicandi poteſtatem acquirere poterunt.

LXX. Porro quidquid conſuetudo Archidiaconis detulit, aut conſervavit eſt levis ſolum, ac volatilis Juriſdictio, quæ ad levia tantum negotia revocatur, quæ obiter in tranſitu, in curſu viſitationis expediri poſſunt. De jure itaque conſuetudinario I. Archidiaconi jurgia audiunt ſingulorum, tam in Clericis, quam in Eccleſiis eorum ex capite *ad hæc* eod. tit. II. inſtituunt, hoc eſt Inſtitutio corporalis, tam ſuper beneficiis, quam etiam dignitatibus ad Archidiaconum pertinet ex laudata Decretali §. *in quadam*. III. præcipiunt obſequia ſubjectis cap. *ad hæc* de Exceſſ. Prælat. IV. imperant Diaconis, & Levitis. V. Promovendos ad Sacros Ordines, & ad Eccleſiaſtica beneficia, dummodo non ſint Parochialia, examine per ipſos facto experiuntur. VI. Viſitant Diœceſim de Triennio in Triennium impedito Epiſcopo, & quæ corrigenda vident corrigunt, & emendant, monitionibus ſcilicet, & præceptis ex Tridentino Concilio cap. 12. Seſſ. xxvi. VII. Curam habent tam in Urbe poſitorum, quam eorum, qui Parochias habitant, & delinquentium rationem coram Deo redditurí ſunt: Poſtremo habent Vicarium perpetuum ſuæ dignitati annexum, quod in totum, vel in partem a quoquam Pontificum convelli, vel mutari non poteſt, ut loquitur textus in cap. *Inſtitutionis* 25. q. 2. nec alteri committere, excluſis Archidiaconis. Quæ omnia oſtendunt Archidiaconorum in univerſum populum, & Clerum poteſtatem probatam fuiſſe, eiſque honoratiorem locum conceſſum, & ab octingentis, & amplius annis, ubi eorum mentio fit Presbyteris ſemper præferri conſueviſſe. Ex recentiori Eccleſiæ praxi Archidiaconi eliguntur, qui Pre-

sbyte-

Digitized by Google

sbyteratus Ordinem conſecuti ſunt, hoc tamen ab initio nequaquam admiſſum fuit, nam ſtatim atque ordinarentur Presbyteri dignitate Archidiaconali excidebant, quod patet exemplo, tum Aetii Diaconi, tum Honorati Salonitani, quorum alterum S. Leo epiſtola 56., & alterum S. Gregorius epiſt. 20. lib. 2. Indict. 10. queritur ordinatum Presbyterum, ut ab iſto Officio dejiceretur, unde Sidonius libr. 4. epiſt. 25. rationem reddens, quare Joannes Cabilonenſis electus Epiſcopus multum retentus eſſet in Diaconi gradum, ait *propter induſtriam illum diu dignitate non potuiſſe augeri, ne poteſtate poſſet abſolvi*. Degradationis itaque quædam ſpecies erat iſta Promotio Archidiaconi in Presbyterum, & propter hoc Petrus Blaſenſis Archidiaconus Bathonienſis in Anglia epiſtola 123. in art. 6. ejuſdem capitis ad Richardum Londonienſem Epiſcopum contendit *ſe non poſſe cogi ad Sacerdotium*, quod profecto non ſcripſiſſet, ſi duo hæc ex conſuetudine Eccleſiæ potuiſſent conſiſtere, ut probare contendit Joannes Savaro in ſuis Commentariis in laudatam Sidonii Epiſtolam 25., & 2. libri quarti, quem propterea confutat Hailler. Hierarch. lib. 4. cap. 3. art. 2. qui tamen fatetur *hominum ignavia factum eſſe, ut Archidiaconi aliqui eligerentur, qui jam ad Diaconatum promoti non eſſent, quos tamen intra annum ſaltem Diaconos fieri debere plurima concilia, quæ clariſſimus auctor recenſet, diſtricte perceperunt*.

LXXI. Ex hoc vero, quod diximus Archidiaconos præeſſe Archipresbyteris ex veteri conſuetudine, & ex recenti praxi ſimul eſſe Presbyteros, non inſerat aliquis Archidiaconos in omnibus præeſſe Archipresbyteris, videlicet Archipresbyteros ſubeſſe Archidiaconis, etiam quo ad ea, quæ illis non ſunt a jure communi tributa. Siquidem cum jura miro Ordine conſtituerint, has duas dignitates ad relevandum Epiſcopum, & cuique propria munera aſſignaverint, omnia perverterentur ſola Archidiaconi voluntate, & Archidiaconus tot curis implicitus, vix illis par eſſe poſſet, & Archipresbyter e contra omni jure ſibi adempto ludibrio omnibus eſſet. Hoc autem quam ſit abſurdum D. Gregorius teſtatur his verbis, quæ leguntur in cap. *ſingula* diſt. 89. *Sicut varietas membrorum per diverſa Officia, & robur Corporis ſervat, & pulchritudinem repræſentat. ita varietas Perſonarum per diverſa nihilominus diſtributa Officia, & fortitudinem, & vetuſtatem Sanctæ Eccleſiæ Dei manifeſtat. Et ſicut indecorum eſt in corpore humano, ut alterum membrum alterius fungatur Officio, ita nimirum noxium, ſimulque turpiſſimum eſt, ſi ſingula rerum miniſteria Perſonis totidem non fuerint diſtributa. Cum igitur habeamus in jure communi Archidiaconos, quà Sacerdotes, non eſſe pares Archipresbyteris in eorum miniſteriis, quæ non ſolum propter Ordinem illis ſunt commiſſa, ſed peculiariter eorum ſunt aſſignata dignitati, nulla eſt ratio cur debeant ſibi ea aſſumere, quæ ſpectant ad Archipresbyterorum Officia; imo potius evidenter dignoſcitur Archidiaconos, quà Sacerdotes, in celebratione Divinorum Officiorum Archipresbyteris, tamquam capiti Presbyterorum debere ſubjici, & ultimos ſedere poſt Archipresbyteros, dum celebranti aſſiſtunt, ut Diaconi Principi Presbyterorum ſive Cardinali Presbytero*. Ne vero in his exponendis Archipresbyterorum Officiis multum hæreamus, ſatis eſt dicere Archidiaconorum, & Archipresbyterorum Officia invicem ſe habere; tamquam excedentia, & exceſſa, alter enim aliquibus reſpectibus eſt minor, & aliquibus eſt major alter, Major Ordine eſt Archipresbyter, adminiſtratione Archidiaconus Archipresbytero eſt major; Archidiaconus eſt

Vi-

Vicarius Epiſcopi, quoad Juriſdictionem, Archipresbyter vero quoad Sacerdotalia; Simul cum Archidiacono Bona Eccleſiæ adminiſtrat ex Concilio Bracharenſi can. 25. Pauperum etiam curam habet cap. *Epiſcopus* 7. diſt. 88. Jurisdictionem non ſolum in Clericos, verum etiam in Sæculares interdum exercet cap. *dilectis* 55. de appellat. cap. 2. ne Prælati vices ſuas; qua de re Altiſſiodorenſe Concilium can. 41. *Si quis*, inquit, *ex Sæcularibus inſtitutionem, aut commonitionem Archipresbyteri ſui contumacia faciente, audire diſtulerit, tamdiu a limitatibus Sanctæ Eccleſiæ habeatur extraneus, quamdiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere ſtatuerit &c.* interdum etiam ad Archipresbyteros ſpectat inſtitutio in Capellis poſt præſentationem Patroni cap. *ſuper eo* 55. de Officio Delegati: Reſcripta Apoſtolica ipſis dirigi poſſunt, aliaque plurima pro locorum, & temporum varietate præſtare potuerunt, modo præſcriptione aucta, modo reſtricta, ut conſtat evidenter, eidem tamquam Presbyterorum capiti competere Poteſtatem ſuper Presbyteris, atque rebus, quæ ab illis adminiſtrandæ, ac peragendæ ſunt ratione Ordinis Presbyteralis, de quibus late agit Hoſtienſis in Summa de Officio Archipresbyteri §. *quæ pertinet*, & fere habentur omnia in Epiſtola Leonis inſerta in Decretalibus Gregorii IX., quæ incipit *Miniſterium* cap. 2. eod. tit.

LXXII. Ut Archidiaconorum ita, & Archipresbyterorum antiqua in Eccleſia dignitas fuit, & utrorumque eligendorum par ratio, Eccleſiaſtica nimirum Officia, quæ a Septennario Diaconorum numero ſuſtineri non poterant, & a ſingularibus ſuppleri Presbyteris. Hinc natum diſcrimen Diaconorum, quorum alii appellabantur *Regionarii*, ii nimirum, qui ſeptem Urbis Regionibus, quas *Diaconas* nuncupavit Antiquitas, præerant; alii dicebantur *Teſtimoniales*, qui prædicanti Epiſcopo aderant, alii *Palatini*, & *Baſilicarii*, qui Pontifici celebranti, ſive in Palatio, ſive in Baſilica miniſtrabant, & alii qui *Stationarii* vocati ſunt, quod ſtationibus, & Litaniis præponerentur. Et hinc etiam ortum habuerunt Presbyterorum Ordinationes, qui Urbanis, & Ruſticanis Eccleſiis regendis præponebantur, ut Eccleſiaſtica munera præſtarent iis, qui circa unamquamque earum domicilium haberent; & ſicut Diaconorum antiquior, priorque dictus fuit *Archidiaconus*, ideſt Princeps Diaconorum cap. *unico* de Scrutinio in Ordine, quod nomen jam a temporibus Concilii Nicæni uſurpatum, legimus in canone 58. ita qui præerat omnibus his Presbyteris *Archipresbyter* fuit appellatus, primus Presbyter, vel Protopresbyter, ut probat Morinus de Sacris Ordinat. Exercit. 16. c. 2., & non raro etiam Decanus, quia plerumque decem Presbyteris præponebatur cap. 7. de Offic. Archid. Sunt autem Archipresbyteri alii *Urbani*, alii *Rurales*. Urbani ſunt, qui in Eccleſia Cathedrali horis Canonicis præſunt, & Epiſcopi vicem in Divino ſupplent Officio. Rurales qui curam animarum in plebe exercent, & ſuper alios Parochos, ac Presbyteros, qui per minores titulos habitant inſpectionem gerunt, non aliter ac Archipresbyteri Cathedralis, qui ſimilem curam, & auctoritatem, eaque jura obtinent in Clerum, & Perſonas Eccleſiaſticas Urbis Epiſcopalis, hoc tamen diſcrimine, quod munia, quæ Archipresbyter Cathedralis exercet, jure dignitatis exercet, ideſt jure Ordinario, e contra vero Archipresbyter Ruralis circa inferiores Clericos, ea quidem quæ minora ſunt abſque figura judicii diſponere, & componere poteſt, majora vero omnia, & ea quæ

ſine

Digitized by Google

ſine figura judicii expediri nequeunt ad Epiſcopum referre debet. Imo ne inobedientes, & negligentes, vel delinquentes ſine auctoritate Epiſcopi punire valet capite *Officium* 3. capite *finali*, ubi Gloſſa in verbo *Referant*, & Abbas hoc titulo. Ex quo ſequitur, quod Decani, ſive Archipresbyteri Rurales merum Officium habere cognoſcuntur, Archipresbyteri vero Urbici ceteris Dignitatibus Cathedralis accenſentur, & quia huic cura Animarum ſubeſt, ne ſolum nomen, ſed etiam Ordinem nomini congruentem ſuſcipiant, monendi ſunt Amiſſionis Officii, niſi intra annum a die ſuſcepti muneris Ordinem Presbyteratus conſequantur, propter quod ex Decreto Concilii Tridentini Seſſ. xxiv. cap. 12. de Reform., nemo ad Archipresbyteratum promoveri poteſt, niſi ſaltem 25. ſuæ ætatis annum attigerit, aut cum illo per Romanum Pontificem fuerit diſpenſatum.

CAPUT IV.

DE PERSONIS ILLIS, QUÆ CONJUNCTIM IN HIERARCHIA STRICTE SUMPTA PONUNTUR, ET JURISDICTIONIS USUM CUM CETERIS COMMUNEM HABENT.

DUO hactenus tradidimus, & Genus eorum, qui in Eccleſiaſtica Hierarchia locum ſibi ſeorſim vindicant, & Subordinationis Membrorum Hierarchicorum Explanationem. De illis nunc eſt agendum, qui conjunctim in Hierarchia ſtricte ſumpta ponuntur, & Juriſdictionis uſum cum illis habent, ejuſmodi autem Perſonæ ſunt S. R. E. Cardinales, & Canonici Epiſcoporum Adſeſſores, quod illi nullam Juriſdictionem eminentem exerceant, niſi cum Summo Pontifice, & Juriſdictionis uſum cum eo communem habeant, & iſti cum Epiſcopis ſuis, non ſuo nomine propriam exerceant in Subditos Epiſcopo Juriſdictionem, hoc autem ideo dicimus, ut cum Tridentinis Patribus præcipuus in Hierarchia locus Epiſcopis aſſeratur, & ne Montaniſtæ videamur, quos Hieronymus epiſt. 54. reprehendit, quod non primo loco Epiſcopos ſtatuerent, ſed aliquos illis præferrent. Ceterum cum plura ſint, quæ ad hoc genus diſputationis referri poſſunt, & ſingula non bene cohæreant, in præſenti Capite agemus de S. R. E. Cardinalibus, & in ſequenti de Canonicis Epiſcoporum Adſeſſoribus diſſeremus. Diſputaturo de Eminentiſſimis Cardinalibus, quos *Spirituales Univerſalis Eccleſiæ Senatores* appellavit S. Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 4. *Collaterales, & Adjutores Papæ*, dixit D. Bernardus lib. 4. de Conſider. c. 4., & Concilium Baſileenſe in Seſſ. xxiii. quos *Conſiliarios, & Coadjutores* Rom. Pontificis, *quaſi oculos, & aures, & nobiliſſimas Sacri Capitis partes, & præcipua illius membra a Spiritu Sancto conſtituta* Sixtus V. agnovit in ſua Conſtit. A. 1586. edita, quæ incipit *Poſtquam verus*, præmittere liceat nullam hic fieri controverſiam de Nomine Cardinalium, ſed inquirendum eſſe de Dignitate ipſa, & de Officiis Cardinalium, & de comparatione eorumdem cum Epiſcopis. Siquidem quod ad nomen *Cardinalium* attinet ceteris prætermiſſis, illa nobis arridet ſententia, quæ aſſerit fuiſſe illud olim, & adhuc eſſe uſurpatum ad ſignificandum id quod præcipuum eſt, & eum a quo ceteri pendent. Non aliter ac legimus quatuor partes, in quas veluti in præcipuas dividitur annus, *Cardines* fuiſſe

ap-

Digitized by Google

appellatas a Plinio lib. 18. c. 25. itemque *Cardines* fuiſſe nuncupatas a Statio quatuor præcipuas Mundi partes, & in Synodo II. Romana ſub Silveſtro cap. 4. *Cardines Civitatis* fuiſſe dictas præcipuas Regiones, in quas Urbs Romana dividebatur, eo vel maxime, quod in eadem Synodo legimus Diaconos eiſdem Regionibus præpoſitos appellari Cardinales, translata a loco, ad Perſonas denominationis ſimilitudine, & tandem ad Presbyteros, & Epiſcopos, eorumque titulos, ſeu Eccleſias accomodatum hoc nomen, quæ deinde appellari cœperunt *Cardinales Eccleſiæ*, quæ aliis eſſent digniores, & quod earum Præſides ad electionem Summi Pontificis convenirent, & in hoc ceteris antecellerent, & præeſſent, aliæ vero non item. Eædem voces *Cardo*, & *Cardinalis* non infrequenter inveniuntur, apud Magnum Gregorium in ſuis Epiſtolis, & ſenſus earum latiſſimus eſt, nam prima earum accomodatur, cuilibet Eccleſiæ, etiam alterius Civitatis, aut Oppidi, cui Diaconus, aut Presbyter ex Ordinatione ſua fuit adſtrictus, juxta can. 6. Concilii Chalcedonenſis Actione II. altera vero deſignabat ipſum Presbyterum, aut Diaconum, & etiam Epiſcopum ſuo Cardini adſtrictum. Quod ſi horum aliquis per canonicam translationem ex una Eccleſia fuiſſet in aliam transferendus, hic *Cardinandus* nuncupabatur, quamvis Gregorius hac eadem voce aliquando uteretur, ad ſignificandam Ordinationem alicujus ad aliquam Eccleſiam, per quam primo ei deſignatus, quaſi Cardini adſtringebatur, ut inde ad aliam libere tranſire non poſſet; & hinc intelligitur, quare lib. 8. epiſt. 3. præceperit, ut in Eccleſiam, quam quidam Vir Nobilis ædificari mandaverat, nullus Presbyter Cardinalis conſtitueretur, propter hoc ſcilicet, ne poſtea prohiberetur in aliam transferri. His itaque breviſſime prælibatis de nomine Cardinalis, ut modo in ſemitam redeamus ſit

§. I. *Status proprius Cardinalium Romanæ Eccleſiæ, non eſt ſpecialis Ordo a Chriſto inſtitutus, qui inter ceteros Eccleſiæ gradus numerari debeat; neque ab ipſo tempore Apoſtolorum ullum eorum munus fuit diſtinctum a munere, & Officio aliorum Ordinum.*

II. Hanc Propoſitionem Joannes a Turrecremata in ſua Summa de Eccleſia lib. 1. cap. 80. acerrime impugnavit, quod ſibi perſuaderet oppoſitum invincibiliter demonſtrari in Cardinalibus Eccleſiæ Romanæ, quos repræſentare ait, *Statum antiquiorem Apoſtolorum, tum cum Apoſtoli Chriſto ante ejus Aſcenſionem aſſiſtebant*, quibus Lucæ 22. dixit: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater Regnum*: aut tum cum Petro ejus Vicario aſtiterunt poſt Chriſti Aſcenſionem in Officio univerſalis Paſtoris, ad quod illum aſſumpſerat Joannis ultimo, quando ait *Paſce oves meas*, Sicuti ergo ex hoc, quod Apoſtolis in ſtatu Paſtorum Epiſcopi ſucceſſerunt, Ordo Epiſcoporum a Chriſto Domino traditur inſtitutus; ita a pari, quia in eiſdem in ſtatu Apoſtolorum ſucceſſerunt Cardinales, doctiſſimus Auctor non dubitat Statum hunc Cardinalium, qua talis eſt, ex Divina inſtitutione ad Hierarchiam pertinere.

III. Ne tamen ſingulari huic opinioni aſſentiamur Onuphrii nos movet auctoritas, hic enim in libro de Epiſcopalibus Titulis, & Diaconiis Cardinalium pag. 30. aperte docet, quod nihil dignitatis, & præeminentiæ illis dabat antiquitus eſſe Cardinales, & uſque ad tempora Gregorii VII., & Urba-

Urbani II. id religioſe fuiſſe obſervatum. Urget etiam Barboſæ teſtimonium in lib. 1. Juris Eccleſ. c. 3. n. 17. ex quo intelligimus, uſque ad tempora Bonifacii VIII. nullum fuiſſe Epiſcopum, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis, quia putabant non licere deſcendere a majore dignitate ad minorem. Movet demum, id quod ſcribit Ludovicus Gomeſius in proemio ad regulas Cancelariæ Epiſcopos nimirum, uſque ad tempora Clementis V., & Joannis XXII. in Eccleſia Dei, ita in excelſo honoris, & exiſtimationis faſtigio poſitos fuiſſe, ut dignitate deprimi, & gradu minui arbitrarentur, ſi ex Epiſcopis ad Cardinalatus Officium aſſumerentur. Oportet ergo antiquitus Romanæ Eccleſiæ Cardinales alios non fuiſſe, quam ipſum Romanæ Eccleſiæ ordinarium Clerum conſtantem ex Presbyteris, & Diaconis, & huic Sententiæ ſubſcripſit Pamelius in notis ad Cornelii epiſtolam ad S. Cyprianum in verbo *Presbyterium*, quod in ea legitur, ubi non ſolum ait *Presbyterium idem fuiſſe quo ad Officium, & functiones cum hodierno Cardinalium Collegio, quippe qui Presbyteri, & Diaconi Romanæ Eccleſiæ Romanis Epiſcopis Conſiliarii adeſſent, & Aſſeſſores*, quod plane perſpicuum ſit, ex verbis illis epiſtolæ 55. Cypriani ad Cornelium: *Florentiſſimo illic Clero tecum Præſidenti &c.* Sed ulterius advertit, quod illis Epiſcopi tunc temporis Superiores erant, ut in ſequentibus etiam Superiores manſiſſe, cuilibet conſtat, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria, vel mediocriter ſit verſatus. Accedit his, quod uſque ad tempora Gelaſii I., qui Pontifex fuit deſinente Sæculo V. Cardinalis nomen Epiſcopis, Presbyteris, quin etiam Diaconis Titularibus non fuiſſe tributum, inter eruditos ſatis conſtat, ſiquidem Romana illa ſecunda Synodus, quæ Silveſtri Pontificatui adſcribitur, ſuppoſititia creditur, & illius acta fuiſſe conficta ævo Caroli Magni eruditis ſat eſt perſuaſum, & ſolum tempore Alexandri III. quo Romana Eccleſia ad maximum in terris faſtigium evecta fuit, & multum aucta Cardinalium dignitas, primum ex Epiſcopis (eodem Onuphrio conſentiente) Cardinales fieri cœpiſſe, ita tamen, ut quoties acciderct aliquos creari Cardinales, qui Epiſcopi, vel Archiepiſcopi eſſent, ſingulis una ex Cardinalibus Eccleſiis Epiſcopalibus traderetur, & hunc morem perduraſſe in Eccleſia fere uſque ad tempora Eugenii IV., qui in ſuis litteris ad Henricum Archiepiſcopum Cantuarienſem, quæ leguntur in Bullario Romano, aſſerit: *Cardinalitiam dignitatem tunc tanti faſtigii reputatam, ut quaſi abſorberet aliam quamcumque dignitatem, & Cardinales, licet certarum Eccleſiarum, dum ad Cardinalatum aſſumebantur Epiſcopi eſſent, nihilominus eos non Epiſcopos, ſed Presbyteros S. R. E. Cardinales Sedem Apoſtolicam appellaſſe*. Non poſſumus ergo non admirari Hominem doctiſſimum, tam incongruam propoſitionem efudiſſe.

IV. Age modo pauliſper hæreamus in illa Eccleſiaſticæ Hierarchiæ forma ab ipſis mox Apoſtolorum temporibus recepta, cum Perſecutione graſſante pro neceſſitate illius temporis Eccleſiaſtica negotia agebant Romani Pontifices. Solius Romani Cleri judicio multa ad Eccleſiæ pacem, & directionem neceſſaria eoſdem ſtatuiſſe ex Eccleſiaſticis monumentis eſt ſatis perſpicuum. Ita certe ſolum Romanum Clerum Pius I. conſuluit, dum adverſus inveteratam, quorumdam populorum conſuetudinem Paſcha die Dominico celebrandum ſanxit, ut Euſebius teſtatur in Chronico: Ita pariter Victor I. Aſiaticas Eccleſias ab reliquis Orbis totius Eccleſiis pertinacius renitentes ab unitate ſeparavit, ut idem Euſebius commemorat in lib. 5. hiſtoriæ

cap. 34., & illius ſententiam Nicæna Synodus poſtea probavit, & tota Eccleſia amplexa eſt. Zephirinus item dum edicto, ut loquitur Tertullianus c. 1. de Pudicitia, peremptorio Moechiæ, & Fornicationis delicta Sacramento Pœnitentiæ expiari poſſe pronuntiavit, ac Montaniſtas damnavit teſte eodem Tertulliano contra Praxæam; ita demum, ut a ceteris exemplis recenſendis abſtineam, Stephanus I. cum pro rebaptizandis hæreticis totam Africam cum Cypriano conſpirantem, Magnam Aſiæ partem cum Firmiliano Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, Egyptum cum Dionyſio Alexandrino epiſtola ſua repreſſit, *nihil innovandum dictitans*, ut legitur apud Euſebium lib. 7. c. 5. Vicentium Lirinenſem Commonitorii primi cap. 9. & 10. alioſque complures. Hunc eumdem Romanum Clerum, atque Presbyterorum & Diaconorum cœtum primarium, & Ordinarium fuiſſe Romani Pontificis Concilium, & Romanos Clericos Epiſcopi Romani Senatum, & Conſiliarios cum Romano Epiſcopo præſidentes paſſim habitos, variis in locis Cyprianus, Pius I. & Hieronymus aſſeruerunt, Hieronymus quidem in caput 3. Iſaiæ, ubi Senatui Romano politico alium in Eccleſia reſpondere his Verbis inſinuat; *Senatus quoque conſulta dicuntur, & Principes quondam Romani Conſulis appellati ſunt, vel a conſulendo Civibus, vel ab agendo cuncta Conſilio, & nos habemus in Eccleſia Senatum noſtrum cœtum presbyterorum*: Pius vero I. Epiſtola ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum, & Cyprianus in epiſtola 58. ad Lucium Papam, & Cornelius in epiſtola 46. ad Cyprianum, in qua agens de Cauſſa Confeſſorum ad unitatem redeuntium, cum antea ab ea diſceſſiſſent hæc ſcribit: *omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium*. Quia vero rerum gerendarum maxima habebatur Romani Pontificis Electio, hanc etiam antiquitus ad ſolum Romanum Clerum, & vicinos Epiſcopos pertinuiſſe, totidem electiones, quot a Lino ad Nicolaum II. decurrerunt, documenta ſunt, quæ ſententiam noſtram confirmant ampliſſime; cum itaque nemine diſcrepante conſtet in alterutro Apoſtolorum expoſito ſtatu, Apoſtolos ipſos in ejuſmodi negotio intendiſſe animum, affirmare neceſſe eſt Eminentiſſimos R. E. Cardinales huic duplici ſtatui non ſucceſſiſſe, & proinde Divinam non fuiſſe quo ad hoc caput illorum inſtitutionem. Dixi *quo ad hoc caput*, nam ſi conſideramus Senatum hunc ampliſſimum Romano Clero ſuffectum fuiſſe, quatenus ſinguli Cardinales vel Diaconorum, vel Presbyterorum ordinibus initiantur, communem certe illi ſortiti ſunt ordinem a Chriſto Domino inſtitutum, & communem in Eccleſiaſtica hierarchia locum. Verum de hoc in præſentiarum nullus eſt ſermo, & inter Catholicos nulla eſt Controverſia, quibus cum certum ſit in Eccleſia Dei non eſſe plures quam VII. Ordines, negant Cardinalatum habendum eſſe peculiarem Ordinem propter illa duo munera, & Officia Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ conceſſa, eligendi ſcilicet Summum Pontificem Romanum, eidemque aſſiſtendi, & ipſum in regenda Eccleſia adjuvandi, quæ in Eccleſia Dei tempore Apoſtolorum, & deinceps conſtat omnibus Presbyteris fuiſſe communia.

V. Nec quod additur a Turrecremata, neceſſitatem hujus Divinæ Inſtitutionis evincit, quidquid enim ſit de præmiſſa a Chriſto Domino nominatione Apoſtolorum, eorum Sacerdotali, & Epiſcopali Ordinationi, quarum altera contigit in ultima Cœna, & altera poſt Reſſurrectionem, quando Apoſtoli miſſi ſunt ad prædicandum Evangelium, hoc inconcuſſum eſt apud omnes Chriſtum Dominum tunc temporis in ſuam ſocietatem Apoſtolos non admiſiſſe, ut eorum Conſilio uteretur, quemadmodum Romanus Pontifex adhibet

Digitized by Google

hibet ſibi Conſiliarios Cardinales, neque in illos tranſtulit poteſtatem eligendi Vicarium ipſius, ſed elegit Apoſtolos, ut eos inſtrueret, ac doceret, ut poſtea eoſdem mitteret ad prædicandum ea quæ didicerant, & ad hoc dedit eis poteſtatem *ut ſanarent infirmos, ut Dæmonia ejicerent, & ut languores curarent*. Non habent igitur Cardinales munus illud quod Apoſtoli acceperunt a Chriſto, & propterea ex hoc etiam capite colligitur Apoſtolis in eo ſtatu non ſucceſſiſſe, & eo magis, quia Cardinalium dignitas, aut Diaconis, aut Presbyteris, aut Epiſcopis ſemper fuiſſe annexa legitur, e contrario vero Apoſtolos in primo eorum ſtatu nihil horum habuiſſe notiſſimum eſt, quod tandem ſufficit ad demonſtrandum ſtatum Apoſtolorum non eſſe ſtatum Cardinalium, conſiderato Apoſtolico Officio antequam Apoſtoli Presbyteri eſſent, aut Epiſcopi. Ex quibus omnibus veritas noſtræ Propoſitionis ſatis manifeſta eſt, & non multum gratificari Eminentiſſimis Cardinalibus Henricum Kalteiſen, Petrum de Alliaco, & Gerſonium, alioſque, qui in primitivo Apoſtolorum ſtatu Cardinales adumbrari volunt, cum Cardinalium ſtatus longe illo perfectior ſit, & nobilior, ut ſupra notavimus.

§. II. *Cardinalium Dignitas tunc tanti faſtigii reputatur, ut abſorbeat aliam quamcumque dignitatem.*

Cardinalitiam Dignitatem apud Heterodoxos Calvinus inſectatus eſt, & in ipſo Concilio Tridentino Bartholomeus de Martyribus Bracarenſium Archiepiſcopus. Improbare certe potuerunt nonnulli, Epiſcoporum miniſterio ad vilia quæque munia Cardinales aliquando uſos eſſe, & ægre ferre quod in Congregatione, aut Conventu coram Pontifice Cardinales ſederent tectis capitibus, Epiſcopi vero, & Archiepiſcopi eſſent erecti, capitibus detectis. Verum his incommodis Romani Pontifices occurrerunt, nimirum Leo X. in Bulla Reformationis Curiæ edita in Concilio Lateranenſi Seſſione IX. & Paulus IV. qui hunc morem, tamquam abuſum Epiſcopali Characteri nimium derogantem abrogavit, præcipiens quod in Congregationibus Epiſcopi æque ac ipſi Cardinales ſederent tectis capitibus. Quod itaque nunc a nobis dicendum eſt eo tendit, ut contra Calvinum oſtendamus Cardinales, ſive Presbyteros, ſive Diaconos, ceteris omnibus Eccleſiæ Prælatis præter quam Pontifici Romano omnino præferendos eſſe, quia eorum dignitas tanti faſtigii reputatur, ut abſorbeat aliam quacumque dignitatem, etiam Epiſcopalem. Ad hoc autem intelligendum notare oportet duplicem in Cardinalibus reperiri præſtantiam, quarum altera ſita eſt in Ordinis poteſtate, altera in excellentia illa, quæ ipſis convenit in regimine univerſalis Eccleſiæ. Epiſcopos in Ordinis poteſtate præſtare Cardinalibus omnibus, qui Epiſcopi non ſunt ex illorum muneribus, de quibus alibi diſſeruimus, eſt ſatis perſpicuum; imo & ex illorum ordinaria juriſdictione in propriis Diœceſibus, quæ ad leges ferendas extenditur, ad diſpenſationes, ad pœnas; non ita vero juriſdictio Cardinalis, qui ſit tantum Presbyter, aut Diaconus in ſuo titulo, niſi per Summum Pontifice id illi fuerit ſpeciali privilegio conceſſum. Si vero conſiderentur Cardinales, qui ſint ſolum Presbyteri imo etiam, & ſolum Diaconi, quatenus ſunt Collaterales, & Coadjutores, & intimi Pontificis Conſiliarii, illos Epiſcopis omnibus præſtare neceſſe eſt, tum quia ſoli extra Caſum Concilii Generalis, ad Conſilium Pontificis adhibentur in Eccleſiæ Univerſalis Regimine;

Digitized by Google

tum etiam quia hac eadem ratione Epiſcopis omnibus imperant, & in eoſdem jus dicunt, ſi digni ſint animadverſione, vel pœna, quod agere, nunquam legitur fuiſſe permiſſum Epiſcopis adverſus qualeſcumque Cardinales. Neque hoc facto Ordinum Sacrorum Hierarchia multum turbari cenſenda eſt, ſiquidem etiam apud Græcos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Officiales, ſive omnes præcipuæ dignitates in Eccleſia CS. quas ἐξωκατάκοιλους vocant Græci; Scriptores, Balſamon in meditatione de Officio Defenſoris, & Cartularii, Joannes Epiſcopus Citri ad Conſtantinum Cabaſilam Reſponſione ad Interrogationem 8. Codinus de Officiis c. 9. n. 4. Auctor Actorum Concilii Florentini, & alii, in Synodo Patriarchali præponuntur Epiſcopis: multo itaque juſtior habebitur Romanæ Eccleſiæ mos, quo Cardinalibus ante Epiſcopos Ordo ſedendi, & procedendi attribuitur, qui Romano Pontifici adſiſtentes de Epiſcopis cum eo judicant, & univerſo Eccleſiæ bono ſatagendo præficiuntur. Moris hujus antiquitatem notavit Eugenius IV. in Bulla *Non mediocre* Magiſtro Henrico Archiepiſcopo Cantuarienſi num. 11. ubi teſtatur ordinem eumdem fuiſſe ſervatum in duobus Generalibus Conciliis Lugdonenſibus ſub Gregorio IV. & X. itemque in Anglia delatum a multo tempore fuiſſe contendit, proptereaque debere eumdem Henricum Witonienſi Epiſcopo cedere ad hanc dignitatem promoto. Si quid ergo ab Heterodoxis auctoribus in contrarium reponitur, morem oſtendit temporis antiquiſſimi, quando Epiſcopi in Conciliis præponebantur Presbyteris omnibus, etiam Romanis, niſi fuiſſent Legati Romani Pontificis, ut ſatis colligitur ex ſubſcriptionibus ſecundæ Synodi Cartaginenſis, & ſecundæ Romanæ, ſub Symmaco, & alterius ſub Magno Gregorio, in qua poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſerunt Presbyteri Titulorum Romæ, inter quos dubitari non poteſt fuiſſe Cardinales, cum ſub aliquibus titulis duo, aut plures Epiſcopi ſubſcripſerint.

VII. Neque eſt immorandum in refellenda putida illa, & inſulſa fabula de Cardinalitia dignitate S. Hieronymi, quam rejecerunt Baronius Tom. 4. Annal. ad A. 382. n. 26. Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 16. aliique Scriptores graviſſimi, illam tamen commemorare pluſquam ſatis eſt, ne quis nos exagitet Auguſtini verba objiciens, quæ leguntur in epiſtola 19. ad S. Hieronymum, ac ſi Auguſtinus negaverit Hieronymum ſibi præferendum, etiam ſi Romanus Presbyter eſſet, quia ipſe erat Epiſcopus, & Epiſcopatus Presbyterio major erat, nam ex mente Auguſtini non laudatur in citata epiſtola uſus Eccleſiæ recens, vel poſt Apoſtolica tempora introductus, ſed ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, nec de nudis honoris vocabulis loquitur, ſed quæ diſtinctos Dignitatum, Ordinumque gradus in Eccleſia ſignificant, quæ nomina cum ante fundatam Chriſti Eccleſiam nullius ſingularis dignitatis propria eſſent, ſed unum ætatis, ſcilicet Presbyter, alterum Officii, cujuſlibet Reipublicæ regimen ſpectantis, ſiquidem inſpectorem, vel ſuperintendentem ſignificat, ſcilicet Epiſcopus; fundata poſtmodum Eccleſia ad dignitates, & Ordines a Chriſto inſtitutos ſignificandos tranſlata ſunt, & Eccleſiæ uſu conſecrata. Epiſcopatum itaque Presbyteris majorem dixit Auguſtinus ſecundum honorum vocabula, quæ uſus Eccleſiæ obtinuit, quia nomen *Epiſcopus* jam a ſuis Exordiis uſurpavit Eccleſia ad majorem Presbyteratu dignitatem deſignandam, & idipſum agnovit ad Auguſtinum ſcribens S. Hieronymus, quem propter rationem Epiſcopatus vocat dignitate Patrem; non vero illud ſcripſit, ut negaret Presbyterum Cardinalem Epiſcopo non

Car-

Cardinali eſſe majorem, de hoc enim ordine tunc nulla erat in Eccleſia quæſtio, & Epiſcopi quicumque præferebantur Cardinalibus non Epiſcopis, imo Cardinalatus ipſe, ut notat Onuphrius in libro de Cardinalibus, & colligitur ex lib. 1. cap. 7. vitæ S. Gregorii, ad Epiſcopatum gradus erat, verum poſtea propter culmen ſingularis potentiæ, & excellentiæ Cardinalibus conceſſum, & majorem Romano Pontifici adhærentiam, Cardinales Epiſcopi anteponi cœperunt, & inter ſolos Cardinales hic Ordo ſervatus eſt ut Cardinales Epiſcopi ſemper Presbyterum Cardinalem, & Presbyteri Cardinales Diaconum Cardinalem præcederent.

VIII. Ex his autem, quæ hactenus diximus nullus inferat ita Cardinalibus eſſe conceſſum una cum Romano Pontifice regere Eccleſiam Dei, ut ſolus Pontifex ſine Cardinalibus ardua explicare non poſſit. Poteſt profecto Pontifex ſine Cardinalibus ardua explicare, & per ſe expedire, & hoc ita certum eſt, ut ſi contraria adeſſet conſuetudo illa non valeret, cum contra ſupremam Papæ poteſtatem nulla valeat contraria Præſcriptio, quemadmodum in c. 2. de Clericis non reſidentibus num. 4. notavit Abbas; Immo etiam ſi de hoc lex eſſet, quæ in hoc caſu attendenda non eſſet, quia par in parem non habet imperium, idque ſuo facto demonſtravit Gregorius hujus nominis XII. cum in Conſiſtorio Secreto die 13. Septembris A. 1591. Sententiis S. R. E. Cardinalium, qui tunc aderant minime requiſitis, quinimo multis eorum expreſſe contradicentibus, dubium ſenſum verborum Bullæ Pii V. contra infeudationes (an ſcilicet Verba Bullæ comprehenderent loca nondum devoluta tempore infeudationis) declaravit, definivitque *verba illa non prohibere Feudum nondum devolutum, quando neceſſitas, aut evidens, & vera Eccleſiæ utilitas poſtulaverit, infeudari iterum*; nec juramentum in illa Bulla præſtitum ſimilem Caſum comprehændere, & neminem licite invertere poſſe id, quod ſit contra neceſſitatem, aut evidentem Eccleſiæ utilitatem; verum quamquam res ita ſe habeat, hodie tamen, eo jure utitur Romanus Pontifex, ut Cardinales quidem in Conſilium adhibeat, ſed horum aſſenſu non indigeat: & hoc Cardinalium munus in dirigendis negotiis maxime elucet ex Cardinalitiis Congregationibus, quarum aliquæ, utpote quæ ſtabilem ſtatum habeant *Ordinariæ* appellantur, aliæ vero *Extraordinariæ*, quæ ſcilicet extra Ordinem per Pontificem particulariter pro aliquibus negotiis ordinari ſolent, & ceſſant negotiis illis abſolutis.

IX. Quoniam vero harum Congregationum mentio incidit, illarum præcipuas hic commemoramus, nimirum illas, quæ verſantur circa regimen univerſalis Eccleſiæ, ſive quæ dirigunt, atque expediunt illa negotia, quæ ad Pontificem, & Romanam Curiam ex Provinciis omnibus undique circum feruntur, tum ut illarum præcipuum inſtitutum circa quod verſetur innoteſcat, tum etiam ut ex earum numero, Cardinalium quoque numerus facile dignoſcatur. Præcipuæ igitur Congregationes Cardinalium quinque recenſentur, videlicet Congregatio pro *Inquiſitione hæreticæ pravitatis*, quæ & S. Officii dici conſuevit, & altera, quæ illius tamquam vicaria, & adiutrix nuncupatur *Indicis Congregatio*; Item *Congregatio pro executione, & interpretatione Concilii Tridentini, & Congregatio ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium*, & demum *Sacra Rituum Congregatio*. Singulis his Congregationibus varia adſcribuntur Inſtituta, & varius ſingulis Cardinalium numerus deſtinatur. Prima præcipue cognoſcit de Cauſſis Fidei, omnibuſque eo ſpectanti-

ti-

Digitized by Google

tibus, ideoque & libris invigilat, eoſque examinat, & cenſura dignos proſcribit. Cum autem hac Congregatione in gravioribus actualibus Fidei negotiis magis occupata, in illa materia reviſionis, & prohibitionis librorum fortaſſe non adeo diligenter, & accurate ageretur, Sixtus V. alteram Indicis Congregationem errexit, eidemque injunxit, ut libros, qui poſt Jndicem Concilii Tridentini juſſu editum prodierunt, Catholicæ doctrinæ, Chriſtianorumque morum diſciplinæ repugnantes expenderet, & recognoſceret, & ſi quos reperiiſset, rejiciendos, Pontificia auctoritate rejiceret, eos vero emandaret, quos hominum injuria, & dolo depravatos inveniſſet, modumque iniret expurgandi, atque eos corrigendi, qui alioquin ſtudioſis utiles eſſe poſsent, Indiceſque expurgatorios conficeret, & novos præterea libros approbandi, & imprimendi rationem præſcriberet. Huic Congregationi cum non aſſiſtat Pontifex, hinc eſt quod dumtaxat ſub nomine Cardinalium Congregationis Indicis, qui in competenti numero adſunt, pro Papæ Beneplacito, nulla Pontificis facta mentione, illius Decreta edi ſolent. Alteri vero quia præſidet Papa, idcirco in illius Decretis non Cardinales [quorum Octo ad id negotium Pius IV. deputavit] ſed ipſe Pontifex tamquam decernens, & reſsolvens introducitur, idqne quantum interſit, nemo non videt. Tertiam Congregationem laudatus Pontifex Pius IV. inſtituit pro executione, & obſervantia Decretorum Concilii Tridentini, reſervata Sedi Apoſtolicæ eadem Decreta interpretandi facultate, illudque munus præſertim Cardinalibus illis adjunxit, qui Concilio interfuerunt, quique de mente Concilii magis credebantur inſtructi, tamen eo etiam tempore aliquæ, licet pauciores Declarationes prodierunt abſque ulla Sanctiſſimi delegatione, unde ſactum eſt ut primo Pius IV. deinde Sixtus V. huic Congregationi, in qua nulla adeſt mixtura Prælatorum, illo excepto, qui Secretarii munus exercet, non tantum exequendi, ſed etiam interpretandi Concilii Decreta (ſcilicet Reformationis) facultatem impertiti ſunt eorum, quæ ad Fidei Dogma pertinent interpretatione ſibi reſervata, ideoque Congregatio, quæ antea dicebatur ſuper executione, & obſervantia Sacri Concilii Tridentini, impoſterum vocari cœpit Congregatio pro executione, & interpretatione ejuſdem Concilii, idque munus veluti palmarium ſibi ſemper retinuit, executionem vero Decretorum, non raro ad Congregationes alias remittit, quæ ſuper hac parte interpetrativa, ut monet De Luca, ſe non intromittunt. Eidem etiam Congregationi peculiare, & illud eſt, ut provideat Synodos Provinciales, & Diœceſanas, pro ut a Synodo Tridentina ordinatum eſt, celebrari, & Provincialium Conciliorum ubivis Terrarum hæc celebrentur, Decreta ad ſe mitti, eaque ſingula expendere, & cognoſcere, ut omnia ex judicio, & arbitrio hujus Congregationis dependeant, eidemque demum incumbit audire poſtulata Epiſcoporum Limina Apoſtolorum viſitantium, eiſque congrua reſponſa dare, ceteraque materiam hujus Viſitationis ſpectantia expedire. Eadem Congregatio, non raro etiam particulares caſus in forma contentioſa agitandos, & decidendos aſſumit, plerumque eoſdem, quamquam circa materiam, ſive Decreta Concilii Tridentini verſentur, ad Congregationem illam refert, quæ hodie ſuper Negotiis Epiſcoporum, & Regularium nuncupatur, cum antea duæ Congregationes eſſent his titulis inſignitæ; *Pro Conſultationibus Regularium: Pro Conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum*. Hujus itaque Congregationis, quodnam ſit inſtitutum ex titulo intelligitur. Epiſcoporum enim, & Religioſorum negotia non per ju

ris-

Digitized by Google

ris Apices, ſed ſummarie cognoſcit, ſola facti veritate inſpecta, quandoque cum extrajudicialibus probationibus, vel cum ſufficientibus probationibus per Scripturas, nullo tamen adhibito formali proceſſu cum Notario, & *cum tela judiciaria*, ut inquit de Luca, prudentiales regulas ſæpius adhibendo potius quam rigores legales, reijciendoque recuſationes omnes ex cauſſa Suſpicionis exortas. Idem de Luca Congregationem hanc omnium majorem appellat, & occupatiſſimam per negotiorum multitudinem, quæ ad illam deferuntur, ideoque majorem etiam habere ſolet Numerum Cardinalium, & mere Cardinalitia vocatur, quia nullus præter Cardinales alios inferiores Prælatos habet, præter unum Secretarium. Poſtrema ex præcipuis Congregationibus eſt illa, quæ *Congregatio Rituum* appellatur a Sixto V. inſtituta, & quinque Cardinalium prudentiæ commendata, quibus ait: *hæc præcipua cura incumbere debet, ut veteres ritus ſacri, ubivis locorum in omnibus Urbis, Orbiſque Eccleſiis, etiam in Capella Pontificia, in Miſſis, Divinis Officiis, Sacramentorum adminiſtratione, ceteriſque ad Divinum cultum pertinentibus, a quibuſvis perſonis diligenter obſerventur, cæremoniæ, ſi exoleverint reſtituantur, ſi depravatæ fuerint reformentur, libros de ſacris ritibus, & Cæremoniis &c. prout opus fuerit reformare, & emendare debet, Officia Divina de S. Patronis examinare, & Conſulto Rom. Pontifice concedere. Diligentem quoque curam adhibet hæc Congregatio circa SS. Canonizationem, Feſtorumque dierum celebritatem, ut omnia rite, & recte, & ex Patrum traditione fiant.* Verum tamen eſt, quod præter Cardinales, quorum hodie numerus dependet a Beneplacito Papæ, interſunt huic Congregationi Prælati plures, aliique Theologiæ Profeſſores, Magiſter item Sacri Palatii, Sacriſta Papæ, & unus, aut plures Magiſtri Cæremoniarum Papæ. Oportet igitur Cardinales, alioſque ad hanc Congregationem ſpectantes multum eſſe verſatos in ritibus, ac cæremoniis præſcribendis, ut feliciter, ac recto ordine omnia in Eccleſia peragantur, cum in præſcribendis ritibus in Divinis Officiis, ac etiam regulis attendendis ſuper Canonizatione Sanctorum, quæ duo privative ſingularia ſunt huic Congregationi, & nunquam ad aliam mittuntur, ſed ab ea ſola deciduntur. Notari nihilominus debet, quod inſpecta hodierna praxi Curiæ Romanæ, cum agitur de Canonizatione alicujus Sancti, vel ejus Beatificatione, extraordinaria quædam adjungitur Congregatio, cui interſunt alii Prælati, nimirum Fidei Promotor, & tres Seniores Auditores Rotæ, qui Aſſeſſorum munus gerunt, unus quoque additur ex Protonotariis Participantibus, aliique Theologi adduntur, qui Conſultores, & Qualificatores nuncupantur, Medici item, aliique Philoſophiæ Profeſſores, ut judicent de Operationibus, quæ *Miracula* vulgo appellantur, utrum revera hujuſmodi operationes ſupernaturales ſint, & ut horum veritas facilius, & certius habeatur. Hæc tamen omnia non obſunt, quin fides Canonizationis a ſolius Pontificis Judicio dependeat, ut ſuo loco demonſtravimus, cum ea omnia, quæ in hoc Canonizationis negotio contigunt, ut jam recenſuimus, imo & Conſiſtorium ipſum ſolemne, & publicum quod tunc habetur, & ad quod conveniunt omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui adſunt in Curia, ut horum omnium votum exquirat Pontifex, non ad ſubſtantiam, ſed ſolummodo ad ſolemnitatem Actus pertineant; ita ut omiſſis omnibus Actus hujus ſolemnitatibus, per ſimplex Breve Pontificis, & Decretum Congregationis, relatio in Sanctorum Catalogum fiat, nulluſque tamquam Sanctus de novo coli, & honorari

Digitized by Google

norari publice poſſit, niſi per Pontificem in Catalogum Sanctorum relatus, ſeu ut vulgo dicitur *Canonizatus* extiterit.

X. Adſunt & aliæ Congregationes, quæ concernunt temporale regimen Status Eccleſiaſtici, & hujuſmodi ſunt *Congregatio ſuper Conſultatione negotiorum Status Eccleſiaſtici*, quæ vulgo *Conſulta* appellatur, item *Congregatio boni Regiminis*, aliæque, de quibus agit Cardinalis De Luca in Relatione Romanæ Curiæ Diſcurſu 25. 26. 27. Alia inſuper eſt Congregatio, quæ dicitur *Viſitationis Apoſtolicæ*, & hæc omnia explet, quæ Pontifici incumbunt, tamquam Epiſcopo particularis Urbis, ejuſque diſtrictus, ſed hæ ad rem noſtram faciunt tantummodo, ut una cum ceteris ex recenſitis, & aliis quæ ommiſſæ ſunt, oſtendant quod cum ſingulis plures Cardinales interſint, bene illis conſuluerunt Romani Pontifices cum Cardinalium numerum ampliarunt, illumque retinuerunt, quem Sixtus V. retinendum eſſe decrevit in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Poſtquam verus ille*, ut nimirum LXX. numerarentur. Cum enim primitus VIII. tantum eſſent ſupra XX. Cardinales Presbyteri, Diaconi vero XVIII., & Epiſcopi VII. omnes vero LIII. identidemque pauciores, ut accidit anno, quo a VII. tantummodo Cardinalibus inauguratus fuit Pontifex Nicolaus III. a tribus nimirum Presbyteris, & IV. Diaconis, poſtmodum Leo X. numerum illum maxime auxit, ita ut in ſuo Pontificatu LXV. Cardinales ſimul viventes reperirentur, & demum Paulus IV. uſque ad LXX. creavit, quot hodie habet Romana Eccleſia, ſcilicet VI. Epiſcopos, (eo quod Eccleſia Epiſcopalis SS. Rufinæ, & Secundæ alias Sylvæ Candidæ unita fuerit Epiſcopatui Portuenſi) Presbyteros L., & Diaconos XIV., quorum ſinguli a ſuo Titulo nuncupantur, hoc eſt ab Epiſcopalibus Eccleſiis, & Diaconiis illis, quarum curam gerunt, & in quibus quo ad Juriſdictionalia ſaltem, Epiſcoporum loco habentur, cum poſſint corrigere, excommunicare, ſuſpenſionis, & interdicti ferre ſententias, viſitare item ſua loca ſemel ſaltem in anno, & diligenter inquirere, & vigilare circa Cultum Divinum, & bona dictarum Eccleſiarum, moreſque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum ſolerter explorare, eoſque omnes, & ſingulos ad recte, honeſteque vivendum paterno monere affectu. In eiſdem etiam Titulis, dummodo præſentes ſint in Curia, jus habent conferendi Beneficia omnia, neque illis obſtant *Expectativæ*, ut ajunt, & reſervationes dummodo non vacent in Curia; imo nec ipſe Papa de illis providet, niſi de expreſſo Cardinalis Ordinarii, vel Commendatarii conſenſu; itemque eorumdem Beneficiorum reſignationes admittunt. Inſigniis etiam Pontificalibus in ſuis Titulis utuntur, licet Epiſcopi non ſint, & ſolemnem benedictionem impertiuntur more Epiſcoporum, ſuiſque ſubditis, & familiaribus primam Tonſuram, & minores Ordines conferunt, ſi tamen Sacerdotali charactere ſint inſigniti.

XI. Quæ modo pertinent ad Titulos Cardinalium, ut ea breviter attingamus, animadvertimus ſolos Cardinales Presbyteros habere Titulum, & cum Titulo inſcribi præter unum, qui inſcribitur Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis, imo etiamſi Cardinalium aliquis Eccleſiæ particularis Epiſcopus ſit, non ſub nomine Epiſcopalis Eccleſiæ, ſed Tituli Cardinalatus nuncupatur, & ii ſoli appellantur Epiſcopi Cardinales, qui proximos Urbi habentes Epiſcopatus, & S. R. E. Cardini annixi, celebranti aſſiſtunt Pontifici, & ad eligendum Pontificem antiquitus conveniebant, eique in arduis

rebus

rebus conſilio, atque ope præ ceteris præſto erant. Hi autem nunc ſic recenſentur, Epiſcopus *Oſtienſis*, qui debet conſecrare, & benedicere Apoſtolicum, *Portuenſis*, *Sabinus*, *Praneſtinus*, *Tuſculanus*, *& Albanus*: Ceterique Cardinales a ſuis Diaconiis ſibi nomen aſciſcunt, quæ Diaconiæ Jure antiquo ne darentur Presbyteris Cardinalibus cautum erat, ut vetitum etiam erat Titulos Cardinales Diacono aſſignari, ſed nunc alter eſt uſus. Poſtulatur enim Cardinalis Presbyter ad Epiſcopatum, & Diaconus Cardinalis ad Titulum, & Pontifex ſuum præſtat in promotione Poſtulati conſenſum. Oportet etiam ipſum Rom. Pontificem Cardinalibus licentiam impertiri, ut a ſuis Titulis, & ab Urbe Roma recedant, utrumque enim illis per Canonicas Sanctiones vetitum eſſe conſtat latiſſime, idque expreſſe vetant Leonis X. Bulla, quæ incipit: *Sub pœna diſpoſitionis arbitrio* in Concilio Lateranenſi edita, & Conſiſtoriale Decretum Pauli III., & Conſtitutio Innocentii X. quæ incipit: *Cum juxta*, & alia plurima Decreta, quæ receſſum Cardinalium a Rom. Curia ſine licentia Papæ prohibent ſub diverſis pœnis etiam arbitrio Rom. Pontificis infligendis, quarum abſolutio, & relaxatio Papæ reſervatur, privative etiam quo ad Collegium Cardinalium Sede vacante: tum quia in ſuis Titulis Curam habent Animarum, tam Fori Pœnitentialis, quam Contentioſi; tum quia in executione Paſtoralis Officii Rom. Pont. Coadjutores eſſe Sixtus V. aſſeruit in ſua nuper laudata Conſtitut. cum quo *Orbem judicant*, *& diſponunt*; tum quia ſunt membra, & partes Corporis Papæ a Spiritu S. conſtituta, & ſic etiam ſunt, ut ſupra diximus *Collaterales Papæ*, unde contra naturam rei eſt, ut ſe ab illius latere ſubducant, nam a capite non licet membra recedere ex cap. *cum non liceat* de Reſcriptis. Fallit tamen hæc regula in Cardinalibus illis, qui Cathedralibus, & Majoribus Eccleſiis præfecti ſunt, quippe qui a Reſidentia in prædictis Eccleſiis non excuſantur, neque prætextu, quod in ſuis Titulis reſideant, aut in Epiſcopatibus, quos habent prope Urbem, nec ex eo quod Papa eos videat, & toleret, & ad functiones etiam Pontificales, & ſolemnes admittat. Habetur hoc in Bulla Urbani VIII., quæ incipit *S. Synodus*, & in Bulla Pii IV. quæ incipit in *Suprema* edita poſt publicationem Tridentini Concilii, quæ tamen Bulla Cardinalibus indulget, ut vacante Sede ad locum Conclavis accedant, dummodo a Diœceſibus non diſcedant, niſi habita certa notitia mortis Pontificis, & quod in Urbe commorentur, uſque ad perfectam Electionem, & per duos menſes poſt Pontificis Coronationem; neque aliter Cardinalibus eſſe faciendum prætextu Servitii, aut juſſus etiam Imperatoris, & Regum, aut diſtantiæ locorum, niſi ex cauſſa in Corpore Juris clauſa, coram Papa allegata, & expreſſe admiſſa, in laudata Innocentiana Bulla ſtatuitur, quæ præterea illis adimit facultatem ſubſtituendi Cardinalem, Prælatum, vel alium quemcumque in ſuis Legationibus, Præfecturis, Guberniis, Protectionibus, nec non adminiſtrationibus Tituli, vel Diaconiæ, aut etiam Epiſcopatus, ut Eccleſiarum etiam Patriarchalium, ac Beneficiorum quorumcumque, non obſtantibus Indultis, quæ ſuper his fuiſſent conceſſa. Ex quibus omnibus liquido conſtat, quod quamvis Cardinalium prærogativæ plurimum attendantur in honoribus eiſdem deferendis, non tamen eos eximunt a Vinculis Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, cum agitur de diſpoſitione, quæ favorem publicum reſpicit, & animæ utilitatem,

 vel

Digitized by Google

vel periculum; etſi tamen non includantur ſub generali ſententia Interdicti, vel Suſpenſionis, niſi de illis facta fuerit ſpecialis mentio.

XII. Age modo ad ea veniamus, quæ ad augendam, & promovendam Cardinalium Dignitatem, & reverentiam Rom. Pontifices præſtiterunt. Innocentius IV. primus Cardinalium ornamenta invenit, primuſque eiſdem conceſſit, ut rubeo uterentur galero, hac enim nota a ceteris Eccleſiaſtici Ordinis viris cenſuit eſſe diſtinguendos. Qui Innocentium ſeqvuti ſunt Pontifices, nova & illi ornamenta addiderunt, donec ad eam, quæ hodie cernitur gloriam perventum eſt, nam Bonifacius VIII., ut communiter creditur, CardinalibusPurpurei coloris veſtimenta dedit; Paulus vero II., ut in ejus vita narrat Platina primo Pontificatus ſui anno eis pannum ejuſdem coloris dono dedit, quo equos, vel mulas tegerent quando equitarent. Nullum enim aliud veſtimenti genus ad reverentiam hanc conciliandam opportunius crediderunt Rom. Pontifices quam illud, quo ipſi utebantur, quod certe plurimum ſplendoris habet, & quo ſignificatur, quod illi, qui hoc indumenti genere induuntur, mortibus debent devota geſtare capita, igneque ardentiſſimo exeſtuare ad præparationem Evangelii pacis. Hinc eſt, quod ab antiquiſſimis temporibus ipſi Pontifices Legatis ſuis indumenta eadem communicarunt, quæ *Apoſtolica dignitatis inſignia* vocavit Innocentius hujus nominis III. in Concilio Lateranenſi, non ſecus ac aliis Vicariis Apoſtolicæ Sedis Pallium tribuebant, quod teſtatus eſt de Pelagio Epiſcopo Albanenſi, qui Legatus Apoſtolicæ Sedis in Oriente fuit ævo Innocentii III. Georgius Logotheta, Matthæus quoque Veſtmonaſterienſis ubi agit de inſignibus Legatorum, Antonius Scappus in libro de Bireto rubeo dando Cardinalibus Regularibus citans Oſtienſem, & Antonium de Butrio docentes inſignia Apoſtolica, quibus Legati ultra mare utebantur fuiſſe veſtes rubeas, palafrænum album, & Calcaria deaurata, & tandem Bzovius ad A. 1253. §. 5. ubi agens de Dominicanis in Polonia gerentibus Legationem Apoſtolicæ Sedis illis ait ab Jnnocentio IV. indultum fuiſſe ut rubeo galero, rubeis ſandaliis, ocreis, & chirothecis rubeis, caput, & manus, ac pedes tegerent, quod *his utentes Pontificis Perſonam eſſent quodammodo reppræſentaturi*, ut ſcripſit Boniſacius VIII. ad Nicolaum Oſtienſem Epiſcopum, quem Legatum miſit in Ungariam A. 1301. ut videre eſt apud Odoricum Raynaldum ad hunc annum §. 5. Quod ſi Rom. Pontifices his indumentis inſeqvutis temporibus uſi non ſunt, neque modo utuntur, Cardinalibus tamen eadem remanſerunt, & adhuc ſunt honoris, & auctoritatis inſignia, ſi tamen Cardinales illos exceperimus, qui e Clero Regulari aſſumuntur, quibus tantum præter Biretam coccineam, quæ omnibus communis erat, Gregorius XIV. conceſſit ut rubeo pileo uterentur, quemadmodum legitur in ejus Conſtitut. quæ incipit *Sanctiſſimus*, & ut *Eminentiſſimi* vocarentur omnes, Urbanus VIII. decrevit, addita anathematis pœna Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis (niſi Electores eſſent Jmperii) Epiſcopis, aliiſque Prælatis, ſi titulum hunc aſſumpſiſſent.

XIII. Non hæc tamen majora ſunt, quæ per Romanos Pontifices Cardinalibus Majeſtatis eorum, Amplitudiniſque nobiliſſima ornamenta acceſſerunt. Jam inde a Petri Damiani temporibus, ideſt A. 1061. ut ait de Marca in lib. 9. de Concor. Sacerd. & Imper. c. 9. n. 7. Epiſcopi Cardinales eum locum tenebant, ut de illis Damianus dixerit: *Patriarcharum, & Primatuum jura tranſcendunt, & ſuper ipſos quoſque Pontifices authenticam prævalent proferre*

cen-

Digitized by Google

conſuram. Eoſdem *Orbem judicaturos* ſcripſit S. Bernardus in lib. 4. de Conſid. c. 4. & certe eo tempore jus illud ſibi vindiesbant, ut unum eſſent cum Papa Corpus ad Univerſalem Eccleſiam ordinandam, unde legimus eoſdem Eugenio dixiſſe: *per nos tamquam per Cardines Univerſalis Eccleſiæ volvitur axis, nihilque firma ſtabilitate ſolidum ſine noſtra definiri valet auctoritate*: quapropter Cardinslem, *loco Univerſalis Eccleſiæ ſuum habere Officium* ſcripſit Oſtienſis, & Turrecremata addidit: *Dominorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu Summus Pontifex regit, diſponit, atque gubernat Univerſalem Eccleſiam*. Hinc factum eſt quod hoſtiliter inſequentes, vel in Perſona offendentes Cardinalem ſunt rei criminis læſæ majeſtatis, eademque pœna ii plectuntur, qui auxilium, vel conſenſum quoquomodo præſtant: Nepotes quoque & filii ejuſmodi deliquentium Beneficiis, & Eccleſiaſticis dignitatibus privantur, ac ad alias obtinendas inhabiles fiunt. Ejuſdemque criminis eſt reus qui Cardinalis domum invaſerit, & qui prædicta ſciverit perpetrata delicta, & non revelaverit: Ipſis etiam Cardinalibus innumera ſunt, quæ Pontifices Privilegis conceſſerunt; nimirum ut immediate ſubjaceant ipſi Rom. Pontifici, tamquam ipſorum Judici ordinario, nulluſque audeat contra eorum familiares definitivam ferre ſententiam, ſed per ipſos Cardinales judicentur: quod Cardinalibus aſſerentibus ſe eſſe Legatos, etiam ſine litteris, ſit credendum, aut ſi iidem aſſererent ſe in aliqua cauſſa eſse delegatos: quod eorum reſignationes, etiam non probatis cauſſis expreſſis admittantur: quod de fructibus Commendatorum Beneficiorum integre poſſint diſponere uſque ad decentem Perſonæ, atque familiæ ſuſtentationem, & remunerationem familiarium: quod ad Cardinalatum evecti eo ipſo a Patria Poteſtate ſolvantur, idque fieri poſse in 22. ætatis anno ſtatuitur in cap. *cum in cunctis* de Electionibus: gaudent fermè omnibus Privilegiis, quibus fruuntur Epiſcopi ob majorem eorum dignitatem, qua nulla major eſt in Eccleſia. Sed quid pluribus conamur? hoc unum ſufficiat aſserere, ut innoteſcat quod in Cardinalibus tota Chriſtianæ Reipublicæ majeſtas reſidet: nimirum ſolis illis eſse conceſsum Romanum Pontificem eligere, illumque electum eſse, in quem duæ ex tribus eorum partibus conſenſerint.

XIV. Super hoc tamen non contemnenda oritur difficultas, num Cardinales in Conclavi exiſtentes convenire poſſint ut valeat Electio Romani Pontificis celebrata a majori parte Collegii; itemque an Compromiſſum ſuper Electione Rom. Pontificis a Cardinalibus initum, ſive in unum ſolum ex illis, ſive in Perſonas Eccleſiaſticas extra Sacrum Collegium, ſit validum? Pro qua difficultate dirimenda

Animadvertendum eſt, quod etiam ſi in jure antiquo aliquis reperiatur modus ſtatutus in Electione Rom. Pontificis, ne diviſis hominibus in diverſas opiniones, & vota circa jus Electionis Papæ nullus extet ſuperior, ad quem poſſit haberi recurſus, nihilominus nullibi legitur, quod ex neceſſitate in Electione hæc aliqua forma ſequenda eſset, ſed quocumque modo contingeret duas Cardinalium partes in aliquem conſenſiiſe, hic ad Pontificatum jus habebat, & legitimus Pontifex appellabatur. Aliter vero nunc agitur cum in eligendo Romano Antiſtite Cardinales conveniunt, illis enim formam præſcripſit Gregorius XV. in Conſtitutione, quæ incipit *Æterni Patris filius* edita 17. Kalend. Dicembris A. 1621. in qua inter alia hæc leguntur: *Quod ſi Electio hujuſmodi alibi celebrata fuerit quam in Conclavi clauſo, vel aliter*

quam per ſecreta Schedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium in ſcrutinio, ſeu ſcutrinio, & acceſſu Electi ſuffragio non computato, vel per viam Compromiſſi ab omnibus Cardinalibus ſimiliter in Conclavi præſentibus nemine diſcrepante initi, & ita, ut nemo ſe ipſum elegerit; vel quaſi per inſpirationem nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, omnium pariter Cardinalium præſentium in Conclavi, communiter, nemine itidem diſſentiente per Verbum Eligo *intelligibili voce prolatam, aut ſcripto, ſi voce non potuerit, expreſſum, nulla ſit, & invalida eo ipſo abſque ulla declaratione, & ita Electio nullum jus tribuat: quinimo is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus ſit, & habeatur* &c. Nihilo tamen ſecius a viris gravibus hæſitatum eſt ex Gregoriana Conſtitutione, quæ has certas formas præfinit, complures poſse difficultates emergere, quibus Electionis negotium, diu, multumque protrahatur, & inter ceteras illa non cenſetur contemnenda, quæ nuper expoſita eſt de Poteſtate Cardinalium, qui in Conclavi præſentes ſunt, conveniendi, ut valeat Electio ſive celebrata a majori parte Collegii, quæ Poteſtas eo ipſo quod concedatur profecto plurimum conducet ad Electionem celeriter abſolvendam, ſive celebrata per compromiſſum factum in unum ſolum Cardinalem, aut in Perſonas Eccleſiaſticas extra Sacrum Collegium. Sit itaque

Propoſitio I. *Poſſunt Cardinales in Conclavi præſentes convenire ut valeat Electio R. Pontif. celebrata a majori parte Collegii; magis enim conſulitur Eccleſiæ Univerſali cum Electio plurimorum approbatur aſſenſu*,

XV. Id autem ut plenius intelligatur præmittere oportet, nos non contendere Electionem factam a majori parte Collegii eſse ſuſtinendam, quocunque modo Cardinales conveniant; nimirum cum omnes, & ſinguli compromittunt in aliquos ex Sacro Collegio hac adjecta forma, ut *Compromiſſarii Votis ſingulorum per ſecretum Scrutinium exquiſitis, eum eligant, in quem major pars Collegii conſenſerit*; aut cum Patres ſimiliter nullo diſsentiente compromittunt in aliquos de Collegio, ita tamen ut Compromiſsarii teneantur eum eligere, in quem *libere, ac nulla forma obſervata major pars Collegii conſenſerit*; aut demum cum Cardinales unanimes directe, & immediate, ſimpliciter compromittunt *in majorem partem Collegii*; Ultro enim fatemur primam Compromiſsi ſpeciem aliquid continere quod Gregorianæ, Conſtitutioni adverſatur, & illud eſt, quod ſe tenet ex forma Scutinii, in quo non concurrunt ſecreta ſuffragia duarum partium, ſed tantummodo majoris partis Collegii, quod ſufficit ut inutilis talis Electio cenſeatur. Ceterum in reliquis duabus ſpeciebus Compromiſsi, cum & natura Compromiſsi ſervetur, & nulla ſit implicita forma Scrutinii, in qua ſola fundatur ratio prohibitionis; propterea cenſemus illarum alterutram nec a jure communi nec, a Gregoriana Conſtitutione eſse improbatam.

XVI. Et certe ſi ejuſmodi Compromiſſa eſſent a Jure Communi improbata, id accideret, aut quia major pars Collegii eſſet incerta, contra textum in cap. *innotuit de Arbitris*; aut quia Collegium hoc modo in ſe ipſum compromitteret, contra legem penultimam ff. de Arbitris, At neutrum dici poteſt. Non primum, quia Compromiſſarii ad eligendum, ut dicit Abbas in cap. *in cauſis* de Electionibus poſſunt certificari ab iis, quibus eſt data eligendi po-

te-

teſtas; tum etiam quia certa eſt illa pars Collegii, in quam initum eſt Compromiſſum, & hoc patet a ſimili in Compromiſſo inito in Collegium, quod Compromiſſum valet, ut defendunt DD. communiter quamvis Perſonæ conſtituentes majorem partem illius Collegii, & quæ ad electionem ſufficiunt videantur incertæ: quid ni ergo valere non debet, ſi expreſſe fiat in majorem partem Collegii, cum major pars ſit expreſſio ejus, quod tacite ineſt, quæ nihil operatur, ut habetur in l. 3. ff. de Legatis? idque confirmatur magis ex validitate illius Compromiſſi, quod hac forma initum eſt, ut ille eum eligat, in quem major pars Capituli conſenſerit juxta textum in cap. *cum dilectus* de Electionibus & in cap. *cum expediat* eod tit. in 6. & nihilominus eo caſu Compromiſſum cenſetur initum in majorem partem Capituli. Ergo a pari non vitiatur hæc forma Compromittendi ex eo quod major pars Collegii videatur incerta.

At nec vitiatur ex eo quod hoc modo Sacrum Collegium videatur quodammodo in ſe ipſum compromittere, tum ex ratione poſtremo loco allata, ex qua certe eruitur, quod ſi videri debet Collegium in ſe ipſum compromittere, tunc eſſe debet cum compromittit in duas partes; magis enim Collegium videntur repreſentare duæ partes illius, quam una pars tantum cap. *ſi quando*, cap. *indemnitatibus* de Electionibus in 6. & tamen id a nullo aſſeritur, ſed communiter ſuſtinetur quod valet hujuſmodi Compromiſſum hac forma initum, ut jam notatum eſt ſupra; tum etiam ex ſequenti conſideratione, nimirum ſi obſervetur majorem partem Collegii poſſe dupliciter conſiderari, abſolute nimirum, ſive ſimpliciter, & cum reſpectu duarum partium, aut etiam totius Collegii, & propterea licet ubi primo modo conſideretur major pars regulariter eſſe dicatur totum Collegium, profecto non idem dicitur cum attenditur reſpectus duarum partium, in hoc enim caſu major pars Collegium non facit, ſed Collegii vicem obtinet, & ita docet Gloſſa in cap. *inter Canonicos* de Electionibus in Verbo *Aliam* & ita accipi debet Compromiſſum factum in duas partes Collegii, quatenus dictæ partes a toto Collegio diſtinguuntur juxta quem modum loquitur prælaudatus canon *Cum dilectus*, ut ſcilicet major pars Collegii repræſentet integtum Collegium, quia ad Electionem procedere debet vice, & nomine totius Collegii in eo ſenſu; in quo etiam ſingularis Perſona de Collegio Collegium ipſum repræſentat, etſi Collegium non faciat; ideoque attenta hac explicatione in caſu noſtro Collegium in ſe ipſum non comptomitteret, cum major ejus pars vice omnium Electionem celebraret.

XVII. Facili negotio modo probatur eadem Compromiſſa Gregorianæ Conſtitutioni non eſſe contraria, nihil enim aliud per illam requiritur in hujuſmodi Electione præter unanimem omnium Cardinalium conſenſum, ita ut Compromiſſa fiant Cardinalium nemine diſſentiente, & revera hac conditione non carent Compromiſſa de quibus agitur. Supervancaneum ſiquidem eſt aſſerere Conſtitutiones omnes Juris Communis de Electionibus Prælatorum loquentes non habere locum in Electione Papali, quod eiſdem per hanc Decretalem derogetur, cum certum ſit tantum illas non eſſe attendendas, quibus per ipſam Gregorianam Conſtitutionem, & per jura nova de Electione Papæ loquentia fuit ſpecialiter derogatum, ut eruitur ex l. *Præcepimus* in fine Cod. *de appellat.*, ex l. *Sancimus* Cod. *de Teſtam.* ex cap. *cum expediat* de Electión. in 6. & ex aliis juribus, quæ paſſim citantur a DD. Quapropter ſi-

cut

cut non impugnantur in Electione aliorum Prælatorum hæc Compromiſſa, ut clarus eſt textus in laudato capite *cum expediat*, ita neque impugnari debent in Electione Papæ. Et ſane de jure communi ad Electionem Papæ duæ ex tribus partibus Cardinalium neceſſario requirebantur, ut habetur in cap. *licet de evitanda* de Electionibus, & hac in parte, nihil innovatum eſt per Gregorianam Conſtitutionem, cum hodie etiam hæ duæ partes requirantur, ſed nihilominus ab hac Decretali ſuſtinetur Electio celebrata a majori parte Collegii, ergo eadem ſuſtineri debet a Gregoriana Conſtitutione, tum quia Cardinales, hoc poſſunt ordinare concorditer, & tunc electus a majori parte, cenſebitur electus ab omnibus, ſicut ille, qui a Compromiſſariis eſt electus cap. *in cauſſis* eod. tit., & ex eadem Gregoriana Conſtitut., quæ hunc Caſum exprimit in §. *Majora itaque*, & in §. *quod ſi Electio*, in quibus locis eadem Poteſtas eligendi duobus, vel tribus de Collegio committitur. Si igitur fas eſt Cardinalibus eligendi poteſtatem committere duobus, vel tribus de Collegio, longe magis eiſdem fas erit eamdem poteſtatem committere majori parti ejuſdem Collegii, dummodo in hoc Actu Compromiſſi natura ſervetur, quod nimirum a Cardinalibus omnibus in Conclavi præſentibus fiat, eorum nemine diſſentiente. Si enim aliter fieret Compromiſſum, hoc eſt ſi duæ partes Collegii in aliquibus Cardinalibus compromitterent hac forma adjecta, ut Compromiſſarii Vota ſingulorum inquiſitis in Romanum Pontificem illum eligerent, in quem duæ partes Collegii conſentirent; tunc inquiri merito poſſet, utrum hæc Compromiſſi, & Electionis forma inficiaretur, ut communiter creditur, attenta Conſtitutione Gregoriana, an potius hæc ſuſtineri deberet, quemadmodum placuit pleriſque in Jure Canonico verſatiſſimis viris, qui eamdem Gregorianam Conſtitutionem, inquiunt, *hac in parte recipere interpretationem paſſivam a jure communi*, l. *Juris Gentium* §. *ſi paciſcor* ff. de Pactis, hoc fundamento, quod nihil minus a Gregoriana Conſtitutione in electione Papæ requiritur, quam requiratur a Jure Communi in Electione Prælatorum inferiorum, tamen Compromiſſum initum ab Eccleſiis inferioribus cum electione facta per conſenſum tantum majoris partis non inficiatur, ut notat Abbas in citato capite *cum expediat* verſu, *ſed numquid* ergo ſimiliter in Compromiſſo inito ſub expoſita forma ab Eccleſia Romana ſufficiet conſenſus duarum partium, & Papæ Electio ſubſtinebitur. Verum aut expoſitione indiget hæc poſterior opinio, ut nimirum Compromiſſarii Vota ſingulorum per ſecretum ſcrutinium inquirant; plurimum enim uniuſcujuſque ex Electoribus intereſt conſenſum ſuum explicare per ſecretum ſuffragium ob libertatem Electionis, ut legitur in Decreto Concilii Tridentini cap. 6. Seſſionis xxv. de Regular. aut certe [quod tutius arbitramur] Apoſtolicæ Sedis judicio hæc ſententia ſubmitti debet, ne in re tanta Gregorianæ Conſtitutioni aliquid de ſuo robore detrahatur.

Propoſitio II. *Cardinales in Conclavi præſentes, etſi licite compromittere in unum tantum ex Sacro Collegio non poſſint, valebit tamen ſi Compromiſſum ita erit abſolutum, & Papa electio non irritabitur.*

XVIII. Cum in præfata Conſtitutione Gregoriana, ubi agitur de Electione per viam Compromiſſi ſtatuatur = hoc aliter fieri non poſſe præter-

quam

Digitized by Google

quam ſi omnes, & ſinguli Cardinales in Conclavi præſentes nemine diſſenziente, aliqnibus ex eorumdem Collegio Cardinalium committant eligendi poteſtatem, ut vice omnium Eccleſiæ Catholicæ provideant de Paſtore = ſupervacanea videri poſſet hæc de qua nunc agitur Controverſia. Verum non omnino inutilis cenſenda eſt propter ea, quæ a Juris Interpretibus aſſeruntur, ut nihilo tamen ſecius firmetur aſſertum oppoſitum, & Compromiſſum quodcumque ſuſtineatur, ſive fiat in unum, ſive illud abſolvatur in plures.

XIX. Atque illo in primis argumento utuntur, quo ſibi perſuadent melius expediri electionem per unum, quam per plures propter naturam facilem ad diſſentiendum, quæ ratio inſinuatur in cap. *Cauſſam*, in cap. *inter Canonicos* de Electionibus, & in Decretali *Poſt Translationem* de Renunciationibus: nec eſt veriſimile, addunt, Papam aliter præcipere voluiſſe, & modum in illis Decretalibus traditum ſubvertere, quod luculentius confirmant Commentario Compoſtellæ in cap. *quia propter* n. 24., & Hoſtienſis in id. cap. n. 44. ubi confutans illorum opinionem, qui aſſerebant per hanc Decretalem: *Quia propter*, quæ pluraliter loquitur, fuiſſe correcta alia jura, inquit (*melius eſſe ne corrigantur, ut pluralitas in ſingularitatem reſolvatur, & uni committatur, quod pluribus committi poteſt ad evitandam diſcordiam*, ut habetur in cap. *Item placuit* de Arbitris; & demum innixi auctoritate Antonii de Roſſell., qui eamdem ſententiam tuetur, quam edidit de Poteſtate Papæ §. *Poſtquam ſatis diximus* ſub n. 6. verſ. *ſed in contrarium*. Accedit his Gregorianam Conſtitutionem in exhibenda regula Electionis Papæ per viam Compromiſſi convenire cum Decreto Generalis Concilii in laudato cap. *quia propter*, eademque verba, ex quibus potiſſimum hæc difficultas excita eſt, utrobique legi, & tamen non officere Conſtitutioni Generalis Concilii, quod poteſtas eligendi uni tantum committatur, ut a variis juribus conceditur, præcipue vero a cap. *cauſſam*, aliiſque nuper laudatis idque ut conſuleretur diutinæ vacationi Eccleſiarum, & Perſonatuum. Ergo eodem modo committi poterit uni ex Sacro Collegio facultas eligendi Papam cum propter eamdem rationem Gregoriana Conſtitutio ab eodem jure communi paſſivam poſſit interpretationem recipere cum lex nova, quæ in materia antiqua diſponit, limitationibus iiſdem ſubjiciatur, quas materia ab antiquis legibus recipit, lege *in Contractibus* §. *propterea* Cod. de non numerata pecunia.

XX. Sed in contrarium urget id quod dicitur in c. *prudentiam* §. 1. de Officio Delegati *integrum eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur*, & id quod legitur in capite *ſi tranſitus* 76. diſtinct., *magis conſulitur Eccleſia cum Electio plurimorum approbatur aſſenſu*, itemque illud, quod ſcribitur in capite *de quibus* 20. diſtinct. *quod a pluribus quæritur Sapientibus facilius invenitur*, juxta textum in lege ultima ad finem C. *de fidei Commiſſis: per ampliores homines perfectiſſima veritas revelatur*: quemadmodum ipſa Divina Scriptura teſtatur Proverb. 24., quæ ibi ſalutem ponit, ubi ſunt multa Conſilia. Unde factum videmus, quod cum agitur de Electione Papæ per Secreta ſchedularum ſuffragia, jura omnia hoc opus committant duabus ex tribus partibus Cardinalium, ſi vero eadem Electio fieri debeat per Compromiſſum, non aliter quam aliquibus de Collegio Cardinalium committitur hæc poteſtas. Eodem igitur modo quo derogari non poteſt juribus illis, quæ ſtatuunt primam Electionis formam; ita derogari

Digitized by Google

gari non poterit ceteris, quibus cavetur Compromiſſum illud, quod in unum tantum eſt initum, & propterea non licebit Cardinalibus Eccleſiæ Catholicæ hoc Compromiſſo providere.

XXI. Præterea neminem latet diverſimode eſſe judicandum in iis, de quibus in antiquis juribus aliquid invenimus expreſſum ac in ceteris, in quibus ab iisdem juribus nihil ſtatutum eſſe conſpicimus; & cum ante Gregorianam Conſtitutionem nullibi legatur, quod poteſtas eligendi Rom. Pontif. in unum transferri valeat, nihil nos cogit cur Gregoriana Conſtitutio in propria ſignificatione ſervari non debeat, cum præſertim Bulla Confirmatoria Cæremonialis adimat Sacro Collegio aliter judicandi, & interpretandi facultatem; hoc eſt pluralem numerum in ſingularem reſolvendi, quæ reſolutio ſi fieret, profecto abhorreret a proprietate Sermonis, ſenſumque verum, & naturalem intentionem, & affectum averteret, quod fieri non permittitur, cum repugnat mens diſponentis ex lege *cum quidam* C. *de Impub., & aliis ſubſtit.* ex lege *falſa demonſtratio* §. *finali* ff. *de Condit., & demonſtrat.*, & ex aliis juribus, quæ a DD. cumulantur. Et huc magis ſpectant ea, quæ ex Lapo, & Hoſtienſi proferuntur pronunciata: non eſſe veriſimile Papam unico illo verbo *aliquibus* voluiſſe prædicta jura ſubvertere; & melius eſſe, ut prædicta jura non corrigantur, quam ſi pluralitas in ſingularitatem reſolvatur. Quia certe vis maxima inferenda eſſet laudatis juribus, quæ quo ad hunc caſum nihil diſponunt circa Papæ Electionem per Compromiſſum, & quæ inter ſe contraria non ſunt; ita ut aliter conciliari non poſſint, niſi pluralis numerus in ſingularem reſolvatur. Hoc remedio opportune laudati DD. uſi ſunt in Electionibus inferiorum Prælatorum per Compromiſſum, ut jura inter ſe contraria, & repugnantia conciliarent, quorum exemplum habemus in memorato c. *cauſſam* in c. *inter Canonicos* de Election. in c. *poſt Translationem* de Renunciation., & in c. *quia propter*, idque præſtiterunt argumento capitis, *ut privilegia* de privilegiis ad evitanda inconvenientia; at in caſu noſtro Canones in ſuo robore, remanent etiam poſt Gregorianam Conſtitutionem, quoniam illorum diſpoſitio in Electione Papæ Caſum hunc non comprehendit, neque iniquum aliquid ſequitur, ubi plurale remaneat; imo utilius, & conſultius eſt Eccleſiæ Catholicæ, ut potius accipiatur in propria ſignificatione, ne poſtea ambigeretur de electione Summi Pontificis, in qua nullus mortalium Judex eſſe poteſt, quia nullus Superior, ſed ipſe per omnes, ut in Authent. de Eccleſ. tit. §. 1., & in communi DD. effato. Neque eſt timendum de natura facili ad diſſentiendum; huic enim periculo opportune providetur; imo & celeritati Electionis conſulitur per Compromiſſum in imparem Compromiſſariorum numerum ex lege *item ſi unus* §. *principaliter* ff. *de Arbitris*, & ut expreſſum late eſt in c. *in cauſſis*, in c. *cum Dilectus*, in c. *cum in jure* titulo de Electionibus, & ut uberius probant Juris Interpretes.

XXII. Etſi vero hæc dicta ſint ad oſtendendum non licere Cardinalibus compromittere in unum, ut penes ipſum tota ſit Electionis Papæ Poteſtas, inferre tamen non poſſumus invalidam futuram eſſe electionem, ſi hujuſmodi Compromiſſum perficiatur. Siquidem arbitramur, quod cum Gregorius inquit in ſua Bulla: *Aliquibus ex eorumdem Collegio Cardinalium &c.* noluerit verba hæc ad Electionis formam pertinere hoc fundamento, quia non reperiuntur in §. *quod ſi electio*, in quo ſubſtantialia Electionis perſtringun-

Digitized by Google

guntur, & decretum irritans ponitur: cumque hic caſus a Conſtitutione omnino omittatur procedendum erit juxta regulam, quæ eruitur ex c. *ſi quis Apoſtolica* 79. diſtinc., quæ ſtatuit jura loquentia de Electionibus inferiorum, locum habere in Electione Papæ, ſi aliter non reperiatur diſpoſitum; & propterea ſi diſpoſitio juris communis validam cognoſcit electionem, quam præſtitit ille unus, in quem eligendi poteſtatem Collegii membra tranſtulerunt, de validitate etiam Electionis Papæ ambigendum non erit, niſi aliud ab Apoſtolica Sede definiatur.

Propoſitio III. *In Perſonas extra Sacrum Collegium, dummodo ſint Clerici, licitum eſt Cardinalibus compromittere, & Electus ad Apoſtolatus Officium ab Univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habendus erit.*

XXIII. Neminem latet Collegio adſcribendam eſſe electionem, cum Electio fit per eos, in quos Collegium ipſum eligendi tranſtulit poteſtatem. Ex hoc tamen non ſequitur in quaslibet Perſonas Compromiſſum hoc ſuper Electione fieri poſſe, quæcumque illæ fuerint, etiam extraneæ, niſi fuerint Perſonæ Eccleſiaſticæ, cum Spiritualis actus, qualis eſt actus eligendi, transferri non poſſit in Laicum, cui obſequendi adeſt neceſſitas, non auctoritas imperandi, ſeu diſponendi de rebus Eccleſiaſticis, & ideo Electionibus Eccleſiaſticis intereſſe Laici nequeunt ex c. *cum terra*, c. *quiſquis*, c. *Meſſana* de Electionibus; neque ex vi alicujus Compoſitionis, aut pacti, hoc jus acquirere valent, quia pactiones omnes circa Spiritualia initæ, nullæ ſunt c. *cum pridem*, c. *finali* de pactis, c. *de cetero* de Tranſact. Ergo cum Spiritualia Laicorum judicio non diſponantur ex c. 2. de Judiciis, Jure Optimo Rom. Pontifices decreverunt, nec ratione compoſitionis jus eligendi Prælatum Laicos acquirere poſſe: & quamquam ex Eccleſiæ conceſſione jus habere poſſint præſentandi Prælatos in omnibus Eccleſiis proprii Juris Patronatus ex c. *piæ mentis* 16. q. 7. c. *relatum*, c. *quod autem*, c. *illud* de Jure Patronatus, & ex Trident. Seſſ. xiv. de Refor. c. 14. obſervandum tamen eſt, quod plurimum differt jus eligendi a jure præſentandi, illud enim eſt magis ſpirituale, quam iſtud, illud dirigitur proxime ad electum, ipſique jus tribuit, hoc ad Ordinarium refertur, a quo præſentatus omne jus per inſtitutionem aſſequitur. Per Electionem inter Electum, & Eccleſiam Spirituale matrimonium initiatur, quod non inchoatur per Præſentationem, ſed omne jus Spirituale ex inſtitutione Epiſcopi provenit: Per Electionem publicato ſcrutinio, Electo jus acquiritur, ut ejus conſenſus ſtatim requiratur. Secus vero in præſentatione, cum Patronus Laicus, etiam publicata præſentatione poſſit variare, alium præſentando ex citato c. *quod autem*, & nihil refert, quod præſentatus conſenſerit ante collationem, cum per hujuſmodi conſenſum nullum ipſi jus acquiratur. Secus vero dicendum de Laicis, qui aliorum nomine interſunt Spiritualibus actibus, ſcilicet qui tamquam Procuratores Beneficium acceptant pro Clerico, id enim illis a jure permittitur, quia in hoc non debent arbitrari, an Clericus ſit idoneus, ſed in Laico, qui ad hoc munus deſtinatur, nudum miniſterium conſideratur; at in electione Prælati, de idoneitate illius Laicus arbitrari deberet, quod omnino illi interdicitur in c. *contingit* de Arbitris. Laicus igitur non prohibetur, tamquam miniſter Spiritualia agere negotia, vel ut in jure dicitur Ar-

bitratoris gerere munus, ſed cavetur ne Arbiter inſtituatur, quod idem eſt rei Compromiſſarius, cui & illud poſſet accidere quod compromittentem eligeret, in quo caſu ſe ipſum eligeret, cum idem cenſeatur in hoc negotio Procurator, & Dominus, quo nihil iniquius affirmatur.

XXIV. Hoc itaque ſtatuto aperitur cauſa potiſſima quare a Juris interpretibus in hac controverſia ſit plurimum dubitatum, ita ut in varias Doctores abierint, & inter ſe oppoſitas opiniones. Pro prima ſententia reponuntur verba Gregorianæ Conſtitutionis in §. *matura itaque* in quibus ſtatuitur quod Compromiſſum fieri debeat in aliquos de Collegio, & decernitur quod Electio per Compromiſſum aliter fieri non poſſit; ita ut ſic loquendo Pontifex, non ſolum prohibeat, ſed adimat etiam potentiam, & facultatem, & actus ita celebratus omnino *ſit nullus, irritus, & de jure impoſſibilis*. Idque confirmatur ex ſententia Congregationis Concilii, quæ explicans verba Capitis 6. Seſs. xxiii. diſponentia neminem ante xiv. annum Beneficium obtinere poſſe cenſuit illa verba decernere quod nullus ante hanc ætatem beneficium aſſequatur, & proviſum de Beneficio fructus ſuos non facere etiam poſtquam pervenerit ad hanc ætatem, utpote qui illegitime ſit proviſus per actum, qui redditur nullus ipſo jure, cum aliquid prohibetur cum verbo *non poſſit*. Accedit his non immerito poſſe affirmari in prædictis verbis Gregorianæ Conſtitutionis præſcribi Compromiſſi formam, qua neglecta nullum eſſe debet Compromiſſum, & id eruitur ex diſpoſitione Legis inducentis Decretum irritans. Porro hujuſmodi decretum luculentiſſimum eſt in his verbis: *Electio aliter fieri non poſſet* quæ æquivalent his: *Electores impotentes ſunt ad eligendum*, non ſecus ac inhabiles eſſe dicuntur ii ad ſic contrahendum matrimonium, quorum matrimonia Clandeſtina irritantur a Tridentino Concilio in cap. 1. Seſſ. xxiv. de Reform. Matrimonii; Quemadmodum ergo Tridentinum Decretum formam ſubſtantialem inducit, a qua nulli licet recedere per Clandeſtium Contractum, ita etiam eamdem formam continent verba Bullæ Gregorianæ, cui pacto privatorum renunciari non poteſt, idque eo vel maxime, quod in eadem Conſtitutione appoſita eſt particula *ſi*: *Decernimus electionem aliter fieri non poſſe præter quam ſi omnes, & ſinguli Cardinales* &c. quæ particula natura ſua conditionem apponit, & per DD. formam ſubſtantialem, ut legitur apud Felinum Commentario in c. *cum dilecta* de Reſcriptis in 6.

XXV. Favent alteri Opinioni ea, quæ cumulantur, ab interpretibus utriuſque Juris ex c. *niſi cum pridem* de Renunciationibus ex l. *obbligari* ff. de Auctorit. Tutor., ex l. *Stipulatio iſta §. Alteri* ff. de Verbor. Obbligat. ut oſtendant quod etſi verbum *poteſt* precedente negatione regulariter uſurpetur ad oſtendendum ſubjectum privatum potentia, & ad reddendum actum de jure impoſſibilem, non tamen ita uſurpatur, ut hic ſenſus illi perpetuus ſit, etenim frequenter etiam uſurpatur ad exponendum id, quod fieri non debet, licet poſtea ſi factum fuerit ſuſtineatur. Et revera ſuſtinetur obbligatio a Pupillo pubertati proximo facta abſque Tutore in l. 1. ff. *de donation.* in l. *ſi pupillus* ff. *ad legem Falcid.* quamquam in citata l. *Obbligari* dicatur quod ſine auctoritate Tutoris obbligari non poſſit, quemadmodum ſuſtinetur ſtipulatio alteri facta, ut advertunt Bartolus in Lege *cum Lex* n. 6. ff. de *fide juſſor.* & Baldus in l *non dubium* n. 2. C. *de legibus*, & Romanus in cit. lege *ſtipulatio*; etiam ſi in hac decernatur quod ſtipulari alteri nemo poteſt. Unde videtur priorem interpretationem locum non habere quando hinc abſo-

nus

Digitized by Google

nus ſenſus non reſultaret c. *quanto* de præſumption. prout reſultaret in hoc caſu, ſi omnino, quæ in cit. §. *maturai*, aut præcipiuntur, aut prohibentur, ad ſubſtantiam, aut validitatem electionis pertinerent, eo quia res tanti ponderis uſque adeo difficultatibus involveretur, ut aliquando gravem pati poſſet Eccleſia ſciſſuram; & propterea non creditur ita voluiſſe Gregorium per verba, quæ leguntur in prædicto §. *matura* Electionem aliter fieri non poſſe, quam in Conclavi, & eo clauſo, ac poſt celebratum primo die ſolitum Miſſæ Sacrificium, ut ad validitatem Electionis præcedere debeat hæc Miſſæ celebratio, cum hæc conditio non repetatur in poſteriori paragrapho *Quod ſi Electio*, in quo Electionis forma proponitur cum decreto irritante; quod ſi hoc poſtremum requiſitum ad formam non pertinet, neque ad formam eamdem pertinere debent illa verba *aliquibus de Collegio* ex Lege *quamvis* C. de *impuber.* ex Lege *jam hoc jure* §. finali ff. *de Vulgar.* cum in his juribus ſtatuatur, quod una determinatio reſpiciens plura determinabilia debet illa æqualiter determinare. Dicendum itaque quod Papa voluit profecto illa obſervari, quæ decreverat in illo paragrapho *matura*, non tamen ita adamuſſim, ut ſi illorum aliquid omiſſum eſſet viriaretur Electio, ſed formam ſubſtantialem perſtrinxit in paragrapho *quod ſi electio*, tum ne videretur actum egiſſe, ſi hoc ipſum jam ſtatuiſſet in ſuperiori paragrapho; tum etiam ne ſi omnia, & ſingula, quæ in hac parte Conſtitutionis ſancita erant eſſent de ſubſtantia Electionis, ſequeretur quod nulla fere Electio validè celebraretur, cum vix fieri poſſet, ut in tot, & tam variis ordinationibus deffectus aliquis non contingeret.

XXVI. In tanto Sententiarum diſcrimine, quidnam certi ſtatuendum ſit tunc innoteſcet, cum Controverſiam diremerit Pontificium Oraculum; Quod ſi probabilitate Opinionis contenti ſumus, hanc poſtremam eligimus, quia ſatis oſtenditur non pertinere ad Electionis validitatem, & formam ut Compromiſſum fiat in aliquos de Collegio, cum in paragrapho *Quod ſi Electio* nulla habeatur mentio perſonarum, in quas fieri debeat Compromiſſum, ſed hoc unum ſtatuatur, quod Compromiſſum fiat ab omnibus Cardinalibus in Conclavi præſentibus, nemine diſſentieute. Neque aliam fuiſſe mentem Gregorii, ſe non obſcure intellexiſſe ait Fagnanus in c. *Cauſſam* de Electionibus, qui ante Conſtitutionis promulgationem in eo negotio diu, multumque laboravit, & qui argumenta ſuppeditavit, quibus alterutra confirmaretur ſententia.

§. III. De *Officialibus Curiæ Romanæ*.

Poſtremo hoc in loco de Officialibus Romanæ Curiæ Acturi, non ea omnia recenſere volumus, quæ ampliſſimi Operis argumentum ſuppeditarunt iis, qui hanc ſibi ſpartam ſumpſerunt; Nobis ſatis eſt materiam delibare, & de illis Officiis agere, quæ inter præcipua Cardinalium munera reputantur, & ad quæ Cardinales ipſi aſſumuntur, quod eorum cognitio maxime conducat ad elevandam Cardinalatus amplitudinem. Primo itaque agemus de Vicecancellario, ſecundo de Prodatorio, tertio de Pœnitentiario, quarto loco de Secretario Brevium, & ultimo de Cardinali Vicario.

De *Cancellario*.

XXVII. Licet *Cancellarius* apud veteres Scriptores accipiatur pro Notario, qui inter Cancellos conſiſtens Judicum litteras, Reſponſa, & Edicta ſcribebat, ut habetur in Edicto Archadii, & Theodoſii relato lib. 1. C. Theodoſ. in Capitularibus Caroli Magni lib. 3. c. 43. in Legibus Rituar. tit. 59. §. 11. Longobardorum lib. 2. tit. 55. & aliis in locis apud Gerardum Voſſium lib. 3. de Vitiis Sermonis c. 3. tamen in jure Canonico frequentius accipitur pro Dignitate Eccleſiaſtica, & illi qui hoc munere functi ſunt, ad Archiepiſcopalem, imo quandoque ad Papalem dignitatem fuere promoti, ut notum eſt in Joanne, qui in Papatu Paſchali ſucceſſit, cum antea fuiſſet Romanæ Eccleſiæ Cancellarius. Cancellarii munus olim exercuiſſe privatæ ſortis homines, ſed probitate, & eruditione ſpectatiſſimos, ſcriptores CL. Hincmarus. & Joannes a Chokier tradiderunt, additque Chokier ſub Bonifacio VIII. dignitatem hanc *uni ex Illuſtriſſimis Cardinalibus fuiſse tributam, idque ex congruentia rationis: & quoniam juſtitiæ regimen penes Cancellarium reſidebat, par erat munus illud commendare Perſonis illuſtribus, in quibus maxime excellunt, familiamque ducunt Illuſtriſſimi Cardinales*. Verum jam pridem invaluiſſe Cancellarii Officium in Eccleſia teſtantur ii, qui illius inventionem, & erectionem Innocentio III. attribuunt, aut antiquioribus ipſo Innocentio Pontificibus, & qui huic Officio fuiſſet præpoſitus, eum *Archicancellarium* poſteriores dixerunt, hodie vero Vice-Cancellarium appellant, non quaſi vices dumtaxat agat Cancellarii, ſed ad digniorem ſtatum ſignificandum, dignitatem nimirum illius Cardinalis, cui jure cujuſdam Commendationis Officium hoc adminiſtrare non incongrue eſt conceſsum, ut obſervat de Luca in Relat. Rom. Curiæ diſc. 10. Potiſſimum autem Vice-Cancellarii munus eo tendit, ut graviora Sedis Apoſtolicæ negotia publica, & ſolemnia, Conſiſtorialia nimirum, aliaque plurima ipſe videat, & proviſionem Papalem in libro materiarum Conſiſtorialium conſignet, ratumque faciat, ceteriſque miniſtris, quibus præeſt, nimirum Cancellario Regenti, aliiſque Prælatis de *Majori*, & *de minori Parco* nuncupatis a loco Cancellariæ, in quem conveniunt, committat reliqua, juxta quod ad ſuum unius cujuſquæ ſpectat Officium. Præcipuum Regentis Cancellariæ Officium eſt revidere expeditas, & promulgatas Bullas, & ſi quis error irrepſerit, eum corrigere, & ad Calcem reformatæ Bullæ manu ſua ſcribere; *correcta pro ut jacet*. Omitto alias ejuſdem Regentis Auctoritates, quia hæ legi poſsunt in ultima Regula Cancellariæ. Prælatorum de Majori Parco munus eſt juxta Signaturam a Pontifice factam, et Contra-Cedulam Cardinalis Vice-Cancellarii abbreviare Apoſtolicas litteras, unde nomen *Abbreviatoris* eiſdem eſt inditum; itemque Collegialiter convenire, ut dubia dirimant, ſi quæ irrepſerint ſuper earumdem litterarum formula, vel clauſulis, & Decretis in eis adjiciendis; e contra vero Prælati, qui de Minori Parco ſunt appellati in id unum intendunt, ut Bullæ ferantur & Prælatis de Maiori Parco tradantur, a quibus tandem ad Apoſtolicos ſcriptores expediuntur, ut juxta eorum formulas efformentur litteræ, quæ Bullæ dicuntur *cum Plumbo*, eodem modo quo per eiuſdem Cancellariæ ſcriptores, & Officiales aliæ conformantur litteræ ſuper proviſionibus aliorum Beneficiorum, nec non ſuper Apoſtolicis Diſpenſationibus, aliiſque Gratiis, &

Con-

Conceſſionibus, quæ fiunt extra Conſiſtorium, per Organum Datarii. Præter hos Officiales plures alii ſunt in eaden Cancellaria, qui Bullis revidendis, transſcribendis, plumbandis, regiſtrandis occupantur, de quibus ſingulis late agit nuper laudatus De Luca, qui omnes, vel in Annatis participant, vel in emolumentis, quæ pro litterarum expeditionibus ſolvuntur, & vulgo *Taxæ Cancellariæ Apoſtolicæ* nuncupantur, quarum ſeriem Joannes XXII. expoſuit in Extravaganti, quæ incipit; *Cum ad Sacroſanctam*, aliique Pontifices correxerunt.

Ita vero Cardinalis Vice-Cancellarius munus ſuum exequitur, ut in negotiis perficiendis a regulis illis nunquam recedat, quas Rom. Pontifices præſcripſerunt, quæ propterea *Regulæ Cancellariæ* vocari ſolent, inſtitute [quod notavit Gomeſius in Proemio ad eaſdem Regulas quæſt. 2.] ut Officiales Cancellariæ, per eas in litteris expediendis inſtruerentur. Harum Regularum uſus mortuo Pontifice ſuſpenditur, verum altera die ab ejuſdem Pontificis electione evulgantur iterum (novis nonnunquam additis, vel antiquis immutatis, vel etiam ſubinde aliquibus expunctis, vel omiſſis) & per Vice-Cancellarium in Cancellaria publicantur, ut Romanæ Cancellariæ directio conſtans, & firma perſeveret. Quod ſi earum uſus etiam extra Romanam Cancellariam extendatur, ideo hoc ſequitur, quia inter ipſas non nullæ reperiuntur, quæ Collationes Beneficiorum, aliaſque materias concernunt Eccleſiis omnibus communes, ut ii ſciunt, qui argumentum hoc pertractarunt.

De Cardinali Prodatario.

XXVIII. Datarii Officium haud poſſe dici antiquum in Romana Curia arbitratus eſt idem Cardinalis de Luca l. ſupra cit. diſc. 9. fortè quia, ut ipſe ait *Papa nihil, vel parum ſe ingerebat in illis negotiis, circa quæ pene totum Datarii munus hodie verſatur*, ut nempe ſunt Collationes Beneficiorum reſervatorum, vel affectorum, nec non reſervationes penſionum ſuper iiſdem, ac diſpenſationes Matrimoniales, aliæve diſpenſationes, puta ſuper natalibus, vel ſuper irregularitate, aut ſuper bigamia, vel ſuper ætate: his accenſentur Beneplacita Apoſtolica ſuper alienationibus bonorum Eccleſiæ, vel conceſſiones Officiorum venalium, & ſimilia, quæ omnia, moderna ſunt dictis antiquis temporibus incongrua. Hinc factum eſt quod Officium Datarii inter præcipua munia reputatum eſt, nec incongruum, ut jure cujuſdam commendationis per Cardinalem adminiſtraretur, qui propterea Cardinalis Prodatarius appellatus eſt per cujus manus tranſeunt omnes gratiæ, qui accuratiſſime conſiderat an gratia ſit concienda, vel deneganda, nam quamvis Papa concedat gratias, & non Datarius, nihilominus Papa ad illas concedendas, vel danegandas moveri ſolet ſecundum intentionem Datarii, cui deſuper rem totam commiſit, quique tam ante, quam poſt ſignatas ſupplicationes, in illis, & de illis, pro ut ratio ſuadet, addit, vel demit, quapropter Datarius merito dicitur *Organum mentis, & vocis Papæ*, & conſequenter ad hoc munus obeundum ſemper aſſumitur is, qui in magnis, & arduis negotiis verſatus, eximia probitate, fidelitate, ac maturitate Conſilii, ac præcipue Canonum, & Legum peritiſſimus exiſtat, ex eo quod omnia Apoſtolica Reſcripta continent ſuas clauſulas reſtrictivas, & limitationes, quæ eliciuntur ex viſceribus utriuſque juris; quin imo videmus quod Reſcripta, quan-

Digitized by Google

quantumvis gratioſa ſemper reducuntur ad diſpoſitionem juris communis inquantum fieri poteſt, juxta textum in l. *ſi quando* C. deJnoffic., teſtamen. Poſt Prodatarium aſſumuntur etiam Reviſores ſupplicationum, non aliter enim quam per ſupplicationem impetrantur quævis Apoſtolicæ Gratiæ, quæ tranſeunt per Datariam, ut Stilus, & obſervantia Rom. Curiæ teſtantur, alias tamquam ſuſpectæ de falſitate rejiciuntur, qui Reviſores ſaltem longo uſu, & exercitatione in Rom. Curiæ, præſertim Datariæ negotiis, maxime verſati exiſtunt, & hi duo ſunt, *Primus*, ſcilicet, & *Secundus* nuncupati, qui omnibus ſupplicationibus, etiam manu Papæ ſignatis, ipſas Clauſulas reſtrictivas, ac decteta materiæ convenientia addunt, & ex eis ſi opus eſt detrahunt, & parvam Datam ponunt, & ſi materia ſupplicationis ſit ſubjecta juribus Componendæ, ad illum deferunt, qui *Componendæ Officialis*, vel *Adminiſtrator* eſt, & ibi ſolvitur Compoſitio, qua ſoluta ipſa ſupplicatio revertitur ad Prodatarium, ut in ea apponat magnam Datam, & poſtea traditur Officiali, qui dicitur *Miſſus*, eo quod mittat Signaturas ad Regiſtrum: tum demum relinquitur Expeditoribus ut per Officiales Cancellariæ expediantur Litteræ, ſine quibus ſupplicationes, quamvis perfectæ, & regiſtratæ non ſuffragantur impetrantibus, juxta Regulam 26. *de non judicando juxta formam ſupplicationum, ſed Litterarum expeditarum*, niſi forte ſupplicatio produceretur pro declaratione Litterarum, ut ad probandum circumſtantias, & qualitates Gratiæ, utrum ſcilicet per verbum *fiat*, aut per verbum *Conceſſum* eſſet obtenta, cum illa huic præferatur, ſi eodem die ſignatura ſit impetrata, juxta Regulam Cancellariæ, quæ eſt 34. ut norunt ii, qui praxim habent Curiæ Romanæ.

De Cardinali Pœnitentiario.

XXIX. Jnter Coadjutores, & Vicarios Epiſcoporum olim fuere Presbyteri, qui excipiendis Confeſſionibus, & imponendis Pœnitentiis vices Epiſcopi ſupplebant, ſalva tamen ipſa Epiſcoporum auctoritate, ita ut liberum eſſet ad ipſos Epiſcopos recurrere, ac omiſſis deſignatis Confeſſariis Conſcientiam ipſis aperire, quod cum non infrequenter contingeret, & non ſine maximo Paſtoralis ſolicitudinis incommodo, nominare coeperunt virum prudentia, eruditione, ac pietate præſtantiorem, ad quem tamquam ad Epiſcopum omnibus pateret acceſſus, & hunc *Pænitentiarum Generalem* appellarunt, quem ſimiliter Confeſſarii, & Pœnitentiarii inferiores in caſibus dubiis poſſent conſulere, & ad quem tamquam ad Epiſcopum graviorum criminum abſolutio, & pœnitentiæ impoſitio referrentur. Idipſum etiam præſtiterunt Rom: Pontifices tunc cum plurium criminum abſolutiones, a Cenſuris præſertim, ab Excommunicatione ob percuſſionem Clerici, diſpenſationes item votorum, & irregularitatum, ex cauſſa homicidii, vel illegitimationis natalium, aut alterius defectus, Canonicorum quoque impedimentorum relaxationes, & revali dationes ſimoniacarum proviſionum ad ipſam ſedem Apoſtolicam reſervarunt, cumque non ita facilis eſſet acceſſus ad ipſum Apoſtolicum, quod major, & frequentior pro iis obtinendis eſſet neceſſitas, primum Poenitentiario ſuo omnia commiſerunt examinanda, & decidenda, ut tam in foro externo, quam interno illius valeret, vel diſpenſatio, vel abſolutio, deinde vero anno ſcilicet 1562. forum internum ab externo ſeparantes, pro foro externo ad Datarium recurrendum eſſe dixerunt, & pro foro interno ad Pœnitentiarum, & utriu-

& utriuſque effectum diverſum eſſe voluerunt, ut Pœnitentiarius ea, quæ animarum ſalutem præcipue concernunt attentiore ſtudio proſequeretur; idque ut fieret expeditius alios Officiales adjunxerunt, qui unum quaſi cum ipſo Pœnitentiario Tribunal conſtituerent, quod *Pœnitentiaria* nuncupatur. Primus Pœnitentiariæ Miniſter eſt *Major Pœnitentiarius*, qui ex Conſtitutione Pii V. Presbyter eſſe debet, Magiſter in Theologia, ſeu Decretorum Doctor. Vocatur Major ad differentiam aliorum, qui Pœnitentiarii Minores dicuntur ex diverſis Religionibus ad hoc munus aſſumpti, ex Ordine ſcilicet Minor. Obſervantium Reformatorum, ex Ordine Prædicatorum, ex Patribus Societatis, & qui in omnibus pertinentibus ad hoc munus Majoris Pœnitentiarii Viſitationi, & Correctioni ſubjiciuntur. Alter Officialis vocatur *Regens Pœnitentiariæ*, & alter appellatur *Datarius*. Adſunt præterea tres *Procuratores*, ſeu Secretarii, & duo *Conſultores*. Adeſt etiam unus *Sigillator*, unus *Reviſor*, & tres Scriptores, ſingulique juramento interpoſito promittunt, ſe fideliter Officium ſuum præſtituros, ut obſervant Marcus Leo in Praxi Pœnitentiariæ, & Cardinalis de Luca. Ex his Major Pœnitentiarius, qui ſemper eſt Cardinalis ſemel quolibet menſe, & ſæpius ſi neceſſitas poſcat, ſuos convocat Officiales una cum Procuratoribus, ſeu Secretariis per Capellanum ejuſdem Pœnitentiariæ, quæ convocatio appellatur *Signatura Pœnitentiariæ*, eo quod ſpectantibus M. Pœnitentiario, prædictiſque Officialibus Memorialia ſignentur a D. Regente; illorumque interventu graviores caſus a prædictis Procuratoribus de mandato ipſius D. Regentis propoſitos diſcutit, & cum eorum voto gratias concedit, vel negat; quod ſi dubium occurrat de poteſtate diſpenſandi M. Pœnitentiarius, ant Regens Pontificem conſulit, & ad deliberandum ſentit Oraculum, quo audito ſub nomine Pœnitentiarii M. expediuntur litteræ, committendo aliquem in partibus, qui eaſdem exequatur, nihilque prorſus pro earum conceſſione, & expeditione, nec alias etiam pro Charta, Attramento, Cera, Capſula, Cordulis, aliiſque rebus ad ipſam expeditionem pertinentibus exſolvendum eſſe Pius V. decrevit in Bulla, quæ incipit: *In omnibus* 83. in Bullario Rom., nequidem mercedis Procuratorum, & Scriptorum, ut monet De Luca.

Porro quod ſpectat ad Privilegia M. Pœnitentiarii notatur, quod eidem inter ceteras facultates, ampliſſime quoque conceditur poſſe diſpenſare in occultis, quamquam agatur de homicidio voluntario, & revalidandi titulos Beneficiorum, etiam in Concurſu obtentorum ab inhabili ob Cenſuram, vel Miniſtrationem in Cenſura, licet Curata ſint, dummodo non agatur de alicujus præjudicio juxta præſcriptum Urbani VIII. in ſuá Bulla, quæ incipit: *Regimini Univerſalis Eccleſiæ*, at ſecus eſt, quando inhabilitas provenit ex aliis defectibus, quia tunc non reperitur data M. Pœnitentiario expreſſa facultas revalidandi titulos Parochialium in Concurſu obtentarum, quod facultas diſpenſandi in uno caſu, non extendatur ad alium ſub lata ſignificatione verborum non comprehenſum, etiamſi in illo ſit major ratio, quam in expreſſo, quia exorbitantia a Jure Communi non ſunt extendenda de uno in aliud c. *quæ a jure* de Reg. Juris in 6. Super his tamen obſervandum eſt, quod quando M. Pœnitentiarius revalidat titulos Parochialium in Concurſu, quo ad inabiles ex Cenſura, vel Cenſuræ violatione, non apponit illam Clauſulam: *fiet poſtquam ſatisfecerit &c.* quia ſpecialem habet facultatem ex Oraculo Pauli V., at ſecus eſt quando inhabilitas provenit ex aliis defe-

defectibos, quia tunc non reperitor hæc expreſſa facoltas, qoapropter neceſſaria eſt hæc Clauſula, quæ excludit præjudicium Competitorum; & idem dicendum eſt, quo ad neceſſitatem hujus Clauſulæ apponendæ, cum M. Pœnitentiarius revalidat titulos Parochialium in Concurſu obtentarum, quia tunc nulli ſit præjudicium.

Eidem M. Pœnitentiario conceditur poſſe legitimare prolem, & condonare Puellis violatis Dotes obtentas a Confraternitatibus in præjudicium Virginum ex Oraculo Pauli V. contra regulam *de jure quæſito non tollendo*, cui regulæ laudati Pontifices in his tantum caſibus occurrerunt, & eo magis, quod hujuſmodi præjudicia omnino incerta ſunt, & eventitia, de quibus Sacra Pœnitentiaria non curat. Dixi *in bis tantum Caſibus*, quia Urbanus VIII. in ſua Bulla *Regimini*, dum in occultis tribuit M Pœnitentiario facultatem condonandi fructus male perceptos, ſimiliter adjecit clauſulam *ſine præjudicio illorum, quibus diſtributiones accreſcere, vel decreſcere debent*; & ita fieri debet interpretatio facultatum poſt laudatam regulam de jure quæſito non tollendo, cujus debet nominatim fieri mentio, ut eidem derogatur ex communi ſententia Canoniſtarum.

Eidem M. Pœnitentiario conceditor diſpenſare cum iis, qui per adolterium ſe carnaliter cognoverunt, & ut matrimonium inter ſe contrahere poſſint, licet uterque in Mariti Oratoris mortem cum effectu conſpiraverit dummodo crimen omnino occultum ſit, & plane ignoretur, quod illius mors inde ſecuta ſit.

Permittitor item eidem M. Pœnitentiario, ut hæretici, qui cum nemine de ſuis hæreſibus loqvuti ſunt, neque aliquem actum anteriorem fecerunt, unde argui poſſint hæretici, quorum denique hæreſes nulli prorſus, niſi ſibi ipſis notæ ſunt, aliis vero omnino occultæ, ſi petant abſolvi, in Foro Conſcientiæ tantum, poſſe eos abſolvere, abſque alia abjuratione coram Ordioario, & Inquiſitoribus facienda, item etſi feciſſent aliquos actus, ex quibus argui poſſent hæretici, ſi tamen hujuſmodi actus adhuc remaneant occulti, quia nullus qoantum ipſi ſciunt advertit, licet ſui natura advetti potuiſſent. ſeu de facili ad aliorum cognitionem pervenire. Alia Privilegia M. Pœnitêntiario conceſſa videri poſſunt, tom apud laudatos Auctores, tum apud ceteros, qui Pœnitentiariæ Praxim ſuis Commentariis illuſtrarunt.

De Cardinali Secretario Brevium.

XXX. Vice-Cancellarius, antiquitus Papæ Secretarius fuit, immutata deinde Romanæ Curiæ forma, Officia ipſa variari cœperunt, & excreſcentibus negotiis plores conſtituti ſunt Secretarii, etſi non ſinguli in Ordine Hierarchico Officialium, aut Magiſtratuum Papæ reperiantur. Inter hos igitur præcipui fuere, & adhoc ſunt *Secretarius Status*, *&* *Secretarius Brevium*, quorum ille, ut ſcribit De Luca l. c. ſecundum locum occupare videtur in iis, quæ concernunt politicam, ac etiam in parte civilem utriuſque Status adminiſtrationem, hic vero tantæ auctoritatis eſt, ut per illius Organum expediantur Litteræ Apoſtolicæ, quæ dicontur *in forma Brevis* ſignatæ, ad differentiam aliarum Litterarum, quæ ſub plumbo expediuntur per Organum Cancellariæ, & quæ vocantur *Bullæ*. Pro peculiari tamen hujus rei explicatione ſc iendum eſt Litterarum Apoſtolicarum uſum ad Beneficia paulatim cœpiſſe, & progreſſu temporis maxime invaluiſſe, quibus juſtis ex caoſſis Rom. Ponti-

Pontificibus juſtum, æquumque viſum fuit neceſſitatem conferendi Beneficia Ordinariis collatoribus imponere. Quandiu enim Epiſcopi diligentes admodum in munere ſibi commiſſo fuerunt, ſingulis fuit ſervata ſua Juriſdictio, ſed cum poſtea ipſi cœpiſſent abuti poteſtate conferendi Beneficia, qua ex Pontificis conceſſione in ſuis Epiſcopatibus gaudebant, eorum negligentia circa collationem in perſonas non idoneas, omiſſis dignioribus, fuit correcta. Cœperunt ergo Clerici conqueri apud Rom. Pontificem, qui in gratiam ipſorum cœpit etiam excitare Epiſcoporum negligentiam ſub Litteris ad Beneficia vacantia, ſeu vacatura conceſſis, & ſub Alexandro III. id genus proviſionum valde uſitatum fuiſſe, ſatis ſuperque notum eſt ex variis ejuſdem Epiſtolis, quæ in Jure Canonico referuntur, & præſertim ex Epiſtola 43. apud Sirmondum in calce Epiſtolæ Petri Cellenſis, ut obſervarunt Florens, & Joannes Acoſta in ſuis Commentariis ſub titulo *de Reſcriptis*. Hinc triplex illud Litterarum Apoſtolicarum genus prodiit *Monitoriarum*, *Præceptoriarum*, *& Executorialium*, quibus Epiſcopi, vel monebantur, vel ſtrictius obligabantur, aut cogebantur illis conferre Beneficia, ſi quæ tunc vacarent, vel eſſent proxime vacatura ad eorum collationem ſpectantia, qui gratiam impetraverant. Sed cum Ordinarii Collatores his Litteris ægre obtemperarent, & aliis quam Impetratoribus, pro quibus ſcriptum erat, non infrequenter conferebant, nam illæ Litteræ, non ita Ordinarios ligabant, ut in contrarium facta collatio irrita, vel nulla eſſet, niſi clauſula irritans fuiſſet appoſita, vel niſi Impetrator in Eccleſia, in qua expectabat Præbendam fuiſſet, vel in Canonicum receptus, ſucceſſit in locum harum Litterarum uſus *mandatorum*, quæ ſtrictius ipſos Ordinarios obſtringunt adhibitis etiam Exequutoribus, quibus poteſtatem concedit Pontifex conferendi Beneficium, ſi Ordinarius negligat, vel renuat conferre poſt præſentationem mandati legitime, & ſuo tempore factam, Beneficiumque adeo eſt Impetranti affectum, ut alii conferri non poſſit. Ad expeditionem itaque harum Litterarum commendabile inolevit inſtitutum erigendi Collegium Secretariorum Apoſtolicorum, qui has partes explerent, & horum unus *Secretarius Brevium* nuncupatur, in quo magna eſſe debet peritia Canonum, Conciliorum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum, nec non Sedis Apoſtolicæ, & Curiæ uſuum; ne contingat concedi ea, quæ non debent, nec ſolent: Idcirco Rom. Pontifices quandoque ad explendum hoc munus aſſumere conſueverunt unum ex eodem Collegio Secretariorum, quandoque alterum, & Cardinali etiam, ut modo in uſu eſt, hujus muneris exercitium commendarunt. Per hunc itaque Secretarium expediuntur Beneplacita Apoſtolica ſuper alienationibus bonorum Eccleſiæ infra ſummam x. ducatorum, diſpenſationes etiam ſuper ætate Ordinandorum, vel ſuper interſtitiis, aut ſuper defectu natalium, Indulgentiæ, & quamplures aliæ gratiæ, etiam in gravioribus, & primi Ordinis negotiis, ut notat De Luca l. c. diſcur. 7. nempe Indulta, quæ conceduntur Regibus, Principibus, Cardinalibus Legatis; ac Nunciis Apoſtolicis, nec non dignitates, vel tituli Sæculares Principum, Ducum, & Marchionum, & Comitum, & Magiſtratus, & Officia tam Eccleſiaſtica, quam Sæcularia, & tam civilia, quam militaria, nec non abolitiones delictorum, & aliæ gratiæ, vel diſpenſationes, & omnia demum ea, quæ per Papam conceſſa ex Regulis Cancellariæ, vel ex Stylo non exigunt neceſſitatem Litterarum ſub Plumbo per viam Cancellariæ; quamquam in his etiam Caſibus

expediri ſoleant iſtæ Litteræ in forma Brevis ſub anulo Piſcatoris ad certum effectum proviſionalem, adipiſcendi ſcilicet Poſſeſſionem nomine Cameræ, etiam Litteris non expeditis ſub Plumbo, quia nempe expediat, ex pluribus reſpectibus pro caſuum qualitate per aliquod tempus earumdem expeditionem differre.

Facile modo ex his, quæ diximus eruitur diſcrimen illud, quod reperitur inter Litteras, quæ expediuntur *in forma Brevis*, & illas, quæ expediri dicuntur *ſub Plumbo*. Diſcrimen autem in hoc conſiſtit, quod Breve Apoſtolicum ſit modica Scriptura in parvis conceſſa negotiis, in papyro frequenter ſcribi ſolita, rubra cera, anuloque Piſcatoris ſigillata, ac ſigno Secretarii ſubſcripta. Bullæ vero ſunt ipſæ Litteræ Pontificum plumbeo Sigillo notatæ, eorum Decreta continentes, quod ſigillum pendet ex Cordulis Sericis, ſi ſit Bulla gratioſa, ſi vero ſit Juſtitiæ ex filo Canuabis. Expediuntur autem per has Litteras ſub Plumbo graviora negotia, videlicet Proviſiones Eccleſiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, aliarumque Dignitatum, & Beneficiorum Sæcularium, & aliquorum Regularium, ac etiam nonnullorum Officiorum Vacabilium, vel non Vacabilium Romanæ Curiæ: prout etiam Diſpenſationes Matrimoniales, & Beneplacita Apoſtolica ſuper majoribus alienationibus, aliiſque commutationibus bonorum, & Jurium Eccleſiæ, ut aliquæ diſpenſationes ſuper Bigamia, ſuper publica Irregularitate, ſeu legitimis natalibus, pro Beneficiis, & Dignitatibus, aut ſuper Penſionibus Eccleſiaſticis, & cum ſimilibus: Imo ſi Breve (ut ſupra diximus) expeditum ſit de capienda Poſſeſſione nomine Cameræ, hujuſmodi Breve non eximit ab obligatione expediendi has litteras ſub plumbo, ſed potius expreſſe ad id obligat ſub Decreto irritante gratiam infra terminum ſex menſium.

Vetuſtiſſima Diplomata Plumbo obſignata, quæ in Archivio Caſtri S. Angeli Romæ aſſervantur in papyro, & frutice confecta præſeferunt tempora Leonis I. Gregorii Magni, ac Sergii; non eſt itaque audiendus Polydorus Virgilius, qui in lib. 8. de Inventoribus Rerum cap. 2. ſcripſit: *Stephanum III.: & deinde Hadrianum I. Tabulas Apoſtolicas Plumbo obſignaſſe Anno Salutis* 772. Antiquitus in hoc Plombo nomen Pontificis tantum legebatur, illius ſcilicet, cujus Litteræ obſignabantur, ſed ab Hadriano IV. imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli inveniuntur in hoc Plumbo impreſſæ. Annulus Piſcatoris per ipſum met Papam cuſtoditur, ſive per magis intimum, probatæ fidei familiarem, cumque illius impreſſio in cera rubra facile deleri poſſit, & ab ipſo Brevi amoveri: hinc pro certitudine expeditionis proviſum eſt, ut ejuſdem Brevis minutæ, ſeu Matrices manu ipſius Papæ ſubſcribantur, & per Secretarium conſerventur pro identitate Gratiæ, & ſuis ſtatutis temporibus in Archivio Apoſtolico diligenter cuſtodiantur. Quod ſi Breve aliquod exhibeatur, cujus Sigillum aliud præſeferat, quam formam Annuli Piſcatoris, id verbo tenus *Breve* appellabitur; ſiquidem Litteræ erunt, quæ a Tribunali Pœnitentiariæ expediuntur, ut plurimum pro Foro interno, aut erunt Citationes ſub Sigillo, quæ veniunt de Romana Curia, ſeu Monitoria Auditoria Cameræ, ſeu inhibitiones Rotæ, aliorumque Tribunalium, quæ omnia extra Italiam, quandoque Brevia, quandoque Litteras Apoſtolicas nuncupari Creſcent. teſtatur Deciſ. 2. n. 3. *de Officio, & Poteſtate Judicis Deleg.* perperam tamen propter maximam, quam in ſe continent ab Apolicis Litteris varietatem.

De

De Cardinali Vicario.

XXXI. Vicarium Pontificis olim fuiſſe Epiſcopum, & non Cardinalem pluribus oſtendit Cohel in notis Cardin. c. 55., & ſolum a temporibus Pauli IV., munus hoc Cardinali fuiſſe demandatum. Non inficiamur tamen etiam multo ante hunc Pontificem inveniri aliquem ex Cardinalibus hoc titulo fuiſſe inſignitum, & id conſtat ex cap. *dilectus filius* de Exceſſibus Prælatorum. Verum etiam conſtat hunc Cardinalem, qui in hac Decretali appellatur *Vicarius* fuiſſe Vicarium quemdam ab Honorio III. creatum pro eo tempore, quo ipſe Pontifex Reatæ permanſit. Ita vero modo ad id munus exequendum aſſumitur Cardinalis, ut in dicto Statu Cardinalitio, & perpetuo conſtitutum ſit hoc Officium, & exinde magna in exiſtimatione fuit, ut ſunt reliqua Officia, de quibus actum eſt ſupra. Porro hic Vicarius ad Papam refertur, non veluti ad Paſtorem Univerſalis Eccleſiæ, ſed ad Papam tamquam Epiſcopum Urbis, qui ab eodem reppræſentatur. Quod pertinet ad Juriſdictionem hujus Vicarii, hic utraque pollet, Ordinaria ſcilicet, & Delegata, & hanc illi impertiuntur, tum Apoſtolicæ Conſtitutiones, tum Tridentinum Concilium in ordine ad Eccleſias, & Perſonas exemptas Regulares, & Sæculares in iis, quæ ſpectant ad Curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, ſive Eccleſiaſticam immunitatem. Cum Juriſdictione itaque Ordinaria ea omnia gerit, quæ quilibet Epiſcopus, vel Ordinarius gerit in ſua Diœceſi, etiam cum Sæcularibus in Cauſſis mixti Fori, & in aliis, ſi Epiſcopi forum ſit competens, vel prorogari Juriſdictio poſſit, & hæc omnia agit intra ambitum 40. milliarum, niſi illi a Papa negotia perficienda committantur, etiam cum non Subditis, ex quo accidit, quod ſua præcepta, etiam ad illos dirigat, qui cum reſidere teneantur in ſuis Beneficiis, morantur in Urbe, & præſidet Examini Concurrentium in Urbe, etiam extra diſtrictum. Cardinali Vicario hæc duo non permittuntur, nimirum ut ſit Viſitator Generalis Diœceſis, & Civitatis, & quod habeat Collationem Beneficiorum; nam horum alterum facit Papa per Organum Congregationis, quæ *Apoſtolicæ Viſitationis* appellatur, alterum vero per Organum Datariæ, ut dictum eſt. Hoc tamen facit Cardinalis Vicarius, quod ſi agatur de Eccleſiis Parochialibus, quæ provideri debent per concurſum, illi competit præelectio dignioris, eodemque jure gaudet in iis Concurſibus, qui fiunt, ut provideantur Vicariæ Perpetuæ aliquarum Collegiatarum Urbis, licet earum Proviſio fieri debeat per Datariam ad nominationem Cardinalis Titularis, vel Capituli. Neque deſunt Cardinali Vicario Coadiutores, ſive Miniſtri, ex quibus illius Curia conſtituitur, & primus eſt *Vices gerens*, qui debet eſſe Epiſcopus propter Epiſcopalia munera, quæ tenetur obire, gaudet etiam utraque Juriſdictione Ordinaria, & Delegatâ in omnibus cauſſis Civilibus, Criminalibus, & mixtis, & reliqua alia gerit, quæ ageret Vicarius Generalis alicujus Epiſcopi. Præter hunc, habet inſuper tres alios Vicarios, unum pro cognitione Cauſſarum Civilium, & eſt *Prælatus Signaturæ*; alterum pro cognitione Cauſſarum Criminalium, & *Locum tenens* appellatur; & poſtremo Deputatum pro regimine Monialium. Habet demum Secretarium, & ſinguli interſunt Congregationi, quæ ſemel fit in hebdomada. Jam vero nemo ſit, qui arbitretur ea, quæ diximus de ampliſſimo Romanæ Eccleſiæ Senatu, om-

nia complecti, quæ dici poſſunt ad extollendam illius excellentiam, majeſtatemque. Nullus eſt, qui aut dicendo, aut ſcribendo hoc poſſit perficere; Nos ſumma tantum rerum capita attigiſſe, idque etiam leviſſime profitemur hac mente, ut pauca adderemus iis, quæ expoſuimus, utpote quæ verſantur circa Regimen Univerſalis Eccleſiæ, in quo præcipuas partes habent Eminentiſſimi Cardinales, in quibus ideo tot eximias Dotes tametſi dumtaxat Diaconis, poſteriora Concilia, & Pontifices deſiderarunt, ut patet ex Decreto Tridentini Concilii, quod legitur in Seſſione XXIV. cap. 1. de Reformatione.

CAPUT V.

DE CANONICIS COLLEGIATARUM, ET CATHEDRALIUM ECCLESIARUM.

Alterum genus eorum, qui conjunctim in Hierarchia ſtrictè ſumpta ponuntur, & Juriſdictionis uſum communem habent cum illis, quibus Hierarchicus Principatus conceditur ſunt Canonici, qui cum Epiſcopis ſuis propriam exerunt in ſubditos Epiſcopo Juriſdictionem. Alibi diximus eam ſemper a temporibus Apoſtolorum fuiſſe Eccleſiæ Diſciplinam, ut non dedignarentur Epiſcopi Presbyteros, alioſque inferiores miniſtros ſibi adſcire, quorum opera, & conſilio uterentur. Hinc ortum habuit Presbyterium illud quod S. Ignatius epiſtola ad Trallian. *Conſiſtorium Sacrum* appellat, & *Senatum* vocat Hieronymus in c. 3. Iſaiæ, hortaturque S. Cyprianus, ut ipſo propter Perſecutionem abſente, vices ſuas fungatur in iis, *quæ adminiſtratio religioſa depoſcit*; & quod mortuo Fabiano Pontifice ad eumdem Cyprianum ſcribit: *Omnes nos decet pro corpore totius Eccleſiæ, cujus per varias quaſque Provincias membra digeſta ſunt, excubare*. Verum excreſcente Presbyterorum, atque inferiorum Clericorum Ordine, e pluribus nonnullos elegerunt Epiſcopi, qui ſibi tamquam Conſiliarii, & Aſſeſſores aſſiſterent, quos *Canonicos Cathedrales*, Cathedræ ſcilicet Epiſcopali propius adhærentes, ætas poſterior appellavit, iique una cum Epiſcopo, tamquam capite, Corpus unum conſtituentes in majoribus Eccleſiæ negotiis conſilio, & opera Epiſcopis aderant, & illis abſentibus, vel mortuis pro Corpore totius Dioeceſis excubabant. De præcipuo itaque hoc Canonicorum munere in præſenti capite agemus, iis non neglectis, quæ eorum antiquam inſtitutionem præſeferunt, & formam, quam in eiſdem invexit recens Eccleſiæ Diſciplina.

§. I. *Canonicorum Nomen, tum antiquus eorum ſtatus exponitur, & inviolata Profeſſio cum Diſciplinæ exterioris mutatione.*

II. Eccleſiaſticarum regularum, & Sacrorum Canonum obſervantiam Clericis omnibus olim fuiſſe imperatam Carthaginenſis III. & Toletana IV. Synodus tradiderunt, ex quo poſtea factum eſt, quod Clericorum ſtatus, *Vita Canonica, Inſtitutio Canonica, Religio Canonica* appellaretur, & *Canonici* dicerentur illi Clerici, qui ſecundum Canones viverent, ceterique omnes *non Canonici*, qui a præſcriptis regulis deviarent. Horum autem cum major exurgeret numerus, paucique reliqui ſupereſſent, poſterioris nominis ignominiam ægre ferens Eccleſia, primum illud retinuit, ut ad exactiorem eorumdem Canonum obſervantiam, ſe ſe excitari ii intelligerent, a quibus nomen ſuum derivarunt. Nec aliam certe fuiſſe hujus nominis Etymologiam Ivo Carno-

tea-

tenſis Epiſcopus epiſtola 69. & Rodulphus Canonicus Tungrenſis lib. de Canon. obſervant. prop. 3. obſervarunt. Hi enim contendentes Canonicos, & Confratres ſuos ad vitæ integritatem, & ſedulam Canonum cuſtodiam inducere ita eoſdem alloquebantur: *Cum Sacri Canones ſunt cuſtodiendi, apud vos, qui ab illis Græce Canonicorum nomen vindicaſtis a S. Romana Eccleſia depoſiti ſunt, non tradentis, ſed recipientis gratia*, neque aliter ſenſit Dionyſius Carthuſianus, cum in Tractatu de vita Canonicorum cap. 4. ſcripſit: *Vocantur Canonici quoniam regularem & rectam tenentur ducere vitam, vitiorumque obliquitates vitando, ſinceriter gradiri juxta præfixa eis a SS. PP. ſtatuta, ut ita reſpondeat eorum vita titulo, reſpondeat nomini, & ſit re ipſa, ut ſunt nomine Canonici, ideſt Canonicarum regularum ceteris arctius ſponſores*. Clerici ergo Canonici dicuntur, ab ipſa Canonum exactiore cuſtodia, ſeu ab ipſa profeſſione, quæ exactiorem Canonum obſervantiam, dum in Canonicos recipiuntur, profiteri cenſentur, non vero a penſione, vel præſtatione, quæ illis ſingulis annis ex Eccleſiæ fructibus perſolvatur, ut id aſſerere aliquibus viſum eſt; etſi enim ſignificatio illa Canonis apud D. Auguſtinum agnoſcatur, & apud Juris Conſultos frequentiſſime reperiatur, apud quos legitur *canon aurarius, canon delegationis, canon frumentarius Urbis Romæ, canon arbicarius* &c. Canonica item veſtis, canonicus equus, canonica penſitatio, & Canonicarii dicerentur ii, qui hujuſmodi canones ſolerent reciperes, ut legitur in epiſtola ſcripta Joanni Canonicario Thuſciæ, & Canonicario Venetiarum, quæ extat in Caſſiodori Variarum Lectionum libris libro 11. & 12. ſcite nihilominus monet Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus neminem ſani capitis dubitare, quin Canonicus nomen ſit Officii, Operis, Militiæ clericalis, non autem redituum, præbendarum, aut emolumentorum, quæ poſtea acceſſerunt, & propterea certum eſſe a regula, & vita Canonica, non autem ab hujuſmodi Canone eos dictos eſſe a veteribus Canonicos, quod in Regularum, ſeu Canonum obſervatione viverent, moverentur, & currerent.

III. Plurimum autem profuit exactiori huic Eccleſiaſticarum Regularum obſervantiæ Canonicorum vita communis, eodem pene modo, quo hodie Canonici, qui dicuntur Regulares, licet vota ſolemnia non emitterent, ut hujus moris non exigua momenta ſuppeditant, tum antiqua Canonicorum monumenta, tum temporum hiſtoriæ, & omnia ea publica loca, quibus, ut ait Aubertus Miræus, in notis ad regulam Canonicorum, *Canonici olim uſi fuerunt, hodieque extant, & cum admiratione monſtrantur Coloniæ Agrippinæ, Tornaci, Leodii, Burgis, & alibi*. Cum enim in primitiva Eccleſia omnibus fere Chriſtianis omnia eſſent communia, inter quos erat cor unum, & anima una, Clerici etiam cum Epiſcopis communem agebant vitam, eodem utentes refectorio, eodemque dormitorio. Bonis & proventibus dono datis eorum neceſſitati occurrebatur, & ne in uſus erogarentur inanes invigilabant Prælati, quos penes jus erat concedendi eiſdem e Clauſtris egreſſum, ut non ita facile cum ſæcularibus hominibus, aut mulieribus converſarentur, & a ſæcularibus negotiis omnibus abſtinerent, quid quid ſinguli ſuo tempore facturi eſſent in Regulæ, & Superiorum præſcripto legebant, & ita omnis illis otiandi ſubtrahebatur occaſio: ſupellectili vulgari contenti, nihil in luxum, aut in uſus ſuperfluos, vel profanos erogabant, ſtatis horis ad Canonicas perſolvendas horas pergebant, & quaſi mundo, ejuſque pompis vale dixiſſent, ſe totos Dei, & Eccleſiæ famulatui conſecrabant, vitamque ſecundum

Ca-

Canones ab Eccleſia præſcriptos ſanctè inſtituebant, & munia omnia, quæ ſuæ erant vocationis, & profeſſionis adeo ritè abſolvebant, ut a Monachis non viderentur differre, niſi quod tria illa Monachorum vota ſollemnia non profiterentur. Talis erat Canonicorum vita, eademque permanſit fere uſque ad ſæculum X. quando nimirum eorum nonnulli abjecta communi, ad vitam ſingularem convolarunt, ſub Theodorico Archiepiſcopo Trevirenſi, inquit Trithemius ad annum 975. *Canonici Majoris Eccleſiæ ibidem abjecta vita regulari, quam huc uſque in eadem Eccleſia Maiores eorum continuaverunt, deſierunt eſſe regulares, & facti ſunt nomine, & converſatione ſæculares. Quorum exemplo malo Canonici quoque S. Paulini Trevirenſes, Sancti Caſtri in Confluentia, Maguntinenſes, Wormatienſes, Spirenſes, & complurium aliarum Eccleſiarum, diverſis quidem temporibus, ſed uno impietatis ſpiritu Regularis vitæ communitatem abjecerunt, conivente his Eccleſia, utpote qui*, ut ait Stephanus Tornacenſis Epiſtola 161. *Diſpenſationis levamen libentius admittebant, quam auctoritatis vigorem*, & hinc omnis illa prodiit diſciplinæ Canonicalis relaxatio, quam XI. & XII. ſæculi Scriptores alte deplorant, illudque eiſdem Canonicis additum cognomentum quod poſtea Canonicos ipſos perperam offendit, cum ſe audirent *Canonicos Sæculares* appellari, cum ita fine appellati, non quia criminibus ſæculi, ipſi ſæculo conformati involverentur, ſed quia tam arctum vivendi propoſitum reliquerunt, quo antea tenebantur in vita communi, aut illi tenere videntur, qui Canonici Regulares appellantur, quam nominis differentiam Generalia ipſa Concilia poſtea tenuerunt Lateranenſe III. & Tridentinum, ut ipſos diſtinguerent a Canonicis Regularibus in Monaſterio ſub trium votorum Profeſſione viventibus.

IV. Abſit vero qui ſibi perſuadeat aliam plane nunc eſſe vitam Canonicorum a prima illa propter hanc vivendi, ac exterioris diſciplinæ variationem. Canonicis ſuis nunquam Eccleſia de eorum vitæ ſanctitate, & obligatione vivendi ſecundum Canones, aut remiſit aliquid, aut aliam invexit Canonicalem Inſtitutionem, ſed præſtitit illud ſemper, quod maxime ſperabatur opportunum, ut Canonicos ad vitæ rectitudinem, morum integritatem & Eccleſiaſticarum Regularum ſedulam obſervantiam efficacius reduceret, & ut eſſentialia, & interiora ſtatus Canonicalis onera obſervarent, atque huc reſpiciunt Sanctiſſimi illi canones, quos pro tuenda Eccleſiaſtica Diſciplina Concilia plurima ediderunt, etiam poſtquam Canonici a communi vita receſſerunt, licet enim Eccleſia, duritia temporum cogente, interdum diſciplinam exteriorem non nihil mitiget, nunquam tamen non deſiderat, ut quo ad fieri poſſit, pura morum diſciplina, & Canonibus jam pridem expreſſa, aut vigens conſervetur, aut lapſa reſtauretur: quapropter dicebant Aquenſis Concilii Patres *ea omnia quæ de vita, & honeſtate Clericorum ſtatuta erant quam diligentiſſime a Canonicis eſſe obſervanda de ſub eiſdemque, ac gravioribus etiam pœnis; cum deceat illos ea morum integritate ornatos eſſe, ut nomen ſuum tueri, & retinere poſſint, ac præ aliis Clericis, canonici, ſeu Regulares ex obſervata Eccleſiaſtica diſciplina perfectius regula nominari mereantur, a quibus ceteros ſtudium, & amorem, ac tamquam regulam cultus Divini non piget accipere*: & Concilium Tridentinum animadvertens Dignitates in Eccleſiis præſertim Cathedralibus ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam Diſciplinam fuiſſe inſtitutas, ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, monuit Canonicos univerſos, *ut veſtitu decenti tam in*

Ec-

Eccleſia; *quam extra aſſidue utantur, ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibuſque abſtineant, eaque morum integritate polleant, ut merito Eccleſiæ Senatus dici poſſint*; quod quantum etiam optaverit fideliſſimus illius Concilii executor, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ Sæculi præteriti admirabile exemplar, ne dicam prodigium S. Carolus, ex iis patet, quæ ſcripſit, ut illos ad eorum, quæ ipſis præſcripta erant ſedulam obſervantiam excitaret, hoc fundamento, ut ſuo exemplo Sacerdotibus aliis, Clericiſque, & recte orandi, atque piè vivendi adderent animum. *Si quid igitur in Eccleſiaſticis regulis reperitur quo probetur Sacris Eccleſiæ miniſtris ſpecialiter convenire munditiam, atque vitæ innocentiam in omnibus actibus, fugiendo quamlibet carnis turpitudinem, & omne illius vel perpetrandæ periculum, ab Ebrietatibus, & Commeſſationibus, Conviviiſque abhorrendo, a Crapula abſtinendo, ipſumque Chriſti, ſive pauperum Patrimonium in Pauperes ipſos potius quam in luxum menſarum, aut alias vanitates convertendo, ut ſibi auctoritatem, quemadmodum illi ajunt, concilient, cavendo ab omni avaritia, non manducationem ad Evangelium, ſed Evangelium ad manducationem referendo, aliaque omnia omittendo, per quæ ad excuſandas excuſationes in culpis delinquendi auctoritas uſurpatur*: Singula hæc præſtare debent Canonici, qui cum rebus ſæculi in altiorem locum ſublati conſpiciantur, in eos tamquam in ſpeculum omnes reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt quod imitentur. Neque certe deeſt modus, & ratio quomodo iſta Canonici præſtare commode queant. Utrumque agnovit Colonienſe Concilium anni 1536. apprehendi poſſe in Capitulis illis, ſive conventibus, quos *Capitula Diſciplinæ* vocant, in quibus de iis omnibus agitur, quæ ſtatutum, & adminiſtrationem Eccleſiæ, quæque ipſum Canonicorum officium concernunt, ac in primis, & ante omnia, ipſam diſciplinam, vivendique rationem, morumque reformationem ſpectantia, vel ſi hæc ſpecialia Capitula non habeantur, id operis, conſiliique ſibi aſſumunt ipſæ ordinariæ Capitulares Congregationes, quæ ex Synodi Toloſanæ anni 1590. Decreto ita inſtituuntur, ut de iis primum tractent, quæ ad Divinum cultum ſpectant, tum de juſta morum reformatione, delictorum debita animadverſione, & demum de privatis rebus, temporalibuſque negotiis agunt, ne magnam de minimis, parvam, aut nullam de maximis curam gerere videantur. Accedit his omnibus perjurii periculum, quod timoratos magis, & ſcrupuloſos angit Canonicos, qui cum viderint ſe non ſine juramento obedientiæ Præpoſitis ſuis ad Canonicatum admiſſos, eodemque arctius teneri Canonicalia ſtatuta, Conſuetudineſque Canonicalis Eccleſiæ obſervare, ut horrendum crimen illud effugiant, quod ille Canonicus vitare non poterit, qui vel per infirmitatem lapſus reluctanti, ac refracto animo pœnitentiam legitimam ſubire renuit, vel luxurioſe vivens una cum præcepto remedium contemnit, curabunt omnino ita vivere in particulari familia, ut munia omnia Canonicorum ad præſcriptum Sacrorum Canonum, non minus perfecte, & abſolute adimpleant, quam ſi juxta priſtinam vivendi diſciplinam vitam agerent communem.

§. II. *Canonici tenentur ceſſante legitimo impedimento per ſe integrum Divinum Officium peragere.*

V. *Cum Sentum Servitutis noſtræ*, ut Sapiens loquitur cap. 18. ſit Oratio,

&

& Beneficium non detur niſi propter Officium, nec Ecclecaſtici reditus, *niſi Officiantibus in divinis debeantur*, ut Dionyſius Cartuſianus ait in Tractatu de Vita Canonicorum art. 19. nullus Canonicorum ignorare poteſt quantum ad Horas Canonicas per ſolvendas ſit obligatus. Idipſum poteſt intelligere quicunque ille ſit, qui ipſam Canonicorum Inſtitutionem, ac eorum Regulas vel leviter expenderit, quarum una pars, ut in Aquiſgranenſi, & Tridentino Concilio declaratur, circa modum per ſingulas horas Divinum Officium perſolvendi verſatur. nihilque adeo magis inculcat, quam ut ſummopere ſtudeant Canonici prædictas horas vigilantiſſima cura cuſtodire, & ut in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devotè que laudent. Quantum itaque a veritate aberraverint ii, qui munus hoc ipſis impoſitum implere noluerunt, Imperator Iuſtinianus ſatis expoſuit in Lege *Sancimus* quæ habetur in libro 42. §. 10. Cod. de Epiſcopis & Clericis, expoſuit Baſileenſe Concilium, & Senonenſe A. 1528. Colonienſe A. 1536. & ut reliqua omnia præteream, expoſuit laudata Synodus Tridentina in Seſſ. XXIV. cap. 12. de Refor. cum præcipere debuit ut omnes Canonici Divina per ſe, non per ſubſtitutos compellerentur obire Officia, quibus ſi defuerint addidit laudatiſſimus ejuſdem Concilii interpres S. Carolus Mediolanenſis Archiepiſcopus in 1. ſuo Concilio Parte 2. cap. 38. *pro abſentibus haberi deberent. & earum horarum, quas ea ratione non obierint diſtributionibus mulctari, cum ipſa ratio dictet, & clamet unumquemque teneri ad ea, quæ ex ſuo inſtituto, ſeu profeſſione ſibi incumbunt, & injuncta ſunt, tanto ſtudioſius, quanto honoris gradu præ ceteris præſtat*, eo vel maximè quia, ut dixit Imperator l. c. *qui conſtituerunt, vel fundarunt Sanctiſſimas Eccleſias pro ſua ſalute, & communi Reipublicæ reliquerunt illis ſubſtantias, ut per eos debeant Sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis a miniſtrantibus piis Clericis Deus colatur*.

VI. Eamdem Canonicorum inertiam probatiſſimorum Auctorum teſtimonia notarunt, illorum præſertim, quorum quo latior prædicatur Moralis, eo robuſtior in hoc argumento futura erit auctoritas. Fatentur itaque Auctores hi, quod ſi Canonici ceſſante juſto impedimento a pſallendo abſtineant, iidem Diſtributiones ſuas non faciunt. Conſulatur Lelius Zecchius in lib de Repub. Eccleſ. cap. 24. n. 6. Joannes Azorius 1. Par. Inſtit. Moral. lib. 10. c. 11. qu. 5. Rodriquez. Par. 1. c. 146. n. 5. Comitolus lib. 1. Reſponſor. Moral. q. 62. quinimo addit Zacchius, Canonicos ad canendum poſſe cogi per pœnas, & mulctas a Prælatis, ſubjiciuntque hanc rationem ceteri: quoniam hujuſmodi fructus dantur Canonicis ratione Cantus in Choro, & non ratione ſolius præſentiæ: Chorus ſiquidem inſtitutus eſt ad communicationem unius cum alio; ita ut quidquid Divini Officii ibi dicitur ſit commune alteri, quod verum non eſt, quando Canonicus ſibi ſoli dicit, quoniam ut ſic, eſt ſibi proprium.

VII. Neque hinc iniuriam aliquam, aut ignominiam ſtatui Canonicali irrogari puteut Canonici, cum nihil in Divino Officio ſit humile, & abjectum: quaproter indignam hanc de Divina Pſalmodia ideam facto ſuo oportet ejiciant ex animo; ſuoque exemplo alios excitent, oſtendantque corruptelam eſſe non legem, Conſuetudinem illam non pſallendi; neque ex humilitate, & devotione, ſed magis ab elatione, abuſu, & Accidia videri ortum habuiſſe, quod Capellanis inferioris Claſſis id munus committeretur, & hoc jam pridem notaverat laudatus Dionyſius in libro de Vita Canonicorum art.

19.

Digitized by Google

19., & Dominicum Soto obſervaſſe legimus in libris illis, quos de Juſtitia, & Jure inſcripſit.

VIII. Et re quidem vera, ſi ad ea intendamus animum, quæ Ivo Carnotenſis ſæculo IX. ſcripſit in ſua Epiſtola ad Paſchalem, quæ eſt 219. agens de Diſtributionibus quotidianis, quas ipſe primus omnium inſtituerat pro Clericis Divinis aſſiſtentibus, & quas Tridentina Synodus fieri voluit ex tertia parte fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum tam dignitatum, quam Canonicatuum, Perſonatuum, Portionum, & Officiorum, ut videre eſt in cap. 3. Seſſionis XXI. inde has ortum habuiſſe intelligemus, unde ipſi Clerici de negligentibus fieri poſſent diligentes, de ſomnolentis vigilantes, de tardis aſſidui ad frequentandas horas Canonicas, & ne qua in parte cultus Divinus minueretur, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtaretur: Quomodo ergo non longiſſime aberunt ab Ivonis, & Concilii mente ii Canonici, qui cum Choro interſint non pſallunt, ſed tantum ſubmiſſa voce horas Canonicas recitantes ſuas facere Diſtributiones credunt? Verum credant ipſi pro more ſuo. Facit inſtitutio Chori Eccleſiaſtici, ut alternatim laudes Deo ibi pſallantur. Qua de re poſtquam dixit Pius V. *non facere fructus ſuos non recitantes*, addidit: *licet in Choro additus cum aliis præſens adſit*, & hanc ſententiam Synodi omnes Provinciales amplexi ſunt, in quibus decernitur: *& quas percepturi eſſent Diſtributionibus careant*, quod ut de reliquis taceam unum Provinciæ Noſtræ Florentinæ Decretum adjungam, quod prodiit anno 1573., & rurſum confirmatum fuit A. 1732. ſub tit. 5. cap. 19. de Conſtitutionibus, in quo ſic legitur: *In dignitatibus, aut Canonicatibus conſtituti, ceterique Eccleſiarum ſervituti addicti ſtatis horis attente Divinis adſint Officiis . . . in Choro . . . concordi voce, & corde pſallant . . . & nihil alienum Divinis miſceant, privatum Officium non recitent, litteras non legant, non obrepant, non colloquantur: ſi vero aliqui in his offenderint, quas percepturi eſſent diſtributionibus careant, aliterque pro culpæ gravitate corripiantur* (Rubrica 17. cap. 2.) & hanc fuiſſe ſententiam Sacræ Congregationis Concilii ſub die 20. Aprilis A. 1602. non ſolum Comitulos ſupra laudatus tradidit, ſed ſcripſit Barboſa de Canonic. & Dignit. cap. 20. n. 13. *Nec Canonicis prodeſſe, ſe intendere, ut cultus Divinus Vicaria opera celebretur*, jam pridem dixerant Conimbricenſes Patres in Synodo A. 1565.

IX. Neque illis præſto eſſe poteſt communis, & conſtans, quæ fingitur contraria Conſuetudo, quæ ſolum attenditur in caſu, quo non adſit Statutum, ut laudatus ait Barboſa l. c. cap. 34. n. 12. aut Ordinatio Eccleſiæ obligans Canonicos ad canendum, ita ut aliter non poſſint lucrari diſtributiones, atque hinc ſequeretur, quod uſus ille non eſſet uſus, ſed abuſus non Conſuetudo, ſed corruptela, quia derogaret Juri Communi, & a nullo Concilio approbaretur; quin imo reprobaretur. Neque Canonici ſint omnino ſecuri in Capitulorum ſuorum Statutis, præſertim ſi talia ſint, ut ad relaxationem potius, quam Inſtaurationem tendant diſciplinæ, magiſque cupiditati, quam Charitati, aut Religioni favere videantur: perſpicuum ſiquidem eſt non raro Canonicos propria Commoda affectantes, oneraque ſubterfugientes, non difficulter in Leges illas conſenſiſſe, quæ eorum faverent Concupiſcentiæ, & quæ magis quæſtum quam pietatem reſiperent, cujus generis plurima ſe legiſſe in voluminibus Statutorum Cathedralium, & Colle-

Digitized by Google

giatarum Eccleſiarum Colonienſis ſuperius citata Synodus A. 1536. notavit in 3. Parte cap. 19. præcepitque ab Epiſcopis inter viſitandum excutienda eſſe, & reſecanda; non aliter ac Tridentini Patres mandarunt in Seſſ. xxiv. cap. 14. de Refor. Epiſcopis omnibus, ut diligenter de earumdem Eccleſiarum Conſtitutionibus, ſive Conſuetudinibus cognoſcerent, & illis tantum, quas laudabiles probaverint exceptis, reliquas ut pravas, ac ſcandaloſas rejicerent, & abolerent: quare multum hallucinantur ii, qui ſibi licitum credunt, quidquid in Capitularibus Statutis probatum invenitur, tametſi etiam Sedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſerit, de cujus ſubreptione, obreptione, & intentionis defectu eadem Tridentina Synodus præcipit, quod Epiſcopus tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatus poſſit cognoſcere. Quapropter ad rem Nicolaus Garzias de Benefic. Part. 3. c. 2. n. 498. refert reſolutum fuiſſe a S. C. ſi factum ſit aliquod Statutum, quod Canonici poſſint inſervire per ſubſtitutum, vel alternatim unus pro alio, non habeatur ejus ratio, quia eſt contra Concilium Tridentinum. Idemque attendendum eſſe cenſet hic Auctor, licet ante Concilium eſſet Statutum, vel Conſuetudo, quamquam immemorabilis in contrarium, ut colligitur ex ipſo Concilio: quin inſuper addit, ut evidentius conſtet Canonicos a Divinis perſolvendis Officiis a Choro abeſſe non poſſe, & lucere fructus ſuos, quod eadem S. Congregatio Concilii, cenſuit ipſas Capitulares Congregationes eo tempore habendas non eſſe, quo Divina Officia celebrantur, niſi cauſſa aliqua urgens eas ad aliud tempus non pateretur differri, quod ſi hæ Congregationes Capitulares abſque Cauſſa prædicta, tempore celebrationis Divinorum habitæ fuerint, Canonicum jure ab his, ut Choro interſit, poſſe abeſſe; neque Epiſcopum, neque Capitulum debere exigere Rationum redditionem tempore, quo recitantur horæ Canonicæ, & Divina celebrantur. Quoniam vero neceſſitatis Caſum in hac Deciſione legimus exceptum, animadvertimus revera dari poſſe illud legitimum impedimentum per ſe Divina Officia perſolvendi, per valetudinem nempe, aut aliud Officium, vel Eccleſiaſticum, vel publicum, quod alios Canonicos ſtatim rapiat, quo urgente, hanc Canonicorum obligationem ceſſare ultro concedimus: & in hoc caſu non improbatur, quod Vicarii aſſumantur, qui abſentium vices ſuppleant, & in perſolvendis Divinis laudibus Canonicis Adjutores accedant. Hunc eſſe Vicariorum finem indicat ſæpe nominata Synodus Colonienſis, a qua non diſſentiunt Audomatenſe Concilium A. 1583., & Cameracenſe A. 1569. biennio a ſoluta Synodo Tridentina celebratum, cui plures ex eadem Synodo reduces interfuerunt, quibus adeo certa fuit prædicta Canonicorum obligatio, ut contrarium abuſum reprobarent, aſſererentque non debere putare Canonicos ſe functos Officio, ſi Vicaria tantum opera cultum Divinum celebrari curarent, modo tamen pſallere per valetudinem poſſent, nec aliis impediti eſſent juſtis de Cauſſis; tunc enim Vicarios poſſe conſtitui decreverunt, qui aut Sacerdotes ſint, aut in Sacris Ordinibus conſtituti, aut ſaltem Lectores ſint Ordinati, vitæque honeſtate, ac veſtitus decentia Miniſtros ſe eſſe Dei, & Eccleſiæ oſtendant, ut laudes, quas per Vicarios ſuos Canonici perſolvunt Deo ſint gratæ, & Orationes eorum exaudiantur, & ne alias cantando non Deum laudent, ſed offendant, juxta monitum Auguſtini in pſalm. 146. *Vis ut Deo tua jucunda ſit laus? Noli bonæ Cantilenæ tua obſtrepere malis moribus:*

ribus; Plus ille attendit quid vivas, quam quid ſones, nec prodeſt Sonoris vocibus perſonare, ſi vita diſſona ſit.

X. Alterum quod eſt in prava quorumdam Canonicorum Conſuetudine poſitum huc ſpectat, quod non deſint inter ipſos aliqui, qui ex eo quod aliquibus, & non ſingulis horis, ſive etiam ad breviſſima tantum momenta Choro interſint, putant Diſtributiones, eaſdemque integras poſſe lucrari. Diſtributionum quotidianarum Inſtitutionem eo fine excogitatam fuiſſe, ne qua in parte Divinus Cultus minuatur, ſed ei debitum omnibus in rebus obſequium præſtetur, ſuperius diximus juxta Tridentini Concilii ſententiam: *Qui Choro adſtricti ſunt teneri Divinum Officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum iis dederit Deus, ſtudioſe celebrare pariter, & devote*, Generale Concilium definivit. Sacris ergo Canonibus adverſatur mos iſte, nec culpa vacat omnino: quare ejuſmodi Conſuetudines, et ſi quæ inveniuntur Statuta, quæ diſtributiones concedant Canonicis in una, aut altera hora præſentibus æque ac illis, qui ſingulis horis aſſiſtunt, aut illis, qui exiguo tempore interſunt Officio, ut corruptelæ extirpanda ſunt, quemadmodum eadem reſcindere, & eliminare non dubitarunt tum Concilia, tum Patres, quorum Decreta, & ſententias Canonici illi rejiciunt, & quodammodo contemnunt, qui eadem non ſuſcipiunt, ut ſuæ Cupiditati quo liberius, eo ſatisfaciant impunius, aut ſaltem ne deterreantur quo ad ea, quæ eorum obviant Concupiſcentiis. Inter Concilia, quæ abuſum hunc, quo in una dumtaxat hora præſens, totius diei diſtributiones uſurpat, prorſus extirpari mandarunt, Baſileenſe enumeratur, ut legitur in cap. 4. Seſſionis XXI; recenſetur Aquenſe, quod Tridentinæ Synodi, & Boniſacii VIII. auctoritate nixum decrevit: *ut nulla Canonicorum, aut aliorum pactio, remiſſio, vel colluſio fiat, aut facta vim habeat, nullumque Statutum, aut Conſuetudo, quæcumque illa ſit valeat, quibus, aut abſenti quavis de cauſſa, ejus vel Sacræ horæ, in qua muneri ſuo defuerit, aut omnino cuiquam, contra quam Jure Communi, & ejuſdem Tridentini Concilii definitum ſit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint*. Additur his Burdigalenſe A. 1624. Moguntinum A. 1549. quod pene eiſdem verbis, quibus eumdem abuſum damnaverat Synodus Baſileenſis, eumdem iterum reprobat, decernens *ne quotidianæ diſtributiones ad breviſſima quædam momenta, puta ad lectionem Epiſtolæ, ſeu unius Pſalmi, & Reſponſorii, ſed integris, ac totis Officiis, & horis aſſignentur, & iis modo tribuantur, qui Officiis Divinis, de quibus hæc emolumenta dantur ab initio ad finem interfuerint . . . quibuſcumque irrationabilibus, aut pravis Conſuetudinibus (quæ potius corruptelæ cenſendæ ſunt) non obſtantibus*. Additur Mediolanenſe I. ſub S. Carolo, Mechlinenſe A. 1607. Adduntur pleraque alia, quorum omnium ſcopus hic eſt, ut diſtributiones ex mente Eccleſiæ ita ordinentur, ac diſpenſentur, ne qua in parte cultus Divinus diminuatur, ſeu negligatur, nec Canonici ſuæ impune deſint obligationi, cui eoſdem deeſſe profecto dicendum eſſet, ſi non tantum Matutino Sacro, & Veſperis, ſed & reliquis horis non intereſſent, non aliter ac deeſſet Clericus, qui Divinum Officium recitare conſtrictus, minores horas ex negligentia omitteret: & dolendum maxime eſſet quod Catholici Conciliorum Decreta Hæreticis, ut fidem ſuam illis conformarent, obtruderent, Sacerdotes vero, & Eccleſiæ Miniſtri eadem Concilia, ubi eorum cupiditati, ignaviæ, aut Superbiæ reſiſtunt, agnoſcere recuſarent. Fefellit Canonicorum nonnullos præocupat

Digitized by Google

quædam opinio, quod Canonici præſentes douent abſentibus diſtributiones quo nihil potuit excogitari abſurdius, ut Canonicorum negligentia foveatur, tepor nutriatur, & Divini Officii neglectus inducatur: nam ſi conſenſus eorum, quibus diſtributiones accreſcerent ſufficeret, facile fieret, ut omnes in abſentia illas perciperent: facile enim ut fatetur Navarrus De Oration. Miſcellan. 59. conſentiret unus Canonicus ne alius perdat in abſentia, ut alius conſentiat ne ipſe perdat, cum abſuerit, & ita omnes delinquerent. Itaque pravam hanc opinionem, utpote quæ contra mentem juris reprobarunt Tridentini PP. cum in ſupra citata Seſſione XXIV. cap. 12. de Refor. dixerunt: *Diſtributiones qui ſtatis horis interfuerint recipiant, reliqui quavis colluſione, aut remiſſione excluſa his careant*. Ex quo ſequitur Canonicos, qui ita ſentiunt in ea Diſtributionum perceptione, non tantum in foro Animæ excuſatos non eſſe, ſed neque in Foro Contentioſo eorum querela defendi poteſt, licet ſtatuto corroborata, ut contigiſſe refert Feuter in lib. 3. de Abuſu c. 2. n. 13. ubi ſcribit Pariſienſem Senatum A. 1707. reſpuiſſe Canonicorum Aurelianenſium querelam, eorumque Statutum per Bullam Gregorii VI. ut narrabatur, confirmatum, quo Canonicis aſſervabantur diſtributiones totius diei, ſi præſentes in una hora fuiſſent.

XI. Utinam vero inter Canonicos non inveniatur qui Divino interſit Officio, ut Diſtributionum illarum lucro gaudere poſſit, quod ſi aliquis eorum hac mente intereſſet, hic pluris æſtimaret diſtributiones quam ipſum Divinum Officium, & *perverſo nimis Ordine*, ut ait S. Bernardus, *Spiritualibus terrena mercari convinceretur*. *Optandum itaque*, ajebant Colonienſis Synodi Patres, *ut a Deo Optimo Maximo conſequi poſſimus, ne quiſquam lucri cauſſa* Divinis *interſit, alioqui non acceſſurus, veluti quam nummi magis, quam* Dei *amor in Templum trahat, quæſtum pietatem eſſe putantem, qui non dubium ex numero eorum eſt, de quibus Iſajas dicit: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones: Nec multum is abeſt ab horrendo crimine Gieſi, qui exiſtimavit* Divinum *munus pecunia redimendum*, ut pleriſque doctiſſimis viris placuit, qui etiam non verentur aſſerere Canonicum, qui Divinis Officiis intereſt, principaliter pro denario, quamvis veram Simoniam non incurrat, cum nulla expreſſa pactio intercedat, graviter tamen peccare, & Simoniam mentalem committere, quorum ſententiam poſt Gloſſam in cap. *unico* in verbo *Receperit* in fine de Cleric. non reſident. lib. 6. ſequuntur communiter Canoniſtæ, eamque tenuit Petrus Cantor in verbo *Abbreviato* cap. 26. Probus in notis Gloſſæ Pragmat. p. 495., & Stephanus Pariſienſis Epiſcopus in ſua Synodo, in qua ait: *Probibemus vobis omnibus, ne committatis etiam Simoniam mentalem adeundo ad* Divinum *Officium ſub ſpe materialium diſtributionum*, qua nota certe inuretur Canonicus ille, qui pene non abſoluto Officio, cui diſtributionum lucrum annectitur, quaſi auſugiet illo neglecto, quod Diſtributiones non pendit, tametſi etiam immediate ſequatur.

XII. Non tamen ii ſumus, qui ita Canonicos teneri Divinis intereſſe Officiis arbitremur, ut nunquam poſſint diſtributiones lucrari ſi non aſſiſtant Choro, & cetera peragant, quæ eorum inſtituti poſtulat ratio. Abſint a Choro Canonici, ſi legitima cauſſa eoſdem abeſſe poſtulaverit, nimirum infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas, ut legitur in Conſtitutione Bonifacii VIII. a Concilio innovata, quæ habetur in capite *unico* de Cleric. non reſiden. in 6. Abſint ſi Apoſtolicum indul-

Digitized by Google

indultum habeant vacandi a ſervitio Eccleſiæ, & tunc nullum facient ſuarum Diſtributionum periculum, etiam non probata Conſuetudine percipiendi diſtributiones in abſentia, vel obſtante Statuto Capituli, ut ægrotis, vel ex quavis cauſſa abſentibus non dentur diſtributiones, ut communiter cenſent DD. Diſtributionibus igitur privandi non erunt illi Canonici, qui ſenio confecti ſunt, qui timent peſtem graſſantem, vel inimicum eis parantem inſidias; ſi injuſte ſint excommunicati, ſuſpenſi, vel detruſi in carcerem (ſecus ſi in illo detineantur ob delictum patratum, quod hanc pœnam ſecum ferat) ſi propria culpa in infirmitatem inciderint, propter quam Divinis Officiis intereſſe non poſſint, ut Gregorius XIII. reſpondit: *ne afflictis adderetur afflictio*, aut quia multæ poſſunt eſſe cauſſæ, & non turpes, dummodo tamen infirmi, alias choro intereſſe conſueverint, ſi injuſtam Judicis vexationem coguntur redimere, ſi actu curam Animarum exerceant ſuis Canonicatibus, vel Dignitatibus annexam, ſi alio ſint vocati ad litem proſequendam ſuper juribus Capituli, vel ut aſſiſtant Epiſcopo Pontificalia exercenti tam in Cathedrali Eccleſia, quam alibi, ſi obtinentes Præbendam Theologalem in Eccleſia, vel extra actu doceant (quod non eſt extendum ad Diſtributiones matutinis horis attributas, ſi ex antiqua alicujus Eccleſiæ conſuetudine dicantur veſpere præcedenti pro die ſequenti) ſi fungentes Pœnitentiarii munere audiant Confeſſiones in Eccleſia, ſive in Confeſſionario, ſive extra, etiam tunc cum Capitulum Defuncti Corpus Sepulturæ tradendum comitatur, ut Pontifex declaravit, ſi redditus omnes Canonicales in Diſtributionibus conſiſtant, quæ dietim ſolvuntur ſingulis Canonicis, qui Choro aſſiſtunt, quas etiam abſentibus in Caſibus in jure expreſſis deberi Sacra cenſuit Congregatio (exceptis incertis illis, & quotidianis diſtributionibus, quæ tantummodo inter eos dividi ſolent, qui Sacris interſunt) & demum ſi ex lege Fundationis Eccleſiæ, vel Canonicatus cautum eſſet, ut abſentes in aliquo Caſu percipiant de diſtributionibus quotidianis, nam Concilium Tridentinum in ſupra citato cap. 12. Seſſ. xxiv. fundationibus non derogavit, ut reſpondit S. C. Concilii die 10. Februar. A. 1578. quemadmodum antea dixerat, ſcilicet A. 1577. idem Concilium non tollit re Statuta Eccleſiarum a Sede Apoſtolica confirmata ex certa ſcientia, & cum cauſſæ cognitione, quæ propterea attendenda ſunt, ſi indulgeant ut abſentes in aliquo caſu participent de quotidianis diſtributionibus.

XIII. Supervacaneum modo eſt immorari in recenſendis caſibus illis, quibus poſitis Diſtributiones non acquiruntur Abſentibus, id enim de reliquis affirmari poterit, qui non habentur in Jure expreſſi, in lege fundationis, & in Statuto Eccleſiæ a Sede Apoſtolica confirmato, hoc eſt immediate a Papa ex certa ſcientia, & cum cauſſæ cognitione non in forma communi, quia talis confirmatio, nihil novi tribuit c. *cum dilecta* §. *Nos igitur* verbo *nolentes* de confir. util. vel inut. juncta Gloſſa in c. *ex parte* in verbo *confirmatione* de Conſt. Non arbitrentur itaque ſe Diſtributiones lucrari Canonici illi, qui abſunt in tribus menſibus a Concilio permiſſis, vel cauſſa ſtudiorum; qui ſunt in familiaribus Papæ; qui Inquiſitoris hæreticæ pravitatis, aut Examinatoris Synodalis munere funguntur, qui voluntarie Confeſſionibus audiendis, non autem ex Officio ſe ſe committunt; qui vocantur ab Epiſcopo ad eum commitandum alio quam ad Limina Apoſtolorum euntem juxta Sixti V. Indultum; qui Epiſcopo inſerviunt dum Miſſam particulariter, vel etiam in Cathedrali

cele-

celebrat; qui in alio quocumque Epiſcopi ſervitio exiſtunt, puta in Viſitatione Diœceſis, in velandis Monialibus, in examine Ordinandorum, & promovendorum ad Beneficia; qui Seminario, aut Congregationi rerum ſpiritualium præſident: qui in Congregationibus S. Officii adhibentur; qui Vicarii ſunt Epiſcopi; qui dum Divina peraguntur Officia celebrant Miſſam ſubmiſſa voce, etſi hæc celebratio fiat in Capellis, in quibus tenentur Miſſas celebrare, vel devotionis cauſſa, niſi illa hora ad celebrandam Miſſam compellantur: qui peregrinantur devotionis cauſſa, niſi peregrinatio tendere: ad viſitanda Limina pro Epiſcopo ex laudato Sixti V. Indulto, aut ad lucrandum Jubilæum, in quo caſu S. Congregatio Concilii cenſuit tribus menſibus hac cauſſa abſentes, diſtributiones quotidianas poſſe percipere, ita tamen ut Epiſcopi ſit arbitrium quota pars Canonicorum eo tempore poſſit abeſſe: qui obtinentes ex legitima diſpenſatione Parochialem cum Canonicatu, ita debitis Parochialibus, ad quæ primo tenentur inſerviunt, ut a ſervitio Canonicatus excludantur; denique Privilegiati omnes ſuper fructibus in abſentia percipiendis, etiam ſi in Reſcripto diceretur *ut pro præſentibus habeantur*, quemadmodum notat Gloſſa in cap. unico de Cleric. non reſident. in 6. in verbo *adfuerunt*, ſecus vero ſi dicatur: *perinde ac ſi divinis interſint*, ſecundum Gloſſam præallegatam, quæ admonet impetrantem ut ſit cautus, & ſecundum hanc formam impetret ſi poteſt, nam hujuſmodi privilegium ſtricte eſſet interpretandum, quia caderet in diminutionem Divini cultus, & præjudicium aliorum præſentium, quibus accreſcunt Diſtributiones (ſi ſint ordinariæ, quæ vel ex fidelium fundationibus proveniunt, vel ex menſa Capitulari, ideſt communibus omnium beneficiorum redditibus detrahuntur) ſin autem, ſi ſint detractæ a quibuſdam Dignitatibus, vel Officiis, ut per modum diſtributionum dentur iis, qui dicta beneficia obtinent, ſi præſentes ſint, nam tunc his abſentibus Fabricæ Eccleſiæ, vel alteri loco Pio applicandæ ſunt juxta Tridentinum Seſſ. XXII. cap. 3. de Refor. adeoque diſtributiones quotidianæ debebunt exprimi in conceſſione, cum alioquin nomine fructuum eæ non comprehendantur, ſi ſint ſeparatæ a fructibus Præbendarum, ut probat textus in cap. unico de Clerico non reſid. in 6. & in cap. finali §. *in illis* de conceſſ. Præbend. eodem libro, quia ſcilicet quotidianæ diſtributiones ſunt proventus caſuales, & incerti, nec attinent ad corpus Præbendæ, nec contingit quod Princeps concedendo unum ſpeciale, videlicet (ut non præſens fructus Præbendæ percipiat) cenſeatur concedere aliud, ut ſcilicet habeatur etiam pro intereſſente, & conſequatur diſtributiones quotidianas, quia duo ſpecialia non debent concurrere circa idem ex l. 1. C. de Dotis promiſſ. l. *cum poſt* §. *generalia* de jure Dot. Et hæc dicta ſint juxta Decreta S. Congregationis Concilii, quæ ſi in aliquibus Cathedralibus Eccleſiis non obſervantur, contrarius uſus Apoſtolico Indulto, quo illarum Eccleſiarum Canonici gaudent, attribuatur.

§. III *Canonici ratione Officii, quod præſtare tenentur jure communi ad Perſonalem reſidentiam tenentur, niſi juſta, & legitima cauſſa excuſentur.*

XIV. Nullum ad Beneficium aſſumendum eſſe, qui in loco ejuſdem reſidere non poſſit, Sacrorum Canonum Decretis non infrequenter eſt confirmatum: imo non conſueviſſe antiquitus ullos Sacris Ordinibus initiari, quos firma

ra-

ratio probaret in delegata ipſis Eccleſia aſsiduum obſequium non poſse pendere, aut niſi prius locales ſe futuros reſponderent, Valentinæ Synodi Canones A. 542. editi clarè demonſtrant; Cum ergo horum utrumque Canonicis reperiatur annexum, Sacra ſcilicet Ordinatio, & Eccleſiaſticum Beneficium, ſatis patet rationi congruum eſſe eoſdem reſidere, & curam Beneficii debere per se ipſos exercere, quæ duo Lateranen. Concilium ſub Alexandro III. conjunxit, cum perſonalem Reſidentiam deſcripſit, niſi juſta, & legitima cauſſa ab obligatione hac eximantur. Accedit his Fundatorum intentio, qui Canonicatus principaliter inſtituerunt, ut Canonici ipſi horis nocturnis, & diurnis Deum in Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus laudarent, pro Beneficiis gratias agerent, iram Domini precibus, & interceſsione ſua a Populo averterent, & exequerentur illud Ioelis cap. 2. *Inter veſtibulum, & Altare plorabunt Sacerdotes Miniſtri Domini, & dicent parce* Domine &c. quo nomine liberalem eiſdem ſubſtentationem elargiti ſunt. Unde ex Officio ſuo, & ex ſeria Fundatorum voluntate Canonici obligantur iſta ſedulo curare, & præſtare, quod neutiquam poſſent, niſi reſiderent, quæ ſingula animadvertentes Tridentini Patres Seſſ. XXIV. cap. 12. de Reformat. ſtatuerunt *quod obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſiis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, non liceat vigore cujuſlibet Statuti, aut Conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe*. Idemque a Concilio ſtatutum eſſe non *concedendo*, ſed *probibendo* Fagnanus notavit ad caput *Licet* de Præben. n. 32. ne longiori ſcilicet, quam trium menſium ſpatio abeſſent, ex honeſtis tamen cauſsis, quæ eorumdem Canonicorum Conſcientiæ diſcutiendæ, permittuntur. Ex quo ſequitur I. quod qui abeſt, etiam per tres menſes ſine rationabili cauſſa, non ſolum amittit diſtributiones, ſed etiam peccat, quia licet Concilium videatur concedere illud tempus, non puniens eum qui abeſt tantum per tres menſes, tamen Legi Reſidentiæ non detrahit, quæ non tantum obligat ad amittendos fructus in abſentia, ſed etiam ad culpam. Sequitur II. quod ſi in aliqua Eccleſia eſt Statutum, vel Conſuetudo amplius reſidendi, Concilium non concedit ut tribus menſibus poſsint abeſſe Canonici, ſed tunc toto tempore Statuti, aut Conſuetudinis tenebuntur reſidere, & hoc in poſtremis laudati Tridentini Decreti verbis notatur expreſſum; *ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt*; unde erroneum eſt aſſerere, quod vigore cujuſcumque Statuti a Reſidentia novem menſium excuſari poſſint, vel de licentia Capituli, ſiquidem licentiam hanc, neque Capitulum, neque Epiſcopum poſſe concedere, etiam ex rationabilibus cauſsis in Jure non expreſsis, referente Fagnano loco ſupra cit. n. 36. 37. Sacra cenſuit Congregatio, quæ Canonicis, ut ſupra adſtrictis, poſtulantibus ex gratia vacationem trium menſium frequentes abnuit, decrevitque Canonicos, qui majore ſervitio quam 9. menſium ſunt adſtricti, ſi non reſederint, eiſdem pœnis ſubjacere, de quibus agitur in c. 12. Seſſ. XXIV. de Refor. & hoc ampliatur etiam in Dignitatibus Cathedralium Eccleſiarum, quæ licet nullos habeant proventus, nihilominus obligant ad Perſonalem Reſidentiam, niſi æqua cauſſa abſentiam juſtificet.

XV. Porro Cauſſæ, quæ Canonicos eximunt a Reſidentia, & ad obſequium præſtandum in Eccleſia, cui ſunt addicti in Jure Communi leguntur, & duæ potiſsimum ſunt, ſi Theologiam nimirum aut Canones in Scholis doceant, ſi in Academiis publicis ſtudeant, & alterutram probaverunt Tridentini Pa-

tres

tres in Seſs. v. cap. 1. de Refor. Verum non ultra quinquennium hoc Privilegium extenditur ſine Pontificio Indulto, quod Indultum exhibet Univerſitas Lovanienſis per Rom. Pontificem Martinum V. & Eugenium IV. eidem conceſſum ſine ulla temporis præfixione, modo tamen Canonici hi muneri ſuo ita incumbant ut in Vinea Domini operantes vere dici queant, & ex eorum laboribus merito ea ſperari poſsit Eccleſiæ utilitas, quæ incommoda ex relaxatione Canonum, & non reſidentia provenientia compenſet; Hinc factum eſt, quod nonnulla Provincialia Concilia privilegium hoc in ea parte, quæ favet ſtudentibus inter æquitatis, & juſtitiæ leges cohibuerunt, & quaſdam conditiones appoſuerunt, ne ſcilicet ulli Canonicorum Indultum hoc concedatur, qui ſit viginti quinque annorum ætate major, qui ad litterarum ſtudia aptus non ſit, & niſi prius Ordinarii Locorum inquiſiverint, an & diſciplinæ quibus Canonici ſe daturos operam profitentur tales ſint, quæ illis onveniant, & Eccleſiæ futuræ ſint utiles, quibus in locis velint degere, nulique concedant, niſi in aliqua aprobata Univerſitate Theologiæ, vel Sacris Canonibus operam dare, quibus purior Eccleſiæ Patrum Diſciplina contine-ur, ut eam quantum locorum, atque temporum conditio tulerit, vel ſuerſtitem cuſtodiant, vel collapſam innovent, tum demum ut de eorum via, & progreſſu in ſtudiis certiores fiant, eoſque obligent Doctorum Teſtimonia, quibus ſuam in ſtudiis diligentiam probent, quotannis exhibere. Conedunt præterea eiſdem Locorum Ordinariis poſſe compellere Canonicos illis, qui ſine eorum licentia abſceſſerunt, ut ad Reſidentiam redeant, non odo per ſubtractionem fructuum, ſed etiam per privationem, ſeu ſubtraionem Beneficii *ex toto* ut dicitur in c. *Relatum* v. *poterunt amoveri*, & ibi Gloſo in v. *amoveri* in c. *Inter quatuor*, & ibi Gloſſa in v. *Privari*, & ut noviſſme ſtatutum eſt in Concilio Tridentino Seſs. vi. de Refor. cap. 2. & in cap. 1. verſu: *præterea obtinentibus* Seſſ. xxiv. de Refor. neque illis ſuffragaur, utcunque Univerſitas ſit privilegiata, ſive iidem Canonici abſint ex Inulgentia Papæ, ex Statuto Eccleſiæ, aut ex Conſuetudine, quia hujuſmodi Privilegia, & licentiæ non excludunt aliam licentiam Prælati de non reſidendo, quæ licentia ultra Privilegium omnino eſt neceſſaria, ut conſtat apertiſſime, tum ex juribus mox citatis, tum ex Conſtit. Pii IV. quæ incipit *Sanctiſſimus in Chriſto Pater* edita die 24. Novem. A. 1564. idque ſolum operatur Papæ Privilegium, ut puniri non poſsint, quia non reſident in Beneficio. Idem quoque dicendum eſt de revocatione illorum Canonicorum, qui maentes in Univerſitate de licentia Epiſcopi, negligenter, & inutiliter dant peram litteris, ut notant Juris Interpretes in c. finali de Magiſtris: quod tiam poſtremo dixeris, ſi ex abſentia miniſtrorum Eccleſia debito ſervitio leſtituatur, ut legitur in c. *cum ad hoc* de Cler. non Reſid. Quod ſi vocati enire noluerint, eis patrocinari non debet Pontificium indultum, ſed Canonicis pœnis compelli poterunt, privatione nimirum, vel dimidiæ partis fructuum, vel omnium etiam fructuum uſque ad privationem Tituli, juxta eoum vel negligentiam, vel contumaciam, ſi nimirum infra congruum terminum ipſis præfixum ad Reſidentiam non redierint, eo modo quo decernit Concilium Tridentinum in cap. 12. §. *præterea* Seſſ. xxiv. nam ubi ſecunum diſpoſitionem Antiquorum Canonum, Canonicus abſens privari poterat eneficio, ſi intra congruum terminum ſibi præfixum ad reſidentiam non diſſet, ut in c. *licet*, & in c. ultimo de Cler. non Reſid. poſt Concilii De-

Decretum privari non poteſt Titulo niſi poſt lapſum trium annorum, imo tranſacto anno tertio, ſi ignoretur ubi ſit, citandus erit trinæ citationis edicto, & poſtea expectandus per ſex menſes juxta formam, quæ legitur in cap. *ex Tua* titulo eodem, quam formam Concilium non immutavit, imo expreſſe præſervavit in dicto cap. 12. ubi hæc verba leguntur: *contra eos juxta Sacrorum Canonum conſtitutiones procedatur*, ideſt Beneficio priventur ad eum modum, quem Sacri Canones præſcribunt. Dixi *ſi ignoretur ubi ſit*, quia ſi ejus notitia haberi poſsit, jura nihil aliud exigunt, quam ut ſemel perſonaliter moneatur, ſeu revocetur ad Reſidentiam cum competenti termino ad redeundum, ut DD. explicant, & docet Gloſſa in cap. *quoniam frequenter* §. *Porro* in verbo *Canonibus, ut lite non conteſtata*.

XVI. Nunc dubitatur, utrum Canonici obtinentes Dignitates in Cathedralibus ſine ullis fructibus reſidere teneantur? Dubitationem hanc diremit S. C. Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum, quæ referente Fagnano in c. *cum omnes de* Conſtitut. reſpondit. *Canonicum Theſaurarium, licet nullos fructus haberet, teneri ex Concilio ad Reſidentiam; & contrariam Conſuetudinem a Jure Communi probatam in cap. extirpanda* §. *qui vero* de *Prabendis, ſublatam fuiſſe*. Nec aliter reſpondit die 18. Januarii anni 1614. Epiſcopo Auximano, Archidiaconum ſcilicet, & Archipresbyterum illius Cathedralis, qui nullos redditus habebant, ſed tantum ſtallum in Choro, teneri omnino reſidere juxta formam a Concilio præſcriptam in cap. 12. Seſſ. xxiv. licet alias declaratum fuiſſet Decanatum, cujus proviſus habebat nudam præeminentiam in Eccleſia Clodienſi ſine juriſdictione, & fructibus, & dote, & voce, & loco in Capitulo, nec participabat de diſtributionibus, & aliis incertis, Reſidentiam non requirere, nec inducere incompatibilitatem. Num vero hæc forma a Concilio ſtatuta in capite laudato afficiat etiam Dignitates illas, quæ proprios, & ſeparatos habent redditus, & nihil habent commune cum Capitulo, de quibus idem Concilium loquitur in Cap. 3. Seſsionis xxii. ita ut illarum ſervitium, ita ſit moderandum, ut eas obtinentibus non liceat quot annis ultra tres menſes ab Eccleſia abeſſe? Jn varias opiniones abierunt Doctores. Placuit tamen Congregationi Concilii poſt perpenſas pro utraque parte rationes decernere, non comprehendi in laudato Decreto Dignitates, & Officia hujuſmodi obtinentes, ſed Archiepiſcopum poſſe ſervitium illis congruum ſtatuere, illudque pro muneribus, & oneribus ipſis Dignitatibus incumbentibus moderari, ſimulque rationem habere habitantium extra clauſtrum, in præſcribendis videlicet horis, quibus intereſſe quiſque teneatur, & juxta horas, & dies ſervitii dividendas eſſe diſtributiones in tertia parte quorumcumque fructuum, & proventuum earum Dignitatum, & Officiorum deſumptas, deductis tamen Penſionibus, aliiſque legitimis oneribus, quandiu duraverint. Quæ quidem diſtributiones ab iis, qui ſpecialiter ſtatuto tempore non deſervierint ammittantur, & Fabricæ Eccleſiæ, aut alteri Pio loco juxta Decretum ejuſdem cap. iii. Seſſ. xxii. applicentur.

XVII. Ex his igitur, patet quod obtinentibus in Cathedralibus Dignitates, Canonicatus, Præbendas &c. non liceat ab eiſdem Eccleſiis abeſſe, ſed omnes cogi ad perſonalem Reſidentiam. Quod intelligendum eſſe de Reliquis omnibus Collegiatis Inſignibus, & non Jnſignibus, ejuſdem Sacræ Congregationis Decreto ſtatutum eſt; niſi tamen Collegiatæ non inſignes Rurales eſſent, & prorſus deſtitutæ, aut in quibus nunquam antea ſupra hominum me-

memoriam Clerici quicumque conſueviſſent reſidere; aut quibus adeo tenues redditus eſſent, ut Canonicos non habentes eunde viverent alere non poſſent.

§. IV. *Cum Eccleſiæ externa Diſciplina Sacris Canonibus exprimatur, & ex puriſſimo Scripturarum, & SS. Patrum fonte hauriantur fundamenta, quibus hæreſes eliminantur, aliique pernicioſi in Doctrina errores, & vitia extirpantur, Canonum notitia, & Theologiæ Studium congruere Canonicis luculenter oſtenditur.*

XIX. Probant hanc Concluſionem non modo ea, quæ in ſuperiori paragrapho diximus agentes de Cauſſis, quæ Canonicos excuſant a Reſidentia, ſed illa etiam jura, quæ Gradum Academicum in Electione Canonicorum requirunt tempore Electionis, ſi non omnium, ſaltem dimidiæ partis, ubi id commode fieri poteſt, Dignitatibus exceptis, quæ in Cathedralibus omnibus Eccleſiis, & Collegiatis inſignibus tantum conferri debere Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico, Tridentini Patres decreverunt in cap. 12. Seſſ. XXIV. de Reform., ut de Viris ſpectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Eccleſiæ Dei accuratius proſpiciatur. Id autem ut plenius intelligatur, & demonſtretur

XIX. Notandum eſt per Graduatum in Jure Canonico hic non intelligi hominem Forenſibus Judiciis, & litibus proſequendis idoneum, ſed hominem Canonica ſcientia refertum, quæ Patrum Acta, & Mores repræſentantes optimam Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet. *Canones*, inquit Joannes Gerſonius, *ſi bene inſpiciamus non ſunt, niſi Concluſiones elicitæ, vel illatæ ex principiis Theologicis, ideſt ex Evangelio, & aliis Libris Canonicis per illos, quibus dicitur: qui vos audit me audit.* Ex quo mirari deſinit cur Concilia in Electionibus ad Dignitates Cathedralium, & Collegiatarum, arbitrio Epiſcoporum relinquant, vel ex Canoniſtis, vel ex Theologis aſſumere, neque Theologos Canoniſtis præferant, & e converſo, cum ii, qui hiſce Canonibus rite instructi ſunt, ſive ut dicitur in Jure Canonico graduati, non ſecus ac Theologi regendæ Eccleſiæ idonei ſint, & qui hiſce Canonibus ſeſe occupant, etiam in Theologicis Scientiis non ſunt ignari. Proſequitur ergo Cl. Auctor Gerſonius: *Dominum non ita diſtinxiſſe Theologiam a Sacr. Canonibus. & e contra, quin utiliter, & ſalubriter poſſint ab eodem homine. quantum ſibi conceditur, inveſtigari. Si enim reperti ſunt, qui ultra Canones Sacros, Legibus humanis dederunt ſtudium ſuum, & e contra, & profecerunt in utriſque. Si ultra Philoſophiam, & Metaphyſicam multi quotidie in Theologia ſe vehementer exercent. Hoc convenientius habet fieri, quod Theologus deſcendat ad inſpiciendum Canones, tamquam Concluſiones elicitas, & deductas ex ſuis Principiis Theologicis. Sic erit talis ambidexter Theologus Canoniſta, & Canoniſta Theologizans: Et quis eſt iſte, & laudabimus eum? Quid autem facilius eſt ex ambobus, aut per Theologiam S. cognoſcere Canonicam Scientiam, vel e contra? Exiſtimo quod primum; ſicut facilius eſt, & ordinatius deducere ex principiis Concluſiones, quam ex Concluſionibus ad principiorum notitiam devenire.* Quod oppido intellexit S. Carolus, *cui ea Canonum ſcientia*, ut refert in ejus Vita Carolus a Baſilica S. Petri, *perjucunda erat, quæ Patrum mores, & acta repræſentans, Eccleſiæ componendæ, atque ordinandæ rationem continet*. Dolens autem eos communi

ni conſuetudine tantummodo Canones ad interpretandum ſeligi, qui ad lites, judiciaque valent, conſtituit ipſe, qui iis declarandis præeſſet, unde Sacra Majorum inſtituta, & ritus, optimumque Eccleſiæ adminiſtrandæ genus hauriretur; quod qui præſtiterit, & præſtare debebunt omnes, is ad præcipuas Eccleſiæ dignitates indifferenter vocabitur, utpote qui peritus Sacrorum Canonum, etiam Sacrarum Litterarum, & Patrum non ignarus, Graduatus in Jure Canonico, & Theologia agnoſcatur, cum ex illorum lectione Theologus quilibet Concluſionum ſuarum firmiſſima trahat fundamenta, nec Theologi nomine dignus ſit, qui ex his fontibus ſcientiam ſuam non hauſerit.

XX. Exinde tamen ne putet aliquis a Conciliorum Statutis illos recedere, qui hodie Canonum ſtudiis incumbentes, pene non inbuuntur, nec ſtudent niſi Canonibus, & Decretalibus, quæ ad lites, judiciaque valent, aut ad earum pediſſequas amplectendas, Civiles ſcilicet Leges ſe convertunt, quæ plauſum deſiderant Populorum, ut ajebat III. Honorius. Iſtarum Legum notitiam intelligendo Juri Canonico, quo hodie utimur conducere laudatus Pontifex non dubitavit, qui in cap. 28. tituli de Privilegiis hæc ſcripſit: *Sancta Eccleſia Legum Sæcularium non reſpuit famulatum, quæ æquitatis, & juſtitiæ veſtigia imitantur*: & Lucius III. in cap. 1. de novi Operis enun. non aliter docuit cum inquit: *quod ſicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita Sacrorum Statuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur*. Hoc ſemper verita eſt Eccleſia, ne ſcilicet Clerici propter nimium earum ſtudium mundanis actionibus involverentur, ſuſpenderentur a Spiritualibus, & a Divinis avellerentur. Ceterum cum Recentiorum etiam Canonum Scientia eiſdem Clericis utilis, & neceſſaria ſit, quod circa nonnullos morum articulos utilior, & convenientior videatur, hanc adiſcere Diſciplinam, quæ noviſſimis Eccleſiæ Conſtitutionibus continetur, quam quæ Patrum ætate obtinebat, non ſupervacaneum inficiamur, ingenueque teſtamur, quod ubi ſtudium Legum iis, qui Canonibus intelligendis incumbunt neceſſarium ſit, *pro majori eorum intelligentia*, ut legitur in Litteris, quibus Beneficiatis hæc licentia conceditur, hoc ipſum aſſumi poterit, ſed tamen ſobrie, ne Diſceptationum forenſium peritiam per illud ſtudium affectent, quod abſurdum eſſe, & opprobrioſum, jam pridem judicatum habetur in L. 41. C. de Epiſcopis, & Cler. Non recedunt itaque a Decretis Conciliorum, & a mente Pontificum ii, qui in Dignitatibus, & Canonicatibus Cathedralium, & Collegiatarum inſignium, ut modo in more Univerſitatum poſitum eſt, illos inſtituunt, qui ſunt in utroque Jure graduati, quod nulli hodie creari ſoleant Doctores Canonum, ſeu Decretorum, paucique Juris Canonici, aut Decretorum dumtaxat Licentiati fiant. Ii aberrant a mente Pontificum, & Conciliorum Statutis, qui hujuſmodi gradus vacuos honoris titulos eſſe cenſent, eoſdemque detrectant eſſe publica quædam eruditionis teſtimonia, ſic enim contingerit, quod gradus, qui ex intentione Eccleſiæ ſervire debent, *ut quis ſuo muneri reſpondere poſſit*, quemadmodum loquuntur Tridentini Patres in cap. 12. Seſſ. XXIV., *& ut capaciores ad munia Eccleſiarum vocentur, & imperitis janua occludatur*, iidem ſubſerviant, ut faciliorem ad ſimiles dignitates habeant introitum. Ea propter Sacrarum Sanctionum ſibi præſcriptarum prævaricatores conſtituuntur quotquot gradibus, & titulis inſigniunt indignos, adeoque veluti publico Teſtimonio Tribunalibus, & Dei Eccleſiis imponunt, immanemque Reipu-

Digitized by Google

blicæ tam Eccleſiaſticæ, quam Politicæ inferunt Perniciem. Per illos quippe titulos, tamquam publica eruditionis teſtimonia, major Miniſtris illis accedit auctoritas, quibus dum eruditio, aliæque animi dotes non reſpondent, illa non raro in Eccleſiæ perniciem abutuntur. Quod tunc maxime verendum eſt dum Nobiles, & Illuſtres viri ad Doctoralem Lauream, & Licentiæ gradum admitti contigerit, poſtpoſito de Pietate, & eruditione examine, cum enim ſimiles facilius ad præcipuas Eccleſiæ dignitates amicorum potentia, vel auctoritate aſſumantur, majus etiam periculum eſt, niſi inſufficientes gradum odipiſcantur, illo ſint abuſari. Quandoquidem ergo Canonici omnes ad docendum, corripiendum, & erudiendum in juſtitia ſecundum menſuram donationis, & Miniſterii ſibi commiſſi deſtinantur, Conſiliumque, & operam in negotio Eccleſiæ, & Religionis, ceteriſque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Epiſcopo requiſiti fuerint, tam conjunctim, quam diviſim præſtare tenentur; in Scientia hujuſmodi polleant neceſſe eſt, qua muneri ſibi injungendo neceſſitati poſſint ſatisfacere: Hinc factum eſt, quod ubique Cathedralium, Scholaſticus, Archidiaconus, Decanus, & Pœnitentiarius nullus audiatur, qui in Univerſitate Studiorum Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canonico merito promotus non exiſtat, aut publico alicujus Academiæ Teſtimonio idoneus ad alios docendos non oſtendatur.

XXI. *Scholaſtria* idem ſonat ac munus Magiſtri Scholarum. Olim ſimplex Officium erat, deinde vero in Beneficium, & demum in aliquibus Cathedralibus ad dignitatem evecta eſt, ampliſſimis redditibus optatiſſimam: unde poſtea abuſus plurimi irrepſerunt, quorum maximus erat Scholaſticos hominea cernere, qui vix ſe ipſis regendis idonei eſſent, quique autumantes ſatis eſſe, ſi ipſi dignitate, & proventibus potirentur, Officium vero a ſe in alios derivarent. Non immerito itaque Tridentina Synodus in cap. 18. Seſſ. XXIII. de Reform. ſolicite præcepit, *ut de cetero Officia, vel Dignitates illæ, quæ Scholaſtriæ dicuntur, nonniſi Doctoribus, vel Magiſtris, Licentiatis in Sacra Pagina, aut in Jure Canonico, & aliis Perſonis idoneis, & qui per ſe ipſos, id munus explere poſſint conferantur, & aliter facta proviſio nulla ſit, & invalida, non obſtantibus quibuslibet Privilegiis, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus*. Super quo Decreto Tridentini Concilii cum aliqua dubia orta eſſent, ſequentes Declarationes referente Nicolao Garzia P. 7. de Benef. cap. 7. edidit S. Congregatio, videlicet *nihil referre a quacumque demum Univerſitate prodiiſſent hi Doctores, vel Magiſtri &c. dummodo eſſet una ex approbatis: vel etiam ſi Univerſitas non eſſet ex illis, quæ eſſent in illa Regione, in qua eſt Scholaſtria: itemque non comprehendi Scholaſtrias exiſtentes in loco, in quo minime erigendum eſt Seminarium*; imo addit Joannes de Solorzano de Jure Indiarum T. 2. lib. 3. cap. 14. n. 18. *neque comprehendi illas exiſtentes in loco, in quo erectum non eſt Seminarium, aut ubi in ejus Inſtitutione alii Præceptores ſunt deſtinati*. In pleriſque Eccleſiis nomen hoc Magiſtri Scholarum adhuc manſit, in aliis vero in locum Scholaſtici ſucceſſit *Cancellarius Univerſitatum*, qui ſublato Scholaſtici nomine dignitatem retinet, & ſimul eſt Cancellarius Generalis Studii, cui Apoſtolica auctoritate competit jus concedendi gradus, ut ſupponitur in cap. 4. de Arbitris, cap *finali* de Lite non conteſtata. & obſervatur in quibuſdam Academiis præſertim Salmaticenſi, ubi Magiſter Scholæ, qui Præbendam cum Di-

Digitized by Google

Dignitate in Eccleſia Cathedrali habet, eſt ſimul Cancellarius Univerſitatis; aliquando vero Scholaſticus, & Cancellarius Univerſitatis: aliquando tamen Scholaſticus, & Cancellarius idem non eſt, ut in cap. *conſtitutis* de appellationibus. Reperitur etiam eadem Dignitas in aliquibus Cathedralibus *Cantoris* nomine inſignita, idque munus Cantori Eduenſi adtributum fuiſſe refert Oldradus in Reſponſo 146. ejus nempe fuiſſe Officii per totam Civitatem, ac Diœceſim Scholas moderari, quod etiam in uſu apud Turonenſes fuiſſe colligitur ex iis, quæ in Bibliotheca Cluniacenſi referuntur ex Actis Conſulum Andegavenſium in *Fulcone bono*, ubi dicitur S. Odo, qui poſtea Abbas Cluniacenſis fuit, Magiſter Scholæ, & Præceptor Eccleſiæ S. Martini fuiſſe.

XXII. Remanſerunt etiam in Eccleſia Præbendæ Theologales, quæ Theologo aſſignantur, qui Sacerdotes, & alios in Sacra Pagina docet, & in his præſertim informat, quæ ad Curam Animarum ſpectare noſcuntur, quique ex Decreto Concilii Baſileenſis Seſſione XXXI. cap. 3. *eſt Magiſter Licentiatus, vel in Theologia Baccalaureus formatus, & per decennium in Univerſitate privilegiata ſtuduit*. Hujus Lectoris Electio ſoli Epiſcopo competit, nec Succeſſori præjudicium fit, ſi aliter per prædeceſſores fuit obſervatum; & id intelligendum eſſe de his Canonicatibus Theologalibus, qui erecti non ſunt ante Concilium, a Sacra Congregatione Concilii deciſum eſſe refert Garzias loco ſupra cit. p. 5. c. 4. n. 16. quæ S. Congregatio inſuper cenſuit, ut teſtatur Rota Romana in Deciſ. 147. n. 1. apud Farinacium Part. 1. in poſthum. Canonicum hunc Theologalem poſſe compelli, ut per ſe, & non per ſubſtitutum muneri ſuo ſatisfaciat, niſi adſit legitima abſentiæ cauſſa, aut niſi ex capite infirmitatis ſanabilis impediatur, quominus per ſe ipſum legere valeat, eo vero caſu quo quis eſſet ſubſtituendus, Electionem ſubſtituti ſpectare voluit ad Epiſcopum, ad quem etiam ſpectat definire tempus, horam, & materiam Sacræ Scripturæ ſuper qua legendum eſt, qui Epiſcopus invigilare præterea debet ne fruſtranea hæc lectio ſit, ut contingeret, ſi deeſſent, qui eum perlegentem audirent, quapropter contendere debet, ut Clerici inſtructione indigentes, diligenter huic perlectioni interſint. Canonicos enim, ceteroſque Presbyteros Cathedralis Eccleſiæ teneri accedere ad lectionem S. Scripturæ Theologi illam legentis Seld. in Select. Canon. c. 12. n. 3. deciſum tradit ſub die 11. Auguſti A. 1618. Ut vero Theologus utilius, & fructuoſius ſuo muneri ſatisfacere, ſtudiiſque liberius vacare poſſit, *etiamſi abſens fuerit a Divinis*, ait laudata Synodus Baſileenſis *habeatur pro præſente, ita ut nihil perdat*, eidemque ex Concilii Tridentini mente in cap. 1. Seſſ. V. de Refor. Præbenda quomodocumque, præterquam ex cauſſa Reſignationis, primo vacatura, ubi non fuerit conſtituta, cui aliud onus incompatibile injunctum non ſit, ipſo facto perpetuo conſtituta, & deputata intelligatur, & quatenus in ipſis Eccleſiis nulla, vel non ſufficiens præbanda foret, Metropolitanus, vel Epiſcopus ipſe per aſſignationem fructuum alicujus ſimplicis Beneficii, ejuſdem tamen debitis ſupportatis honeribus, vel per contributionem Beneficiatorum ſuæ Civitatis, & Diœceſis, vel alias prout commodius fieri poterit, de Capituli conſilio ita providere debet, ut ipſa Sacræ Scripturæ lectio habeatur. Satis fieri tamen Concilio, etiam Scholaſticam Theologiam legendo, Garzias loc. cit. n. 156., & alii deciſum fuiſſe tradiderunt non ſecus ac deciſam traditur in una Camerinen. 8. Februar. 1594 poſſe

Epi-

Epiſcopum, dum Præbenda Theologalis vacat, fructus applicare alicui perſonæ, quæ ſuppleat munus legendi, & debere dari in Commendam uni Canonico idoneo ejuſdem Capituli, ſi adſit, donec Titularis provideatur: imo ſi Clericus ſæcularis idoneus non reperiatur pro dicta Præbenda, Pius V. & Gregorius XIII. ſtatuerunt collationem hujus Canonicatus ſuſpendendam eſſe, donec idoneus Theologus ſæcularis inveniatur, interim vero nullum eſſe ab Epiſcopo fructuum ipſius Canonicatus cuſtodem, aut curatorem deputandum, ſed eos omnes Superiori alicujus Monaſterii tradendos, qui curent, ut aliquis idoneus Theologus ex ſuis Regularibus publice Sacr. Scripturam in Cathedrali doceat, prout in Decreto Concilii Tridentini mandatur, eique in primis neceſſaria ſubminiſtret ex dictis fructibus, & ſi quid reliquum fuerit in uſum Monaſterii convertatur.

XXIII. Archidiaconi, qui oculi dicuntur Epiſcopi cap. *ad hæc* de Officio Archidiaconi, & ſic ſunt majores poſt Epiſcopum cap. *mandamus* titulo eodem debent eſſe in omnibus Eccleſiis, ubi fieri poteſt, Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia, vel Jure Canonico ex Decreto Concilii Tridentini Seſſ. xxiv. de Refor. cap. 12. circa quod Decretum Navarrus in Manuali cap. 15. n. 135. notat, non ſufficere quo ad hoc, Doctoratum, vel Licentiam Juris Civilis, Medicinæ, vel Artium, imo neque Doctoratum ex privilegio, ad hujuſmodi dignitatem promoveri poſſe, alias *gradum ei non ſuffragari* ex Bulla 62. Pii V. luculenter evincitur, & hoc extenditur etiam ad caſum, in quo Archidiaconus careat juriſdictione contentioſa, aut careat cura animarum, & nihil habeat omnino, præter primum locum in Choro, & ſtallum in Capitulo, ſicut ceteri Canonici, & Portionarii, cum hujuſmodi Archidiaconi, non compræhendantur in hoc Decreto Concilii, ut ſint Doctores, vel Licentiati, eo quia nomine tantum ſunt Archidiaconi, ut legitur in pluribus Deciſionibus Sacræ Congregationi, Concilii, quæ referuntur, ab Anaſt. Germon. de Indultis Cardin. §. *quibuſvis* n. 4. ab Aloyſio Ricci in Praxi rerum fori Eccleſ. Deciſ. 473. in 1. edit. & ab aliis, qui tenent quod ſi ex Eccleſiæ conſuetudine poteſtas, & juriſdictio, quæ competit Archidiacono, competeret Archipresbytero, ſimilem gradum Doctoratus deberet Archipresbyter aſſumere, & excipiunt ab hoc onere Archidiaconos reliquos Civitatum, ſeu Oppidorum Eccleſiæ Cathedralis qui vocem, & ſedem habent, in Cathedrali. Quod tamen limita, niſi in fundatione præbendæ ſit cautum ut conferatur actu Graduato, vel Licentiato in Theologia, aut in Jure Canonico, tunc enim requiritur gradus tempore collationis.

XXIV. Quæ de Archidiaconatu ſunt dicta ad Decanum extendi commode poſſunt, cum Decanus ſit honorabilior de Capitulo per textum in cap. *poſt electionem* de conceſs. præben. in 6. per Gloſs. 1. in c. *cum inter univerſis* de Elect. & propter conſenſum DD. in affirmando *Decanatum ſonare in nomen Dignitatis, & eſſe dignitatem Juris, & caput Capituli.* Et re quidem vera in pleriſque non Cathedralibus, quam Collegiatis Eccleſiis ſolent Decani totius Capituli, & Cleri Capitulo ſubjecti curam ſpiritualem habere. Hoc præcipiendo Decanis injungit Synodus Colonienſis A. 1260. & altera A. 1536. Decanos monet, ut *Clericos ſuos ad Obſervantiam priorum rituum provocent, ac reducant, & ſuo Officio ſatisfacere compellant omnes.* Ex quibus verbis eruitur apud Decanum juriſdictionem eſſe in Canonicos, alioſque Eccleſiæ ſuæ Clericos. Utram autem juriſdictio hæc plus ex Conſuetudine, & Pri-

Digitized by Google

Privilegio, quam ex Jure dependeat, inquirant alii, Unum certum eſt juriſdictionem hanc eſſe tantum (ut in more eſt Canoniſtarum illam appellare) *correctionalem*, & reſpicere dumtaxat leviores deffectus, præſertim ſpectantes Diſciplinam Canonicalem, ut notavit Pinſonius in notis ad Molinæum ad caput *irrefragabili* 13. de Offic. Ordin. qui Pinſonius præterea advertit a ſententia Decani ſuper hujuſmodi defectibus non admitti appellationem cum effectu ſuſpenſivo. Alia Decanorum jura in antiquis ſingularum Eccleſiarum Statutis, & Conſuetudinibus inquiri debent, ſtabit tamen ſemper, & perpetuò manebit Molini monitum libro 2. de Canonicis cap. 6. *Multa ſane opus eſt prudentia, auctoritate, eruditione, & morum probitate, ut Decanus dignitatem ſuam tueatur*; hinc factum eſt, quod aliqui arbitrati ſint non niſi Magiſtrum, aut Doctorem, aut Licentiatum &c. ad eam dignitatem promovendum eſſe; verum nullo Concilii Trid. Decreto ſtatutum eſſe, ut qui Decanatum conſequi velit, is neceſſario ſit Magiſter, ſive Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Jure Can. Sacra Congreg. reſpondit Archiepiſcopo Hiſpalenſi, & alias etiam decrevit, non licere Synodo Provinciali imponere onus Dignitatibus, quod quis, niſi Graduatus non poſſit eas obtinere ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate propter hoc, quod Concilium Trid. hortetur ut in Provinciis Dignitates omnes conferantur tantum Magiſtris &c. cum hortari non ſit præcipere, & neceſſitatem inducere, ſed illud agere, quod commode fieri poteſt, ut iidem Tridentini PP. Decreti ſui Litteram explicarunt.

XXV. Porrò ſenſum hunc non abhorrere a ſententia Patrum, qui Tridentino Concilio interfuerunt a ſimili demonſtratur in promovendo ad Canonicatum, cui injunctum eſt Pœnitentiarii Officium in Eccleſia Cathedrali. Quamquam enim hic ex Concilii Decreto debeat eſſe Magiſter, vel Doctor, ut dicitur in cap. 8. Seſſ. xxiv. de Reform. nihilo tamen ſecius, cum fieri poſſit quod Magiſter, vel Doctor non reperiantur, ſed tantum apta Perſona, Concilium ipſum adhuc permittit huic Canonico, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, hoc munere fungi, nec alium Magiſtrum, aut Doctorem impellit inquirere. Non ita vero prætereundum eſt, ſi Officium Pœnitentiariæ Doctori conferatur, qui ſit valde ignarus, nullam ſiquidem in hoc caſu futuram talis Dignitatis impetrationem voluerunt Tridentini Patres, & qui illius mentem aſſequuntur Cardinales Interpretes, Sacræ Congregationis Decreto ita dubium dirimerunt ſub die 20. Martii A. 1623. Neque gradum illum, ſufficere cum celeberrimis Canoniſtis arbitramur, qui contra Academiæ ſtatuta, vel conſuetudines recipiatur, hæc enim promotio ad gradum Doctoris, vel Licentiati ipſo jure irrita eſt, quia jura repetentia gradum debere intelligi de gradu valido. conſtat ex leg. 4. §. *condemnatam* ff. de re judicata: & *paria ſunt non habere gradum, vel illum habere nullum, & invalidum*, quæ nullitas etiam incurritur, juxta Pii IV. Conſtit. 112. quando qui promovetur ad Gradum, Fidei Profeſſionem omittit.

XXVI. Nec ſolum Occidentalis, ſed etiam Orientalis Eccleſia, quæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ leges plurimas accurate ſervavit, ab hoc more abſtinuit, ut Clericos ſuos, & inter hos præcipuos Sacræ Scripturæ Doctores, & interpretes deſtinaret. Joannes Epiſcopus Citri in Reſponſione ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii Archiepiſcopum quatuor numerat Scripturarum Sacrarum Interpretes, quorum alter Scripturas Sacras generatim Oratorio Stylo interpretatur, tres reliqui poſitivæ Theologiæ Doctores ſunt. Et circa iſtos Do-

Doctores, ex ſententia Eccleſiæ Orientalis Balſamon in Canone XIX. Synodi Trullanæ notari voluit, quod Populum docere ſolis Epiſcopis datum eſt, & Magnæ Eccleſiæ Doctores Patriarchæ jure docent. Quod ipſum infert ex Novella Alexii Commeni deſcribente quommodo, & quinam debeant in Eccleſiis eligi Epiſcopi Coadjutores, ut ipſi in animarum ſalute collaborent, eumque in Officio adjuvet, ideoque vult Imperator Doctores poſt Officiales proximos Patriarchæ aſſidere, tamquam ejus perſonam repræſentantes. Ex regula igitur Divinæ Providentiæ, & Eccleſiæ Inſtitutione Canonicalis aſſumptio, ſaltem ordinarie loquendo Doctoratus, & Magiſterii Sacræ Scripturæ Officio adnexa eſt, ut mens Doctoris Divinæ gratiæ beneficio clarius illuminetur, & utilior erga Auditores ſuos efficiatur, quam Divinæ providentiæ regulam, & Eccleſiæ inſtitutionem evertunt illi, qui nullum Theologicæ Profeſsionis cum Eccleſiaſticis gradibus connubium, nullumque artium vinculum eſſe contendunt, & remedium hoc tam ſalutare reſpuunt, quo humanus animus, qui in peccati primi Parentis pœnam conflictatur, & frangigitur, naturam ſuam adiuvat fortiter, acriterque impellit ad dignam ſuorum munerum executionem.

§. V. *Canonici, & Cathedralia Capitula, ex inſtituto ſuo tenentur Epiſcopis allaborare in Regimine Eccleſiæ, & quamtumvis exempta, ea quæ honoris, & Reverentiæ ſunt eiſdem exhibere.*

XXVII. Quod Canonici Epiſcopis ſint in Coadjutores, & Cooperatores, ex eorum Inſtitutione demonſtratur ampliſsime, Ea ſemper a temporibus Apoſtolorum fuit Eccleſiæ Diſciplina, ut non dedigarentur Epiſcopi alios inferiores Miniſtros ſibi adſciſcere. Hi erant univerſi Presbyteri, & Diaconi, *quibus inconſultis* a primordiis Epiſcopatus ſui, ſe nihil gerere S. Cyprianus ſtatuerat: ſine *quorum præſentia* Carthaginenſis IV. Synodus vetuit Epiſcopos Cauſſas audire: Quos Vir Apoſtolicus S. Ignatius *Conſiſtorium Sacrum, Conſiliarios, & Aſſeſſores Epiſcopi* appellabat: & *ad quos demum oportebat pro Corpore totius Eccleſiæ excubare*. Excreſcente Presbyterorum, atque inferiorum Clericorum ordine, a pluribus nonnullos elegerunt iidem Epiſcopi, ad quos majora Eccleſiæ negotia deferre conſueverunt, quos propterea, tamquam Cathedræ Epiſcopali propius adhærentes, Canonicos Cathedrales poſterior ætas nuncupavit, & hi in priſtinum Presbyterorum & Diaconorum Presbyterium ſucceſſerunt, unaque cum Epiſcopis majora Eccleſiæ negotia, ſimiliter ut olim abſolvebant, & Epiſcopis ſive mortuis, ſive abſentibus, pro corpore ſuarum Eccleſiarum excubabant. Merito itaque magnus ille Gandenſium Antiſtes Lindanus debitum hoc Canonicis ſuis objecit, ut legitur in ejus Apolog. 2. ejuſdemque Rothomagenſes Patres in Synodo A. 1581. titulo de Epiſc. n. 28. meminerunt, quod intelligerent Epiſcopos conſilio, & Opera Capitulorum, & Dignitatum juvari debere, ut membrorum Capiti cohærentium, & obſequentium, idque adhuc luculentius expreſsit Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. præcipiens, non tantum in Cathedralibus, ſed etiam Conventualibus Eccleſiis viros idoneos ordinari, quos Epiſcopi poſſent Coadjutores, & Cooperatores habere, non ſolum in prædicationis Officio; verum etiam in audiendis Confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, ac ceteris, quæ ad ſalutem pertinent Animarum. Et hinc eſt quod Molanus lib. 1. de Canonic. cap. 17. eoſdem

Canonicos hortatur ut *Sanctè vivant, & prompti ſint ad omne Eccleſiaſticum miniſterium, ad quod a Præpoſito ſuo ordinantur*: eidemque Operi ſe devinctos eſſe *ex voluntate eorum, qui canonicatus, & Præbendas inſtituerant* Cardinalis Polus expoſuit in Decreto de Reformat. Cleri Anglicani, *ut ipſi, utpote Canonum ſingularem cuſtodiam profitentes reliquo Clero ſuperintenderent*; & ut in ipſis Capitulis perſonas haberent Epiſcopi, quæ ſibi in regimine, populi forent adjutores, cum non raro contingat quod ſine Canonicorum conſenſu procedere non poſsint Epiſcopi, ut imperavit Alexander III. in cap. *novit*, & in cap. *quantis* de his quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli: idque efficacius attenditur in illis omnibus Controverſiis, in quibus vertitur intereſſe Capituli, vel cum agitur de notabilium aliquarum rerum ad Eccleſiam ſpectantium alienatione; in Eccleſiarum item, & Beneficiorum Unione; in Cauſis hæreſis; in Traslatione Corporum Sanctorum de loco in locum; & in aliis Caſibus in jure expreſsis, quos Pia ecius enumerat in Praxi Epiſcop. Part. 2. cap. 2.

XXVIII. Expedit tamen hic notare, quod cum legitur in articulis Reformationis nomine Caroli IX. Galliarum Regis Patribus Tridentinis propoſitis, Epiſcopos ſua juriſdictione uti non debere ſecundum antiqua decreta, *niſi conſulto Capitulo*: quemadmodum neque alia ſine Diœceſis gravia negotia tractare: notare inquam oportet non eſſe propterea Epiſcopis ſublatam præcipuam auctoritatem, & arbitrium. Siquidem ſumma omnis juriſdictionis in Epiſcopo eſt, cui præcipue agendarum in ſua Diœceſi cura incumbit, & Canonicorum conſilium non tenetur ſequi, neque eorum conſenſum expectare, niſi *in iis tantum* ut Sanctus Carolus ſcripſit in ſua Synodo Provinciali v. P. 3. c. 11. *de quibus id ſpeciatim, nominatimque cautum eſt*: nec aliter in ſimilibus Caſibus S. Concilii Congregatio reſpondit.

XXIX. Canonicis vero e contrario dictum eſt, ut tamquam eorum Caput, & Præſidem Epiſcopum revereantur, atque ſuſcipiant, quod & ii Canonici, & Cathedralia illa Capitula præſtare tenentur, quæ ab Epiſcoporum Juriſdictione ſe ſubtraxerunt, non minus ac filii Emancipati, qui naturalia obſequii, & honoris Jura Patri ſuo naturali negare nequeunt, cum nunquam, ut Feuretius notavit in Tractatu du Abuſu l. 1. c. 1. *exempti liberi eſſe cenſentur ab obſequio reverentiali*: Quapropter Tridentinum Concilium Seſſ. xxv. c. 6. de Refor. decrevit ut Epiſcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt, eiſque in Choro, & in Capitulo, in Proceſſionibus, & aliis Actibus publicis ſit prima Sedes, & locus, quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas: neque hujuſmodi Canonici negare Epiſcopo juſte poſſunt Congregationem Capituli, cum eam neceſſariam pro negotiis Eccleſiæ ſuæ judicaverit, & tenentur eumdem comitari in publicis Proceſſionibus, & permittere ut in ſua Eccleſia Cathedrali, quamquam Exempta poſſit habere ſedem, vel Thronum elevatum, & habere Umbellam in Cathedra ſua elevata ad tres gradus, ad quam poſſit accedere, ſive in habitu Pontificali, ſive Canonicali, quotieſcumque ei libuerit, quia hi Canonici non ſunt exempti a jure reverentiali, nec ab onere, & obligatione miniſterii communis, ſed a contentioſa juriſdictione. Et ſane *quid juſtius* inquit Van Eſpen in Jus Eccleſ. Univer. P. 1. tit. 8. n. 1. *ac ipſi Ordini Hierarchico conformius, quam ut is in conſeſſu ſui Cleri præſideat, ac negotia propoſita Præſidentis inſtar moderetur, qui præcipuum in Hierarchia locum obtinet, atque* emi-

eminenter omnem Eccleſiaſticam auctoritatem, quæ in Clero inferiori reperitur continet; imo a quo tamquam e fonte in reliquum Clerum deſluere debet, ut propterea Epiſcopatus plenitudinem Sacerdotii, reliqui vero Ordines, aut dignitates Clericales portionem aliquam dumtaxat habere dicuntur? Opportune igitur Tridentini PP. in laudata Seſſione *Epiſcopos ipſorum Capitulorum moderatores, quamquam eſſent Exempta* dixerunt, & in ipſis Præſidentium munera, & functiones exercere voluit, & decrevit: *quod ſi aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad ſuum, vel ſuorum Commodum ſpectante agatur, Epiſcopi ipſi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant.*

CAPUT VI.

DE MONACHORUM, ET REGULARIUM INSTITUTIS.

MUltitudinis autem Credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Sententiam hanc quam ex Actis Apoſtolicis recitavimus primam Cœnobitarum imaginem præſeferre non pauci ex Sanctiſſimis Eccleſiæ PP. agnoverunt; imo eo uſque illorum aliqui progreſſi ſunt, ut defenderent ab ipſis Apoſtolorum temporibus Monachale Inſtitutum ſua deſumpſiſſe primordia, quod non pauci tunc ſegregati a Credentium turbis, ab eo quod a Conjugiis abſtinerent, atque a parentum conſortio, mundique iſtius converſatione ſecernerentur *Monachi*, ſive *Monozontes* ſingularis, ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſint, & ex Communione conſortii *Cœnobitæ*, Cellæque ac Diverſoria eorum *Cœnobia* vocabantur. Quid de hoc ſentiendum ſit infra videbimus. Unum hinc inferre liceat *Monachatus*, & nomen *Monachus* ab ipſis Eccleſiæ incunabulis auditum ad hæc uſque tempora reſentum eſſe, quod per illud præcipuum Monachorum Officium exprimatur in eo poſitum, ut Dionyſius ait cap. 6. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, *ut rebus viſibilibus relictis, Monachi Divinitati ſoli placere contendant*, quod præſtare ſolent *Caſſinenſes*, *Ciſtercienſes*, *Chartuſiani*, aliique hujus generis, qui ſoli contemplationi inſiſtunt, non autem reliqui, qui cum in Actione verſentur *Therapeutas* ex veteri nomine, quo laudatus Dionyſius, & Philo uſi ſunt recentior ætas appellavit, *Religioſos* nimirum, vel *Regulares*, quod certæ vivendi regulæ addicti ſint, ſeque totos Dei obſequio mancipaverint; unde poſtea Religionis ſtatus emanavit, hominum ad perfectionem Chriſtianam per Paupertatis, Continentiæ, & Obedientiæ Vota tendentium, ut integer illorum Spiritus, & anima, & corpus conſervetur, quo modo conſervari Theſſalonicenſes optabat Apoſtolus, ut legitur in capite ultimo primæ epiſtolæ, quæ iiſdem inſcribitur. De hoc itaque hominum ſtatu in præſenti Capite diſputamus, quantum poſtulat materiæ ratio, & ordo illorum, qui ad Eccleſiaſticam Hierarchiam quoquomodo ſpectant. Rem vero ipſam ita dividemus, ut totum illud prodeat, quod diſputationis hujus noſtræ præcipuum eſt argumentum.

§. I.

Digitized by Google

§. I. *Religioſorum Ordinem perperam affirmant Heterodoxi Rem eſſe recens in Eccleſia invectam.*

II. Plurima eſſe, quæ obſtant Veritati hujus Propoſitionis, inquiunt Chriſtianæ Religionis oſores, & qui hanc tam excellentem Chriſtianæ Reipublicæ partem petunt, ut Monaſticem de medio tollant Wicleffus, Lutherus, Calvinus, Philippus Melanchthonus, Magdeburgenſis, qui ingentia volumina in Monachorum vituperatione conſumunt, quos ubique Hypocriſis, ubique impietatis accuſant. Inter cetera vero objiciunt hujuſmodi inſtitutum non tuliſſe prima ſævientium adverſus Chriſtianos perſecutionum tempora, nullumque ſibi perſuadere poſſe Tyrannos, & Idolorum cultores, qui ſumma crudelitate in Chriſti fideles omnes graſſabantur, eos impune reliquiſſe, qui in Collegiis communiter degentes, tonſura, & veſte, perfectiorique vivendi genere ceteris Chriſtianis illuſtriores eſſent: Quod niſi ita contigiſſet non defuiſſet profecto aliquis, qui primis Eccleſiæ temporibus Monachum aliquem veſte, vel tonſura ab aliis Chriſtianæ Religionis hominibus diſcretum in publico viſum, aut a Paganis captum, tortum, vel necatum memoriæ, aliquando non mandaſſet, litteriſque conſignaſſet Collegium aliquod in quo Monachi ſimul vitam degerent a Paganis, aut Imperatoribus vaſtatum, vel everſum, Auctor eſt Ruffinus in lib. 11. ſuæ hiſtoriæ cap. 3. Arianos tanto furore in Monachos debacchatos fuiſſe, ut ipſas etiam deſertiſſimas ſolitudines, locaque maxime abdita, & recondita penetrarent, ut Monachos quærerent, raperent, atque occiderent. De Valente Imperatore in Hieronymi Chronico adnotatur uſque adeo illum odiſſe Monachos, ut lege lata Monachos omnes, aut arma ſumere, militeſque fieri, aut fuſtibus cædi, mactarique decreverit. Imperatoris Conſtantini Copronymi, & ceterorum veterum Iconomachorum in S. Monachos, aut improbe dicta, aut crudeliter facta illorum temporum litteris conſignavit hiſtoria. Et re quidem vera multis annis ſupra ducentos nulla apud Eccleſiaſticos Scriptores facta eſt Monachorum mentio, nam Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum ſcribens apud Euſebium libro 6. cap. 35. cum omnes Eccleſiæ Ordines recenſeat ad viduas, uſque pauperes, & afflictos, ne verbum quidem habet de Monachis: Sancti Athanaſius, & Hieronymus primorum Eremitarum vitam deſcripſerunt. Ignatius Martyr, Tertullianus, Cyprianus Viduas, & Virgines Deo Sacras commemorant, de Monachis omnino ſilent. Ex his igitur, hoc unum tantum inferri poterit quarto, & quinto Sæculo apud Veteres extitiſſe aliquos Monachos, ſed eos qui nunc ſunt nihil habere cum illis commune, ut merito dici poſſit Monachatum, qualis nunc eſt, rem novam eſſe, & id maxime confirmari, quod Eccleſia primitiva, & novum Teſtamentum in totum ignorarunt cujuſquam rei vovendæ uſum, & Auguſtini tempore Monaſteria nihil aliud erant, quam libera Collegia nullis votis adſtricta, aut Scholæ Sacrarum Litterarum, aliarumque Diſciplinarum, & hoc unum intendiſſe tunc temporis quotquot Monachi fiebant, ut ſe Monaſtica diſciplina ad Eccleſiæ gubernationem præpararent, niſi verius dixeris, ut perſecutiones fugerent. Hæc & ſimilia objiciunt ii, qui Monachatum negant rem eſſe in Eccleſia antiquam. Contra autem dicimus vitam Religioſam non ſolum diu ante IV. Sæculum incœpiſſe, verum etiam adeo eſſe

vetus Religioſorum Inſtitutum, ut Religiones, quæ nunc ſunt, quo ad eſſentiam eædem ſint cum iis, quæ erant temporibus antiquiſſimis.

III. Neque immoramur in argumentis illis recenſendis, quæ petuntur ex veteri Teſtamento; conſuli de iis poſſunt Waldenſis in libro 3. Doctrinæ Fidei art. 1. cap. 1. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum quarta, & in epiſt. 13. ad Paulinum, Nazianzenus Oratione in Baſilium, Chriſoſtomus homil. 1. In Marcum, Caſſianus, Sozomenus, Iſidorus, Bernardus, aliique. Controverſiam omnem dirimit Auctor Epiſtolæ ad Demophilum, ſive hic ſit Dionyſius Areopagita, qui floruit anno Æræ Chriſtianæ 184.; ut Euſebius ſcribit in Chronico, quæ ſententia ſeverioribus Criticis ſatis perſpicua eſt: ſive quilibet alter fere æque antiquus Scriptor, ut Laurentius Valla teſtatur: hæc enim Epiſtola Monachorum meminit, eorum Conſecrationis ritus enarrat, de iis loquitur, velut de ordine jam antea inſtituto, qui ſcilicet pars Populi eſſent, illuſtrior tamen portio Gregis Chriſti, qui inter Laicos recenſerentur, & degerent, quamvis in Supremo Ordine perficiendorum, qui non tantum ſubeſſent Epiſcopis, verum etiam Sacerdotibus, qui vel privatim in ſuis ædibus, vel ſimul in Collegiis vitam ducerent ſingularem, a curis terrenis expeditam, unique Deo mancipatam, quibus denique in Sacra Synaxi primus inter Laicos locus, & Ordini Eccleſiaſtico proximus aſſignatus eſſet. Hanc eamdem vitæ perfectionem primo Chriſtiani nominis ſæculo, imo viventibus ipſis Apoſtolis Fideles omnes profeſſos eſſe in Societate, quam poſtea Monachi in ſolitudine injerunt Actuum Apoſtolicorum liber enarrat cap. 4. in quo deſcribuntur mores fidelium, qui tunc erant Jeroſolymis; Neque diſſimilia Philo commemorat in libro de Supplicibus, mores Chriſtianorum deſcribens, qui Alexandriæ erant, & vitas Monachorum, & Sacrarum Virginum, quas in Ægypto S. Marcus inſtituit, & quas in Sacris ædiculis, ſeu Monaſteriis habitaſſe refert, & in his mulierum locum a loco virorum, interpoſitis parietibus, fuiſſe ſejunctum. Idque adeo perſpectum fuit antiquioribus Patribus, Euſebio, Hieronymo, Auguſtino, Iſidoro, Caſſiano, aliiſque per multis, ut aſſerere non dubitaverint Cœnobitarum diſciplinam a tempore Prædicationis Apoſtolorum exordium ſumpſiſſe, ſiquidem ii primi inſtituerunt, quod eſſent omnia communia, & primi ſe voto ad hanc perfectionem obligarunt, ut Auguſtinus docet in libro qui XVII. eſt de Civit. Dei cap. 4. inquiens: *Hoc votum potentiſſimi voverunt: dixerunt enim ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; quod & tradiderunt Patres illi, qui anno Chriſti 844. in Synodo ad Theodonis Villam convenerunt Lothario, Ludovico, & Carolo Regibus; dixerunt enim in canone ſexto: *Monaſticum Ordinem fuiſſe a Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeu a nominatiſſimis, ac Sanctiſſimis Patribus excultum, iſtudque ſolum fuit antiquiſſimum Monachorum genus, tempore, & gratia primum, quodque per annos plurimos ſolum inviolabile, uſque ad Abbatis Pauli, vel Antonii duravit ætatem.*

IV. Neque huic tam antiquo, & tam nobili Inſtituto Sævientium Perſecutorum rabies detraxit: Turbolentis ſiquidem illis temporibus Monachi degebant in ædibus privatis, & ut moris eſt Religioſis, vel Sæcularibus, qui nunc etiam apud Paganos, aut apud Hæreticos commorantur, penes quos libera non eſt Chriſtianæ Religionis Profeſſio, vulgari veſtitu incedebant, aut ab eo non admodum diſſimili, neque vitæ genus habebant, quod se aliqua

ſibi

Digitized by Google

ſibi peculiari notabile videretur. Quamquam & illud verius affirmabitur, quod ab Euſebio Philonis ſcripta recenſente lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 16. traditur: *videlicet quod qui per illud tempus acri, & ardenti fide iſtud Religionis genus diligenter, ut par erat, excolere ſtudebant, vitæ curis depoſitis, depulſiſque, inter urbium inania progreſſi in locis ſolitariis, & hortis a populi conſpectu amotis domicilia rerum ſuarum collocabant, evitanteſque Societates, hominum moribus, & vita longe diſimilium ab eorum inſtituto, Prophetarum more, Sanctum, & ſeverum vivendi modum ſedulo imitari nitebantur, & inde factum eſt, quod cum eiſdem nullus invideret, eoſdem etiam inſectari auſus eſt nemo, eoſdemque interimere, & eorum Cænobia demoliri, & Scriptorum nullus, facinus tam horrendum Poſterorum memoriæ aliquando mandavit*. At certum eſt imperante Adriano S. Theleſphorum Romani Pontificatus adminiſtrationem anno 128. ex Anacoreta ſuſcepiſſe, Marcionem etiam ſub Aniceti Pontificatu Romam fugientem, atque in communionem Romanæ Eccleſiæ ſubrepere fruſtra conatum, teſte Epiphanio, ex Monachorum familia prodiiſſe, ut alios prætercam, quos in aliis regionibus inter Græcos, & Barbaros indicat Philo, aliorum quoque Apoſtolorum, vel Apoſtolicorum Virorum fuiſſe diſcipulos, & quos nequaquam ambigit Papebrochius in Reſponſionibus ad Patrem Sebaſtianum a S. Paulo articulo 16. n. 69., veros omnino fuiſſe Monachos, licet hoc nomen nedum uſurparetur, ideſt *Solitarios*. Quod ſi ſupereſſet Clementis Alexandrini liber de Continentia, cujus ipſe Clemens meminit in Opere quod inſcribitur *Pedagogus*, validiſſimum nobis liber hic antiquitatis illorum Monachorum ſuppeditaret argumentum, qui Antonium, & Pacomium præceſſerunt, & ad quos in illorum moribus, & vitæ genere imbuendi ſe contulerunt.

V. Quamquam, nec ſuis defuit Tryumphis SS. Monachorum coronata conſtantia antequam etiam Ariaorum in eoſdem inſævientium impetus, Iconomacorumque furor debaccharetur. Siquidem in Eccleſiaſticis Tabulis exaratum legimus ſub Maximino Ethnico Principe plures Monachos Martyrium ſubjiſſe, quos præceſſerunt Theleſphorus, & Dionyſius, qui referente Damaſo in ejus vita ex Monacho ad Pontificatum aſſumptus eſt, ambo Martyrio coronati.

VI. Nulli vero admirationem debet ingerere, quod S. Papa Cornelius ad Fabium Antiochenum ſcribens Monachos prætereat, cum enim inter Laicos recenſerentur, & tunc degerent Monachi, illis commemoratis hos non præteriit Cornelius: quemadmodum neque defuerunt inter antiquos Scriptores, qui illorum vitas, & mores deſcriberent, nam longa oratione de his, licet ſub vocabulo *Therapeutarum*, diſſeruit Philo apud Euſebium loco ſupra cit. quem eſſe verum auctorem libri illius, cui titulus eſt *de vita contemplativa* teſtatur Hieronymus in Cathalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, Photius in Bibliot. Cod. 103., & Suidas, quamquam arbitretur Valeſius in his libris Philonem, non ſolum non eſſe loquutum de Monachis, verum etiam neque de Chriſtianis, ſed de Eſſænis, de quibus ſimilia narrat Joſephus lib. 2. de bello Judaico c. 7. & lib. 18. antiquitatum cap. 2. Ceterum rationes, quibus laudatus auctor movetur, & quas exponit in notis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Euſebii leviſſimæ ſunt. Primo dicit Therapeutas conſueviſſe, quoſdam libros evolvere antiquos ſuæ Religionis, ac Sectæ, quod quomodo id referre poſſit Philo, non intelligitur, cum nulli tunc eſſent de Chri-

Chriſtiana Religione libri conſcripti. Aſt quid repugnat hos libros fuiſſe Propheticos, aut Evangelium a S. Marco, a S. Matthæo, & fortaſſe etiam a S. Luca conſcriptum, & quaſdam Apoſtolorum Epiſtolas, ut placuit Euſebio? Repetit alteram rationem Valerius ab Hymnis, quos Deo decantabant, & quos dicit nullos fuiſſe compoſitos ante Sæculum IV., quod verum eſt de hymnis illis, qui cantantur ad horas Canonicas, non de laudibus Divinis juxta quem ſenſum nomen illud uſurpabatur antiquitus. Tertiam ex eo deducit, quod Therapeutæ bis in die Orationi vacarent, mane, & ſub veſperam contra uſum Chriſtianorum, quod tamen referri poteſt ad præcipua Orationis tempora, quibus omnes convenirent. Præterea addit, quod Philo ſuum de Vita contemplativa Tractatum Calligulæ Imperatori dicaverit, cùm Romam venit, quo tempore nulli Alexandriæ erant Diſcipuli Chriſtiani, quia nedum S. Marcus ad illam Urbem profectus erat. Hoc autem gratis aſſeritur, cum nemo veterum de Philonis Operibus agens, id teſtetur. Objicit tandem ex Philone fœminas quaſdam idem vitæ genus amplexas cum Therapeutis manſiſſe, quod nullibi ſcripſit, hic auctor, qui de his mulieribus agens, ait: *in Monaſterio ad quod ſeptima quoque die, ideſt Dominica, Therapeutæ conveniebant, mulierum locum a loco virorum interpoſitis parietibus fuiſſe ſejunctum: Medius autem paries*, (hæc Philonis verba) *a ſolo ſurgit tribus, quatuorve cubitis in modum loriculæ; ſuperiora uſque ad tectum patent, unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei ſexus conſulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur, facile abſque ullis obſtaculis, quæ uſum ejus intercipiant.*

VII. Ad id quod additur de Eſſenis juxta Joſephi intelligentiam, facile eſt reponere non poſſe laudatos Auctores conciliari, tum quia Joſephus Eſſenorum Sectam antiquam fuiſſe appellat, Philo autem indicat ſe loqui de diſciplina ſuo tempore exorta; tum etiam quia multa tribuit Eſſenis Joſephus manifeſte erronea, & ſuperſtitioſa, quorum nihil tribuit Philo ſuis Therapeutis. Quod ſi conſenſus in his Auctoribus deſideretur dici poterit, cum Matthæo Galeno libro de Origine Monaſtices, Joſephum non fuiſſe recte conſequutum myſteria noſtrorum Monachorum, & ideo frequenter lapſum eſſe, & eos confudiſſe, cum antiquis Judæis. Fuere enim tria genera ejuſdem fere nominis, nimirum Eſſeni Samaritani, Eſſeni Judæi, denique Eſſeni Chriſtiani ex Judæis converſi, quos Epiphanius hæreſi 29. vocat *Eſſæos*, vel *Jeſſæos*, credibile igitur eſt Joſephum confudiſſe noſtros Jeſſæos cum ſuis Eſſenis, præſertim cum eo tempore Chriſtiani pro Judæis haberentur. Sileant igitur de Monachis, Ignatius Martyr, Tertullianus, Cyprianus, qui tamen de Viduis, & Virginibus Deo conſecratis ſcripſerunt, loquentur pro his omnibus Areopagita Dionyſius, Sanctus ille Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus Petrus, Athanaſius, Palladius, Theodoretus, Sozomenus, Ruffinus, Evagrius, aliique, quos longum eſſet enumerare, qui omnes vitas, & res geſtas Monachorum ſcripſerunt. Cavendum tamen Thomaſſinio eſt, ne quis illi ſuccenſeat, dum aſſerit in ſuo Opere Diſc. Eccleſ. lib. 1. cap. 50. n. 8. *Religioſarum inſtitutum Monachorum inſtitutioni præferendum eſſe*. Enim vero alterutrum probant, quæcumque narrantur a Virginibus, a Viduis, & ab hominibus geſtæ res, utrorumque domeſticæ Converſationis apparatus: quare ſi Virgines a Tertulliano memoratæ veræ ſunt Religioſæ, ut Thomaſſinius videtur aſſerere, etiamſi illarum Monaſteria, nonniſi poſt Con-

Conſtantini ætatem perfectionem attigerint; ita Monachatus initia Diocletiani ætate vetuſtiora haberi poterunt, licet ad Monaſticham perfectionem non pervenerint Monaſteria, vel in Ægypto, vel alibi ante Antonium, Pacomium, & Baſilium.

VIII. Neque valet reponere antiquiſſimos Monachos noſtris conferri non poſſe, quod ſi qui nunc ſunt, nihil habeant cum illis commune. Non eſt certe hic locus inquirendi de Monachorum officiis; id enim infra præſtabimus; obiter tamen ſuprema rerum capita attigemus, ut argumenti hujus vanitas eludatur. Vota Religionis Monachis illis, non ſecus ac noſtris fuere communia, cum tota vita illorum Evangelicam emularetur perfectionem, quæ maxime in obſervantia votorum elucet. Erat illis Monachis amictus ſingularis, & tonſura, omnia illis erant communia, communis refectio, & pſalmodia, frequentiora jejunia, ciborum delectus, receſſus a ſæcularibus, aliaque id genus, ut teſtantur Dionyſius in cap. 6. Eccleſ. Hierarch., Epiphanius in compendioſa Doctrina, & Caſſianus in libris de Monachorum Inſtitutis: eo vel maxime quod ii, quibus hæc argumentatio probatur ſunt Calvinus, & Melanchthonus, qui per antiquos Monachos intelligunt illos, qui Auguſtini, & Baſilii ætate florebant, & quorum mores laudati Patres deſcripſerunt, Auguſtinus inquam in libro 1. De Moribus Eccleſiæ cap.31. Baſilius vero tum in præfatione Coſtitutionum Monaſticarum tum in earumdem cap. 22. & demum in capite ultimo. Sed hoc argumento dimiſſo videamus an primitiva Eccleſia, & Novum Teſtamentum in totum ignoraverint cujuſquam rei vovendæ uſum.

IX. Auctor eſt Auguſtinus in illud Pſalmi 79. *Vovete, & reddite* in Eccleſia Chriſti vota nunquam ceſſaſſe, ſiquidem ita loquitur de Chriſtianis ſui temporis: *Alius vovet Deo Caſtitatem conjugalem, ut præter uxorem non noverit aliam: Alii etiam vovent, etſi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiſcere, aut ſuſtinere, & ipſi voverunt aliquid majus quam alii. Alii virginitatem ipſam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale vel experiantur, quale illi experti ſunt, & reliquerunt, & iſti voverunt plurimum. Alii vovent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus Sanctis advenientibus, magnum votum vovent. Alius vovet relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus, & ire in omnem vitam in ſocietatem Sanctorum; magnum votum vovent:* Verum antiquiorem etiam Auguſtino fuiſſe vovendi uſum ex Epiſtola ad Timoth. cap. 5. oſtenditur, ubi de Viduis quibuſdam inquit Apoſtolus *cum luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, quam primam fidem omnes omnino interpretes tum Græci, tum Latini intelligunt votum Continentiæ, quod voverunt, & non reddiderunt. Oſtenditur etiam ex verbis ſupra citatis Actorum 4. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Præterea rem eamdem confirmant Chriſti Domini verba Matth. 16. *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum*, nam etſi in præparatione animi abnegare ſe ipſum præceptum ſit, tamen extra articulum neceſſitatis abnegare ſe ipſum perfecte, & omnibus in rebus ſubjiciendo judicium, & voluntatem ſuam alterius judicio, & voluntati, non eſt præceptum, ſed Conſilium.

X. Nec valet reponere hujuſmodi Scripturæ loca ambigua eſſe, & poſſe variis modis exponi, cum Interpretes omnes, qui ante lites exortas extiterunt,

rant, uno modo hæc loca expoſuerint; alioquin nihil erit non ambiguum? Nihil enim eſt tam aperte dictum, quod non poſſit a contentioſis ambiguum fieri, nihilque eſt in Scripturis, quod non poſſit exponi variis modis, ſi velimus contentioſe agere. Ex quo fit, quod licet concedatur quod voti nomen in Teſtamento Novo non habeatur, res tamen habetur, cum uſu & explicatione Eccleſiæ per Concilia approbata, aut per communem Patrum conſenſum. Verum inquies *quis ego, & Populus tuus, ut poſſimus Tibi hæc univerſa promittere? Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi*. Verbis his petitis a libro 1. Paralip. cap. 29. Pſeudomartyr Petrus ſe poſſe oſtendere arbitratur, nos nihil habere quod non ſit Dei, & propterea neminem habere quidquam quod recte voveat Deo. Nullus profecto dubitavit unquam omnia noſtra Deo eſſe debita, & obſtricta in hoc ſenſu, quod omnia ab illo accepimus, tamen multa ille noſtro reliquit arbitrio, ut etiam pro arbitrio de illis diſponeremus, nunquam tamen contra Deum. Doctrinam hanc Arauſicani Concilii Patres complexi ſunt in canone 11. in quo definiverunt: *Nemo quidquam Domino recte vovebit, niſi ab ipſo acceperit ſicut legitur: quæ de manu tua accepimus dabimus tibi*. Hinc ut PP. in Veteri Teſtamento, qui bene noverant debitum noſtrum cum Deo Vota voverunt Deo, & reddiderunt; ita, etiam in Novo Teſtamento Apoſtoli prius, deinde fideles reliqui, & Patres Eccleſiæ vota ſua obtulerunt Domino, & aliis facienda ſuaſerant, quod nemo negare poteſt, niſi qui vel nihil legerit, vel nihil credat.

XI. Ad hunc Cenſum hominum etiam Melanchthonus referendus eſt; qui profecto Auguſtinum non legit cum in Confeſſione Auguſtana art. 27. & in Apologia ejuſdem articuli ſcripſit: *Auguſtini tempore Monaſteria fuiſſe libera Collegia non adſtricta ullis votis: vel fuiſſe Scholas Sacrarum Litterarum, aut aliarum Diſciplinarum*; nam Auguſtinus cum multa ſcripſiſſet in libr. de moribus Eccleſiæ de Monaſteriorum Inſtitutis; de Scholis Litterarum, aliarumque diſciplinarum ſiluit omnino; ſecus vero de votis Monachorum, quorum meminit in pſal. 73. & in pſal. 99. in quo de Apoſtolis ait: *dum non perſeveraverit implere quod vovit, fit deſertor tam ſancti propoſiti, & reus voti non redditi*. Utinam etiam Calvinus illa legiſſet, quæ idem S. Doctor Auguſtinus ſcripſit in Sermone 1. de communi vita Clericorum & in Epiſtola 81. ad Monachos Inſulæ Caprariæ: item illa, quæ Chryſoſtomus de ſe ipſo notavit in libro de Sacerdotio, & ea quæ ſcripſerunt Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium contra Joannem Jeroſolymæ Epiſcopum, & Gregorius in Epiſtola ad Leandrum, quæ habetur initio Moralium, nunquam mendacium tam contumelioſum protuliſſet in Sanctos illos, qui ex Monaſteriis ad Epiſcopatum vocati ſunt, ut inde inferret pios homines olim Monachos fieri, ut ſe ad Epiſcopatum, & ſimilia Eccleſiaſtica munera præpararent, cum verba, quæ ex laudatis Doctoribus citari poſſent contrarium indicent, & cumulatiſſime probent Sanctiſſimos Patres illos ſe Monachos, non Epiſcopos eſſe voluiſſe, ſe vehementer Epiſcopatum fugiſſe, ut perpetuo in Monaſterio viverent: ſe invitos Presbyteros, & Epiſcopos creatos fuiſſe, cum Monachos tantum eſſe decreviſſent, & miſerabiliter caſum ſuum deploraſſe, quod cum elegiſſent perpetuo in Monaſterio vivere, tamen compulſi fuerunt Epiſcopatum ſuſcipere. Hoc unum concedi poteſt Novatoribus nonnullos Homines occaſione Perſecutionum ſolitudinem colere cœpiſſe, id enim de Paulo primo

Digitized by Google

primo Eremita narratur in ejus vita, cæterum idem affirmari non licet de Cœnobitis, cum extiterint ante omnes Perſecutiones, neque de Antonio, qui non metu Perſecutionis, ſed ſolo ſtudio vitæ purioris, ut ex Anaſtaſio perſpicuum eſt ſponte ſua ad ſolitudinem properavit: neque demum de ceteris, qui unum ſibi tantummodo propoſitum habuerunt, ſcilicet Animæ ſalutem, & quidquid prodeſſe ad eum finem poſſet.

XII. Sed ut omnis penitus tollatur Heterodoxis occaſio extollendi hodiernum Monachorum, ſive Regularium Inſtitutum, vel Profeſſionem ſupra ceteros Monachos, quod illi Regulas nullas habuerint, quemadmodum iſti vel auctoritate Sedis Apoſtolicæ, vel etiam Epiſcoporum approbata opportune adnotamus primis ſæculis Monachos nullam certam, fixamque regulam profeſſos eſſe, ſed quidquid ad profectum eorum videbatur hic, & nunc conveniens a Superioribus præſcribebatur, idque Monachis pro Regula erat. *Primaria ſane*, ita ſcribit Lucas Holſtenius in ſuo Codice Regularum, *& quaſi fundamentalis Monachorum regula Evangelium erat, illa inquam Chriſti Conſilia, quæ abnegare ſe, & Crucem tollere, quæ Patrem, & Matrem, Uxores, Agros propter Chriſtum relinquere, quæ vendere Patrimonia, & dare Pauperibus, ſicque nudos Chriſtum ſequi ſuadebant. Regulæ particulares nihil niſi ejus primæ ac Univerſalis regulæ explicationes, aut declarationes locis, & perſonis plerumque aptatæ habebantur*: mirum igitur eſſe non debet, ſi in antiquis eorum Regulis nec Epiſcoporum, nec Sedis Apoſtolicæ approbatio, vel confirmatio appareat, quæ nihil ipſi Regulæ, vel Inſtituto addit, ſed dumtaxat eum in finem poſterioribus ſæculis requiri cœpit, ut provideretur, ne ſub prætextu novæ Religionis improba conventicula in Eccleſiam irreperent. Hinc eſt quod etiam hodierni Religioſi manent nihilominus in ordine Laicorum, non minus quam veteres Monachi, nec hodie per ſolam Profeſſionem Religioſam magis pertinere ad ordinem Hierarchicum noſcuntur, quam priſtini illi, donec ab Epiſcopis per Ordinem Clericalem, & Hierarchicum ordinati eſſent, & propterea putabant per eam Ordinationem in alium ſtatum transferri, & ſe tunc Monacatu ſpoliari.

§. II. *Multiplex in IV. & in ſequentibus ſæculis Monachorum facta Propagatio eſt, licet vix fuerit eorum nota diſtinctio uſque ad* XI. *Sæculum.*

XIII. Frequentes IV. Sæculo Monachi Eccleſiam Sancta Converſatione ſua exornarunt, quocunque enim oculos convertamus, longe, lateque in Occidente, & in Oriente Monachorum Inſtitutum propagatum fuiſſe conſpicimus. Neque in præcipuis Urbibus plures defuiſſe, qui Sanctum vitæ Monaſticæ propoſitum amplecterentur. Atque, ut prætercam ampliſſima illa Monachorum agmina, quæ Ægyptum, & Paleſtinam impleverunt ſub Antonio, & Hilarione Magiſtris, Pammachium virum Conſularis generis magnum fuiſſe Ordinis Monaſtici Romæ ornamentum ſcribit S. Hieronymus in Epiſtola ad ipſum data de obitu Paulinæ Conjugis; quin imo ab eodem ἀρχιϛράτηγον Monachorum appellatur, quorum tanta multitudo ibi tunc erat, ut gauderet intueri Romam factam Hieroſolymam, & pro frequentia ſervientium Deo, tunc demum gloriæ fuiſſe, quod prius fuerat ignominiæ: ſiquidem antequam S. Athanaſius S. Antonii Vitam a ſe conſcriptam Romam detuliſſet, nemo audebat propter rei novitatem ignominioſum, ut tunc putabatur, &

vile in populis nomen Monachorum aſſumere, at poſtquam hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, & Papa Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſecutionem hæreſeos Arianæ declinantes, ad ipſam, quaſi ad tutiſſimum Communionis ſuæ portum confugerant, Vitam B. Antonii tunc adhuc viventis, Monaſteriorumque in Thebaide Pachomii, & Virginum, & Viduarum didicit diſciplinam, non erubuit profiteri quod Chriſto placere cognovit, & cernere Conſulum Pronepotem inter Purpuras Senatorum furva tunica pullatum, & geſta eorum pervolvere, qui Sanctitate, & Doctrina floruere celebratiſſimi in Monaſteriis, quæ S. Benedictus erexit, & in aliis, quæ in Italiam, Germaniam, & Angliam ab illo propagata Regiones has ſingulas illuſtrarunt. Monaſterium Mediolani plenum bonis Fratribus extra Urbis Mœnia ſub Ambroſio Nutritore fuiſſe, S. Auguſtinus teſtatur 8. lib. Conf. cap. 6. & alia fuiſſe Vercellis ſub S. Euſebii diſciplina ex Epiſtola 82. S. Ambroſii patet luculentiſſime: Habuit & Gallia ſuos Monachos in Monaſteriis, que omnium primus S. Martinus Pictavis, & Turonibus extruxit, unde poſtea prodiere Maſſilienſia, Lirinenſe, Agaunenſe, Jurenſia, Grinniacenſia Reomaenſe, ſexcentaque alia. In Cappadocia Monachorum Pater fuit S. Baſilius, ejuſinſtitutum longe, lateque per totum Orientem propagatum eſt. Plurimi etiam in Africa Monachi extiterunt vivente Auguſtino, & illorum propago ſunt illa Monaſteria quæ Hiſpania recenſuit poſtquam eo appuliſſet ex Africa veniens cum 70. Sociis Donatus Monachus Gregorio Tarmenſi æqualis, qui Religioſam vivendi rationem certis legibus, inſtitutiſque temperatam, primus in illas oras invexit, quem denique imitati ſunt Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, & S. Fructuoſus Complutenſis Abbas, aliique non pauci. Ex Africa etiam prodiit illud, quod modo tam late patet Clericorum Regularium Inſtitutum, eodem S. Auguſtino Auctore, ut ſcribit Poſſidius Calamenſis Epiſcopus in ejus Vita cap. 6., & ad illius imitationem in hoc ipſum intendit Alipius, ut ad ipſum ſcribens advertit Paulinus, quod ulterius teſtatum legimus a S. Honorato Maſſilienſi de Hilario Arelatenſi in ejus vita, e a Paulo Diacono de Crodegango Metenſi Epiſcopo in fragmento de Metenſibus Epiſcopis apud Ducheſnium Hiſtor. Francor. T. 2., qui Crodegangus regnante Pipino Clerum ſuum in unam ſocietatem congregavit, ſub unoque Clauſtro ad communem vitam informavit, præſcripta ipſis regula, quæ ab aliarum Diœceſum Clericis, qui Regi Chriſtianiſſimo parebant octavo, nono, & decimo ſæculo ſuſcepta eſt, & ſervata, neque illis exceptis, qui in Germaniæ Monaſteriis alebantur, vel Clerici, vel Canonici, quos ſuis Regulis ſubjecit Aquiſgranenſe Concilium.

XIV. Hæc tam late patens perſeveravit uſque ad X. Sæculum Monachorum, undique profluentium Turba, quæ in Eremis aliquando, in Cœnobiis frequentius degens, duplici Monachorum generi nomen dedit. Additum eſt tertium genus, eorum ſcilicet, qui a Hieronymo *Memboth*, a Caſſiano *Sibaritæ* vocantur. Hi bini, vel terni, nec multo plures ſimul habitabant ſuo arbitratu, ac ditione viventes, & de eo quod laboraverant, in medio partes conferebant, ut haberent alimenta communia. Habitabant autem quam plurimi in Urbibus, & Caſtellis abſque Præpoſito, & Regula, & horum Inſtitutum omnium erat imperfectiſſimum, imo deterrimum ſi Eccleſiæ PP. habenda ſit fides, quod aliquis proprias retinerent facultates, nec in omnibus obtemperarent Præpoſitis. Quæcumque tamen Monachorum omnium

nium eſſet in exteriori diſciplina varietas, non propterea diverſitas Ordinum nata inde eſt, ita ut ob eam diverſi, ac diſtincti Monachorum Ordines haberentur, quippe qui, ut Mabilonius ait in præfat. ad 1. Part. Sæculi IV. Benedictin. n. 52. *facilis, & promiſcuus illis erat in alia Monaſteria Monachorum invicem cum Præfectorum licentia comeatus, tametſi omnia ſeparata erant, ſed una Charitatis lege confœderata*; & n. 50. aſſeverat, *neminem antiquorum, qui de Monachis ſcripſere, Benedictinos ab aliis uſquam diſcreviſſe ante Trithemii ætatem*. ideſt ante finem Sæculi XV. Verum Lucas Holſtenius in Præfat. ad Codic. Regul. *diverſitatis Ordinum*, inquit, *qualis hodie cernitur, ne veſtigia quidem ſibi ante annos ſexcentos apparere, ſed uniformem ubique Monachatus rationem, & facilem, ac promiſcuum invicem tranſitum, mutuumque commeatum ſeruere. Orientales Monachi, quando in Occidentem venerunt, cum ibi profitentibus Religioſam vitam, ſine diſcrimine cenſebantur: viciſſim Occidentales in Oriente*. Annotavit hoc idem Chriſtianus Lupus Tom. 5. Schol. 279. ubi ait. *nullos fuiſſe diverſos Monachorum Ordines tempore Gregorii VII.*, ideſt ſub finem Sæculi XI.

XV. Neminem certe latet circa Sæculum X. ſub S. Odone Abbate Cluniacenſi diſtinctionem aliquam inter Monachos fuiſſe invectam, *quod multorum reſtaurator Monaſteriorum, Sanctæque Regulæ reparator*, hic appelletur a Flodoardo in Chronico: quod Monaſteria, quæ tunc priſcos ritus retinebant alterius Ordinis dicerentur: verum exigua hæc fuit, nec illi comparanda mutatio, quæ XI. Sæculo invaluit *Carthuſianorum*, *Camaldolenſium*, *Vallisumbroſæ*, *Grandimontenſium*, ac *Ciſtercienſium* Familiis exortis, quæ Ritibus aliis, aliiſque Regulis utebantur, quod adhuc cernitur inter alios Ordines, præſertim *Mendicantes*, quorum ne veſtigia, quidem ſibi ante annos 600. aperuiſſe Holſtenius in laudata Præfat. recenſuit, ſive perpendantur Novitiorum admiſſiones, ſive modus, & ætas profitenti um, & formulæ profeſſionum, & earum effectus, ſive conceſſa eiſdem per Apoſtolicam Sedem Privilegia, & Indulta, quibus ab Epiſcoporum Juriſdictione eximuntur, eorumque inveteratæ modo Conſuetudines, & jura illa, quibus liber, & frequens eorum tranſitus de uno ad aliud Monaſterium prohibetur, imo & acceſſus ad laxiorem Religionem, & egreſſus a quacumque, niſi cauſſa prius deducta, atque deciſa. His itaque aliiſque bene permultis diſcriminum notis multi deinceps Religioſorum Ordines diſtincti prodiere, totaque antiqua eorum conjunctio ſubinde immutata eſt. Acceſſit & illud, quod cum veteres Religiones ante Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. approbatione, ſeu confirmatione Sedis Apoſtolicæ non indigerent, poſtea nulla de novo inſtitui, aut admitti potuit ſine adprobatione hujus Apoſtolicæ Sedis, quæ admiſſionem, & inſtitutionem novæ Religionis ſibi reſervavit *ob Periculum*, ut Bellarminus notavit lib. 2. de Monachis c. 4. *Eccleſiæ imminens Superſtitionum, ac Rituum a Catholica, & ſolida pietate alienorum, ſi cuilibet privato novam Religionem inſtituere liceret, quod contigiſſe compertum eſt in Pſeudo-Religioſis illis, qui Humiliati, aut Pauperes de Lugduno vocabantur, quos Lucius III. tamquam hæreticos condemnavit*. Inde factum eſt etiam, quod nulla Religio approbaretur, niſi Regulam, & inſtitutionem acciperet ex approbatis cap. finali de Relig. Domibus, ne ſub prætextu novæ Religionis improba conventicula in Eccleſiam irreperent; & viſi quæ rorum, aut mulierum hodie Congregatio inſurgeret, quæ privatam

ſibi vivendi Regulam præſcriberet, etiam cum emiſſione trium votorum, hujuſmodi vota haudquaquam ſolemnia appellarentur, neque ad dirimendum matrimonium contractum efficacia eſſent, vel ſi poſtea contraheretur, matrimonium hoc ab *exceptione*, tum Profeſſionis immunis eſſet, tum ignorantiæ facti, quæ tunc contingeret, ut obſervat Gloſſa in c. *unico* de Voto in 6. *quando qui profeſſus eſt arbitrabatur Religionem eſſe approbatam*.

XVI. Neque illud omittendum eſt, quod ex Salviano Maſſilienſi Presbytero libro 3. ad Eccleſiam Catholicam adnotatur inter diſcrimina veteris, & recentioris Diſciplinæ Monaſticæ, videlicet inhumanos antiquitus viſos eſſe Parentes, qui filios vitam Monaſticam profeſſos legitima hæreditatis portione fraudabant, quam propterea tunc Religioſi viri colligebant, ut eam in commune conferrent, aut Teſtamento condito Propinquis, Amicis, Pauperibus, vel Eccleſiis donarent, & id eruitur, tum ex Sancti Gregorii Epiſtolis 42. lib. 1. 22. lib. 9. quinta libri 11. tum ex Lege Theodoſii Junioris ad Taurum Præfectum directa, quæ refertur Cod. Theodoſ. lib. 5. tit. 3. c. 1. tum denique ex lib. 1. Cod. Juſtin. tit. 1. c. 20.

XVII. Illud etiam in hac veteri diſciplina obſervabatur, quod Pueri ante Pubertatis annos Vitæ Monaſticæ poterant a Parentibus devoveri, quorum votum exſolvere tenebantur, nec Religioſæ Profeſſionis Jugum excutere poterant, ubi adultam ætatem attigiſſent, ut præſeferunt Canones 29. Concilii V. Aurelianenſis, 12. Matiſconenſis 1. 48., & 55. Toletani IV., & 6. Toletani X., & ut eruitur ex c. *ſignificatum* de Regularibus, & ex c. *cum virum* e. t. Verum hanc diſciplinam immutavit Cœleſtinus III. c. *cum ſimus* ibidem ſtatuens, *ut ſi Pater ſe cum bonis ſuis, & Filio impubere obtulerit Monaſterio, filius major factus ad ſæculum redire, & patrimonium a Monachis repetere poſſit*: quin etiam eorumdem Puerorum Profeſſionem ante annum 14. ætatis completum irritam declararunt Alexandri III. Decreta in Parte 20. Appendicis Concilii Lateranenſis III. cap. 1., & Parte 50. cap. 10., & c. *ad noſtram* tit. de Regularibus lib. 3. Decretalium, *quod immatura nimis, & celer infantium receptio totam pene diſciplinam Regularem peſſum daret*; & 15. ætatis annum completum Gregorii IX., & Nicolai IV. decreta ſanxerunt, antequam ad Monachalem Profeſſionem Puer aliquis admitteretur, ut legitur in Diplomate Gregoriano, quo Cluniacenſium reformatio traditur, quod incipit *Behemot*, & extat in Bullario Rom. Tom. I., & in Conſtitut. Nicolai IV., quæ incipit *Regis Pacifici* edita A. 1289., etſi non defuere Concilia, ut Pariſienſe A. 1212. Oxonienſe A. 1322., & Conventus Generalis omnium Abbatum Ordinis Benedictini ab Ottone Sedis Apoſtolicæ Legato Londini A. 1238. celebratus, quibus diſtricte prohibebatur, ne aliquis ad Religionem reciperetur minor octodecim annis, aut novendecim. Nunquam vero toleravit Eccleſia, quod Parochialium Eccleſiarum Rectores ſibi poteſtatem arrogarent prohibendi, ne Parochiani ſui vitam Monaſticam abſque eorum licentia amplecterentur, & horum audaciam Innocentius III. reprehehendit epiſt. 166. lib. 13. ad Decanum, & Archidiaconum de Loſco. Prohibuit certe etiam Carolus Magnus lege lata, *ne quis Clero, aut Monaſterio nomen daret, abſque ſuæ Majeſtatis licentia*, quæ Lex habetur in Capitular. 11. A. 805. Verum legem hanc eumdem Chriſtianiſſimum Imperatorem abrogaſſe Auctor eſt Hincmarus in Epiſtola ad Carolum Calvum, imo hoc idipſum teſtatur idem Calvus in Edicto Piſtenſi A. 864. c. 28. ad-

Digitized by Google

28. additque: *non ſolum Carolum Magnum primam legem reſcidiſſe, ſed præterea liberum aditum in Monaſteria, rerumque ſuarum donationem, ac Vita Religioſæ Profeſſi, cum liberis quibuſque hominibus converti volentibus permiſiſſe*, ſicut in capitulis lib. 1. c. 132., & 134., & in lib. 2. c. 31., & in lib. 4. c. 19. continetur.

XVIII. Pretium pro ingreſſu Monaſterii, ſeu pro receptione ad Profeſſionem Religioſam exigere ſemper vetuit Eccleſiæ diſciplina, & Simoniæ damnavit XIII. & XIV. Sæculo, adeo ut ſi præ paupertate Monaſterii, illud ingreſſurus ſibi debuiſſet indumenta comparare, ultra juſtum eorum pretium nihil penitus recepiſſet, unde poſtea factum eſt, quod non plures in Monaſteriis admitterentur, quam ex locorum facultatibus competenter poſſent ſuſtentari. Nihilo tamen ſecius *potuiſſe a Monaſteriis gratanter recipi, id quod fuiſſet eiſdem ſine taxatione gratis oblatum*, habetur in c. *dilectus* de Simonia, & in cap. *ſane* 1. e. quod ſi oportuiſſet plures Perſonas recipi, quam de facultatibus Monaſterii congrue valuiſſent ſuſtentari; *gratis ingreſſum Monaſterii iis fuiſſe exhibendum, & aliquid potuiſſe accipi pro victu perſonæ* S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 3., & S. Bonaventura in libello Apologetico in eos qui Ordini Minorum adverſantur quaeſt. 18. tradiderunt.

XIX. Jam vero, quod ſpectat ad Monaſteriorum Exemptiones breviter adnotatur antiquitus Monachos Epiſcopis ſubditos fuiſſe, & ſi quæ Monaſteria reperiebantur immunia, immunitatem hanc conſecuta ſunt, vel ab Epiſcopis, vel ex Decretis quarumdam Synodorum: Hinc inveniuntur Africana Monaſteria, quæ ex Decreto Synodi Carthaginenſis ſub Archiepiſcopo Reparato A. Christi 535. immunitatem conſequuta ſunt ampliſſimam. Hujus Synodi fragmentum extat in Tomo 6. Spicilegii. Sub Landerico Pariſienſi Epiſcopo A. 658. Clodovæo II. poſtulante, immunitatem, & privilegia obtinuit Monaſterium S. Dionyſii: ita pariter Clotario Rege rogante de conſenſu Coepiſcoporum ſuorum Bertefridus Ambianenſis Epiſcopus Privilegium libertatis Corbejenſi Monaſterio donavit; quod & aſſequutum eſt, Clodovæo III. rogante A. 694. Dervenſe Monaſterium: qua de re Adeodatus Papa rogatus ab Ægirico Abbate S. Martini Turonenſis A. 670., ut illi Monaſterio Privilegium immunitatis concederet præfatus eſt Pontifex: *hoc eſſe alienum a more Eccleſiæ Romanæ, ut Monaſteria ab Epiſcopi Juriſdictione penitus eximerentur*: Quod ſi poſtea aliquibus Monaſteriis hoc Exemptionis Privilegium conceſſum eſt, ut legimus fuiſſe conceſſum a Zacharia Pontifice Monaſterio Fuldenſi, & a Stephano III. Monaſteriis a Fulrado Sancti Dionyſii Abbate in Gallia fundatis, aut deinceps ab ejus Succeſſoribus fundandis, & ædificandis; ne vero injuria fieret Epiſcopis, hujuſmodi Monaſteria laudati Pontifices Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecerunt; & interim Sæculis IX., & X. Monaſterium quodlibet in poteſtate Epiſcopi conſtitiſſe teſtatur Hadriani II. ad Carolum Calvum epiſtola 28. idemque repetunt Canones 12. 20. 21. Concilii Moguntini, Canones Aquiſgranenſis II. Lingonenſis, Tullenſis, aliorumque & Lupi Ferrarienſis Abbatis epiſtola 19. ad Heriboldum Antiſiodorenſem Epiſcopum id ipſum expreſſe confirmat. Nec Epiſcoporum Juribus plurimum obeſt, quod identidem, tum ab ipſis Epiſcopis, tum a RR. Pontificibus conſultum ſit, *ne ſtipendia Servorum Dei, ideſt Monachorum, in alios uſus converterentur*, aut conſultum ſit libertati Electionum, *ut videlicet Monachi a propriis Abbatibus Monachis ex eodem Cœnobio regulariter electis in perpetuum guberna-*

Digitized by Google

bernarentur, *& ne deberent Monaſteria Laicis dari*, *aut Canonicis*, *& Sæcularibus Clericis*: quandoquidem ut Nicolaus I. ſcripſit in Privilegio Monaſterio Corbejenſi conceſſo: *unuſquiſque Præpoſitus*, *cujus eſt Ordinis ejus quoque erit*, *& propagator*; *nec bene diſponet aliquando cujuſcumque militiæ vitam*, *cujus non fuerit ipſa qui diſponit emulator*. Sic Pontifices Sanctiſſimi, & Antiſtites glorioſiſſimi diſciplinam hanc legibus ſuis ſanxere; ita tamen, ut Ordinationis jus Epiſcopis ſervarent, ſine quorum licentia Monachi ab alio Epiſcopo non poſſent in eorum Diœceſi ordinari. Nonnulli certe arbitrati ſunt iis ipſis Sæculis Joannem VIII. adprobaſſe Commendationes Abbatiarum Clericis de Eccleſia benemeritis factaa Haderico ſcilicet Presbytero, & Abbati Monaſteriorum SS. Gervaſii, & Protaſii, atque Simpliciano, & Joanni Diacono, & Chartulario Ravennatenſis Eccleſiæ: Verum nulla ſatis firma ratione demonſtrari poteſt tum Hadericum Presbyterum, tum Joannem Diaconum non fuiſſe ex Monaſteriis aſſumptos ad Ravennatenſem Clerum, ac deindefactos Abbates: aut Monaſticam vitam profeſſos poſtquam fuerunt Abbates deſignati, & ſuorum nihilominus Ordinum appellatos nominibus, cum neminem lateat id quod Oſtienſis commemorat, nimirum Joannem X. a. 914. ordinaſſe Abbatem Caſſinenſem quemdam Joannem Archidiaconum cum habitum Monaſticum ſuſcepiſſet, & hanc Electionem fuiſſe Canonicam. Verum quod non factum eſt ſub Joanne X. accidit Sæculo xv. quo Cœnobiorum Commendationes receptæ, & probatæ fuerunt, ut conſtat ex defenſione Pariſienſis Curiæ pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ adverſus Romanam Aulam Ludovico XI. Gallorum Regi quondam oblata, quam apud Bochettum lib. 4. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ p. 662. legere eſt, & ex epiſtola 93. Cardinalis Papienſis, & ex Seſſ. ix. Concilii Lateranenſia ſub Leone X. & ex Concilio Tridentino Seſſ. xxv. cap. 21. Inſequentibus ſæculis ab omni jure, & juriſdictione Epiſcopali exempta inveniuntur nonnulla Monaſteria de *plenitudine Poteſtatis*, & ut ait Urbanus 11. epiſt. 10. *gratia ſpeciali*, vel quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad Sedem Apoſtolicam pro voluntate Fundatorum; vel quod *nonnulli Epiſcopi Auctoritate ſua abuſi Monachos infeſtarent*, ut legitur in epiſtola 69. libri 11. Gregorii VII. ad Gunibertum Epiſcopum Taurinenſem data, qui Monachis Abbatiæ S. Michaelis moleſtus erat, & in epiſtola 32. lib. 2. S. Anſelmi ad Urbanum II. pro ſuo Beccenſi Monaſterio. Ordines Prædicatorum, & Minorum, aliorumque Mendicantium ſtatim a Confirmatione ſua immunitatem ab Epiſcoporum juriſdictione quo ad Monaſticum regimen, & ea quæ regularem diſciplinam ſpectant Sedis Apoſtolicæ privilegio obtinuerunt; prædicare autem in Epiſcopatu alicujus Epiſcopi, & Sacramenta adminiſtrare nequeunt cum ab eo illis fuerit contradictum. Neque pleriſque repugnantibus Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, & hujuſmodi Religioſos divexantibus, ne privilegiis ſuis fruerentur, confectum eſt aliquid: nam Gregorius IX. eorum quieti providit in cap. *nimis iniqua*, & in c. *nimis prava* de Exceſſibus Prælatorum, & Clemens V. Clementina *frequens* e. t. & Concilli Viennenſis Patres Exemptis faverunt. Eorum tamen exceſſus cohercuit mox laudatus Pontifex in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Religioſi*, moduſque Privilegiis adhibitus eſt, cautumque ne Religioſi in jura Præſulum, & Curatorum involarent. Utinam vero S. Bernardi querelæ adverſus immunitates ſua ætate quæſitas, quæ leguntur in epiſtola 42. ad Henricum Senonum Archiepiſcopum, & in Epiſtola 179. & 180.

& 180. ad Innocentium II. & in lib. 3. de Conſider. ad Eugenium cap. 4. & ea quæ ſcribit Petrus Bleſenſis epiſtola 68. ad Alexandrum III. temporibus his non accomodarentur, quibus Monaſteria, quæ hoc Beneficium adepta ſunt *plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt*.

XX. Quarto, quinto, & ſexto Sæculo Monachi manibus operabantur. Hoc teſtatur S. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum, idem teſtatur S. Auguſtinus in lib. de Moribus Eccleſiæ c. 31. Theodoretus Hiſtoriæ Religioſæ c. 30. Socrates lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. c. 23. & Sozomenus lib. 6. c 28. idem præcipit S. Iſidorus Hiſpalenſis in Regula, quam Hiſpanienſibus Monaſteriis tradidit ex Regulis priorum Patrum deflorata; & Secundum Regulam Magiſtri opus manuum injungitur Monachis. Sed neque diſciplinam hanc fuiſſe apud omnes Monachos uniformem laudatus Sozomenus ſcribit loco laudato c. 29. *ſiquidem de quingentis Monachis, quibus præerat Paulus Abbas in Ferme Sceti monte, ait nullum ibi fieri opus*, idemque ait Severus Sulpitius in Vita S. Martini Turonenſis c. 7. & Beda lib. 4. Hiſtoriæ Gentis Anglorum c. 23. agens de Monaſterio Hildæ Abbatiſſæ, quæ *tantum lectione divinarum Scripturarum ſuos vacare Subditos, tantum operibus juſtitiæ ſe exercere faciebat*; & idem legitur de Monachis illis, quorum opera Willbrordus Friſonum Apoſtolus, & primus Trajnrenſium Epiſcopus uſus eſt, ut opus Converſionis Gentium aggrederetur teſte Alcuino in ejus Vita; & antiquæ Conſuetudines Cluniacenſis Monaſterii lib. 1. c. 3. *opus manuum levius fuiſſe* in illo Monaſterio teſtantur. Hinc opus manuum non eſſe S. Benedicti præceptum, ſed Conſilium oſtendit Rupertus Abbas lib. 3. in Regulam ejuſdem cap. 5. & Petrus Cluniacenſis Abbas epiſtola 28. lib. 1. a quo non diſſentit S Bernardus epiſt. 128. ex quibus auctores Clariſſimi collegerunt, quod convenientius opus eſt Religioſis viris in Sacris Studiis exercitatio, lectio, ſcriptio, editio librorum ad publicam utilitatem; quæ ſingula quantum floruerint, in Ordine Benedictino teſtes ſunt doctiſſimi ex iſto Ordine Monachi, quorum egregia Opera IX. X. ceteriſque Sæculis edita ad Poſteros tranſmiſſa ſunt, & Scholæ celebres in Anienſi, in Fuldenſi, in San-Dionyſiano, in Turonenſi, in Corbejenſi, aliiſque aliorum Ordinum Monaſteriis, ex quibus doctiſſimi viri prodierunt. Merito itaque Angelicus Doctor, & S. Bonaventura contra Guillelmus de S. Amore invictis argumentis propugnarunt *viros Religioſos ad opus manuum non teneri niſi ſit Regulis, & Conſtitutionibus monaſticis præſcriptum: aut ut excluſo otio animæ inimico Sanctæ orationis, & devotionis ſpiritum Religioſi non extinguant, & ut Diabolus eoſdem inveniat occupatos*, quorum alterum S. Franciſcus adnotavit in Regula, & alterum præceperunt Carmelitarum Conſtitutiones.

XXI. Iam vero progredimur ad Orationem, & jejunia Monachorum, ut hac in re aliud utriuſque tum antiquæ, tum recentis eorum diſciplinæ argumentum ſubjiciamus. Teſtatur Caſſianus lib. 3. de Canonico diurnarum Orationum, & Pſalmorum modo c. 2. 3. & 4 *Aegypti ſolitarios horas Canonicos non obſervaſſe nulloque temporis diſcrimine per totum diei ſpatium Pſalmos recitaſſe, nullos apud eos ad orandum Coetus habitos exceptis veſpertino, nocturnoque officiis præter Sabbatum, Dominicam diem, quibus hora tertia ad Communionem conveniabant. Utrumque officium duodenario pſalmorum numero peragebant. Tertiam, Sextam, & Nonam ſingillatim dum opus facerent perſolvebant; & tres pſalmos ſingulis hiſce horis recitabant. Prime*

officium uſu receptum in Aegypto non erat. In Reliquis Orientis Monaſteriis Tertia, Sexta, & Nona ſimul a Monachis perſolvebatur; ita ut neceſſaria Operationis officia, ſpiritualibus obſequiis, nullatenus valerent impediri. Quolibet die ſeptem diverſis horis Pſalmos a Monachis concinendos eſſe, S. Baſilius præcepit in Regulis cap. 37. & hujus moris S. Hieronymus meminit in epiſt. ad Ruſticum. Monachis quoque Ordinem Divini Officii in Occidente præſcripſit S. Cæſarius variis anni temporibus accomodatum, idemque prolixe, & accurate præſtitit S. Aurelianus, prohibuitque nullum ad Monaſterium admitti S. Ferreolus, qui litteras ignoraret, & totum Pſalterium memoriter non teneret, neque a recitatione Pſalmorum immunes voluit qui de Congregatione ad paſcenda pecora mittebantur, & integrum Pſalterium ordine recitari juſſit ſingulis Hebdomadis diebus privatis ſecretius, diebus Feſtivis publice in Eccleſia. S. Columbanus Luxovienſis Abbas pro longioribus noctibus Vigilias, & numerum Pſalmorum auxit. Noctu æque ac die ad orandum conveniendum eſſe juſſit, & in Diurno Officio ſingulis horis tres Pſalmos, & nonnullas preces eſſe recitandas. Per hyemem in noctibus Dominicæ, & Sabbati ſub uno Curſu Pſalmos 75. recitari decrevit, ceteris diebus media nocte 32. Pſalmos, deinde 24. ad Matutinum, ſive ad Laudes. Nonnulla alia Monaſteria nocturnum Officium, per quatuor intervalla peragebant, atque hyemis, æque ac æſtatis tempore duodecim Pſalmos in communi Officio, atque 36. Dominicæ, Sabbati noctibus recitabant. Hinc facile intelligitur ad S. uſque Benedictum, ſex dumtaxat horis Officium conſtitiſſe, neque id ubique ab omnibus receptum fuiſſe ſatis probari poteſt. Veteres enim Scriptores, qui matutinæ Orationis meminerunt *mane ſurgendum*, de laudibus noſtris intelligendi ſunt, quæ cum contra veterem morem ex Abbatum indulgentia in quibuſdam Monaſteriis cantari conſueviſſent ſtatim poſt vigilias, Monachi negligentiores facti, ad Tertiam uſque ſomni inducias protrahebant, cum per intervallum illud omni opere vacarent: quare data eſt occaſio inſtituendæ hujus Orationis ad ſolis Ortum, ut Fratres citius ſurgere cogerentur, additaque poſtea fuit hora Prima, quam S. Benedictus aperte a Laudibus diſtinguit, quia traditurus Monachis ſuis ordinem Divini Officii, palam pronunciat fidelium, qui ante ſe fuerunt pietatem tantam fuiſſe, ut Pſalterium univerſum quotidie decantarent, ſibi vero ſatis eſſe, ſi Monachi ſui id ſemel per hebdomadam recitent. Officii hujus recitandi rationem exponit J. Grancolas Commentar. Hiſtoric. in Breviar. Roman. lib. 1. c. 14. Idem S. Benedictus Hymnos addidit, quos ab Eccleſiæ Mediolanenſis moribus acceperat, nulli tamen erant apud veteres Orientis Monachos, ſed eorum fit mentio in S. Cæſarii, atque S. Aureliani Regulis. Lectiones etiam inſeruit S. Benedictus ex veteri, & ex novo teſtamento petitas, ſed quotidianum harum curſum aliquando intermittit, ut proprias incidentibus Feſtis recitet, varia etiam Cantica huic Officio inſeruntur, antiphonæ, reſponſoria &c. atque ſi cui Pſalmorum a ſe inſtituta diſtributio non probetur, alia ratione diſtribui non vetat, dum totum Pſalterium recitetur; ex quo illud effectum eſt, ut fuerint, ſintque ad hac diem varia in Ordine illo Breviaria, adeo ut Ravennatenſis Concilii Decreto A. 1311. oportuerint ſingula ad concordiam revocari. Quamquam vero Benedictinum Breviarium omnes fere Monachorum Ordines complectatur, tamen nonnullis peculiaribus ritibus inſertis diſtinguuntur, adeo ut Abailardus epiſt. 5. de Breviario agens,

quod

Digitized by Google

quod Ciſtercii ævo ſuo recitabatur, conqueratur plures novitates in id inductas fuiſſe priſcis Monachorum moribus adverſas, quas tamen neceſſe non eſſe deſerere S. Bernardus exiſtimavit, quod rationi magis conſonas judicaret. Religioſorum Mendicantium Ordines, propria habent Breviaria, mutationeſque in iis plurimæ inductæ ſunt. Porro neminem diverſitate hac Breviariorum offendi oportere ex eo convincitur, quod Eccleſia unitatem ſuam in iiſdem precibus, iiſdem moribus ſitam eſſe nunquam exiſtimavit, ſed in eodem ſpiritu, atque fide, quam Religioſorum Ordines varii non deſerverunt cum diſciplinam immutarunt.

XXII. Multo plura nobis ſuppeditant ad ejuſdem argumenti confirmationem illa potiſsimum Mortificationum genera, quarum uſus apud veteres Monachos uſque ad XI. ſeculum perſeveravit inſtituta, vel ad emendandas, & corrigendas delinquentium culpas, aut pro ſpontanea ultro pœnitentium ſatisfactione. Verberationibus olim caſtigata fuiſſe Monachorum delicta Venet. & Agathen. Concilium declarat, & plures Sanctorum Monachorum Regulæ paſsim confirmant, quæ etiam ictuum numerum diſterminant, quem XXXIX. Percuſsionum excedere non debere præcipiunt. S. Fructuoſus uſque ad C. eumdem extendit; & de more fuiſſe quod publice verberarentur luculenter patet ex Regula S. Macharii, & ex Palladio in Lauſ. cap. 7. & nudis omnino ſcapulis, ut perhibetur in can. 14. Concilli Aquiſgranenſis, & obſervare licet in Statutis Lanfranchi. Mulctam hanc in ſe ultronei peccatorum ſuorum vindices pœnitentiæ cauſſa adhibebant ex antiquis Monachis non pauci, & hoc legitur in Actis vitæ S. Kentigerni ex Monacho Epiſcopi Glaſcuenſis, S. Bavonis, S. Pardulphi Ab. S. Guillelmi ex Duce Monachi Gellonenſis, S. Dominici Loricati, aliorumque, qui plagis virgarum dies cum nocte continuabant, aut a Diſcipulis omni nudato Corpore ſe virgis cædi indeſinenter præcipiebant. His addebant ſingularia jejunia in duabus Quadrageſimis, quæ Natale Domini, & S. Paſcha præcedebant, quorum alteram nonnulli ſeparati ab omni humano contubernio cum Deo ſolo verſantes, vel ab Adventu Domini, vel a proximo ſequenti die S. Martini inchoabant; & alteram obſervare conſueverant, aut paulo ante, aut poſt S. Antonii memoriam, die ſcilicet vel 14. vel 20. Menſis Januarii uſque ad S. Paſcha: quinimo nonnulli ad frugem melioris vitæ ſuſpirantes Quadrageſimam aliam peragebant poſt peracta ſolemnia Pentecoſtes uſque ad Feſtum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & aliam poſt Feſtum Exaltationis S. Crucis. Qui vero a Cibis abſtinebant modus hic erat, ut quatuor in hebdomada diebus pane, & aqua contenti, tertia, & quinta feria pauxillum leguminis ſumerent, quod ſinguli in ſuis Cellulis decoquebant. Ad communem Monaſteriorum obſervantiam addebant, ut foris non comederent, qui eadem die erant ad Monaſterium reverſuri. Brevi tempore longam pœnitentiam implebant, diſciplinis, proſtrationibus, manuum ad terram alliſionibus, brachiorum prolixis in modum Crucis extenſionibus, Pſalteriis, Miſsis ad certum numerum præfinitis. Maxima de Infirmis cura eiſdem erat, quibus non ſolum neceſſaria quæque ſuggerebant, ſed etiam ſemetipſos ad eorum cuſtodiam ultroneos offerre gaudebant. Pro defunctis Fratribus unuſquiſque ſeptem dies jejunabat, ſeptem diſciplinas cum millenis ſcoparum ictibus accipiebat, ſeptingentas proſtrationes faciebat, triginta Pſalteria decantabat, pro quolibet etiam eorum triginta continuis diebus Miſſarum ſolemnia ſpeciali-

ter celebrabantur, ſi quis injunctam conſummare non potuiſſet pœnitentiam a Fratribus parili facti inter eos diviſione ſuſcipiebatur, & brevi ſpatio per diverſos afflictionum modos ovanter explebatur. Hæc ex Petro Damiani Opuſcolo 14. Diverſam diſciplinam, varioſque uſus, quos modo cernimus in earumdem Regularum obſervantia abſit qui arbitretur exortam eſſe ex amore vitæ mollioris; ea ſiquidem, quæ in Regulis Monachorum leguntur, *eſſe de numero Præceptorum mobilium*, opportune obſervat Vener. Petrus Ab. Cluniacenſis in Epiſt. 229. ad S. Bernardum, *& quando charitas imperat abſque aliquo tranſgreſſionis timore movenda eſſe pronunciat. Nec ſuſpecta eſſe debet hoc reſpectu Regulam Profeſſis, Regulæ prævaricatio, quia Regula illius S. Patris ex illa ſublimi, & generali charitatis Regula pendet, ex qua, & in qua univerſa lex pendet, & Prophetæ. Quod ſi univerſa lex tunc, & illius Regula lex. Monachus ergo Regulam Patris ex. gr. Benedicti profitens, tunc eam vere ſervat, quando in ſervatis, vel mutatis quibuslibet ejus Capitulis charitatis legem ubique conſervat. E contra vero modum ſuum, conſuetudineſque propriis voluntatibus relinquere, fucatas, atque fluxas, pallioque ornatas circumferre cucullas, & tunicas, calceamenta, quibus pedes induuntur habere cocleata, & nitida, ut vitrum colorem videantur aſſumere, ad Laudes nocturnas cum luce die ſurgere. Iſta, & horum ſimilia multa contra Regulæ jura facere, vitam ſuam, propoſitumque corrumpere eſt; quod avertat Deus, & Paſtoralis Auctoritas poſtpoſita qualibet torporis negligentia, vel perſonarum acceptione incunctanter corrigat*. Olim Rebelles, & incorrigibiles Monachi e Monaſteriis ejiciebantur, imo etiam veſte Monachali exuti, & Sæculari induti a Monaſtica diſciplina, & Abbatum, & Superiorum cura, & regimine ſoluti, cum reliquis Laicis Epiſcoporum ac Paſtorum ſollicitudini concredebantur, quod & Sæculo IX. & XIII. obtinuiſſe ſat aperte declarant Patres Concilii Meldenſis anni 845. & D. Thomas quodlibet 12. q. fin. Verum cum experientia compertum fuerit Monachos exinde vagandi occaſionem accepiſſe cum evidenti ſalutis ſuæ detrimento, nec non publico Fidelium ſcandalo, diſciplinam hanc Gregorius IX. & Urbanus VIII. immutarunt, ex quorum decretis quiſque ſat intelligit quam curam, & ſollicitudinem ac prudentiam iidem deſideraverint, & requiſierint in Monaſteriorum Præfectis, ut ſubditos ſuos ad obediendum, ac meliorem frugem quacunque via reducerent.

§. III. *Non eſt Profeſſio Monachalis, quæ Monachum ad Hierarchici ſtatus dignitatem extollat: Hierarchizare facit Monachum Sacrorum Ordinum cum Monaſtico ſtatu facta conjunctio.*

XXIII. Nullum antiquitus fuiſſe diſcrimen inter Fratres Converſos, & Monachos ad Chorum profeſſos ex priſtinis eorum Regulis ſatis perſpicuum eſt; omnes ſiquidem Monachi vel *Converſi*, vel *Oblati* appellabantur, & hanc diſtinctionem ortam ex ætate, & modo eorum, qui Monachiſmo adſcribebantur obſervat Du-Cange in Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis verbo *Converſi*, ut nimirum dicerentur Converſi illi, qui ad provectam uſque ætatem ſæcularem vitam duxerant, & poſtea vitam Monaſticham amplectebantur morum converſionem profitentes; reliqui vero propter oblationem Parentum de ipſis factam Oblati vocarentur, ſive nutriti.

Quan-

Quanti vero faciendum ſit id, quod Claudius Fleury ſcribit in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria Libro 63. n. 58. diſtinctionem Fratrum Converſorum a Monachis ad Chorum profeſſis, nonniſi circa Sæculum XII. ortum habuiſſe quod Laici Litteras non diſcerent, & Lingua Latina vulgaris eſſe deſiiſſet, atque ita Laici idioma Latinum non callentes, Officio Divino, quod Latine peragabatur inidonei eſſent, perpendant ceteri; Profecto ex Capitulari Aquiſgranenſi Caroli Magni cap. 72. & ex ejuſdem Epiſtola Encyclica ad omnes Epiſcopos & Abbates, quæ refertur in Tom. 2. Conciliorum Galliæ pag. 121. conſtat, non ſolum ingenuorum filios, ſed etiam ſervilis Conditionis infantes Monaſteriorum Præſides aggregaſſe, ſibique ſociaſſe, & ſcholas in iiſdem Monaſteriis invectas fuiſſe, ut diſcere poſſent ſecundum unius cujuſque capacitatem, idque tunc contigiſſe quod ſemper contingere obſervatur, quod nonnulli in illis ſcholis proficerent aliis non proficientibus, vel propter voluntatem, aut ingenii habitudinem, Illud etiam neminem latet V. ſæculo Monachornm non paucos ab operibus manuum immunes fuiſſe, illos nimirum, qui Divini Verbi, & Altaris miniſterio addicti eſſent, vel qui habebant aliquid in ſæculo, quo facile ſine opificio ſuſtentarent vitam: quod ad Deum converſi pauperibus erregaverant, aut in commune contulerant Monaſterio, vel quos languidior educatio excuſabat a labore: illos vero, qui ad Monaſteria veniebant ex conditione ſervili, ex vita ruſticana, ex opificium exercitatione, & plebejo labore ad opera cogi, ut de his late diſſerit S. Auguſtinus in l. de Opera Monachor. cap. 21. & 22. unde non difficultet quis ſibi perſuadebit ex tunc alios fuiſſe inter Monachos, qui orationi tantum, & ſtudio vacarent, quos propterea Choro addictos, & alios, qui laboribus victum ſibi compararent, & aliis indigentibus ſubminiſtrarent; quos recentior ætas Converſos, & Operarios nuncuparet. Ceterum quæcunque eſſet hæc diſciplina, certum eſt prima Monachatus ſæcula nullam tuliſſe inter ſubſtantialia Monachorum inſtituta diſcriminationem, ad quæ Monachi ſinguli tenebantur, nec illis exceptis, qui Sacerdotio eſſent initiati, ut conſtat ex cap. 60. & 62. Regulæ S. Benedicti, & ex Regula Magiſtri, quorum tantum intererat Orationes colligere, complere, & ſignare, non vero ſibi aliquid Ordinationis, Dominationis, aut diſpenſationis vindicare. His itaque præſuppoſitis merito inquiritur. Utrum Monachatus inter Hierarchichos gradus connumeretur; idemque ſit eſſe Monachum ac Hierarchizare.

XXIV. Duo ſunt, quæ veteres nonnullos moverunt, ut affirmativam ſententiam tuerentur, *Pſalmodia* videlicet, ſeu Recitatio Horarum Canonicarum, quæ ex Officio incumbit Clericis, & Monachis, & *Auſteritates*, ſeu mortificationes vitæ Religioſæ parum attendentes actiones hierarchicas nomine publico, & quaſi ex Officio publico debere ſuſcipi, & a virtute hierarchica, ſeu Sacro Principatu proprie dicto debere profluere, & a perſonis ad id conſecratis. Nullus autem affirmabit Monachos, prout in præſentiarum ſupponitur, per Profeſſionem Monaſticam ad iſtas preces, Pſalmodiaſque conſecrari, neque illos, qui ex ipſis huic numero ſecundum regulas ſuas vacaturi deſtinantur ſelectes eſſe, ut nomine publico id Officii exerceant, cum nemo unus ignoret Monachos eo fungi ad propriam exercitationem, & vitæ profectum, non ad totius populi ab opere iſto publicam liberationem: unde fit, quod ſi pro his operationibus præſtitis aliquid eis ſit

Q q 2 da-

datum, id vel ex gratitudine, vel per modum Eleemoſinæ, tamquam Pauperibus collatum, non tamquam ex Officio publico militantibus perſolutum fuiſſe, colligitur ex canonibus finalibus 12. q. 2. & 16. q. 1. Aliter vero pro Clericis ſtatuitur, qui dum ex mandato Epiſcopi Eccleſiis deſervituri adſcribuntur, eiſdem pro precibus, & recitatione horarum ſtipendia deberi, tum canonicæ, tum civiles leges indicunt cap. *cum ſecundum* de præben.; & dignit. cap. *quicumque* 12. q. 4. lege *Pomponius* in fine L. *ſed an ultro* ff. de negotiis geſtis: Quin etiam ubi Clericis, qui Eccleſiis Populi, ſeu Epiſcopalibus, ſeu Abbatialibus, quas jam vocant, adſcribebantur oraturi pro populo, & in ejuſdem gratiam, ejuſque nomine precaturi, decimas deberi ſancitum erat in jure communi cap. *Veniens* de Transactionibus, cap. *Commiſſum* de Decimis, cap. *Cunctis* §. 1. 16. q. 1. Monachi has percipere prohibebantur non ſolum, ſed ulterius iiſdem Clericis illas ſolvere tenebantur ex laboribus ſuis; quemadmodum revera has Decimas exſolverunt ante Concilii Moguntini tempora, & Paſchalis ſecundi Privilegium. Accedit his, quod Monachis ſpectata ſola ratione Monachatus docere populum publice non convenit, & conſequenter nec publico nomine orare pro populo, quæ duo proprie in Scripturis Sacris Animarum Præfecturam, & Sacerdotale Miniſterium requirunt; nec Monachos ipſos latet aliorum curam ſe nullam habere, privati ipſi. & privatim ſibi vacantes, quod ſibi vivant, ſibi vincant, aliorum eatenus ſolliciti quatenus Charitas imperat, non Officii publici ratio expoſcit; Ita ſane quidam Monachus dixiſſe fertur in libello 11. de Vitis PP. n. 41. *Sicut Miles, & Venator proficiſcentes ad propoſitum ſibi laborem, nec cogitant utrum vulneretur aliquis, vel illæſus maneat alter, ſed unuſquiſque pro ſe certat; ita oportet & Monachum eſſe*. Nec alia eſt Theologorum ſententia, & præſertim Bellarmini, qui l. 2. de Verbo Dei cap. 16. docet *ſolis Clericis relictum eſſe ut communes preces, & laudes in Eccleſia perlegant*, idemque antea tradiderat D. Thomas q. 31. Supplement. A. 1. in cap. nec. diſenſit Suarez in cap. 9. l. 4. de Horis Canonicis, ubi docuit, quod *laus Dei, & deprecatio inſtituitur in Religionibus Monachalibus propter uſum perſonarum ejus, quæ ad Chorum deputantur, ut in illo religioſo, & præſtantiſſimo actu occupentur ſine ullo reſpectu ad populum audientem*. Nam quia Monachi Divino cultui dedicantur, & non ſemper poſſunt internæ meditationi, vel contemplationi intenti eſſe, nec labore manuum, aut alia exteriori actione ſemper occupantur, inſtitutus eſt Chorus, in quo ſancte & utiliter orent, & occupentur etiam ſi nullus populus, propter quem canant, neque eorum vita, & inſtitutum ad aliorum uſum per ſe ordinetur. Et hæc dicta ſint de Pſalmodia Monachorum.

XXV. Nec minus recte alterum caput aſſumitur, quod eſt de Auſteritatibus Monachorum, ut mortificationes vitæ Religioſæ aliquo ſenſu hierarchicæ demonſtrentur. Quis enim aliquando docuit hos Ordines a Chriſto, ab Eccleſia deſtinatos, ut aliorum ſatisfactionibus vacent, ut aliis jejunent non ſibi? Hoc opus illorum eſt, qui labores, & moleſtias publicæ Converſionis animarum miniſterio adnexa ſubire ex ſuo ſtatu tenentur, utpote qui curam animarum, & præfecturam publicam habeant, quod ſuis Sacerdotibus objiciebat Cyrillus Alexandrinus interpretatus verba Joelis 1. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes, ululate Miniſtri Altaris, ingredimini, cubate in ſacco Miniſtri Dei mei &c.* inquiens: *Oportet Sacerdotio fungentes, ſeu Hierarchas,*

pro-

propemodum ceteris etiam commodare de obſecrationum laboribus, ululatu, lamento, ſacci amictu, per quem deliciarum, & otii depoſitio ſignificatur, durior tractatio, laborum moleſtia, & vitæ quæ ſanctos deceat ſincerum inculpatumque ſtudium. Nullibi legitur ſcriptum Monachos altiori quodam ac diviniori titulo conſecratos ad jejunia, ad mortificationes nomine publico, & ex publico munere ſubeunda; legitur tamen apud Petrum Damiani l. 4. Epiſt. 3. ad Cunibertum *Monachis nihil de populo pertinere*, & apud Hieronymum Epiſt. 61. ad Pammachium: *Monachos in agris, & ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflere, ut Chriſti in ſe ipſos miſericordiam deflectant*, quod ſi arbitramur ſuperabbundantes aliquando ſatisfactiones habere Monachos, quas Eccleſia ſalutariter in aliorum utilitatem expendere poſſit, aut ex Charitatis fervore pro aliorum culpis ſatisfacere interdum ipſi Monachi velint, idem arbitrabimur Laicis quibuslibet poſſe eſſe commune, nunquam vero eo ſine ab Eccleſia conſecrari, & Monachiſmo initiari, ut pro aliis ſatiſfaciant.

XXVI. Neque effugium efficax eſt reponere hujuſmodi opera Monachos exequi publica auctoritate, quia ab Eccleſia imperantur, quemadmodum Clerici qui Eccleſiis populi, vel parecialibus deſtinantur ab Epiſcopo, vel populo Divinis Officiis vacaturi: hoc enim admiſſo Chriſti fideles omnes ad Hierarchiam ſpectarent, qui ab Eccleſia imperata exequuntur cum jejunant in Quadrageſima, cum communicant in Paſchate, cum ſemel in anno peccata confitentur; ita pariter Catechumeni olim variis manuum impoſitionibus conſecrati in Hierarchia recenſeri debuiſſent, quod plurima exequebantur illis imperata ab Eccleſia, ut in Eccleſiaſtica diſciplina probarentur, & tamen alterutrum horum affirmare auſus eſt nemo. Id autem ut plenius intelligatur notandum eſt quod agere auctoritate pubblica diverſimode accipitur: vel quando fieri aliquid a ſupremo Magiſtratu ordinaria auctoritate præcipitur: vel quando ſupremi Magiſtratus decreta per Miniſtros executioni demandantur: vel quando id quod publica auctoritate ſancitum eſt, quilibet ſubditorum exequitur. Jam vero nullus inficiabitur inter membra Hierarchiæ non recenſeri quotquot nudum habent miniſterium circa executionem legis publicæ, aut illos, quibus nullum aliud peculiare jus agendi adtribuitur ab eo diſtinctum; quod aliis conceditur, quale eſt jus tantum parendi, & peculiaris obſequendi neceſſitas, qualis Monachis, & Laicis conceditur canendi in Choro, vota obſervandi, jejuniis corpus affligendi, infirmis opem ferendi, & his ſimilia. Acceptio hæc agendi publica auctoritate, omnino impropria eſt, cum incumbat privatis quibuslibet hominibus, & plebeis ipſis id exequi, quod a Superiore imperatum eſt, ſive ex imperio legis Divinæ, ſive humanæ, quantumvis publica auctoritate nihil faciant. Nec conceſſio iſta plus ipſis Auctoritatis in reliquos ex plebe Chriſtiana attribuit, quam habebant olim Mulieres etiam uxoratæ, quæ primis Eccleſiæ temporibus alternis Choris cum Viris canere permittebantur, teſtibus Euſebio, & Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Philone, & Chryſoſtomo, qui Sermone in pſal. 145. omnis ſexus, & ætatis in Eccleſia homines cecinisse teſtatur, & morem hunc diu perduraſſe ex Niſſeno Epiſt. ad Olimpium ex Auguſtino libro 9. Confeſſionum cap. 12 ex Balſamone in can. 15. Laodicenum teſtatur, cujus Concilii ætate improbatus fuit, non quia cantus in Eccleſia auctoritatem publicam adnexam haberet, ut habet pu-

publice docendi officium, cujus cauſſa Paulus tacendi in Eccleſia præceptum mulieribus impoſuit, ſed ob alias non iniquas cauſas, ut videre eſt in Synodo Antioch. apud Euſeb. l. 7. cap. 25; & in Hieron. l. 1. adverſus Pelagianos: Sicut ergo non licet colligere ex iſta facultate Viris Laicis, & Mulieribus conceſſa, ipſis publicum officium, publicam auctoritatem, aut Hierarchicam dignitatem fuiſſe conceſſam; ita nec in eo quod Monachi in Eccleſia ex indulto Eccleſiæ canant (propter quod Balſamon laudatus obiter carpit Monachos) fundamentum aliquod ſtatui poteſt eoſdem ad Hierarchici ſtatus dignitatem perveniſſe.

XXVII. Improprie certe, ſed meliori titulo Pſalmodia, quæ ex Officio fit a Clericis, qui Eccleſiis populi deſerviunt dicitur functio Hierarchica, quia illorum obligatio fundatur in Ordine Sacro Subdiaconatus, vel in Eccleſiaſtico beneficio proxime, & remote in Tonſuræ Clericalis ſuſceptione, ſine qua omnis de Eccleſiaſtico Beneficio proviſio irrita eſt, & utraque hæc diſpoſitio ad hierarchiam ſpectat, quippe cum aliquo ſenſu, tum Tonſura ipſa Clericalis, tum Ordines Eccleſiaſtici Hierarchici dicuntur. Diſcrimen hoc agnovit S. Hieronymus Epiſt. 1. ad Heliodorum ubi ait: *Alia cauſſa eſt Monachorum, alia Clericorum. Clerici paſcunt Oves, ego paſcor. Illi de Altari vivunt, mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad Altare non defero*; unde definiuntur Clerici in lege 2. Cod. Theodoſiani de Epiſcopis & Clericis *ii, qui Divino cultui Miniſteria Religionis impendunt*, hoc eſt conſecrantur ad Divinum cultum, & Religionis Officia pro ceteris exhibenda; idemque intellexerunt Canones Laodiceni in verbis his: κανονικοὺς ψάλτας deſtinatos ſcilicet ad pſallendum, & ad id conſecratos ſolos Clericos, quod (interpretibus Zonara, & Balſamone; τὸν ἄμβωνα ſeu *ſuggeſtum* aſcenderent.

XXVIII. Neque ex hoc quod præcellant Monachi in Actibus Contemplationis. & ferventiſſimæ Charitatis inferri poteſt, ſaltem propter hæc eoſdem ad Hierarchiam, ſeu ſacrum Principatum pertinere, id enim affirmare, idem eſt ac Wicleſiſtarum & Huſſitarum errorem cooptare in Concilio Conſtantienſi damnatum Seſſ. xv. in qua ſtatuebatur quod: *quicunque eſt humilior, Eccleſiæ ſe vicinior, & in Amore Chriſti quo ad ſuam Eccleſiam amantior eſt, in Eccleſia militante major, & proximus Chriſti Vicarius reputandus*. Cujus propoſitionis ſenſus eſt quod principatum quemdam, & agendi in alios vim, atque prærogativam Charitas præſtet, majoremque eos gradum non tantum præ aliis, ſed ſuper alios aſcendere, qui Charitate præcellunt, hoc eſt gradum ſuperioritatis & Principatus, quod abſolute a Wicleſo, ſuiſque ſectatoribus aſſertum Synodus Conſtantienſis damnavit. Errabant itaque Wicleſiſtæ quod Charitati debitum Sacrum Principatum. & adnexum putarent, cum ad Actionem Charitatis unuſquiſque fidelis adſtringatur, non tamquam miniſter Chriſti, & particeps ſupremæ illius poteſtatis Hierarchicæ, quam habet Chriſtus in Eccleſia, quem propterea *ſolum Pontificem*, ſeu *Hierarcham Univerſorum* vocat Euſebius l. 1. Hiſtor. c. 3, ſed tamquam motus ad illam a gratia per Chriſtum conceſſa, quatenus Sanctificator eſt hominum, & fons omnis juſtitiæ, virtutem præbens ad Charitatis actus, & Contemplationis, non auctoritatem præſtans, nec ſuos nos miniſtros eorumdem actuum conſtituens: quamobrem, qui hoc fundamento contendere vult Monachos in Hierarchico gradu conſiſtere, is etiam Sacri Principa-

cipatus aliquas actiones a nobis proprio noſtro nomine fieri arbitraretur, & ita Sacrum Chriſti Principatum mutilaret. Nec valet quod S. Bonaventura Seraſinis Religioſos comparet, quia *Angeli illius Ordinis Divini Amoris incendio præ ceteris inflammati, aliorum ſunt inflammativi: quia mobiles in ſe aliorum ſunt motivi: Acuti ſunt, & penetrativi: quia ſunt inferiorum, & ſuppoſitorum reductivi: quia quos igne charitatis accedunt ad Deum qui ſurſum eſt deducunt; quia activi, & exemplificativi*. Non enim propter hoc Hierarchicam poteſtatem complectuntur, & in Hierarchico gradu eſſe dicuntur; ſiquidem licet quo ad plura Seraſinis Religioſi aſſimilentur, preſertim, quo ad Beneficium, quod a Deo accipiunt, & quoad utilitatem, quam aliis impendunt, non tamen illis aſſimilantur quo ad auctoritatem, quam circa inferiores, & *ſuppoſitos*, ut vocat S. Bonaventura, illi exerunt ex Divina ordinatione ab his perficiendi, tum cum audiunt Divina Oracula, tum cum recipiunt Divinas illuſtrationes in qua auctoritate eorum proprie Hierarchia, & Hierarchica functio radicatur. Quod ſi alibi S. Doctor nimirum cap. 5. Patris 5. Breviloquii *Hierarchicam*, & *Contemplativam* vitam pro eodem uſurpat, ut inde inferat *animam debere purgari, illuminari, & perfici, purgari autem a concupiſcentia, a malitia, ab ignorantia, ab infirmitate, ſeu impotentia*, quiſque videt S. Doctorem in hoc loco vitam Hierarchicam accipere pro ea, quæ convenit homini, qui ſibi quodammodo Rex ſit, & myſticus Hierarcha, nec ſine turbatione gravi Ordinis Eccleſiæ transferri poteſt ad Ordinem Eccleſiæ Hierarchicum: quare nec Actus dilectionis Dei, nec alia exercitia pietatis a Monachis peracta Hierarchicas eſſe functiones ex dictis concluditur, quia nec ab Ordine Sacro, aut juriſdictione procedunt, nec auctoritate aliqua, & ut ajunt ſuperiori In Eccleſia gradu indigent ut exerceantur, nec in inferiores exercentur, nec ſupremi Hierarchæ Chriſti miniſteria ſunt, nec ordinem illum ſervant, quem omnes hierarchicæ functiones ſervare debent, ut cum ſubordinatione ad ſuperiorem Hierarcham fiant, in quem qui agunt, opus ſuum rejiciunt, eique ſuam functionem attribuant. Nazianzenus, ut verum fatear, Oratione 26. *Gubernationes*, *Carnis caſtigationes* interpretatus eſt, ſed ſingularis eſt hæc interpretatio, nec Textui tantillum conformis, quam propterea Sacri interpretes reſpuunt, ceterique Patres: quanquam & nuncupatio hæc illi ſpeciei gubernationis aptari poteſt, quæ homini tribuitur ſibi imperanti, ſuos motus animi ad rectæ rationis dictamen flectenti; ſpirituali nimirum cuidam hierarchiæ, per quam homo ſui ipſius Principatum quemdam ſacrum ſpiritaliter, ac myſtice complectitur, non vero illius Principatus ſit particeps, quo Rectores Eccleſiæ gradu Hierarchico ornantur, & cohoneſtantur. Et hæc quo ad primam Concluſionis partem.

XXIX. Quod ſpectat ad alteram, quæ eſt de Monaſticho Inſtituto Clericatu aucto, oportet primum animadvertere quarto Sæculo praxim veterem immutatam fuiſſe, quæ Monachos omnes a Sacerdotio arcebat, ſe ipſos tantummodo exercentes in decantandis Pſalmis, ac perpetuis orationibus, & Scripturarum Sanctarum lectionibus, iiſdemque memoriter pronuntiandis. De S. Athanaſio ſcribitur quod fuerit omnium primus, qui Clero Alexandrino Sacerdotes ex Monachis dedarit, & Caſſianus auctor eſt Ægypti ſolitudinis Monachos ex cœtu ſuo Presbyteros, & Diaconos habuiſſe. Athanaſium imitatus eſt Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, & ſequenti Seculo

S. Au-

S. Auguſtinus, ut teſtatur Poſſidius in ejus vita cap. 11. S. Hurmius in Epiſt. ad Heliodorum, & Ruſticum cauſſam referens hujus Diſciplinæ hanc repetit tum a Fratrum petitione, tum a nutu, & mandato Epiſcoporum. Verum ex Epiſtola Siricii Papæ ad Himerium Tarraconenſem cap. 13. clare patet ab eodem Pontifice per totum Occidentem Monaſtichum Inſtitutum Clericatu auctum fuiſſe. Nec defuerunt eidem Sæculo Epiſcopi ex Monaſteriis aſſumpti inter quos SS. Martyres in Galliis, Barſes, Eulogius, & Lazarus ex Sozomeno l. 6. c. 34. Cœnobium Lirinenſe Epiſcoporum Seminarium fuit Sæculo v. teſte S. Cæſario Arelatenſi, & ex S. Gregorio Magno l. 5. Epiſt. 27. & 41. l. 9. Epiſt. 13. & l. 10. Epiſtola 39. & ex Joanne Diacono l. 3. de ejus vita cap. 7. conſtat Sæculo vi. & vii. quod ex ſua Congregatione plures ad regimen Eccleſiarum aſſumebantur. Non ſolum ad Sacras Præfecturas, verum etiam ad graviſſima gerenda negotia, conficiendaque Monachos viii. Sæculo aſſumptos fuiſſe Acta vii. Synodi ſatis oſtendunt, in qua Legati Sedis Apoſtolicæ, & Patriarcharum abſentium, pene omnes Monachi erant. Paucos tamen in ipſis Monaſteriis inaugurari ſolitos Sacerdotes colligitur ex Regula S. Benedicti cap. 60. in quo ſtatuitur ne Monaſterium Sacerdotibus facile pateat, & ex Regula Magiſtri, in qua apparet ſexto & ſeptimo Sæculo Abbates omnes Presbyteros non fuiſſe, & ex litteris Gregorii Magni, duodecima Libri primi, 44. libri 5. ubi ſummi beneficii loco conceſſum dicitur Monaſteriorum Abbatibus, ut ordinarentur, quæ omnia ſatis oſtendunt, quod Clericatum non ambibant, nec poſtulabant Religioſi viri, ſed Eccleſia vocante ſuſcipiebant. Anglicani Cleri illuſtrior portio fuere Sæculis ix. x. & xi. Monachi in Cathedrales, & Parochiales Eccleſias introducti in locum Canonicorum, & Curatorum incontinentium, ut legitur apud Obertum in vita S. Dunſtani apud Surium die 19. Maii cap. 38. & conſtat ex Concilio Moguntino ſub Rabano Archipræſule, ex Eadmero l. 1. Hiſtoriæ Novorum, & ex Actis Concilii Vuindleſborenſis. Nec alios quam Monachos ſibi Epiſcopos cooptari Aragonenſia, & Pampelonenſis Eccleſia poſtularunt, & Hieronymus Blanca in rerum Aragonenſium Commentariis notavit, & Sandovallius in notitia Epiſcoporum Pampilonenſium. De Monachis aſſumptis ad regimen aliarum Eccleſiarum conſulatur canon. 27. viii. Synodi, Alanus in vita S. Bernardi cap. 20, Ordinumque ſingulorum inſpiciantur Annales; imo & ſeries ipſorum Romanorum Pontificum, in quibus ſeptem ſupra triginta leguntur ex Religioſis familiis ad Pontificiam Sedem evecti magno cum emolumento Religionis Chriſtianæ, & Apoſtolicæ Sedis ornamento. Quos inter, duos præclariſſimos pietate, ac ſapientia, ceteriſque virtutibus omnibus præditos noſtra hæc ætas intuita, & mirata eſt, Benedictum XIII. ex Dominicana Familia, & CLEMENTEM XIV. ex Franciſcana, cujus hoc ipſo, quo ſcribimus anno, incredibilem in univerſa Eccleſia difficillimis temporibus regendam curam, ſtudium, conſilium univerſus Orbis agnoſcit, plurimoſque tanto Pontifici ad Eccleſiæ utilitatem, & decus annos precatur.

XXX. Animadvertendum ulterius eſt; quod qui ex Monaſteriis ad Clericatum, & Epiſcopatum aſſumebantur Monaſtichum Habitum, prioremque vitæ formam in Clericatu, & Pontificatu ipſo retinebant, idque non arbitrarii, ſed neceſſarii Officii eſſe dicebant. Primum confirmant verba Innocentii I. Epiſt. 2. cap. 10. *De Monachis, qui diu morantes in Monaſteriis, ſi poſtea*

poſtea ad Clericatus ordinem pervenerint non debere eos a priore propoſito deviare.... quod enim in Monaſterio fuit, & quod diu ſervavit, in meliori gradu poſitus amittere non debet; nec aliter reſpondit Zacharias Papa ad capitulum decimum tertium interrogationum Pippini, & Carolus Magnus in Capitulari Aquiſgranenſi cap. 27. hoc idem præſcripſit. Alterum vero non ſolum probant Acta Sanctorum, qui ex Monaſteriis ad Epiſcopatum aſſumpti ſunt, ut de S. Jacobo Neſibitano, & de S. Monacho Aphronio Theodoretus ſcribit in Hiſtoria Religioſa c. 1. & 5. de SS. Martino Severus Sulpitius, de S. Hilario Arelaten. Honoratus Maſſilienſis, de S. Fulgentio Ferrandus Diaconus in illorum Vitis tradiderunt, ſed etiam legimus fuiſſe expreſſe ſtatutum in canone 27. Octavæ Synodi OEcumenicæ, in Epiſtola Nicolai I. ad Egilonem, quæ eſt 55. Tomi 3. Conciliorum Galliæ, in capite *Clerici* de Vita, & Honeſtate Clericorum, & multiplici ratione probatum a S. Thoma 2. 2. q. 185. A. 8. ubi hanc doctrinam tradit & propugnat. His prænotatis nullus dubitabit Sacrorum Ordinum cum Monaſtico ſtatu factam conjunctionem feciſſe Monachos Hierarchizare.

XXXI. De Monachis Epiſcopis id demonſtrare ſupervacaneum eſt, hoc unum ſolum obiter admonere poſſumus non eſſe audiendum Sozomenum, qui l. 6. cap. 34. ſcribit Monachos quandoque fuiſſe creatos Epiſcopos honoris tantum cauſſa, in præmium virtutis, etſi nulli Plebi præficerentur tempore Conſecrationis ſuæ, eoſdemque in Monaſteriis manſiſſe: nam honorarios hujuſmodi Epiſcopos ordinari, Canones non patiebantur; unde viri eruditi conjiciunt Sanctos illos Monachos conſecratos fuiſſe, ut Eccleſiarum vacantium regimini data occaſione admoverentur, quamvis interim in Monaſteriis manerent, & Valeſius in notis ad Sozomenum opinatur *Barſem* quemdam a Sozomeno inter honorarios Epiſcopos recenſitum, eumdem fuiſſe cum illo Edeſſæ Epiſcopo, ad quem geminam Epiſtolam ſcripſit Baſilius ſcilicet 326. & 527. Remanet igitur ut demonſtretur Monachos inſpecta tantum Sacerdotali dignitate, vel Diaconali gradu inter Hierarchas merito recenſeri, abſque eoquod obſtet horum Officia Eccleſia, & Altari circumſcribi, & perfici a non habente juriſdictionem. Non enim hic inſpiciuntur hujuſmodi Officia, & Actiones præciſe ut ſunt abſque ordine ad ulteriorem finem, & complementum ſui, ſed cum habitudine ad hoc, & ad ſuam perfectionem, quam ex ſuo fine, & inſtitutione ſua habere debent, & hinc dicimus nullam ex iſtis futuram, quæ non juriſdictionem aliquam, etiam in perſonas inferiores, ſaltem delegatam includat. Et certe quod pertinet ad Celebrationem Miſſæ a ſimplici Sacerdote, tria in illa inſpiciuntur: Oblatio videlicet pro populo facienda nomine publico: ejuſdem populi Benedictio: & Sacramenti Euchariſtici diſtributio. Hæc autem ſingula Majoritatem, & Auctoritatem publicam involvunt, dicente Apoſtolo ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant*, & ad Hebr. 7. *ſine ulla autem contradictione, quod minus eſt a meliore benedicitur*, a quo non diſſentiunt Patres, nimirum Chryſoſtomus, qui Commentar. 6. in Epiſt. 1. ad Timotheum totius Orbis Patrem depingit Sacerdotem offerentem, & Apoſtolicæ Conſtitutiones, quæ l. 8. c. 28. benedictionem tamquam dignitatis, & Sacerdotalis Principatus, ac Juriſdictionis argumentum proferunt, & Tertul-

lianus dum libro de corona Militis docuit Paſtoris proprium officium eſſe verbo, & Sacramento Oves ſuas reficere, inquiens: *Eucharistiæ Sacramentum non de aliorum manu quam Præſidentium ſumimus*.

XXXII. Argumentum addimus petitum ex canone 6. Gangrenſis, ex can. 9. Carthaginenſis II. & ex canone 8. Vernenſis Concilii ſub Pipino., in quibus locis ſtatuitur Presbyteris non licere ſacrum facere invito Epiſcopo, imo nec Epiſcopis in aliena Diœceſi, ut habetur in Epiſtola Innocentii I. ad Florentium Tiburtinum, & colligitur ex queremoniis Chryſoſtomi adverſus Epiphanium, Joannis Aitæ Epiſcopi adverſus Naupactum, qui hanc legem infregerant. Poſtremo tandem idem probatur ab eorum religioſa abſtinentia, Hieronymi nimirum, & Vincentii a celebratione Miſſæ propter hoc quod Populi curam omnem ac Præfecturam Eccleſiaſticam detrectabant, ſeque ulli Eccleſiæ addici renuebant. Non eſt igitur ſine aliquali juriſdictione actus Celebrationis Miſſæ, quamquam qui Miſſam celebrat quoad omnia Officia Sacra Juriſdictionem non aſſequatur, nam juriſdictio conceſſa ad unum actum, non neceſſario ad omnes trahi debet. Hinc Præſidentiæ nomen Sacrificantibus tribuit Tertullianus Apologet. cap. 39. & Juſtinus Martyr Apolog. 2. Sacrificantem Sacerdotem vocat προεστῶτα. Abeſt] certe a ſimplici Sacerdote illa juriſdictio, quæ ſtricte ſumpta definiri ſolet *poteſtas de populo introducta cum juris dicendi, & æquitatis ſtatuendæ neceſſitate*; at illa non abeſt, quæ conſideratur *tamquam auctoritas publica, ſeu poteſtas juſta publico nomine, & ex publico Officio aliquos actus legitimos efficiendi circa res, vel Perſonas immutandas*, qualis in jure Civili dicitur poteſtas Adoptandi, Manumittendi, Emancipandi & aut aliquid ſimile faciendi, ut nos monuit Paulus Juris Conſultus libro ſingulari ad Legem Fuſiam Caniniam, ubi diſtinguens varios modos Juriſdictionis, ait: *poteſtatis verbo multa ſignificari: in Perſona Magiſtratuum, Imperium: in Perſona liberorum, Patria poteſtas: in perſona Civium, Dominium*. Siquidem in perſona Sacrificantis, vel Conſecrantis aliqua juriſdictio reperitur, per quam Sacerdoti traditur poteſtas publica Sacrorum legitime perficiendorum, quæ ſufficit ad explendum Hierarchica munia pro conditione, & exigentia Presbyteri, qui reſtrictiorem habet in inferiores auctoritatem.

XXXIII. Quanquam neque ad hoc unum reſpexerunt Epiſcopi cum Monachos Presbyteros ordinarunt, ut nimirum ſine ulla Animarum cura in Monaſteriis viverent nullo alio Sacro Miniſtro eiſdem impoſito, quam Orationis, & Precum. Aliquando certe ob eximiam Sanctitatem quorumdam hoc præſtiterunt; id tamen rarum fuiſſe: nullaque Eccleſiaſtica lege firmatum obſervari poteſt. Licet Contemplationis Cæleſtium, Precum, & Sacrificii Divini infinitum ſit pretium, tamen Eccleſia, quæ novit Sacerdotium etiam ad aliorum purgationem exteriori miniſterio procurandam deſtinari, noluit olim ad ſolum precum, aut Sacrificii uſum aliquos ordinari, ſed ut adeuntibus ſui copiam facerent, & de Scripturis Sanctis exquiſitius ſermocinarentur, efficerentque, ut tales omnes reputarentur, ſimul ſacram adſervantes Aedem, ſimul Juventutem inſoleſcentem, & terminos ſuos egredi volentem, in tolerantia retinerent. Neque præterea eadem Eccleſia tot ordinari voluit, quot Deo colendo per Sacrificium, & preces utiles viderentur. ſed quot regendis Monaſteriorum Fratribus, iiſque inſtruendis, in Officio continendis, divinisque Sacramentis reficiendis ſufficere

vide-

viderentur. Imo qui ab hoc miniſterio exteriorl ceſſate voluiſſent quamvis Sacrlficii hujus quanti eſſet fructus intelligeret, maluit nihilominus, ne unum ab alio diſtinguerent etiam ab iſto Divino opere eoſdem ceſſare: Unde poſtea natæ ſunt illæ Leges Eccleſiaſticæ, quibus numerus Sacerdotum in Monaſteriis oportuit definiri pro exigentia Sacerdotalium functionum in Monachorum Conventibus neceſſario exercendarum, ur legitur in Regula S. Benedicti cap. 69. § 1. in Regula S. Aureliani cap. 45. §. 2. in Epiſtolis Gregorii Magni ſupra citatis, & in Novella Juſtiniani 123. cap. 36. & rurſum, illæ quæ non initiatos Sacerdotio Monachos ceteris initiatis ſubeſſe præcipiunt, & obſequium reddere, quarum alteram ſuppeditat ſeptimus Canon Synodi Romanæ ſub S. Silveſtro, & alteram Synodus Romana ſub Bonifacio IV. A. 610. tertio Kalendas Martias, quæ Monachorum hoſtes cohercuit, qui ipſos etſi auctos Sacerdotio ab adminiſtratione Sacramentorum arcere contendebant: Quin imo cum eo dementiæ perveniſſent nonnulli Sæculo x. ut obtrectarent adverſus Eccleſiæ Diſciplinam, quæ Monachos ad Hierarchicos gradus, & officia promovebat, Synodus Nemauſenſis anni 1096. celebrata Urbano II. Præſide canone 2. eorum audaciam compreſſit: *Sunt nonnulli ſtulti Dogmatis magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inſlammati aſſerentes Monachos, qui mundo mortui ſunt & Deo vivunt Sacerdotali officio indignos, neque Pœnitentiam, aut Chriſtianitatem, ſeu Abſolutionem largiri poſſe per Sacerdotalis Officii injunctam gratiam, ſed omnino falluntur: Nam ſi ex hac cauſſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar B. Gregorius Monachico habitu pollens, ad ſummum Apicem nullatenus conſcenderet, cui ligandi, ſolvendique poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus, quoque ejuſdem Sanctiſſimi Gregorii Diſcipulus Anglorum Prædicator egregius; & Pannonienſis Martinus, aliique quamplurimi Viri Sanctiſſimi pretioſo Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali ſubarrharentur. Neque enim Benedictus Monachorum Præceptor Sanctiſſimus hujus rei aliquo modo interdictor fuit, ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere.... Credimus igitur a Sacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendique poteſtatem recte adminiſtrari ſi tamen condigne contigerit eos hoc miniſterio ſublimari, quod evidenter affirmat quiſquis ſtatum Monachorum, & habitum conſiderat... Decertantes igitur contra Monachos in hac re, Sacerdotalis potentiæ arceri officio præcipimus, ut ab hujuſmodi nefandis auſibus impoſterum reprimantur.* Idemque uberius in tertio confirmavit in quo ſuam ſententiam ita Nemauſenſes Patres pronunciarunt: *Oportet eos qui Sæculum reliquerunt majorem ſollicitudinem habere, pro peccatis hominum orare, & plus valere eorum peccata ſolvere quam Presbyteros ſæculares, quia hi ſecundum regulam Apoſtolicam vivunt, & eorum ſequentes veſtigia communem vitam ducunt, juxta quod in Actibus eorum ſcriptum eſt. Erat illis cor unum, & anima una, & erant illis omnia communia. Ideoque videtur nobis ut his qui ſua relinquunt pro Deo dignius liceat baptizare, Communionem dare, Pœnitentiam imponere, nec non peccata ſolvere &c.* Neque aliter cenſuerunt & cenſent Sanctiſſimi omnium Eccleſiarum Paſtores, qui Viris Religioſis Provinciam hanc hactenus demandarunt.

§. IV. *Religioſorum Ordinum recentior Diſciplina proponitur, & de Eorumdem Gubernatione diſſeritur.*

XXXIV. Præceps & improvida ad Religionem admiſſio Monaſticæ diſciplinæ ſemper peperit detrimentum. Hinc jugis Patrum cura fuit probare ſpiritum, ſi ex Deo eſſet, ut Apoſtolus docuit, & ne in hoc opere deſides eſſent Monaſteriorum Superiores. Clemens hujus nominis VIII. hoc idem præcipit in ſuis Decretis pro receptione Novitiorum, quæ in Bull. R. leguntur; & omnium Ordinum Conſtitutiones. Factum etiam hinc eſt quod nullus admittatur ad habitum niſi ſatis conſtet de ejus vocatione, & appareat quod hæc admiſſio, tum ſaluti ejus, tum Religioni conducat, ne forte ſimulata quis mente, & fallaci animo ad Religionem accedat. Poſtulans itaque, ad Religionem ſatis probatus admittitur, ab omni conſortio ſejunctus, ut facilius Contemplationi, & vitiorum extirpationi ſtudeat, intra Novitiatum videlicet, cui Senior, ſive Magiſter deputatur, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum curioſe omnino intendat, & ſollicitus ſit, ſi revera Deum quærit ſi celer accedat ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicantur ei interim omnia dura, & aſpera per quæ itur ad Deum, probatur in omni patientia, reliquiſque vitæ monaſticæ exercitiis, & obligationibus inſtruitur, ejuſque animi, ac ſpiritus in his omnibus conſtantia bene probatur. Olim Triennalis fuit apud Orientales Monachos hæc probatio, apud Occidentales communiter annua, utriuſque meminit Gratianus cauſſa 17. q. 2. c. 1. & 3. Verum non infrequenter Abbates Monachorum ante hoc tempus plures ad Profeſſionem admiſiſſe notum eſt ex lib. 1. Epiſtol. Petri Abbatis Cluniacenſis Epiſt. 28. & ex Innocentio III. in c. 16. de Regular. quod aſſererent annalem Profeſſionem fuiſſe Patrum inſtitutum, Novitii pariter & Monaſterii gratia inductam, cui renuntiari poſſet utrinſque conſenſu. Idemque ſenſiſſe Superiores Mendicantium Ordinum patet ex Decretis Innocentii IV., & Bonifacii VII. contra præcipitem eorum ad Profeſſionem admiſſionem, quæ habentur in 6. ſub titulo de Regularibus. Verum Tridentina Synodus efficaciſſime huic malo occurrit Seſſ. xxv. cap. 15. & 16. de Regularibus, ubi annuam probationem retinuit, ſalvis interim ſtatutis, & conſuetudinibus Religionum, quæ prolixius Probationis tempus requirunt, & *Profeſſionem ante annum factam nullam eſſe decrevit, nullamque inducere obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcunque effectus*: Ex quibus verbis liquido conſtat, tum ſublatam eſſe deciſionem capitis 2. & 3. de Regularibus in 6. in qua ſuſtinebatur Profeſſio facta durante anno Probationis, non certe ex parte Religionis, ſed Profeſſi, qui adſtringebatur ad aliquam Religionem in genere, neque illi integrum amplius erat ad Sæculum reverti; tum nullam eſſe Profeſſionem, vel ſi defectus eſſet unius horæ, & quamvis Novitius rebus ſuis renunciaſſet, quia annus ille Probationis, ut recte hic notant Doctores, non in illius privati favorem, ſed publicæ politiæ cauſſa inductus eſt; & multo magis ſi Novitius die uno Religionem deſereret, imo duarum horarum ſpatio hunc annum interrumperet in aliam Religionem ingreſſus, ut reſolvit S. Congregatio Concilii, Tridentini Interpres apud Fagnanum in cap. ad *Noſtram* de Regul. n. 27. Quod ſi Novitius de mandato Superioris ex Novitiatu exeat, ac ſub illius obedientia, & ex rationabili cauſſa extra Monaſte-

ſterium annum expleat Probationis eadem S. Congregatio cenſuit emiſſam Profeſſionem valere, ſi tamen extra Monaſterium habitum regularem non aſſumpſerit: quin imo ipſa S. Congr. reſolvit eodem Fagnano referente ad c. *Presbyterum* de Pœniten. & Remiſſ. n. 116. poſſe Novitium, qui poſt elapſum annum Noviciatus Monaſterium deſeruit, & iterum reverſus eſt ſine novo Noviciatus anno (dummodo Religionis, aut Perſonæ conditio non ſit immutata) ad Profeſſionem admitti, quia verum eſt annum integrum, & continuum in Probatione fuiſſe.

XXXV. Quod dictum eſt de Nullitate Profeſſionis præſuppoſito defectu in anno Probationis, modo extenditur ad nullitatem ejuſdem, præſuppoſita renunciatione facta a Novitio ex mente Synodi Tridentinæ, & ad nullitatem etiam probandam illarum Renunciationum, quæ factæ etiam ſunt ante Religionis ingreſſum, ſed tamen intuitu ingreſſus in Monaſterium. Utrumque ex mente Concili Tridentini declaravit S. Congregatio teſte Azorio part. 2. l. 2. cap. 20. quæſt. 6. & hoc intelligendum eſſe de quacunque renunciatione, & alienatione, modo idem animus probetur, ut inter alios Navarrus & Zypaeus tradidit in Jure Novo tit. de Regular. n. 29. Idem quoque dicendum eſt de renunciatione Beneficii, quod ante ingreſſum ipſe Novitius poſſidebat, niſi hæc facta ſit juxta formam Concilii, hoc eſt cum licentia Epiſcopi, ſive ejus Vicarii intra duos Menſes proximos ante Profeſſionem, qua forma præſuppoſita S. Congr. reſolvit valere hujuſmodi renunciationem illius Novitii, qui decem Menſibus in Noviciatu fuit, & ex juſta cauſſa Profeſſionem diſtulit ultra annum. Scopus autem Concilii fuit, ne per ſimiles renunciationes Novitius medio vivendi deſtitutus, invitus in Religionem perſeveret, cum penes ipſum durante Noviciatu, vel etiam eo finito, necdum tamen emiſſa Profeſſione integra maneat libertas Monaſterium deſerendi, & ad Sæculum redeundi; nec quemquam poſſe illum quo quomodo impedire, decernitur in cap. 23. de Regular. & in cap. 2. tit. eod. in 6. Huic Novitii libertati favet etiam nihil poſſe a Parentibus, vel Propinquis, aut Curatoribus ex bonis Novitii Monaſterio tribui, excepto victu, & veſtitu illo tempore, quo in Probatione eſt, quocunque prætextu etiam liberaliter, ſeu ultronee citra ullum pactum, aut conventionem cum Monaſterio, etiam ſi aliquid tribueretur ex propriis bonis Parentum, vel Conſanguineorum, aut ex amore Dei, aut ſub nomine Depoſiti, ſeu ſub cautione de reſtituendo Profeſſione non ſecuta, quæ ſingula S. C. reſolvit apud Fagnanum l. c. pro aſſerenda libertate Novitii deſerendi Religionem.

XXXVI. Non eſt tamen illicitum Monaſterio ea a Novitio recipere, quæ Novitius ipſe per Teſtamentum eidem relinquit, cum libere poſſit Novitius ante emiſſam Profeſſionem de bonis ſuis diſponere, ut jam Juſtinianus expreſſit in Novella 5. cap. 4. a quo non diſſentit Tridentinum Concilium in cap. 16. Seſſ. xxv. de Regular. In hoc tamen caſu duo monet S. Bonaventura: primo cavendum eſſe ne *Monaſterium, ut habeat pecuniam, recipiat Perſonam, quod penitus impurum eſſet, & ſimoniacum:* Secundo *illicitum quidem non eſſe perſonam recipere non pro pecunia, ſed cum pecunia;* ita ut ſi nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo; attamen caute agendum eſſe coram hominibus, ne detur occaſio ſcandali, & ne ſit ibi effectus avaritiæ ex ſpe lucri, aut commodi temporalis, aut ne contingat, ut non tam morum integritas, ac vocationis ſigna in ipſo Novitio expendantur, quam

co-

comodum temporale, quod ex ejus admiſſione ſperatur. In id etiam plurimum incumbant Religioſi ut a Novitiis diſpoſitionem in favorem Monaſterii non extorqueant, ne forte accidat ut coacte potius extorta, quam voluntarie oblata accipiant, quod jam pridem Synodus Cabilonenſis II. acriter perſtrinxit. Neque prohibentur Monaſteria (niſi aliter per ſtatuta particularia decernatur) hæreditates illas adire, quæ Novitio obventuræ fuiſſent propter hoc, quod Novitius eiſdem renuntiaverit favore Monaſterii, etiam non requiſito conſenſu illorum, de quorum hæreditate agitur, adeoque contra regulam textus in L. ultima Cod. de Pactis: ſiquidem laudatus textus tantum conſulit alienæ vitæ, ne quis injurias paret, quæ ratio ceſſat quando renuntiatur favore Communitatis, & maxime Regularium, de quibus nihil ſiniſtrum, facile licet ſuſpicari, ut notat Gloſſa in cap. *Abſit verbo ſiniſtrum* 11. q. 3., & late probant Doctores. Dixi, *niſi aliter per Statuta particularia decernatur*, eo quod in Gallia, in Belgio, & in variis Italiæ Provinciis jam cautum eſt, ne Religioſæ Domus quidquam acquirant, ſive directe, ſive indirecte per Religioſam Profeſſionem, ex qua propterea nullum Monaſterio emolumentum accedit, ſive ex propriis Novitii bonis, ſive ex acquiſitis, aut etiam mobilibus, tam quoad Proprietatem, quam Uſumfructum, tam quoad Donationes inter vivos, quam teſtamentarias factas in eorum favorem, quicumque prætextus, aut favor donationem comitetur.

XXXVII. Quæ antiquitus per ſuſceptionem Habitus Monachalis cenſebatur facta Profeſſio, modo hæc fit completo Probationis, & expleto 16. ætatis anno. Hinc originem ſumpſiſſe videtur illa, quæ tunc appellabatur *tacita Profeſſio*, cujus frequens in Decretalibus Gregorii IX. mentio occurrit: Cum enim ante Profeſſionem habitus Monachalis ſuſcipi non ſoleret, qui eum ſuſcipiebat profiteri cenſebatur, cum vero circa Sæculum XII. & XIII. in pluribus Religionibus annus Novitiatus negligeretur, voluerunt Pontifices, & Concilia, quod Monaſtichus habitus in ipſa Novitii receptione traderetur, & quod Profeſſio Religioſa poſt annum integrum expreſſe fieret, ita nimirum, ut de illa per Scripturam conſtare poſſet, & hujuſmodi Profeſſio illa eſt, quæ *expreſſa* appellatur, & ab ea non differt, quæ verbo, imo etiam nutibus fit juxta Conſtitutiones cujuſcumque Religionis, ut ait Sanchez libro 5. Moral. c. 3. n. 1. De validitate utriuſque Profeſſionis nulla eſt controverſia apud Italos Scriptores, & arbitratur Fagnanus in cap. *Ad noſtram* de Regular. per Concilium Tridentinum non fuiſſe ſublatam tacitam Profeſſionem; verum tamen eſt, quod in Gallia, & in Belgio non admittitur, eamdemque reſpuunt Statuta Ordinis Chartuſienſis, ut refert Wameſius in additione ad Conſilium 454. ex ſecunda Parte novæ Collectionis eorumdem Statutorum cap. 18. Non videtur tamen, quod hæc expreſſa Profeſſio invalida ſit futura, ſi fiat non expectato anno ætatis ſupra decimum ſextum a Tridentino retentum, per Statuta Ordinis requiſito, eo quod hæc Statuta invaliditatem, aut nullitatem Profeſſionis adjunctam habere non ſoleant; non aliter ac judicatur a Doctoribus valida illa Profeſſio, quæ fit a Novitio, anno Probationis expleto, & nondum evoluto ulteriori tempore per Statuta, aut Conſuetudinem requiſito, & hoc expreſſe docet Barboſa in Jure Eccleſiaſtico libro 1. capite 24. n. 133., quo ad Novitios Societatis Jeſu.

XXXVIII.

XXXVIII. Illud autem veluti palmare eſt in omni Profeſſione, quod poſthac liberum ipſi Religioſo nequaquam futurum ſit de Monaſterio egredi, & jugum Regulæ excutere. Neque tamen hinc quis concludat, ita Religioſos viros Eccleſiæ intentione Voto ſtabilitatis obſtrictos eſſe, ut vi illius perpetuæ Clauſuræ adigantur. Fruſtraneæ eſſent Regulæ, quæ Fratribus itinerantibus modum præſcribunt, quæ propterea ſupponunt Monachos e Monaſterio egredi poſſe, certe cauſſa neceſſitatis, aut utilitatis, & cum licentia Superioris, quod non prohibet ſive IV. Chalcedonenſis Concilii canon, ſive quadrageſimus ſextus Concilii Trullani, aut canon octavus, qui ſub nomine Eugenii Papæ apud Gratianum legitur 16. quæſt. 1., & ad idem tendit ea, quæ in pleriſque Religionibus ſervatur, & præſcripta eſt diſciplina, ut egreſſuri domo Religioſi, & reverſuri ſecum ſocium habeant, & benedictionem a Superiore petant. *Non licet Regularibus a ſuis Conventibus recedere etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi*, inquiunt Tridentini PP. Seſſ. XXV. cap. 4. de Regular., *niſi ab eiſdem miſſi, & vocati fuerint.*: perſpectum igitur eſt ſuppoſuiſſe Concilium cum prædicto mandato in ſcriptis obtento poſſe egredi Religioſos, qui tamen ſi ſine ejuſmodi litteris a ſuis Conventibus receſſerint, eoſdem ab Ordinariis locorum, tamquam deſertores ſuorum Inſtitutorum puniendos eſſe decernit. *Evagatio* Monachorum, ac frequens cum Sæcularibus Converſatio Monaſticæ Profeſſioni contraria eſt, & Religioſæ Perfectioni conſervandæ periculoſa; unde nonniſi multis adhibitis cautionibus egreſſus e Monaſteriis conceditur, ut Religionis opinio, ac devotio apud Sæculares ex eo augeatur. Adverſatur quoque ſtabilitatis propoſito *Apoſtaſia* a Religione, cum ita Religioni Monachus obſtringatur, ut nunquam poſſit vitam Monaſticam deſerere, quamquam eidem liceat ad aliud Monaſterium, aut Ordinem tranſire, aut Nullitatem Profeſſionis probare.

XXXIX. Ordinis mutationem multis de cauſſis S. Bernardus improbavit libro de Præcepto, & Diſpenſatione cap. 16. cui conſenſit S. Anſelmus lib. 1. epiſt. 29. qui tamen ambo conveniunt, ubi concurrat peccandi neceſſitas, quando ſcilicet impeditur Religioſus reddere *Deo vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua*, in quo caſu tenetur ſe a tali Communitate ſeparare, tutioremque locum quærere. Suſpecta nihilominus, ac multis incommodis obnoxia ſemper a Patribus viſa eſt hæc mutatio, ſive ad aliam Religionem translatio: quare Tridentinum Concilium Seſſ. XXV. cap. 9. de Regular. decrevit nullum Religioſum cujuſcumque facultatis vigore transferri poſſe ad laxiorem Religionem, & Superiores Regulares non habere ſuper hoc poteſtatem diſpenſandi Fagnanus notat ad caput *cum dilecti* de Renunciatione, quod ſemper obſervatum viderit hujuſmodi licentias legitimis ſubſiſtentibus cauſſis (infirmitatis videlicet, & debilitatis provenientis ex obſervantia Regulæ arctioris, ut notat Antonius Cardinalis Caraffa in ſua Gloſſa MS. ad caput 19. Seſſionis XXV. de Regular.) conceſſas a Papa in Signatura gratiæ & a Sacra Pœnitentiaria, plerumque ad Supplicationem Generalis, vel Procuratoris Ordinis, & de utriuſque Religionis conſenſu S. Pœnitentiariæ exhibito. Hic tamen cum Cardinali de Luca Diſcurſu 38. de Regularibus notatur, & cum ceteris Canoniſtis, quod ſtrictius eſt Monaſterium Religionis laxioris, in quo ſervatur Regula, quam ſit illud ſtrictioris Religionis, in quo Regula non ſervatur. *Neque refert, quod Regula ſit ſtricta*, ut ait Em-

mas

mus auctor, *ſi vita eſt larga, neque perfectio conſiſtit in Inſtituto, ſed in obſervantia;* ex quibus verbis colligitur, quod ſive laxior vita oriatur ex tranſgreſſione Regulæ, ſive ex inobſervantia Conſtitutionum, a Religione, in qua remiſſius vivitur, poteſt quis licite tranſire ad mitiorem melius obſervatam. Notatur ulterius, quod ſi improbitas, atque irreligioſitas cohabitantium in Univerſitate Religioſorum non reperiatur, hoc eſt ſi totus Ordo collapſus non eſt, ex hac cauſſa monet poſt Jo. Andream Fagnanus, quod tranſitus ad aliam Religionem fieri non poſſit; ſubeſt enim Reformationis ſpes, & Religioſa Domus, ad quam properabit, qui zelo vitæ Sanctioris hunc tranſitum meditatur: Verum in negotio tam graviſſimo Vir Religioſus judicare refugiat, prudentum, atque expertorum judicium, & a ſuis Superioribus tranſeundi licentiam expectet, quam ut obtinuerit, vitam ſuam juſta normam vivendi in Nova Religione obſervatam inſtituet, iterumque per annum probabitur, ut docet Fagnanus in cap. *ad Apoſtolicam* de Regular. antequam profiteatur, niſi S. Congregatio diſpenſaverit breviori termino contenta, ut advertit de Luca loco citato; quoniam rigor integri, & continui anni, qui regulariter diſpenſari non ſolet, procedit, ubi agitur de imprimendo Statum Regularem in genere cum formali, ac omnimoda mutatione ſtatus irretractabilis de Sæculari in Regularem, ac de libero in ſervum, ſeu de vivo in mortuum. Secus autem ubi iſto ſtatu jam impreſſo agitur tantum de accidentali mutatione vitæ potius ſub una, quam ſub altera Regula. Alterum quod licitum eſſe diximus Religioſo abſque injuria Voti Stabilitatis eſt experimentum nullitatis Profeſſionis. Qui dicit ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, illa reponit, quæ deducta coram Superiore ſuo (hoc eſt illius Monaſterii, in quo Religioſus Profeſſionem emiſit, & Ordinario loci illius, in quo ſitum eſt Monaſterium Regularis nullitatem Profeſſionem deducentis intra quinquennium) & probata, Profeſſionem nullam eſſe convincunt, quemadmodum Tridentini Patres ſtatuerunt in Seſſione XXIV. de Regularibus capite 19. In hac tamen conditione quinquennii advertendum eſt Gregorii XIII. reſponſum, quo declaravit *Regularem elapſo quinquennio non eſſe audiendum, etſi allegaſſet vim, & metum ſemper duraſſe*, non ita intelligi debere, ut per hunc lapſum inducatur tacita Profeſſio, ſed tantum quod huic Religioſo negari debeat Audientia, ut obſervat Fagnanus in cap. 1. de his quæ vi, metuſque cauſſa fiunt, niſi tamen impedimentum ſit notorium facti permanentis, in quo caſu Concilii quinquennium non obſtat: aut ſi aliqua juſta cauſſa concurrat, quæ reſtitutionem in integrum permittat, ut quotidiana Curiæ Romanæ praxis oſtendit, & notat Cardinalis De Luca Diſcurſu 41. de Regularibus, qui præterea addit hujus cauſſæ cognitionem privative pertinere ad Papam. Illud præterea notari debet, quod Concilium permittit attendendum eſſe, priuſquam deducatur cauſſa aliqua nullitatis Profeſſionis, nimirum quod Religioſus non dimittat antea ſponte habitum ſuæ Religionis, alioquin prius cogendus eſſet ad Monaſterium redire, & tamquam Apoſtata puniendus, nulloque ſuæ Religionis privilegio juvari deberet, ne ſub hoc prætextu Religioſo concedatur licentia vivendi extra Clauſtrum durante lite, quæ ita in longum protrahi poſſet, ut ait laudatus de Luca, quamvis agnoſceretur, quod litis eventus futurus eſſet malus, dum ita obtineretur intentum vivendi interim in Sæculo. Verum tamen

Digitized by Google

men eſt, quod ſi legitima cauſſa urgeat, poterit Judex illi permittere, ut in aliena Religione diverſetur.

XLI. Neque repugnat Profeſſioni Monaſticæ, quominus Religioſus poſt emiſſam Profeſſionem, propter inobedientiam, & rebellionem e Monaſterio ejiciatur. Et revera uſque ad XIII Sæculum Rebelles, & incorrigibiles Religioſos e Monaſteriis fuiſſe ejectos ex Regulis Patrum probatur, & ex Decretis Concilii Meldenſis A. 845., & ex Scriptis S. Thomæ Quodlib. 12. q. finali. At Gregorius IX. in cap. finali de Regular. decrevit, Religioſos ejici non poſſe; ita ut extra loca ipſorum vagentur, ſed tantum ne ſtent cum aliis Religioſis, & intra aliquod Monaſterium eoſdem detineri ad agendam pœnitentiam, quod clarius probatur ex iis, quæ leguntur in cap. *cum in Eccleſiis de* Major., & Obed., & ex Decreto S. Congregationis ſub Pio IV. quo prohibetur: *ne quis Regularium impoſterum ejiciatur e Monaſterio, etiamſi ſit incorrigibilis*, itemque ex novo Decreto A. 1608., quo eadem Sacra Congreg. mandavit Nuntio Belgii, ut Decretalis Gregorii IX. obſervaretur. Nihilominus Urbanus VIII. conceſſit Superioribus Ordinum vere incorrigibiles ejicere poſſe, & hoc Decreto priſtina Monachorum diſciplina revocari aliquatenus viſa eſt, quamquam in Conſtitutione Urbani plura requirantur, ut Expulſionis ſententia probetur, quæ in Patrum Regulis non leguntur, cum jubeat Pontifex veram incorrigibilitatem probandam eſſe ad Sacrorum Canonum præſcriptum, ſublatis in hac parte Statutis, & Conſtitutionibus cujuſcumque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis. Et hæc ſatis dicta ſint de primo Profeſſionis effectu.

XLII. Modo alterum perpendimus, per quam Religioſo Profeſſo non licet Religionis jugum excutere. Noverunt priſtini Monachi, eum qui ſe dedicat Monaſterio, voverque vitam, ac Profeſſionem Monachalem vovere omnia, quæ ſunt ſubſtantialia Monachatus, uti ſunt *Cœlibatus*, ſive Continentia voluntaria, *Paupertas*, & *Obedientia*, quod tria hæc omnibus Profeſſionibus Monaſticis, ac Religioſis communia eſſe nemo negaverit. Religioſæ Obedientiæ detractores variis in locis inſeqvuntur Regulæ Patrum, & propter hoc commendantur Religioſi illi, qui non ſuo arbitrio viventes, vel deſideriis ſuis, & voluptatibus obedientes, ſed ambulantes alieno judicio, & imperio in Cœnobiis degentes, Abbatem ſibi præeſſe deſiderant, & non quod ſibi utile judicant ſequuntur, ſed quod magis alii, Prælatorumque Judicio, tamquam Dei Ordinationi ſe ſubjiciunt, ubi de tranſgreſſione Legis Divinæ non agatur, *valde enim perverſum eſt*, inquit S. Bernardus epiſt. 7. ad Adamum Monachum *profiteri ſe obedientem, in quo quis noſceret Superiorem propter inferiorem*, ideſt Divinam propter humanam ſolvere obedientiam, unde ajebat: *Si Abbas meus, aut etiam Angelus de Cœlo contraria juſſerit, libere recuſabo hujuſmodi obedientiam, quæ me tranſgreſſorem voti proprii, & pejerare faciat nomen Dei mei . . . Ego ſic ipſum ſequi decrevi ſemper, & ubique Magiſtrum, ut nequaquam a Regula, quam teſte ipſo juravi, & ſtatui cuſtodire, deviem magiſterio*. Huic congruit, id quod Clemens VIII., inquit in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Nullus omnino*, agens de diſpenſationibus, & relaxationibus Regularum a Superioribus factis *eiſdem hac in re fidem nullam habendam eſſe, etſi aſſeveraverint ſe ejuſmodi diſpenſationes, aut licentias dare poſſe, & a pœnis in non obſervantes decretis, nequaquam futuros immunes ob Superiorum quamcumque indultam*

licentiam. Poſſunt tamen Superiores in iis, quæ pro charitate inventa fuerunt, ut Charitati ſubſerviant ex juſta cauſſa diſpenſare; neque in hoc Regulæ repugnant, ſed obſequuntur, quæ non eorum voluntati, ſed providæ diſpenſationi relinquit, & in his interdum plus meriti erit in obediendo, quam in arctiori ipſius Regulæ exteriore, & litterali obſervantia, quem rigorem augere, atque ſubditos arctiori Regulæ ſubjicere Superioribus eiſdem fas non eſt; ſed tantum illos oportet ſibi præfixam ex Regula ſcire menſuram, niſi forte in pœnam delinquentium, quod non obſcute ſuppoſuit tum S. Benedictus in cap. 68. ſuæ Regulæ, ubi præcipit *Monachum obedire, ſi aliqua forte gravia, aut impoſſibilia injungantur, faciet namque gratia, quod aberret. Infirmitas, nec ſubditi, qui pro ſuis exceſſibus corriguntur ad remedium appellationis confugient, ut malitiam ſuam liberius valeant exercere, quod illis ſuffragari noluerunt*, tum Alexander III. in cap. *ad noſtram* de Appellat., tum Lateranenſe Concilium ſub eodem Pontifice, tum Innocentius IV. A. 1252. tum Bonifacius VIII. A. 1296. *ne immunitatis ſpe irrita fierent Monaſticæ Religionis Præcepta, neglectaque iis Regulares pœnæ condictæ*, ut latius exponit Fagnanus ad citatum caput *Ad noſtram*.

XLIII. Alterum Religionis jugum eſt *Votum Caſtitatis*. Explicita trium votorum Profeſſio uſitata non fuit in Monachatu veteri, præſertim vero promiſſio ſervandæ Caſtitatis, de qua omnino ſilet Regula S. Benedicti, & ſilent plures etiam Recentiores, quæ illius expreſſam mentionem non faciunt. Primus qui Caſtitatem adjecit formulæ Profeſſioni fuit S. Franciſcus, quem nonnulli Ordines imitati ſunt exprimentes Votum Caſtitatis in ſuis formulis Profeſſionum, & ipſi Carmelitæ morem hunc uſurparunt poſt Innocentianam Conſtitutionem, cum antea Obedientiam dumtaxat promitterent. Ex ſilentio tamen antiquarum Regularum inferri non poteſt Cœlibatum Monachatui, non ita fuiſſe proprium, ut potuerint Monachi haberi Cœlibatui non obſtricti; ita enim continentia adnexa eſt huic ſtatui, ut Innocentius III. dixerit in cap. *cum ad Monaſterium* de Statu Monachorum: *Cuſtodiam Caſtitatis, ita annexam eſſe Regulæ Monachali, ut contra eam, nec Summus Pontifex poſſit diſpenſare*. Et revera ab ipſa Monachatus origine Monachos omnes votum hoc oſervaſſe, ſatis in Superioribus demonſtravimus. Duo autem ſunt, quæ per hoc votum promittuntur, abſtinentia nimirum ab illicitis voluptatibus, & abſtinentia a Conjugio, & qui in utroque deficit Votifragus appellatur, & Anathemate percelluntur in Concilio Chalcedonenſi Monachi illi, qui Matrimonio copulantur, & Matrimonium ipſum poſt ſolemnem Profeſſionem celebratum (ex Conſtitutionibus Eccleſiæ] dirimitur c. unico de Voto in 6. Ubi advertendum eſt, quod non ipſa forma Profeſſionis facit Votum ſolemne, ſed ipſum jus poſitivum Eccleſiaſticum Voto hanc efficaciam præbet, cum emittitur in Religione a Sede Apoſtolica approbata, illudque ſolemne reddit ad hunc effectum: ex quo inferri debet, quod cum ante Sæculum XIII. Monachalia Inſtituta approbationem a Sede Apoſtolica non reciperent, Votum Caſtitatis caruit ha vi, nec dirimebantur Matrimonia contracta poſt Vota emiſſa in illis Ordinibus.

XLIV. Tertium Religioſæ Profeſſionis jugum eſt *Abdicatio Proprietatis* per quam Religioſus nihil ſibi proprii, etiam vel minimi vindicare poteſt, neque rem quamcunque, tametſi victui ſuo ſubſervientem ita habere, ut de illa independenter a voluntate Superioris diſponere præſumat. Sequitur hinc

Reli-

Digitized by Google

Religioſos omnino privatos eſſe omni jure ſucceſſionis, non autem Monaſteria ſingula, bonorum etiam immobilium poſſeſſione privari, ut ex communi Monaſterii ſubſtantia neceſſaria omnibus ſubminiſtrentur, nihilque ſubditis a Superioribus quod ſit neceſſarium denegatur. Quanta Fundorum, ac divitiarum Copia per fidelium liberalitatem ad Monaſteria ſenſim devoluta fuerit, notius eſt quam probari debeat. Id notare ſufficiat, IX. ineunte ſæculo Abbatias plures ad eas divitias perveniſſe, ut ipſis Regibus dona annua, & militiam ſuppeditarent, & unius ſæculi ſpatio Ciſtercienſium Ordinem tanta divitiarum affluentia auctum fuiſſe, ut a priſtina vitæ Sanctitate, & Monaſticæ vitæ integritate decideret. Primum legitur in Conſtitutione Ludovici Pii edita circa annum 817. apud Labbeum T. 7. Concil. General. col. 1513. Alterum conſtat ex epiſtola Alexandri III. univerſis Abbatibus, & Converſis Ciſtercienſis Ordinis, quæ refertur in lib. 3. Decretalium Gregorii IX. tit. 36. de Statu Monach. cap. 3. Abdicationi Proprietatis opponitur vitium Proprietatis, quod ex negligentia, & duritia Superiorum exoritur, ſubditis placidè, ac benignè vitæ neceſſaria non ſubminiſtrantium ex communi Monaſterii ſubſtantia, ad quod extirpandum Tridentini PP. ſalubriter ſtatuerunt Seſſ. XXV. cap. 3. de Regular. numerum Religioſorum in ſingulis Monaſteriis, & Domibus Regularium conſtituendum, & plures Rom. Pontifices iteratò allaborarunt, ut hoc Decretum exactè cuſtodiretur; idque Conſilii Religioſis omnibus tradiderunt, ut in his, quæ eiſdem ad neceſſitatem conceduntur caveant ſemper, ne quidquam eorum ullus poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur, ideſt eo loco habeat quaſi in illud aliquid juris præ aliis de Conventu prætendat, aut utatur rebus ſuo uſui, & ad neceſſitatem concreditis tamquam proprietarius, ſemperque contendant omnes in victu, veſtitu, in Cubiculorum ſupellectili, ac toto vitæ genere exhibere, quod ſtatui Paupertatis, quam profeſſi ſunt conveniat, nihilque ſuperflui apud illos ſit, ut a Profeſſionis excellentia eorum vitæ obſervantia non diſcordet. Quid quid igitur Religioſis viris obveniret, ſive a Parentibus, ſive ab exteris, iidem Religioſi Prælato ſuo concedent ut in communes uſus diſtribuatur, quod conforme aſt tum Regulis Patrum, & Statutis omnium Ordinum, tum Decretis Concilii Tridentini, tum Conſtitutionibus Pontificiis, & præcipue Conſtitutioni editæ a Clemente VIII. quæ incipit *Nullus omnino* ubi §. 2. agitur de hoc Tridentini Decreto, & Conſtitutioni Urbani VIII. quæ incipit *Sacra Congregatio*. & decretó Innocentii *XII*. edito die 18. Julii a. 1695. cum ſingula hæc Decreta, & ſingulæ Conſtitutiones hoc unum decernant, videlicet Res omnes undecunque Religioſo obvenientes Superiori eſſe tradendas, eum in finem, ut tamquam res communes expendantur: Quinimo Fagnanus advertens ad verba citatæ Clementinæ Conſtitutionis: *Illis verbis*, inquit, *improbantur Opiniones illorum, qui aſſerunt Regulares excuſari a proprietate cum habent peculium de Licentia ſuperiorum, & dependenter ab eorum voluntate & nutu*. Patet enim non pendere a voluntate, & diſpenſatione Superiorum quin omnia ſint confundenda cum cæteris bonis Monaſterii pro communibus neceſſitatibus, cum poſſibile non ſit inter Religioſos omnia eſſe communia, ut dividantur ſingulis pro ut cuique opus erit, ubi aliqua reſervantur ad uſus particulares hujus, illiuſque Religioſi & conſequenter, nec Conventui incorporentur, ut jubet Clemens VIII. *ſublata ſuperioribus quibuſcunque ſuper hoc diſpenſandi facul-*

tate. Et revera ſi proprium prohibetur Monacho, quare non ſit eidem prohibendum peculium non intelligitur, cum Peculium, & Proprium pro Synonimis accipiantur a Gloſſographo in nota Marginali ad Caput *Monachi* de Statu Monachorum, & Auguſtinus in Regula c. 1. doceat omne id eſſe proprium, quod non eſt commune, ad hoc ut ſingulis de Congregatione, ex eo diſtribuatur, pro ut cuique opus erit? Ceterum cum ex Romanæ Eccleſiæ Indulgentia Peculium Religioſis permittatur pro injuncta adminiſtratione optandum eſt, quod Religioſi a vitiis abſtineant ex hac reſervatione profluentibus, quæ Religioſos ipſos, & eorum Domos pedetentim ad univerſam formam omnis Monaſticæ diſciplinæ expertem tranſvertunt.

XLV. Hac tamen Romanæ Eccleſiæ indulgentia non gaudent Religioſi illi, qui *Mendicantes* vulgo appellantur, quod redditus, & poſſeſſiones habere non poſſint, cum illis tribuat victum incerta mendicitas, quæ nihil habet ſuum, nec magis uni quam alteri proprium eſſe ſinit quid quid acquiritur, ſed tamquam omnibus commune indifferenter diſpenſat. Unde autem Religioſis his nata ſit hæc prohibitio exponitur in capite *Confirmatos* de Religioſ. Domib. in 6. in quo duæ cauſſæ notantur *Profeſſio* videlicet, & *Regula*. S. Franciſchus primum hujus Inſtituti fundamentum in ſua Regula poſuiſſe dicitur ab Honorio III. in Bulla, quæ incipit *Solet annuere* &c. Et ad exemplum, & imitationem illius quadriennio poſt confirmationem ſui Ordinis S. Dominicus in Generalibus Comitiis Bononiæ coactis Bonorum omnium abdicationem Conſtitutione edita ſancivit, atque tunc hi Religioſi ex Eleemoſynis mendicato acquirendis vivere cœperunt. Præter hos duos Ordines nullos alios inter Mendicantes ſive Regula, ſive Profeſsio retulit uſque ad tempora Gregorii IX. ut teſtatur Azorius in ſuis Inſtitutionibus Moralibus Part. 1. lib. 12. cap. 23. & quamquam ætate Innocentii IV. nonnullæ aliæ Religioſæ familiæ cibo medicato viverent, eaſdem tamen inter Ordines Mendicantes ſpecialiter non fuiſſe relatas Decretum Gregorii X. in Concilio Lugdonenſi editum ſatis probat: neque prius quam ſub finem Seculi XIII. aut initium XIV. Ordinibus Mendicantibus ſtabiliter connumeratos fuiſſe, ſcilicet ſub Pontificatu Bonifacii VIII. Ordines Carmelitarum, & Eremitarum S. Auguſtini ex mutilatione Gregoriani Decreti Gloſſographus advertit in Notis ad caput unicum de Religioſis Domibus in 6. §. *Sane*. Succeſſu temporis alii Mendicantes Ordines prodierunt ex privilegio Papæ inter quos etiam comprehendi Religioſos Societatis Jeſu declaravit S. Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Dum indefeſſa*; tum quia, ait, *ipſa Societas mendicans exiſtit*, quippequæ ex ejus Inſtituto, & Conſtitutionibus a Sede Apoſt. confirmatis bona ſtabilia poſsidere nequit, ſed incertis Eleemoſynis, fideliumque largitionibus, & ſubventionibus vivit; tum quia non minus quam ceteri Mendicantes in excolenda vinea Domini aſsidue laborant.

XLVI. Excellentior quædam bonorum omnium abdicatio prodiit anno 1524. quo conditus eſt Ordo Clericorum Regularium Theatinorum a Jo. Petro Caraffa Epiſcopo Theatino, qui poſtea fuit Summus Pontifex Paulus IV. & a S. Cajetano Thienæo Nobili Vicentino. Peculiare hujus Ordinis Alumnis, eſt, non ſolum nihil omnino poſſidere, verum etiam nec mendicando, aut poſtulando ſe ipſos ſuſtentare, ſed ultroneis dumtaxat oblationibus, & Eleemoſynis ſe ipſos alere, & in Providentiæ Divinæ ſinu, abjecta prorſus rerum terrenarum ſollicitudine, feliciter quieſcere, ſolumque Regnum Dei,

&

& juſtitiam ejus inquirere. Eamdem Abdicationem profitetur quoque Ordo Scholarum Piarum a Joſepho Calaſanctio viro Sanctiſſimo inſtitutus in ſumma Paupertate, & a Paulo V. approbatus, & profitentur pleræque aliæ Congregationes ſub variis nominibus, & Ordinibus viventes cibo mendicato, quæ ad populum conciones habent, fidelium pœnitentium Confeſſiones excipiunt, & ceteras Eccleſiæ functiones ſubeunt, quæque non tantum ad contemplandum, ſed etiam contemplata ad tradendum aliis ordinantur, quod illis magis conveniat vitam habere maxime ab exterioribus ſollicitudinibus expeditam, ut facilius ſuis functionibus inſiſtere poſſint, cum *poſſeſſiones communes*, ut egregie obſervat S. Thomas 2. 2. q. 187. A. 7. *multas ſollicitudines ingerant de ipſis conſervandis, & cuſtodiendis, & excolendis*. Porro ſingulæ hæ Congregationes, cum ex Regula, ſive Profeſſione redditus, aut poſſeſſiones habere non poſſint, vere ſunt de Mendicantibus, quibus propterea quid quid S. Franciſcus aſſeruit pro norma Religioſæ Mendicitatis accomodatur, ſcilicet *ut nihil ſuperflui quæſtus ex Eleemoſynis conquirant, ut furtum Eleemoſynarum aliis Pauperibus debitarum eſſe reputent, ſi quid præter victui, & veſtitui neceſſaria accipiant, illicitumque iis eſſe ſciant ſi velint otioſi de Eleemoſynis, quæ dantur pauperibus, vivere*. Notam inſuper omnem cupiditatis, & avaritiæ effugere eaſdem oportet, & ne nimis, aut fraudibus Fideles ad Eleemoſynam inducant, aut tamquam debitam, & ſolitam, aut prætextu dicendi aliquas Orationes, aut Lucrandi Indulgentias, aut quolibet alio prætextu; quæ omnia Tridentinum Concilium reprobavit in odioſo illo Quæſtorum genere, quod abolevit, & quod abhorrere debent Religioſi illi qui Populis paupertatem ſuorum Ordinum, & neceſſitatem exponunt. Moribus tamen hodiernis obtinuit, eodem Tridentino annuente Concilio, & Pontificiis Conſtitutionibus, ut omnia fere Mendicantium Monaſteria, paucis exceptis, bona immobilia poſſiderent, ut ab iis incommodis immunia eſſent, quæ ex ſumma illa, & utiliſſima paupertate proveniunt, & quibus ferendis pene non ſufficerent etiam illi, qui ad vitæ Monaſticæ perfectionem jam aliquatenus pervenerunt, ut id jampridem ſcripſerat S. Thomas in Opuſcolo 17. cap. 16. Inde tamen non deſinunt eſſe, & vocari Ordines Mendicantes, quippe qui a Mendicitate dicti ſunt, vel a quæſtu publico, quem etiam hodie retinent cum bonorum immobilium, & redditeuum in communi poſſeſſione, ſi forte illis hæc ad victum non ſufficiant, ut minore impedimento ſuis fungantur muneribus, Prædicationi nimirum, Adminiſtrationi Sacramentorum, Adoleſcentium, & Puerorum educationi, & ſtudio Sacræ Scripturæ, ad privatorum omnium, & communem totius Eccleſiæ utilitatem.

XLVII. Recentem hactenus Religioſorum Diſciplinam proſequuti ſumus, nunc pauca ſubjicimus, quæ ad eorum regimen ſpectant, ne a ſtatuto ordine digrediamur. Qui Religioſis in Monaſteriis, & Conventibus præſunt, *Abbates*, *Priores*, *Guardiani*, *Rectores* &c. nuncupantur, quæ voces Officium Superioris in Subditos convenienter exprimunt. Uſque ad XI. Seculum omnium Monaſteriorum Præfecti, Abbates vocati ſunt, quos cum non ad exiguum, tum in Eccleſia, tum in Republica eminentiæ gradum elevatos agnoverint recentiorum ordinum Sanctiſſimi Inſtitutores, ut omnem ſuis filiis faſtus occaſionem eriperent, aliud eis nomen humilius, & mundo abjectius indultum voluerunt. Originem nomini eorum officium dedit. *Abbas* enim idem ſonat quod latinè *Pater*, quia Abbas Parentis inſtar debet ſubditos

tam-

tamquam filios diligere, & eoſdem peccantes corrigere, quatenus vero ſonat præeminentiam, & dignitatem, Prælatus, & Præſul dicitur, ut communiter obſervant Canoniſtæ ad cap. 20. de Judiciis: & qua primus eſt inter ſuos interdum *Prior* nuncupatur, ut multis oſtendit Hæfrenus lib. 3. tract. 6. Diſquiſ. 2. Verum poſtea ſervatum eſt hoc nomen *Prior* Præpoſitis iis, qui Monaſterii curam gerunt poſt Abbatem; ita ut in Monaſteriis Abbatialibus prima poſt Abbatem Perſona dicatur *Prior*, alius tamen a *Priore Obedientiario* ſive *Forenſi*, illo nimirum, qui in Obedientiis, ſive Cellis a principalibus Monaſteriis dependentibus curam habet Monachorum extra Monaſterium ſub ipſo tamen Abbate principalis Monaſterii. De his Prioribus agit Canon 50. Concilii apud Montempeſulanum celebrati a Petro Beneventano Sedis Apoſt. Legato A. 1214. & Decretum Innocentii III. in cap. 6. de Statu Monach. quo cavetur ne alicui committatur aliqua Obedientia perpetuo poſſidenda; quare hi Priores ad nutum Abbatis ſunt ammovibiles, & revocabiles, non ſecus ac alii Monaſteriorum Officiales, non obſtante, ut notat Fagnanus ad cap. *cum ad Monaſterium* de Statu Monach. n. 23. quod *Priores Manuales* non conſueverint revocari, cum in actibus mere facultativis conſuetudo non inducatur. Antiquitus Monaſteriorum Abbates conſtat fuiſſe perpetuos, temporibus vero Eugenii IV. & Alexandri VI. plures Congregationes, & Ordines eoſdem maluerunt habere temporales, ne eorum Prælaturæ excedentes valorem 200. floren. Auri de Camera Clericis ſæcularibus commendarentur. Plerumque igitur Triennales conſtituuntur, ut Triennales communiter eliguntur reliquorum Ordinum Prælati, & Superiores, qui durante Triennio removeri non poſſunt, niſi ex juſta cauſſa, & Juris ordine ſervato, ut textus eſt clarus in cap. *Monachi* de Statu Monach.

XLVIII. Peculiare hoc etiam Abbatibus eſt, ut ſint quaſi Paſtores Religioſorum, quibus præſunt, ex quo fit quod illorum Abbatiæ Beneficiis, & Dignitatibus Curam Animarum habentibus adnumerentur in cap. *cum in cunctis* de Electionibus. Hinc intelligitur, quanto illos oporteat ſollicitius obſervare præcepta Regulæ, atque opere complere, quod auctoritate præferunt, & quanto eſſe doctos in lege Divina, ut ſciant unde proferant nova, & vetera, ſcilicet vera dogmata, & vitæ perfectæ normam tradant, ut ſubditorum ſuorum exactam curam habeant, ut multorum ſerviant moribus, ut ita ſe omnibus conforment, & optent, ut non ſolum detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiantur, verum in augmentatione boni gregis gaudeant. Nec minima eorum Officii pars eſt prudentia, & dexteritas, diſcretio, & Charitas erga ſubditos, fortitudo, ſuavitas, zelus, compaſſio, & patientia, ut Fratres increpando, & corrigendo in melius proficiant, ne nimia remiſſione, ſive indulgentia delinquant, ne ſint turbolenti, & anxii, nimii, & obſtinati, zelotypi, ſuſpicioſi, quia nunquam requieſcent, memores ſemper periculi *Heli* Sacerdotis de Silo, non diſimulent peccata delinquentium, ſed mox ut cœperint oriri, ea radicitus amputent. Hæc autem omnia ita Abbatibus Monaſteriorum conveniunt, ut conveniunt ceteris aliorum ordinum Præpoſitis, & Superioribus ſingulis, qui ſcire debent quam difficilis & ardua res ſit regere animas, & multorum ſervire moribus, & quanto illis Conſilio opus ſit, ut videant quæ eis agenda ſint, & regantur Sapientia. Neceſſitatem hanc agnoverunt primi Ordinum Moderatores, & propagatores, qui Superiorum regimen Seniorum Conſilio conjunxerunt, quod Conſilium a Canoniſtis, quos

citat

Digitized by Google

citat Aſcanius Tamburinus in Tractatu de Jure Abbatiſſarum Tom. 3. Diſp. 1. q. 8. n. 1. ita requiritur, ut actus nullus ſit, ſi Superior in Caſibus, in quibus tantum debet Conſilium requirere a Capitulo, aut Congregatione ſua debite convocata, non expetat. Animadvertendum igitur eſt, ex omnium pene Ordinum, & Congregationum Conſtitutionibus colligi poſſe ſingulas Religiones loco Monarchiæ abſolutæ Ariſtocratiam elegiſſe, unde hodie factum eſt, quod plura a Superioribus expediri non poſſint ſine aliquorum Religioſorum conſenſu, aut ſine conſenſu totius Congregationis. Hinc ortum habuerunt Aſſiſtentium, aut Diſcretorum electiones, quorum Conſilio, & Aſſenſu Superiores agere debent in Caſibus a jure, vel Conſtitutionibus Ordinis ſpecialiter expreſſis, & Convocatio Capitulorum in rebus præcipue tractandis, ut Conſilium Capituli audiatur, ſive Conſenſus obtineatur; neque ſufficit, ut notant Canoniſtæ apud eumdem Tamburinum loco citato q. 2. n. 25. ſi ſinguli privatim audiantur, & ſuffragium ferant, ſed debent Religioſi capitulariter congregari, audiri, & Conſilium, aut conſenſum ſuum dare. Neceſſe tamen non eſt, quod omnes de Capitulo conſentiant, aut diſſentiant, ſed ordinarie ſufficit, aut major Capituli pars, aut major abſolute, comparata ſcilicet ad alias partes, niſi aliter per contrarium Statutum fuerit imperatum. Graviora vero negotia illa ſunt, quæ in jure habentur expreſſa, & quæ aut Pontificiis Conſtitutionibus, & Decretis Sacræ Congregationis, & variorum Ordinum Conſuetudinibus Capitulo reſervantur. Inter cetera autem pro Abbatibus adnotatur, quod nedum rerum immobilium, aut etiam pretioſarum mobilium alienatio, ſine conſenſu Conventus illis vetita eſt, ſed illa quoque bona huic prohibitioni ſubſunt, quæ menſæ Abbatiali ſpecialiter addicta ſunt iis in Monaſteriis, in quibus bona inter Conventum, & Abbatem ſunt diviſa, ut notat Renatus Choppinus lib. 2. Monaſtici tit. 2. n. 16., quoad reliqua vero bona, tum Abbates, tum aliorum Monaſteriorum, & Conventuum primarii Præfecti præcipui ſunt diſpenſatores, idque evincitur, non modo ex Sacris Canonibus, verum etiam clarius ex ipſis Regulis Monaſticis; ita tamen, ut eorum non ſint Domini, aut ipſis data ſit proprietas, ſed ſolum fidelis diſpenſatio: Quapropter niſi fideliter eadem diſpenſent, tum juſtitiæ, tum proprietatis, & voti infractionis Rei reputabuntur coram Deo, cui præparabunt ſe ad rationem reddendam, quam etiam reddent, quot annis eorum Conventui, ſicut Adminiſtratores, & Curatores rerum alienarum, qui ſuæ Adminiſtrationis, & Curationis tenentur rationes reddere. In id etiam incumbere oportet Monaſteriorum, & Conventuum Superiores, ne nimium ſe, quam par eſt, temporalibus negotiis immiſceant, cui incommodo conſultum erit, ſi aliquos inferiores Officiales deputent, quos *Cellerarios*, *Oeconomos*, *Procuratores* appellant Monaſticæ Conſtitutiones, & Bullæ Pontificiæ, qui ita circa temporalia verſentur, ut exercitia Spiritualia non omittant, qui ab ipſis dependeant, & ſub eorum cura ſint, a quibus, cum prohibuerint, non præſumant, omniaque menſurate agant, & ſecundum Præpoſitorum juſſionem, & memorentur ſemper illud Apoſtolicum: *quia qui bene miniſtraverint gradum bonum ſibi acquirent*.

XLIX. Jam vero cum ex eodem Apoſtolo erudiamur neminem ſumere ſibi honorem, *niſi qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, illud quoque maxime inſpiciendum eſt in Religioſorum gubernatione, quod illi ad munus hoc obeundum deſtinentur, quos ſibi omnis Congregatio ſecundum timorem Dei,

Digitized by Google

Dei, ſive etiam pars, quamvis minor Congregationis ſaniori Conſilio ad Præfecturam vocaverit. Id ſatis manifeſtum eſt, ex Canonibus relatis a Gratiano c. 18. q. 2. verum clarius quoque exponitur in cap. 6. Tridentini Concilii Seſſ. xxv. de Regularibus, ubi Patres formam Electionis quorumcumque Superiorum obſervandam decernunt, quæ tamen non derogat Conſtitutioni Concilii Lateranenſis in cap. *quia propter* de Electionibus, quæ tradit formam generaliter ſervandam in electione ad Dignitates, tam Regulares, quam Sæculares in titulum perpetuum, & *ad vitam*, ut ajunt, obtinendas, quæ hodie in Italia fere ceſſarunt, ut ſupra notavimus. In formula Tridentini Concilii hoc peculiare eſt, quod Superiores eligi debent per Vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina non publicentur, quæ præſtentur in communi, & omnibus collegialiter congregatis; nec licere Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoſcumque titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere. Hic tamen notatur a Sacra Congr. reſolutum eſſe, ut refert Garzias de benefic. Part. 5. cap. 4. n. 196. non deſinere eſſe validam Electionem, ſi aliquis Eligentium, vel ante, vel poſt Electionem publicaret, quem electurus fuiſſet, aut referat quem elegerit, alioquin quilibet poſſet Electionem ſibi inviſam irritare. Neque aliter ſentit Zypæus tit. de Election. n. 8. de publicatione Votorum facta poſt publicationem, & Confirmationem Electionis; ſiquidem finis cum Electione rite facta, & confirmata obtentus eſt a Concilio; & ea quæ ex poſt facto accidunt, rem ipſam infectam, ſeu nullam reddere nequeunt.

L. Ex ſpecialibus Conſtitutionibus, & Conſuetudinibus aliquorum Ordinum nonnihil receſſum eſt a forma Electionum, quæ procedunt de Jure Communi, nam plerumque contingit, quod Generales Ordinum, & Provinciales eliguntur in Capitulis Generalibus, aut Provincialibus, reliqui vero Superiores, aut a Generali, aut a Provinciali deſignantur, audito Voto ſuorum Definitorum, ſeu Aſſiſtentium? Illorum Superiorum Electiones, qui habent alium Prælatum medium, cui ſubſunt, ab hoc confirmantur, ſed Generalis confirmationem immediate, obtinet a Sede Apoſtolica: quemadmodum Abbas perpetuus, qui a Solo Pontifice Conſiſtorialiter deſignatur, etſi in vi iſtius proviſionis, nequeat poſſeſſionem Abbatiæ, aut ejus adminiſtrationem accipere ante expeditionem Bullarum, nullam faciente moram Benedictionis deficientia, cujus Benedictionis nulla in Regulis Monaſticis, & antiquis Hiſtoriis fit mentio, ſed invaluiſſe creditur, quando Abbates Ornamentis Pontificalibus, uti cœperunt, hoc eſt ſub initium Sæculi XI. ſub Joanne XVIII., ut merito propterea ſcripſerit S. Ivo Carnotenſis: *Promotionem Abbatis non facit Epiſcopalis Benedictio, ſed Fratrum communis Electio*, quod notant ulterius Canoniſtæ in cap. 1., & 13. de Accuſationibus, ubi inquiunt *Electum, & Confirmatum, tametſi necdum benedictum vocari ſimpliciter Abbatem*, quibus aſſentitur Oldradus juxta ſtylum Cancellariæ Romanæ Conſilio 14. Laudant Benedictionem Abbatialem S. Canones faciendam ab Epiſcopo proprio, tamen Martinus V., Eugenius IV., Innocentius VIII., & Clemens VIII. per ſpecialia Indulta conceſſerunt, ut a quocumque maluiſſent Antiſtite, Abbates S. Pancratii de Florentia, & Congregationis Cœleſtinorum hanc Benedictionem acciperent, vel ab Abbate Generali, aut a Delegato ab ipſo, quo Privilegio Ciſtercienſes utuntur.

LI. Juſta

LI. Juxta hodiernam diſciplinam Abbates Regulares, & Titulares, ceterique Præpoſiti debent eſſe Presbyteri, aut intra annum ad Presbyteratum promoveri, quod eiſdem cura animarum immineat, nec ii proprie hanc curam ſuſcipere valeant, qui Sacramenta, & cetera a Clavibus, & Sacerdotio dependentia ſuis ſubditis non adminiſtrant. Debent etiam annum 25. ætatis attingere ex Clementina 1. §. *ceterum* de Statu Monachorum, quia creditur quod hæc ætas conducat, ut melius de capacioribus provideatur Monaſteriis.

Pontificalibus Ornamentis ſenſim addiderunt Abbates alia Epiſcopalia exercitia, ſolemnem benedictionem, & Tonſuræ Clericalis, aliorumque Minorum Ordinum collationem: Ab his tamen conferendis abſtinent, ſi non ſint Præsbyteri, & ſolemniter Benedicti cap. *cum contingat* de ætat., & qualit. præficiend., & iis utuntur ad mentem Concilii Tridentini cap. 10. Seſſ. xxv. de Reformatione, & juxta Decreta S. Congreg., quæ referuntur a Fagnano in cap. *Aqua* de Conſecr. Eccleſiæ n. 19. videlicet in propriis Monaſteriis, & cum ſuis ſubditis Regularibus, & nonniſi in Eccleſiis ſibi pleno jure ſubjectis, ut declarat Alexander IV. in cap. 3. de Privilegiis in 6.

LII. Ad conſervandam, vel Reſtaurandam Regularem Diſciplinam, morumque correctionem, pie, utiliterque per Lateranenſe IV., & Tridentinum Concilium Generalia Ordinum quorumcumque Comitia imperata ſunt, quorum forma, & ritus ex ſingulorum Ordinum Conſtitutionibus precipue peti debent. In his Capitulis, quæ Univerſum Ordinem repræſentant, omnium Provinciarum Præfecti, & Deputati conveniunt. Totius Ordinis Generalis Præfectus eligitur, deputantur Religioſæ, & circumſpectæ Perſonæ, quæ ſingulos Conventus, & Religioſas Domos ſecundum formam ſibi præfixam ſtudeant viſitare, corrigentes, & reformantes, quæ Correctionis, & Reformationis Officio viderint indigere: quaproter eoſdem eſſe convenit Religionis precipuos Zelatores, moribus maturos, & diſcretos, nec non circa explendum actum Viſitationis ſuæ multum ſollicitos, & circumſpectos, ne circa materiam, aut circa modum limites Viſitationis excedant, ut decreta, & ordinata ab ipſis, ejus ſint auctoritatis, & firmitatis, ut nulla appellatio, aut ad Superiorem recurſus, eorum ſuſpendat executionem.

LIII. Primis Sæculis cura incumbebat Epiſcopis viſitandi Monaſteria ſuæ Diœceſis, quod ſatis eruitur ex can. 28. & 29. cauſſæ 18. q. 2. apud Gratianum, & ex Can. 9. Concilii Tullenſis; at ubi exorta eſt Monaſteriorum, & Regularium exemptio ab Epiſcoporum Juriſdictione, hæc viſitatio defuit non ſine maxima Religioſarum Familiarum jactura, cui malo tamen occurrit Innocentius III. in laudato Concilio Lateranenſi, in quo ut diximus, decrevit Generalia Capitula de triennio in triennium debere celebrari, & Religioſas, ac circumſpectas Perſonas ordinari, quæ Monaſteria ſingula viſitarent ad vitiorum correctionem, & Charitatis conſervationem. Decretum hoc Synodus Tridentina probavit Seſſ. xxv. de Regularibus, verum conceſſit Epiſcopis, ut tamquam Delegati Sedis Apoſtolicæ illa Monaſteria viſitarent, & corrigerent, quæ ſub immediata ejuſdem Sedis protectione, & directione reguntur, aut quæ ſunt commendata, & exempta, niſi eadem Monaſteria Capitulis Generalibus ſe ſubjecerint, aut ſi eorum Præpoſiti poſt factam ab Epiſcopis monitionem, neglexerint: quo ad reliqua vero hierarchica, ſingula Monaſteria, quacumque exemptione munita, teneri ait viſitationem reci-

pere, ut plenius dicitur in §. 4. Conſtitutionis Gregorii XV., quæ incipit *Inſcrutabili*. Simili auctoritate uſi ſunt Epiſcopi, uſque ad Sæculum IX. in reformandis Monaſteriis, ceterum in hoc negotio utrum poſſit Epiſcopus procedere ſolus? Negarunt Panormitanus ad caput *Ea quæ* de Statu Monachorum, & Rebuffus in Commentario ad Concordata pag. 557. edit. A 1664. verbo *Reformatio*, atque ita judicatum fuiſſe die 9. Martii A. 1473. refert Fevretius libro 3. de Abuſu cap. 4.

LIV. Monuit Concilium Lateranenſe, quolibet triennio Generale Capitulum habendum eſſe, & hoc idem ſanxerunt Benedictus XII., Clement V., & Synodus Tridentina: dubitatur itaque merito, num debeat illarum Religionum praxis retineri, quæ citius, aut ſerius Capitulum congregat? Cum vero ſuper hoc dubio S. Congregatio reſpondiſſet, quod frequens Congregatio Capitulorum prodeſt ad Regularem diſciplinam, vel conſervandam, vel ubi collapſa eſt reparandam, ex hac reſponſione, nemo non videt veterem ſervandam eſſe praxim illam, quæ frequentiorem Capitulorum celebrationem præſcribit, & alteram corrigendam (niſi aliter per Beneplacitum Apoſtolicum fuerit impetratum) quæ Capitula differt ultra triennium. Similiter cum dubitatum fuerit, an Præſes ſit de ſubſtantia hujus Capituli, cum ex praxi non celebrentur Capitula ſine Præſide, ut aliquis ſit, qui Actus Capitulares dirigat, ut vitetur confuſio, & diſcordiarum occaſio abſit argum. cap. in *Apibus* 7. q. 1. Nihilominus verius viſum eſt Doctoribus hunc Præſidem non pertinere ad ſubſtantiam Electionis, quod in Decretalibus, ubi perſtringuntur hæc ſubſtantialia, nihil de Præſide diſponatur, nec alicubi reperiatur in jure, ut ex defectu Præſidis Electio aliqua fuerit reprobata; quare inquiunt, quod Actus Capitulares dirigi poterunt ab Antiquiore, qui etiam poteſt Capitulum convocare in defectum ejus, ad quem id ſpectat de jure, niſi Statutis Eccleſiæ, vel Ordinis a Sede Apoſtolica confirmatis, aliud expreſſe caveatur, quemadmodum cautum eſt, ne Regulares Votum habeant in Capitulis, niſi ſaltem ſint Subdiaconi contra veteres Regulas, quæ omnes indiſcriminatim ad Capitulum admittebant Clementina. *Ut ii* de ætate, & qualitate Ordinandorum innovata a Concilio Tridentino cap. 4. Seſſ. XXII.: & niſi ſint præſentes, ex Reſcripto Sacræ Congregationis Canonicis Lateranenſibus conſulentibus: *an abſentes perſonæ, quod præſentes facerent, ſcripto ſuum Votum dare poſſint in Electione Sociorum Capitularium*? quibus reſpondit *non poſſe*: & ne quid ſtatuant contra Canones cap. *Quod ſuper his* de Major., & Obedientia, & Gloſſa hic in verbo *Conſtitutum*.

LV. Modo in quæſtione ponitur, utrum Capitulum Generale poſſit Statutum aliquod condere, excludens Perſonas unius tantum Nationis ab Electione paſſiva, propter rationem, quam ponit Rota Deciſ. 65. n. 6. Part. 1. in Recent., *quia in electione requiritur ſumma libertas, & ab ea debet longe abeſſe omnis coactio, & reſtrictio*? Verum opportune notatur hanc Rotæ Deciſionem quæſtioni noſtræ non ſatisfacere, quod illa Exceptio, in qua ponitur præcipuum fundamentum rationis, ſupponit Capitulares aſſentiri voluiſſe in Statuto, de quo tunc agebatur, qui tamen conſenſus revera deerat; ſiquidem quomodocumque reſtringatur Electio, etiam per Excluſionem unius ab Electione paſſiva, ſemper infertur præjudicium libertati Electorum non conſentientium: ut revera non conſenſerat Congregatio S. Benedicti Hiſpaniarum ſubreptitiæ Conſtitutioni a Sanctiſſimo impetratæ (quis

pro

pro eadem nunquam ſupplicatum fuerat) qua reſtringebatur Electio Generalis in alterius Trienniis ad gremium certi Monaſterii. Cenſemus itaque inutilem eſſe controverſiam nuper expoſitam, & poſſe Capitulum Generale ſic decernere, ut ſupponitur, illiuſque Decretum validum eſſe, & obſervandum in Electione Generalis ex diſpoſitione capitis *in ſingulis* §. *hujuſmodi*, & §. *ſi vero* de Statu Monach., alioquin nullitate laboraret electio Perſonæ de Natione excluſa, quæ nullitas multo magis ſuſtineretur, ſi Decretum non prohiberet ſimpliciter Electionem fieri, ſed ſtatueret quod Electio fieri non poſſet, cum verbum *poſſit* præcedente negatione, inducat neceſſitatem præciſam, & privet potentia juxta Gloſſam in cap. 1. in verbo *non poteſt* de Regulis Juris in 6., & juxta DD. ſententiam in L. *Gallus* ff. de liber., & poſthum. Hujus autem ſolutionis fundamentum ſuppeditat efficacia Conſuetudinis, quæ minor eſſe non debet auctoritate juris ſcripti, ſiquidem per tacitum conſenſum ejus, qui poteſt jus condere Conſuetudo ſubſiſtit, lege *de quibus*, verſu *nam cum ipſæ leges &c.* ff. de legibus. Si ergo poteſt Conſuetudine induci, ut Capitulum unius Eccleſiæ eligat ſibi Prælatum ex Collegio Eccleſiæ cap. *Abbate* de Verborum Significatione, quod idem valet ac Electionem referre ad certum genus Perſonarum, idem poterit etiam induci ex Statuto Capituli Generalis, cujus auctoritate in condendis Statutis non eſt ambigendum, tam ex Conſtitutionibus Ordinis, quam de Jure Communi c. 1. & ibi gloſſa in ver. *Conſtitutum* de his quæ fiunt a majori parte Capit. Præterquamquod hujuſmodi Statutum reſtringens electionem concernit præjudicium ſtatuentis, Capitularium videlicet, qui cum habeant jus Electionis paſſivæ, bene poſſunt huic juri renunciare c. *in præſentia* ad finem de Renunciatione, c. *Ad Apoſtolicam* de Reg. c. ſi *Terra* de Privileg. &c. & ſupponitur factum ex cauſſa juſta, hoc eſt pro publica quiete, & cohæret Conſuetudini multarum Religionum, quæ inſtituerunt ut alternis vicibus Nationes variæ ſuos aſſequerentur Provinciales. & Generales; imo quod Electio Generalis fieret ex ſingulis Provinciis per Turnum, quem inter ceteras obſervat Congregatio Canonicorum Lateranenſium.

LVI. Aſt ut plenius demonſtretur nihil in hoc caſu contingere contra libertatem Electionis notari iterum poteſt, aliud eſſe Statutum reſtringens Electionem ad certas perſonas, & Nationem, & aliud Statutum excludens perſonas unius Status, vel Nationis ab Electione paſſiva: ut in Caſu Matrimonii contrahendi, aliud eſt hanc conditionem apponere *Si puella nupſerit alicui ex Perſonis arbitratu Tertii deſignandis*, & aliud eſt apponere hanc alteram, *ſi puella non nupſerit alicui ex certo genere Perſonarum*. Et revera, ubi Conditio appoſita in primo exemplo habetur pro non adjecta, ut Matrimonii libertas relinquatur l. *cum tali* §. *ſi arbitratu* ff. de Condit & Demonſtrat. in altero ipſa conditio ſuſtinetur l. *Cum ita Legatum* ff. eodem in qua lege hæc ratio adponitur; non *videri tali conditione viduitatem injunctam, cum alii cuilibet ſatis commode Puella poſſit nubere*; & in noſtro caſu, quia ſatis commode poteſt alius quilibet in Generalem eligi: quare ſecundum Statutum excludens certum genus Perſonarum ab Electione paſſiva libertatem non tollit, eo vel maxime quod ab iiſdem Electoribus conditur, de quorum libertate præcipue agitur; & videtur obſervatum in Electione Papæ, qui eligitur tantum de Collegio Cardinalium, & in promovendis ad

Tt 2 Be-

Digitized by Google

Beneficia Eccleſiaſtica in Regnis Hiſpaniarum, Galliarum, & alibi, ad quæ non aſſumuntur niſi Hiſpani, vel Galli, & Clerici illarum Nationum, in quibus vacant hæc Beneficia, ſive ſint Sæcularia, ſive ſint Regularia. Quin imo additur adeo efficax eſſe hujuſmodi Statutum, ut integrum amplius non ſit Capitulo Generali illud revocare, eoquod, ut ſcripſit Navarrus Conſil. 8. *Quæritur primo* in princip. de Conſtit. *cum habeat jus condendi Decreta ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ, Decreta ipſa non dicuntur Capituli Generalis, ſed Papæ, & ideo ab inferiori a Papa revocari non poſſunt*. Accedit etiam ratio publicæ utilitatis, propter quam præcipue editum ſupponitur hujuſmodi Statutum, quibus ſuppoſitis, a ſtatuentibus revocari non poſſet, nec illi tacite, vel expreſſe renunciari, ut decernit Innocentius in cap. *Cum olim* l. 2. n. 7. verſu *Imo plus dicimus* & eruitur ex cap. *Accedentibus* de Privilegiis, & cap. *Si diligenti* de foro competenti, & ex l. *Juris gentium* §. *Si paciſcar* ff. de Pactis &c.

CAPUT VII.

DE ACTIONIBUS HIERARCHICIS.

De Judiciis, & Actionibus Civilibus hic nequaquam nobis ſermo eſt, nullus enim Actus illos inter Hierarchicos ſtatuit, etiam ſi ab Hierarcha ideſt Epiſcopo præſcribi poſſint. Neque etiam loquimur de Paternis Correctionibus, aut Patrum Familias, aut Dominorum erga ſervos, cum in iis peragendis opus non ſit Sacro Principatu, ſed paterna dumtaxat Poteſtate, quæ a Juriſdictione publica, maxime vero ab Eccleſiaſtica Ordini Sacro adnexa, omni ratione diſtinguitur. Agitur ergo de Actionibus iis, quæ a Poteſtate Spirituali tantum proficiſcuntur, quæ ab Ordine ac Juriſdictione ita pendent, ut Principatus Actiones dicantur, de quibus Innocentius III. hæc ſcripſit in c. *novit* de Judiciis: *Cum non humanæ Conſtitutioni, ſed Divinæ potius innitamur, quia Poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo, nullus ſanæ mentis ignorat, quin ad Officium noſtrum ſpectet de quocunque peccato corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correptionem contempſerit per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere*. Sicuti autem primitus Eccleſia forum externum ſeparatum ab interno non habuit, ſic nec pœnas Eccleſia infligebat, niſi cum quodam reſpectu ad forum pœnitentiale, quod XI. circiter Sæculis ita invaluit, ut pœnæ Eccleſiaſticæ potius rationem Pœnitentiarum habuerint, quam pœnarum, & Criminoſi ipſi, magis ad Pœnitentiæ Tribunal pertinerent, quam ad Forenſe, & Judiciale ſpectarent. Eximium hujus Diſciplinæ documentum uſque ad Sæculum VIII. exhibet Epiſtola Gregorii II. ad Leonem Iſaurum, quæ habetur in Tomo VIII. Conciliorum Generalium columna 26. Uſum vero illarum omnium ætatum antiqui Canones paſſim oſtendunt, in quibus ſæpe fit mentio Recluſionis in Monaſteria, utpote quæ opportunior reputabatur ad agendam convenientem pœnitentiam. Hæc ſunt Gregorii verba in loco nuper laudato. = *Vides Imperator & Pontificum, & Imperatorum diſcrimen. Si quiſpiam Te offenderit, domum ejus publicas, & ſpolias, ſolum illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eum-*

eumque a liberis, & ab omnibus Cognatis, & Amicis ſuis amandas. Pontifices non ita; ſed ubi peccarit quis, & confeſſus fuerit, vel amputationis Capitis loco Evangelium, & Crucem Cervicibus ejus circumponunt, eumque tamquam in Carcerem in Segretaria, Sacrorumque Vaſorum aeraria conjiciunt in Eccleſia Diaconia, & in Cathecumena ablegant, ac viſceribus ejus jejunium, oculiſque vigilias, & laudationem ori ejus inducunt, eumque probe caſtigaverint, fame afflixerint, tum pretioſum illi Domini Corpus impertiunt, & Sancto illum Sanguine potant, & cum illum vas Electionis reſtituerint, at immunem peccati, ſic ad Dominum purum, inſontemque tranſmittunt. Ad Canones autem quod ſpectat, eoſdem ſuppeditant Agathenſe Concilium, Epaunenſe, Matiſconenſe, Toletanum III. VIII. XI. Lugdunenſe ſub Sigiſmundo Rege Burgundionum, Hiſpalenſe II. Narbonenſe, aliaque plura, quibus adſtipulantur, tum Carolus Magnus in ſuis Capitularibus, tum Juſtinianus Imperator in Novella 123. cap. 10. tametſi labentibus Sæculis hæc in Monaſteriis reclusio in vicem Incarcerationis ad vindictam publicam criminum imponi cœperit.

II. Externum, & Judiciale forum circa Sæculum XII. ab interno cœpit ſeparari, & tunc pœnitentiæ impoſitæ pro foro interno cœperunt per modum pœnæ decerni in foro Externo, & quandoque etiam immutari; ſiquidem Judices Eccleſiaſtici pecuniarias quandoque pœnas infligebant, quandoque arctæ Cuſtodiæ Clericos Criminoſos deputabant, flagris, flagelliſque cædebant, & ex propria Patria receſſum imponebant, non vero deportabant, etſi hoc crediderint illi ex Canoniſtis, qui S. Gregorii Reſponſum contra Subdiaconum Calumniatorem, ut refertur in cap. 1. de Calumniatoribus, interpretantur de pœna veri, & civilis Exilii, quo per deportationem, vel relegationem extra Territorium aliquod quiſquam relegatur, cum certum ſit pœnam hanc a ſolo Judice Sæculari imponi poſſe, quia pœna Capitalis eſt l. *capitalium* ff. de pœnis, l. 3. ff. *ſi quis cautionibus*, l. *hos accuſare* 12. §. *omnes* ff. de Accuſatoribus: quare in c. 2. de Clerico excommunicato expreſſe legitur Eccleſiam pœnam hanc non imponere, ſed Judicem Sæcularem ad requiſitionem Judicis Eccleſiaſtici. Nihilominus illorum explicatio a veritate penitus non abhorret, ſi inſpiciatur Pontificem poſſe in terris Eccleſiæ ſubjectis quo ad temporalia omnibus juribus Regni, & Civitatis exules privare, & conſequenter a tota ſua Ditione aliquem relegare, & proinde Exilium illud, de quo agitur in citato capite, perfectum quo ad omnes effectus fuiſſe, ſiquidem per Anthemium Judicem Eccleſiæ Romanæ in Campania, ubi temporalem Pontifex exercebat juriſdictionem ſub Magno Gregorio, fuit inflictum.

III. Hic autem noſtrum non eſt de his pœnis inquirere, ſed de ſpiritualibus tantum, ut ſuperius notavimus, quæ privant uſu ſpiritualium bonorum, & per Eccleſiaſticam Poteſtatem ita imponuntur, ut per eamdem ordinarie iiſdem innodatus abſolvi poſſit; & hujus generis ſunt Cenſuræ omnes, quæ ad tres ſpecies referendas eſſe in cap. 20. de Verborum Significationibus expreſſum habetur, ubi quærenti quid per Cenſuram intelligi deberet, dum in Litteris Apoſtolicis inſeritur ut per *Cenſuram procedatur*? Reſpondit Innocentius quod *per eam non ſolum Interdicti, ſed & Suſpenſionis, & Excommunicationis ſententia valet intelligi.* De Cenſuris itaque in hoc Capite differemus, & licet non plenius, quantum fieri poſſet, tamen

non

non abſtinebimus ab illis recenſendis notionibus, quæ dignitati argumenti ſufficiunt, & Hierarchicas probant Actiones. Sit igitur.

§. I. *Opportuna eſt triplex Cenſurarum diſtinctio, ſive Delinquentium, ſive Delictorum ratio habeatur, exceſſibus, & Perſonis, ceteriſque circumſtantiis provida deliberatione penſatis.*

IV. Tres tantum fuiſſe veteribus ſpecies Cenſuræ difficilimum eſt demonſtrare, imo & impoſſibile, ſi Morino fides habenda ſit, qui ſuper hoc Argumento diſſerit in l. 6. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 25. n. 12. Enim vero licet Burchardus Wormatienſis Epiſcopus, Ivo Carnotenſis, Hugo Victorinus, Lombardus, & Gratianus de Cenſuris Eccleſiaſticis multa ſcripſerint, nihil tamen addiderunt, ex quo conjici poſſit hunc de Cenſuris præciſum, & artificialem loquendi modum illis fuiſſe cognitum. Imo ubi apud eos Cenſuræ nomen uſurpatur, ita accipitur, ut a ceteris Pœnis, & Impedimentis Eccleſiaſticis non diſtinguatur, Depoſitione ſcilicet, & Degradatione, Ceſſatione a Divinis, & Irregularitate. Recentioribus tantum Canoniſtis, & Theologis poſt XI. circiter Sæcula arriſit hæc nuper data diſtinctio, neque aliter hodierna de Cenſuris Diſciplina, & loquendi phraſis exponitur, ſi oporteat contumaces Eccleſiaſtica Cenſura compellere, ut in bonam frugem redeant, compelluntur enim, vel Excommunicatione, vel Suſpenſione, vel Interdicto.

V. Jam vero quod pertinet ad definitionem Cenſuræ hæc ita deſcribitur; ut ſit Pœna *Spiritualis, & Medicinalis privans uſu aliquorum bonorum ſpiritualium per Eccleſiaſticam poteſtatem ita impoſita, ut per eamdem ordinarie abſolvi poſſit*. Ita poſt Suareſium Cenſuram deſcripſit Vallenſis ſub titulo de Sententia Excommunicationis §. 1. n. 2. fortaſſe non recte, ſi ad antiquum loquendi modum noſter intendat animus, non inconcinnè tamen, ſi ad ea ſe referat, quæ Jura, & Doctores communiter tradunt cum de Cenſuris loquuntur.

VI. Porro importunam non eſſe allatam Cenſurarum diſtinctionem quilibet fatebitur, qui Delictorum & Delinquentium conditionem contemplabitur, ad quos cohercendos, & a quibus retrahendis hæc Pœnarum genera ſunt excogitata. Certe quo major Sanctitas requiritur in Perſona aliqua, eo quoque enormior eſt violatio, qua Sanctitati Perſonæ detrahitur, aut ipſa Perſona ſpeciali ratione ſanctificata, & Deo conſecrata profanatur: hinc crimina *Hæreſis*, *Sortilegii*, *Magiæ*, *Adulterii*, *Lenocinii*, *Stupri*, *Raptus*, *Concubinatus*, *Fornicationis*, *Blaſphemiæ*, *& Perjurii*, quæ ceteris peccatis enormiora cenſentur, quod membra Deo per Baptiſmum Sacrata magis violant, indigent hoc Spirituali mucrone truncari, & qui talia agunt merentur, ut ejecti de Eccleſia, rabido Dæmonum ore diſcerpantur, qui ſi præterea Clerici dignoſcuntur, prohiberi merentur ab executione poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam habent ratione Officii, & Beneficii Eccleſiaſtici, & ſi univerſus Populus in ſua *nequitia* perſiſtat, quaſi Paganum a Divinis laudibus illum ceſſare oportere jure decernitur, ut ad obedientiam adigatur.

VII. Patet ex his ſingulas Cenſuras in hoc convenire, quod hominem retrahan ab uſu rerum Divinarum, nihilo tamen ſecius uſus hic in ſingulis Cen-

Cenſurarum ſpeciebus variatur, nam per Excommunicationem prohibetur omnium Divinarum rerum uſus, quatenus hic uſus eſt quædam cum Fidelibus communicatio: per Suſpenſionem prohibetur quatenus eſt uſus alicujus Poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ ad ſolos Clericos ſpectat ratione Officii, vel Beneficii: & per Interdictum vetatur hic uſus quatenus uſus eſt aliquarum rerum Divinarum, quæ expreſſæ ſunt in jure, non utcumque, ſed declarato; quapropter non immerito commendatur triplex jam facta Cenſurarum diſtinctio, licet in priſtinis Canonibus, & Auctoribus præciſa hæc, & determinata earum differentia non facile reperiatur, cum apud illos Interdictio, & Suſpenſio Clericorum a ſuis functionibus ſit mera pœnalis abdicatio pro modo culpæ infligenda.

§. II. *Expoſita Cenſurarum diſtinctio multiplicem exhibet illorum Effectuum ſtatum, qui ab eiſdem Cenſuris proficiſcuntur.*

VII. Excommunicationis pœnam graviſſimam eſſe, imo nullam majorem in Eccleſia Dei eſſe, ex iis evincitur, quæ leguntur in cap. *Corripiantur* 24. q. 3. & in cap. *abſit* 11. q. 3. per illam enim contumax vir ſeparatur a Deo cap. *certum* 24. q. 3. removetur ab Eccleſia fidelium cap. *omnis* 11. q. 3. traditur Satanæ cap. *Audi* 11. & æternam damnationem inducit cap. *nemo Epiſcoporum* eadem cauſſa, & quæſtione: hinc Eccleſiæ Patres, ut hujus Excommunicationis granditatem perſuaderent Fidelibus multa dixerunt, ſed juvat audire Auguſtinum, qui Tractatu 27. in Joannem hæc ſcribit: *Nihil magis debet formidare Chriſtianus, quam ſeparari a Corpore Chriſti: ſi enim ſeparatur a Corpore Chriſti non eſt membrum ejus, ſi non eſt membrum, non vegetatur ſpiritu ejus, dicente Apoſtolo: quis quis autem non habet ſpiritum Chriſti, non eſt ejus*: Unde fit Excommunicatum triplex incurrere incommodum, quia privatur gratia Dei, & protectione ejus ſpeciali, & traditur Diabolo corporaliter, & ſpiritualiter, quæ incommoda poſt Magiſtrum Sententiarum notavit S. Thomas in 4. d. 18. a. 1. q. 2. ad 3. His breviter recenſitis ſuper effectibus Excommunicationis antequam ad ulteriore progrediamur.

IX. Advertimus Excommunicationem, de qua hic ſermo, eſt aliam eſſe ab illa Excommunicatione, quæ Patrum ætate erat uſitatiſſima, & pœnæ cujuſdam dumtaxat rationem habebat, non Cenſuræ. Hujus exemplum occurrit in can. 10. Concilii v. Carthaginenſis, in can. 19. Arelatenſis, & in can. 6. Synodi Tarraconenſis, in quibus cum dicitur de Epiſcopo non accedente ad Synodum Provincialem, quod Eccleſiæ ſuæ Communione ſit contentus: quod a Fratrum communione debeat eſſe alienus: & quod uſque ad futurum Concilium cunctorum Epiſcoporum Charitatis communione privandus eſt, habetur hic reſpectu aliarum Eccleſiarum excommunicatus. In idem tendunt canones 33. Apoſtolorum, Laodicenus 41. Antiochenus 7. quibus Fidelium ultro citroque ex una ad aliam Eccleſiam commeantium, in communionem receptio prohibebatur, ſi Epiſcopi ſui Litteras commendatitias, non adtuliſſent, quas litteras quamdam Communionis Teſſeram fuiſſe, ex eo patet, quod dum Eccleſia, aut Epiſcopus in alterius Eccleſiæ, aut Epiſcopi doctrina, vel diſciplina perverſum quid contineri arbitrabatur, Fideles illius Eccleſiæ a Communione repellebat, tametſi litteris his commendatitiis ab Epiſcopo ſuo inſtructi venirent; non aliter ac repellebantur reliquæ litteræ,

quæ

quæ a quibuſdam *Communionis*, aut *Communicatoriæ* litteræ, aut litteræ *formatæ* nuncupantur, per quas ſub quadam formula peculiari, Epiſcopi, & Eccleſiæ ſibi mutuo, & præcipue ad Romanum Pontificem mittebant ſinceræ fidei, & Conſenſionis ſuæ Symbola, ut ex Optato Milevitano erudimur, & ex Euſebio lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 30. Et ne nimium divagemus in repetendis ejuſmodi Excommunicationum Exemplis ex Veterum Patrum monumentis, eligimus illud Apoſtoli 2. ad Theſſal. 3. *Denunciamus vobis Fratres in nomine D. N. J. C. ut ſubtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt a nobis*, quibus verbis dabatur, & hactenus datur opportunum documentum bonis, fidelibus, ut quando ipſi cognoviſſent aliquem inordinate ambulantem ab ejus ſe ſubtraherent communione ad medelam, & confuſionem delinquentis, ut apparet ex ſequentibus verbis Apoſtoli: *hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur*. Quo monito Conſtantinopolitana Plebs uſa eſt, cum primum Neſtorius in Publica Synaxi hæreſim ſuam expoſuit, cui amplius communicare noluit, ut S. Cyrillus teſtatur epiſt. 18. ad Cœleſtinum Papam. Has autem mutuas Eccleſiarum, & Fidelium Communionis ſubtractiones, ſeu denegationes jam appellatas *Excommunicationes*, immane! quam procul recedunt a ſenſu, & mente Theologorum, & Canoniſtarum, apud quos hæc vox Excommunicatio occurrit; Siquidem per illas ſic ſeparati, nequaquam a Corpore Eccleſiæ reſcindebantur, ſed in corpore Eccleſiæ remanentes, etiam Fidelium, & Eccleſiæ precibus, & ſuffragiis juvabantur, & dumtaxat a Communione, & ſocietate fidelium pro tempore aliquo removebantur ad ſcandali dati reparationem, & populi ædificationem, quod ſi nondum reconciliati eiſdem mori contigiſſet, oblationes ipſorum in ſignum communionis recipiebantur, ut Albaſpinæus ſcripſit lib. 3. Obſerv. c. 6. Ex quo patet ampliſſimè hujuſmodi Excommunicationum ſpecies, neque a poteſtate, aut uſu Clavium derivaſſe, a qua tamen hodiernæ Cenſuræ procedunt, quæ reſcindunt a totius Eccleſiæ communione Excommunicatum, tamquam Ethnicum, & Publicanum, ut infra oſtendetur.

X. Ad hoc autem intelligendum ſcire oportet triplicem eſſe in Eccleſia Fidelium Communionem videlicet Intrinſecam, Extrinſecam, & Mixtam. Communionem intrinſecam paſſim indicant Scripturæ, tum in Verbis Pſalmiſtæ: *Particeps ego ſum omnium timentium te* [Pſal. 118.] tum in Verbis Joannis c. 4. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit eum, diligat & Fratrem ſuum*, tum in verbis Apoſtoli ad Rom. 12. *Multi unum Corpus ſumus in Chriſto*, & ad Corinth. *Vos autem eſtis Corpus Chriſti*, tum aliis in locis, ex quibus ſententiis clare innoteſcit intuitu hujus Communionis, Chriſti membra per fidem formatam capiti Chriſto uniri, & reliquis ejus membris, & communionem hanc a Charitate prodire, quæ ſecundum Auguſtinum in lib. de Doctr. Chriſt. c. 22. *eſt animi affectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum*. Extrinſeca Communio reſpicit corporales actus legitimos, qui legitimi actus exprimuntur in oſculis, in conviviis, in mutuis ſalutationibus, in mutuis colloquiis, vel his ſimilibus. Mixta demum Communio illa dicitur, quæ actibus, & Cæremoniis externis conſtat, & ad ſpiritualia bona ordinatur, nempe ad accipiendam, vel conſervandam gratiam, per quam quis particeps fit Sacramentorum, Suffragiorum, & Orationum generalium Eccleſiæ, cujus Membrum per Baptiſmum ef-

fi-

ficitur, & hæc ſocietas in Communione Sanctorum ſita eſt, quæ in x. Symboli articulo declaratur, & per quam efficitur, ut quid quid in Eccleſiam collatum eſt commune ſit. Triplicem Communionis diſtinctionem tradiderunt D. Thomas, & alii in 4. Sent. diſt. 18. q. 2. Cardinalis Turrecremata in cap. *ſi inimicus* 11. q. 3. & Canoniſtæ in Rubr. de ſenten. Excom.

XI. Peculiare itaque hoc habet Excommunicatio, ut qui per illam eſt innodatus ſegregatur, non quidem ab intrinſeca Eccleſiæ, & fidelium communione, ſed ab extrinſeca, itemque a communi Sacramentorum, & Suffragiorum Eccleſiæ participatione. Dum dicitur quod Excomunicatio non ſeparat ab *intrinſeca communione*, quæ nexu Charitatis in Deum indiſſolubilis ſit, & omnes fideles, ut membra Chriſto Capiti conjungit, ita intelligi debet, ut jam ſupponatur hæc facta ſeparatio per peccatum mortale, quod Chriſtianum privat charitate, qua conjungitur Eccleſiæ, & aliis fidelibus Excommunicatio etenim nonniſi pro mortali crimine intligitur, quod præſupponitur eo ſaltem tempore, quo quis juſta excommunicatione ab Eccleſia ejicitur. Aſt ſi agatur de extrinſeca communione, ab illa omninò ſegregatus eſt, qui anathemate percellitur, ita ut nulli liceat cum hujuſmodi nec cibum ſumere, nec commiſceri cum illo, nec illum in domum ſuam recipere, nec Ave illi dicere, ut *Corinthiis*, & *Theſſalonicenſibus* ſcripſit Apoſtolus, & Ioannes *Electæ*.

XII. Nunc autem eſt explicandum quomodo ſeparetur excommunicatus a Sacramentorum, & a communi Suffragiorum Eccleſiæ participatione. Qua de re illud hoc in loco eſt neceſſario memoria repetendum, quod Theologi communiter tradunt, nempe ſuffragiorum, & orationum, itemque cujuſlibet Operis boni, & meritorii triplicem eſſe valorem, quem vulgo appellare ſolent ſpecialiſſimum, ſpecialem, & generaliſſimum. Primus ad ipſum Operantem ſpectat, eidemque applicatur. Alter illi competit, pro quo quis orat, jejunat, aliudve opus ſimile operatur. Tertius totius Eccleſiæ eſt, & omnibus Chriſti fidelibus convenit, & addicitur. Neque illud prætereundum eſt orationem, ſuffragia, & ſacrificia quo ad valorem operis operantis eſſe rurſus dupliciter conſideranda. Primo ut dicuntur, & fiunt nomine proprio; Secundo ut dicuntur, & fiunt nomine totius Eccleſiæ, vel alicujus privati Orationes, & Sacrificia delegantis, & alteri committentis. Quod ſi idem valor ſuffragiorum conſideretur quo ad eorum participationem, hic quoque dupliciter poteſt ſpectari. Uno quidem modo virtute Charitatis, quæ omnes fideles connectit. Alio modo ex animo, & intentione, & applicatione facientis, & operantis. Quibus ita conſtitutis palam fit Excommunicatum non privari per Excommunicationem illa ſuffragiorum Eccleſiæ communione, quæ a Charitate procedit, quod illa jam privatus exiſtat per peccatum mortale, cujus cauſſa fuit Excommunicatione affectus, ſed privari illa ſuffragiorum Eccleſiæ Communione, quæ ab applicatione, & intentione totius Eccleſiæ radicem habet, ex eo quod Eccleſia minime vult communia ſuffragia applicare, nec orare pro his, qui extra eam ſunt, & qui omninò ab Eccleſia ſunt præciſi, quod adeo certum eſt, ut neque ipſum Excommunicatum comprehendat ſub Orationibus, & Suffragiis ab eadem pro ejus membris generaliter exhibitis, ſub quibus tamen Peccatores comprehendit, eaque ideo nullo modo vult, quod eidem proſint, ſive ut defendatur a tentatione Dæmonis, ſive ad protectionem Dei comparandam, qua Divina Ma-

jeſtas ſpeciali cura filios Eccleſiæ cuſtodit, ſive ad impetrandam illuſtrationem cordis, ut citius, & facilius reſipiſcant, & ad bona temporalia; aliaque plura, ut innoteſcat quantum quo ad interiores pœnas, & interiora damna a Peccatore differat Excommunicatus pro quo nullus poteſt, ut Eccleſiæ miniſter orare, ſive ſpecialibus, ſive generalibus orationibus, quæ pro membris Eccleſiæ fieri ſolent, ſed tantum orationibus illis, quas habet compoſitas ad orandum pro infidelibus, & Excommunicatis, ut Navarrus docet in Summa cap. 27. numero 71. & fert praxis Eccleſiæ in feria ſexta Majoris hebdomadæ, Accedit his omnibus Excommunicatos ad publicas preces, & Divina Officia quæ ſolis Fidelibus Eccleſiæ filiis patent non admitti, & privari præterea omni jure, quod eis competebat, tamquam membris Corporis Eccleſiæ iuxta morem ſuarum Eccleſiarum, quarum nonnullas conſueviſſe Excommunicatorum nominia a *diptychis* ſuis eradere Theodorus Antidori Epiſcopus ſcripſit in expoſitione Miſſæ.

XIII. Iam vero locus eſt ut dicamus Excommunicatis nunquam licuiſſe communibus Synaxibus, paſſiva, & activa Sacramentorum perceptione intereſſe. Textus optimus habetur in cap. *ſi celebrat* de Cleric. Excommun. Miniſtrant. in cap. *Apoſtolica* eodem tit. & in cap. *cum illorum* de Senten. Excommunicat., quibus in locis hoc ipſum communiter receptum eſt in hunc ſenſum, quod male faciat, & illicite percipiat Excommunicatus Sacramenta Eccleſiæ propter gravem injuriam, quam ipſis Sacramentis infert ea percipiens in eo ſtatu, quo juſte ab Eccleſiæ communione eſt ſegregatus; idcirco ille, qui Cenſura affectus percipit, aut dat Sacramenta grave Sacrilegium committit in ipſum Deum, & Eccleſiam, ut legitur in cap. *illud* 95. diſt. & in cap. per *Eſaiam* 1. q. 1. verſ. *hoc pene: omnia Sacramenta indigne tractantibus obſunt*, quod ſi certum eſt Sacramenta illicite dari, & adſumi ab eo, qui lethali crimine irretitur, inficiabitur nemo illicite dari & percipi ab eo etiam, qui propter culpam mortalem extra fidelium conſortium ſegregatur, & tamquam putridum membrum abſcinditur. Sacrilegium igitur eſt ſi Excommunicatus Sacramenta Eccleſiæ contrectet, vel ea ſuſcipiens, vel eadem adminiſtrans. Ceterum Sacramenta ipſa vere aſſumuntur, & conferuntur ab Excommunicato. De Sacramento Baptiſmi ab excommunicato collato extat textus in cap. *tunc valere* de Conſecrat. diſt. 4. Idem oſtenditur de Sacramento Confirmationis, & Euchariſtiæ argumento eorum quæ notantur in cap. de *Homine* de Celebr. Miſſ. & in cap. *intra Catholicam* 1. q. 1. De Sacramento Matrimonii extat declaratio S. Congregationis, ut notat Fagnanus in 4. Decretal. cap. *littera* n. 26. De Ordinis Sacramento hoc probatur in cap. *præter hoc* §. *verum* 32. diſt. in cap. 1. verbo *irritas* Gloſſa ibi, & in cap. 2. de Schiſmat. & in cap. *illorum* de Sententia Excommunic. quibus in locis, aliiſque exponitur, vere dari ab Excommunicato, & Excommunicato Ordinis Sacramentum quo ad Characterem, licet non quo ad executionem, ab illa enim quoad uſque non ſequatur diſpenſatio ſuſpenſus eſt ipſe Ordinatus, ſive ignorans, ſive ſciens tum Ipſum, tum Ordinis Collatorem excommunicatum eſſe, Ordines ſuſceperit, ſecundum Gloſſam in cap. *ab Excommunicatis*. & ſecundum textum in cap. *Si qui a Simoniacis* 1. q. 1. juncta Gloſſa in cap. 1. de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renuntiavit Epiſcopatui, & ſecundum Abbatem in cap. *veritatis* de dolo, & contumelia n. 46. aliiſque, qui præterea fa-

ten-

tentur, quod cum Excommunicato, qui ſcienter Ordines recepit nullus præter Papam diſpenſat, etiam ſi Excommunicatio ejuſmodi ſit, quod ab ea Epiſcopus abſolvere valeat. Neque aliter affirmari debet de Sacramento Pœnitentiæ, ſi tamen ſupponatur quod Pæniteńs ignoret Sacerdotis Excommunicationem, & Sacerdos ipſe non ſit denunciatus, eumdemque vitare non debeamus, in hac enim hypotheſi hic Sacerdos careret juriſdictione, quæ cum Ordinis poteſtate neceſſaria eſt; Eccleſia ſiquidem Excommunicatis denunciatis hanc tollit cap. *ad probandam* de re judicata; cap. *ſi celebrat* de Cler. excom. miniſtrante, cap. *audivimus* 24. q. 1. cap. *ſi* §. ultimo de Officio Vicarii in 6. Reſpectu vero Pænitentis, qui Excommunicatus accedat ad Sacramentum Pænitentiæ, ſciendum eſt, quod ſi Excommunicatus majori excommunicatione affectus ejuſdem excommunicationis juſte ignarus ſit, Sacramentali Abſolutione juvatur, cap. *Apoſtolica* de Cler. excomm. miniſtrante, ſecus vero ſi ſciat ſe eſſe excommunicatum, licet putet juſto quodam juris, vel facti errore, attenta ejus qualitate, ne poſſe prius a peccatis, quam ab Excommunicatione abſolvi; quod incapax ſit excommunicatus Sacramentalis abſolutionis, & Rom. Pontifex per excommunicationem latam in aliquem, eum efficiat materiam ineptam & incapacem hujus Sacramenti, ut cum Adriano in 4. Senten. & in Tractatu de Matrim. q. 1. docent Paludanus, Sylveſter, & alii contra Cajetanum, qui dato juſto juris, vel facti quodam errore, eo modo quo ſupponitur, putat *nullum ab Excommunicato Sacramento abſolutionis obicem poni, ſi vere pæniteat, & bona fide Sacramentum pænitentiæ accipere curet.* Cui Aſſertioni alia non minus improbabilia adſtruit laudatus Auctor cum ſcribit in Summa verbo *Abſolutionis Impedimenta: etiam validam eſſe abſolutionem Sacramentalem illi Excommunicato, qui cum ſciat, aut ſcire debeat ſe non poſſe prius a peccatis, quam ab Excommunicatione abſolvi, nihilo tamen minus abſolutionem a peccatis petit præmiſſa Confeſſione Sacramentali*, etſi aſſerat quod illicite datur, & accipiatur, nec eo tempore proprium effectum in Pænitentem, & Confeſſorem habeat: Nam præter quam quod eadem vigeat ratio, quæ probat excommunicatum incapacem eſſe hujus Sacramenti, accedit & altera, quæ docet ſolum hoc eſſe proprium Sacramenti Baptiſmi, & eorum, quæ iterari non poſſunt, ut extra Charitatem ſuſcepta, recedente fictione effectum proprium, & verum Sacramenti operentur, cum cetera Sacramenta recedente fictione non habeant Sacramenti effectum, quoad ipſa recipientem extra Charitatem; ſiquidem recedente fictione iterum recipi poſſunt, & recipientes ita in Charitate fructum eorum conſequentur, quod verificari non poteſt in Baptizatis, Confirmatis, & Ordinatis, qui perpetuo privarentur horum Sacramentorum fructu, qui Baptizatis omnino neceſſarius eſt, Confirmatis autem, & Ordinatis maxime utilis. Dubitatur de Abſolutione, quæ concedatur ab Excommunicato publice denunciato, & qui per Eccleſiæ Conſtitutiones vitandus eſt exiſtenti in articulo mortis. Aſt Melchior Canus exiſtimat non eſſe ambigendum poſſe licite ſuſcipi Sacramentum Pœnitentiæ in caſu extremæ neceſſitatis ab Excommunicato nominatim denunciato, quod Eccleſia Catholica eo in caſu non abſtulerit Excommunicato juriſdictionem, quam quilibet Sacerdos jure Divino habet, idque etiam ſenſiſſe videtur S. Thomas in 4. diſt. 17. q. 1. A. 3. q. 1. & diſt. 20. q. 1. A. 1. ad 2. q. Verum de hoc argumento alibi diſputavimus. Satis

igitur eſt ſuper materia adminiſtrationis, & Confectionis Sacramentorum advertere Excommunicatum Ordine Sacro initiatum ab ejus Ordinis executione quo ad ſe, & quo ad alios ipſo jure eſſe ſuſpenſum, ideoque effici irregularem ſi in hoc Ordine miniſtraverit, quod clare notat textus in cap. 1. ad finem de Senten. & re judic. in 6. & pluribus aliis in locis, unde conſequitur his modis effici irregularem excommunicatum, quibus ſuſpenſus ab Officio efficitur itidem irregularis, nec illi quidquam prodeſſe quod non ſit denunciatus; ſiquidem Conſtitutio *Ad evitanda ſcandala* nihil utilitatis affert ipſis Excommunicatis, nec quidquam in eorum ſtatuit utilitatem. Imo ab hac Irregularitate non eximitur Epiſcopus Excommunicatus, qui auctoritatem præſtat celebrationi, ut ipſe Miſſam, audiat & hoc eruitur ex cap. *illud* de Clerico Excomm. miniſtr., & tenuit Gloſſa in Clement. 2. verbo *celebrari* de Privileg., & notarunt DD. in cap. *tanta* de exceſſibus Prælatorum, & in cap. *Ad Audientiam* de Homicidio.

XIV. Haud vero his limitibus continetur tota Excommunicationis vis, ſed novus adhuc ejuſdem effectus prodit, qui inanem exhibet Beneficii collationem, ſi Excommunicato fiat. Exponitur hic effectus in cap. *poſtulaſtis* de Clerico Excomm. miniſtr. comprobatur per Gloſſam in cap. *Apoſtolicæ* de Exceptionibus, & eruitur ex fine, cujus gratia Beneficia conferuntur, nimirum propter Officium cap. *cum ſecundum* de Præbendis, quod officium exequi nequit, qui eſt Anathemate innodatus. Ex quo principio colligitur quod non poſſit Excommunicatus eligi ad Beneficium, & ſi fuerit electus Electionem ejus eſſe nullam cap. *conſtitutus* de Appellationibus cap. ultimo de Cler. Excom. Miniſt. cap. *cum inter*, cap. *illa*, cap. *per inquiſitionem* de Electionibus, & quod non poſſit præſentari a Patrono laico, vel Clerico ad Beneficium Juris Patronatus juxta Gloſſam in cap. ultimo de Electionibus in 6. ſive Excommunicatus ſit ab homine, ſive a jure, ut explicant Juris Interpretes Joannes Imola in cap. *cum dilectus* col. pen. de Conſuetudine, Rota antiqua 363. Abbas in cit. cap. *Apoſtolicæ*: ſive Excommunicatus Beneficium obtinuerit Motu Proprio, qui Motus Proprius, licet multa operetur ad tollendam ſubreptionem, non tamen inducit diſpenſationem ad obtinendum duo beneficia incompatibilia juxta Gloſſam in cap. *ſi motu proprio* de Præbendis in 6. & in Clementina *ſi Romana* de Præbendis; neque tollit vitium [ſi Rom. Pontifex illud ignoret] quod patitur quis, & a quo impeditur jure obtinere id quod ſibi conceditur, Rota in Noviſ. 112. Felyn in cap. *cauſſam*, quæ de Teſtibus; ſive demum Excommunicatus non fuerit denunciatus tempore collationis, aut poſtmodum obtinuerit legitimam ab Excommunicatione Abſolutionem, quod collatio ab initio nulla, vires non aſſumat abſolutione ſecuta cap. *non firmaretur* de Reg. Jur. in 6. modo conſtet eum Excommunicatum fuiſſe tempore collationis, ut clarus eſt textus in cap. *propoſuit* de Cler. Excomm. miniſtr. & notat Goffredus in cap. *quod ſicut* ad finem de Electionibus, licet ipſi Excommunicato non ſuffragetur ignorantia ſuæ Excommunicationis, ut notat Abbas in cit. cap. penultimo de Cler. Excomm. miniſtrante, & tradunt DD. in cap. *Paſtoralis* §. *verum* de Appellationibus, hoc fundamento, quod talis ignorantia valet ad effugiendas Juris pœnas ſtatutas adverſus Excommunicatos aliquid agentes a jure prohibitum, non vero valet ad valorem ipſius Actus, & in caſu noſtro ad ſuſtinendam Beneficii collationem, Penſionem, Aſſecu-

ſecutionem, imo & impetrationem litterarum ad Beneficia obtenta, argumento textus in cap. primo de Reſcriptis in 6. in cap. *ad Audientiam* in ſecundo eod. tit. & in cap. *quamvis* de Præbendis in 6. Et hæc doctrina extenditur etiam tum ad caſum Epiſcopi, qui ſit notorie excommunicatus, & Beneficia conferat Clericis, aut Presbyteris non excommunicatis, irritas enim eſſe has collationes apparet ex Conſtit. Concilii Lateranenſis ſub Leone X. quæ habetur Seſſione 11. in §. *ſtatuimus inſuper, ut ad evitanda ſcandala &c.* Tom. 4. Concil. Parte 2. pag. 117. tum ad caſum Epiſcopi, qui eſt Excommunicatus, ſed non denunciatus, quem deſtitutum eſſe omni prorſus facultate Beneficia conferendi docet textus in cap. unico, & ibi DD. *ne Sede vacante* l. 6. & tenuit Rota coram Cæſare de Graff. Deciſ. 191. n. 12. 20. Imo neque deſunt DD. qui adhuc veline id etiam verum eſſe in caſu occultæ excommunicationis, quorum ſententiam tenuit Rota in Recentior. Deciſ. 534 n. 2. p. 1. Quod ſi hæc opinio omittenda ſit, quia rigidior, altera certe deſerenda non eſt, quæ tum publicam, tum notoriam excommunicationem ſupponit. ut in hac hypotheſi nulla Collatio dicatur, ut nullum, & irritum dixit Alexander III. Collationem dignitatum & Beneficiorum per Epiſcopos Schiſmaticos factam in capite *quod a Prædeceſſore*. De Schiſmaticis, & ne illicitum dicunt Canones, & invalidum uſum, & exercitium omnis Juriſdictionis ſpiritualis, & Eccleſiaſticæ cap. *Audivimus* 24. q. 2. cap. ad *probandum* de Sententia, & re judicata cap. *Romana* de Officio Vicarii in 6. cap. *Decernimus* de Sententia Excommunicationis, quod notorius Excommunicatus quacunque juriſdictione ſpirituali privetur, & omni Eccleſiaſtico Officio, quod non niſi vivis, ac Excellentioribus Eccleſiæ membris committitur, non putridis, quæ a Corpore Eccleſiæ reſcinduntur; imo neque licite etiam poſſe Excommunicatum in Tribunali juſtitiæ Sæcularis functiones Judicis, Advocati, Actoris, Teſtis, Tutoris, Curatoris &c. exercere decernitur, tum in cap. *ad probandum* de Sentent. & re judicata, tum in cap. *decernimus* de Sentent. Excommunic. in 6. ob eas ipſas cauſſas, quas in cap. *Pia* de Except. in 6. Gregorius IX. expoſuit.

XV. Colligitur ex his Communionem cum Excommunicato Notorio, tum in his, quæ ad Divina pertinent, tum in aliis omnino eſſe prohibitam, neque ipſis Excommunicatis ullum jus tribui a Conſtitutione Conſtantienſis Concilii; imo eoſdem Excommunicatos juxta veteres Canonicas Sanctiones teneri etiam ante denunciationem abſtinere ab his, quæ excommunicatis ſunt interdicta eodem modo, quo ante eamdem Conſtitutionem tenebantur; licet enim in prædicta Conſtitutione, quam ad litteram refert S. Antoninus in 3. P. tit. 25. cap. 2. habilitentur Catholici ad communicandum cum notorie excommunicatis, *dummodo non ſint denuntiati*, aut notorii Clericorum Percuſſores, contrarium tamen fuit Statutum in Seſſione XI. Lateranenſis Concilii ſub Leone X. ubi Catholici prohibentur communicare indiſtincte cum omnibus excommunicatis, etiam non denuntiatis, juxta Canonicas Sanctiones, ſi ita notorie in Excommunicationis ſententiam conſtiterit eos incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari. Hanc autem Communicationem ita limitant Canones, ut ea nec licita ſit verbo, nec per Epiſtolam, quod Doctores probant ex iis, quæ allegantur in cap. *ſi aliquando* de Sentent. Excommunicati,

nicat. in cap. *ubi periculum* §. *nulli* de Electionibus in cap. *Clericus* 11. diſt. & in l. 1. ff. ad Legem Juliam Majeſt. quibus in locis conſtat paria eſſe quidquam tractari verbo, nuntio, & epiſtola; imo addunt non ſolum Epiſcopum non poſſe licite communicare cum Excommunicato, etiam ab eodem ante formalem abſolutionem ab Excommunicatione juxta textum, & Gloſſam in cap. *cum deſſideres* de Senten. Excom. in cap. *ſtatuimus*, in cap. *nuper* t. e. ſed neque ipſum Romanum Pontificem communicare poſſe in Divinis, nam licet ipſe poſſit jus Divinum interpretari, profecto illud non poteſt quacunque ex cauſſa tollere, vel per diſpenſationem, vel per privilegium, eumdemque peccare, ſi abſque juſta cauſſa cum Excommunicato utcumque communicaverit, ſenſit Gloſſa in cit. cap. *nulli*. Dictum eſt in *Divinis*, nam ſi agatur de communicatione cum Excommunicato in humanis, & temporalibus, cum ea jure humano ſit interdicta, poterit Summus Pontifex eam ex cauſſa permittere abſque ulla culpa, vel privilegio, vel lege lata. & ſic legimus in cap. *quoniam multis* 11. q. 3. permiſſum uxoribus, liberis, ſervis, ancillis &c. communicare cum maritis, parentibus, Dominis &c. excommunicatis; in cap. cum *voluntate* de Sentent. Excomm. licitum eſſe excommunicato auxilium ferre tum ſpirituale, tum corporale, idemque ab eo recipere ubi ſumma exigitur utilitas: in cap. *ſi vere extra* de Senten. Excom. permiſſum exigere ab excommunicato debitam pecuniam, aliamve rem quampiam, ne ex contumacia, & delicto Excommunicatus commodum conſequatur; & cum inquiritur an valeat contractus cum excommunicato factus? Valere, & vim habere etiam in utilitatem Excommunicati communiter docent Juris Interpretes, quibus adſtipulatur textus in cap. *felicis* de Pœnis in 6. §. *verum*, qui præterea docent valere Matrimonium ab Excommunicato contractum, & Religionis Profeſſionem ab eo factam, quod contrarium in Jure non legatur: & demum in cap. *reſponſo*, & in cap. *cum voluntate* de Senten. Excom. permiſſum legimus in his communicare cum Excommunicatis, quæ ad eorum correctionem, & ad ſalutem animarum pertinent, dummodo id ſincere fiat ad illos inducendos in viam rectam, & a prava, peſſimaque contumacia avertendos, nam ſi quis excommunicatum alloquitur ſciens nihil id colloquium ad ſalutem conducturum, ſimulatione quadam potius, quam animo fraternæ dilectionis, & correctionis, ſe ipſum decipit, nec pœnam jure ſtatutam evadit, ut infra oſtendetur.

XVI. Colligitur præterea quam impia ſit aſſertio Lutheri, qua aſſeverat Excommunicationem eſſe tantum pœnam externam, nec privare quemquam Sacramentis, & communibus Suffragiis Eccleſiæ; itemque illum falſo ratiocinari, cum veris permanentibus iis, quæ ſuperius attulimus, infert Excommunicationem mortalem eſſe, non medicinalem, ut decernitur in cap. 1. de Sentent. Excomm., nam præter ea, quæ ſupra tradidimus, blaſphemiæ, & impietatis arguunt Lutherum Origenis verba, quæ leguntur in Homil. 3. ad caput 2. Judicum, ubi de Excommunicatione diſſerens: *Traduntur*, inquit, *Peccatores in interitum carnis, cum pro delictis ſuis a Corpore Chriſti ſeparantur*. Et infra explicans hujus ſeparationis cauſſam, addit: *cum delictum eorum manifeſtum ſit Eccleſiæ, & de Eccleſia per Sacerdotes pelluntur, ut notati ab hominibus erubeſcant, & converſio eveniat, & Spiritus ſalvus fiat in die Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Et profecto ſi per hanc

hanc traditionem non acciperet Sathanas in Excommunicatos majorem poteſtatem, certe iidem a Dæmone fatigati, in interitum Carnis non conarentur, ut eorum Spiritus ſalvus eſſet; neque diſcerent non blaſphemare, ut Paulus 1. ad Timoth. 1. ait de Hymenæo, & Alexandro, quos Sathanæ tradiderat, niſi per hanc traditionem accepiſſet in eos Sathanas apertiorem aliquam vindicandi poteſtatem. Id certe non latuit Philippum Melanctonum, quem refert Turrianus l. 2. pro Conſtit. Apoſtol. cap. 42., & lib. 2. cap. 7. fabulari Chriſtianam Excommunicationem ex Gentilium uſu fuiſſe derivatam, apud quos impii, & contumaces, ut Halicarnaſſeus obſervat l. 2., Livius l. 6. Decada 3., Tullius l. 1. de Divinat. a Sacrificiis, & omnium aditu, & communicatione arcebantur, & diris ſeu furiis infernalibus devovebantur, quam pœnam graviſſimam apud ipſos fuiſſe Cæſar de Bell. Gall. lib. 6. teſtatum reliquit. Quid ni ergo eamdem pœnam graviſſimam, & omnium maximam apud Chriſtianos Lutherus inficiabitur, & tantam, quæ a Sacramentis, & communibus Eccleſiæ ſuffragiis non privet hominem Chriſtianum? Quomodo autem Excommunicatio dicatur Medicinalis, non vero Mortalis, id conſtat ex fine ejuſdem Excommunicationis, quia ejus finis eſt mederi peccatori morbo peccati laboranti, ordinatur ſiquidem in hunc finem, quod Peccator reſipiſcat, pœniteat, ac ſatisfaciat Eccleſiæ, quam propria contumacia injuria affecit, exemplo eorum, quæ corpus purgant, tametſi multis alioquin damnis illud afficiant. Excommunicatus itaque videns ſe ipſum ita gravari, & opprimi a Dæmone, & ab omni conſortio Fidelium alienum eſſe, reſipiſcet: quod ſi neglexerit, Excommunicatio ei erit lethalis, & tamen adhuc appellabitur Pœna Medicinalis, reliquis nimirum Eccleſiæ membris, quod per illam conſulatur incolumitati totius reliquæ Communionis. Non aliter ac appellantur Medicinales pœnæ in Republica ſtatutæ adverſus homines facinoroſos, ſi ipſius Communitatis utilitatem conſideremus, quæ punitorum exemplo territa, minime audet delinquere.

XVII. Sed contra Lutherum faciunt præterea clariſſimi Textus illi, in quibus decernitur, quod nullo modo orare debemus ubi Excommunicatus orat; unde etiamſi Excommunicatus extra Eccleſiam conſiſtat, & ibi audiat Miſſam, ſtatim Sacerdos debet ceſſare, & alii orantes debent recedere, niſi forte Sacerdos Canonem Miſſæ incœpiſſet, quia tunc deberet ibidem Miſſam perficere uſque ad Communionem incluſive, & reliquum in Sacrario abſolvere: quod ita cautum eſt, ut ſi quis adeſſet qui Excommunicatum ad Miſſarum ſolemnia adduceret, aut exire prohiberet, hic excommunicatione innodaretur Apoſtolicæ Sedi reſervata, ut decernit Pontifex in cap. *Significavit* de Senten. Excommunicat. Excipitur Caſus Concionis, quæ ut ex cap. *Reſponſio* titulo eodem patet, non comprehenditur ſub Divino Officio, cui intereſſe poteſt Excommunicatus, vel ſponte, vel aliena induſtria, licet publice in Eccleſia fiat. Si igitur Excommunicati neque ad communes Synaxes, & Eccleſiaſticos conventus, qui omnibus paſſim fidelibus, & membris Eccleſiæ patent admitti nequeunt, concludendum profecto eſt Excommunicationem non tantum pœnam eſſe externam, ſed talem pœnam, quæ privat quempiam Sacramentis, & communibus Eccleſiæ Suffragiis, eo vel magis, quod neque caſus Eccleſiaſticæ Sepulturæ excipiatur, cum nolit Eccleſia ut *quibus non communicamus vivis, cum iiſdem communicemus defunctis* cap. *Sacris* de Sepulturis: Unde ſi

cen

contingat interdum quod vel Excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio caſu in Cæmeterio Eccleſiaſtico tumulentur, ſi ab aliorum corporibus diſcerni poterunt extrahentur, ſin autem Eccleſia, vel Cæmeterium reconciliandum eſſe ſtatuitur in cap. *Conſuluiſti* de Conſecrat. Eccleſiæ.

XVIII. Hic tamen juvat monere non cuilibet Excommunicationi hos effectus convenire, ſed tantum illi, quæ major Excommunicatio nuncupatur, ut ab altera diſtinguatur quam Recentiores Theologi, & Recentiora Jura conſueverunt Excommunicationem minorem appellare, eamdemque definire *ſeparationem Chriſtiani a Sacramentorum Eccleſiæ perceptione*. Hoc diſcrimen opportune notatur, quod diverſimode jura ipſa loquantur cum agunt de pœnis, quæ iis infliguntur qui cum Excommunicatis communicant, quarum præcipua eſſe ſolet hæc minor Excommunicatio. Dixi *Recentiora jura*, quia præter duas Gregorii IX. Decretales, quarum altera legitur in cap. final. de Cleric. Excomm. Miniſtr. & altera in cap. penultimo de Senten. Excomm., quæ aperte agunt de hac Excommunicatione, nullæ aliæ reperiuntur, aut ſaltem pauciſſimæ, ut notat Gloſſa ad cit. caput finale. Imo Chriſtianus Lupus Tom. 1. Schol. in Canones p. 491 fatetur quod antiquitus nulla erat Excommunicatio minor, ſed quivis Excommunicato communicans incurrebat idem penitus Excommunicationis vinculum, quomodo tunc communicans in crimine: quapropter Morinus lib. 6. de Adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 25. n. 13. eamdem inductam fuiſſe, putat circa Sæculum XIII., cum antea haberentur Pœnitentiæ gradus hujus generis Excommunicationes, quæ aut a ſola Euchariſtiæ perceptione arcebant, aut ab Euchariſtia, & Euchariſticis precibus: aut a precibus ſuper Chatechumenos, & Pœnitentes ſubſtratos factis: aut ab omni Eccleſiæ ingreſſu interdicebant. Ut igitur de hac minori Excommunicatione pauca addamus.

XIX. Dicimus illum hac Excommunicatione ligari, qui cum Excommunicatio adverſus prohibitionem juris communicaverit; idque apparet ex cap. *Statuimus*, ex cap. *Conſtitutionem* de Senten. Excomm., ex cap. 2. de Exceptionibus, ex cap. ultimo de Cler. Excomm. Miniſtr., & ex duobus ſequentibus 11. q. 3. Et licet aliquot Canonibus deciſum ſit Communicantem, cum Excommunicato in Excommunicationem a Jure Statutam, & indictam incidere; nihil prohibet verba Canonis interpretari, quo ad privationem Sacramentorum, & eorum perceptionem, videlicet de Excommunicatione Minori propter ſubjectam materiam, quæ caſum excludit illius, qui communicat cum Excommunicato a Rom. Pontifice judicialiter, & nominatim; aut illius, qui Clericus eſt; aut illius, qui communicat cum Excommunicato ſciens illum eſſe Excommunicatum a Papa; aut illius, qui ſponte communicat, nullo metu nedum conditionali premiſſo; aut demum illius, qui communicat in Divinis in Eccleſia, vel extra Eccleſiam ſimul orando, aut alias: his etenim una conſtitutis colligitur, communicantem, cum Excommunicato majorem contrahere Excommunicationem, de qua loquuntur Canones cum affirmant Communicantem cum Excommunicato in Excommunicationem a jure ſtatutam incidere, ut textus eſt optimus in cap. *ſignificavit*, & in cap. *ſi Concubitur* de ſenten. Excomm., in quo cavetur, ne quis communicet in crimine ipſo, propter quod aliquis excommunicatus fuit,

Digitized by Google

fuit, aut Conſilio, aut Cooperatione, cum facientem, & conſentientem par pœna conſtringat ſecundum Innocentium in capite *nuper* eod. tit.

XX. Oritur hinc, quod ſi Excommunicatus Minori Excommunicatione Miſſam celebret minime ſit Irregularis, quod ſatis definitum extat in cap. *ſi celebrat* de Clerico Excom., vel depoſito miniſtrante, cum ejuſmodi Excommunicatus, non ſit ſuſpenſus ab aliquo Actu Ordinis Eccleſiaſtici, aut qui pertineat ad aliquem Ordinem juxta celebrem regulam Innocentii in cap. 1. hoc tit. Peccabit tamen mortaliter ratione violati Præcepti, quo prohibetur Sacramenta percipere, eademque conferre, ſed ab eo collata, Virtutis non carebunt effectu. Poterit vero Miſſæ Sacrificio, ceteriſque Divinis Officiis intereſſe cum aliis; quin etiam eligere, vel ea, quæ ratione Juriſdictionis ſibi competunt exercere: Si tamen ſciente talis Electus fuerit, *ejus electio*, inquit laudatus Gregorius in cit. cap. *ſi celebrat*, *eſt irritanda, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, a quorum Perceptione a Sanctis Patribus eſt privatus*: Imo Gloſſa in dictum caput, & ibi Abbas, & Cardin. ult. Colum. verbo *ſcienter*, aſſerunt, nec ad valorem, & effectum hujus Electionis, quicquam conducere ejuſdem Excommunicationis ignorantiam; *& horum opinionem communem* eſſe ſcribit Sylveſter verbo *Excommunicatio* 1. col. 2., etiamſi idem contrarium teneat verbo *Excommunicatio* 4. §. ultimo. Dubitatum eſt a DD., utrum talis Electio valida ſit, & licet Felyn. in cap. *dilecta* de Exceptionibus ſcripſerit *Electionem hanc ipſo jure validam eſſe, & tantum reſcindi poſſe per ſententiam*, Hoſtienſis tamen eamdem ipſo jure nullam eſſe affirmat in dicto capite *ſi celebrat*, & probatur in cap. *poſtulaſtis* eod. tit. Igitur cum Pontifex, ait, *hanc Electionem eſſe irritandam*, inquiunt intelligendum eſt *irritam denuntiandam*. Nihilo tamen ſecius verior eſt prima Sententia, quia hæc electio directe non celebratur contra Cenſuram, nam Perſona in hoc caſu non prohibetur directe eligi, ob minorem Excommunicationem, quemadmodum prohibetur ligatus majori Excommunicatione, de qua agitur in dicto capite *poſtulaſti*, ſed indirecte, & immediate, ex regula nimirum quæ dictat, quod quando aliquid prohibetur, omne id cenſetur prohibitum, per quod pervenitur ad illud L. *Oratio* 16. ff. de Sponſalibus L. 2. ff. de Juriſdict. cap. *preterea* de Officio Delegati, & ne qui una via a Sacramentorum perceptione arcetur, alia admittatur contra textum in cap. *tua* de Procurat., namque ſi talis electio non irritaretur, tacite admitteretur electus ad id, a quo expreſſe prohibetur contra regulam textus in L. *qui teſtamento* 27. de Probat. Et ideo quamvis electio facta de excommunicato majori excommunicatione ligato ſit ipſo jure nulla d. capite *poſtulaſti*, non tamen talis erit electio de ligato minori excommunicatione, ſed erit irritanda. Verum jam locus eſt, ut de effectibus Suſpenſionis, & Interdicti diſſeramus.

XXI. Suſpenſionem *Cenſuram eſſe Eccleſiaſticam, qua Clericus ob culpam ſuam prohibetur ab executione Poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam habet ratione Officii, aut Beneficii Eccleſiaſtici, vel in totum, vel in partem, vel ad tempus, vel in perpetuum*, ex Reſponſo Innocentii in cap. 20. de V. S perſpicuum eſt; unde ſequitur illius uſum non eſſe repetendum a primis Eccleſiæ Sæculis, quod tunc non ſoleret Eccleſia ſpecialibus Beneficiorum titulis Clericos ordinare, ut alibi obſervavimus; itemque oportere hanc Suſpenſionem aliam pœnam eſſe ab illa Suſpenſione, cujus frequens ſit mentio

Digitized by Google

in Sacris Canonibus, & quæ antiquitus Clericis injungebatur pro merito Culpæ. Quæcumque igitur eſſe poſſit Suſpenſionis origo, aut varia illius acceptio, hic Suſpenſionis nomen uſurpatur ad indicandam veram Cenſuram, quæ aliquando privat omni uſu Poteſtatis Eccleſiaſticæ; aliquando vero aliqua dumtaxat parte, ut inde oriatur diſcrimen Suſpenſionis illius, quæ totalis dicitur, ab altera Suſpenſione, quæ appellatur partialis, & aliquem ſuſpendit, aut ab Ordine, ne ea peragat, quæ a Poteſtate Ordinis dependent, aut ab Officio, ne peragat ea, quæ ſunt Juriſdictionis, aut a Beneficio, ne adminiſtret fructus temporales ſui Beneficii. Ceterum ſemper cenſetur totalis, quando fertur ſimpliciter, & abſolute ſine ulla determinatione ad hoc, vel ad illud, ex cap. 1. de Sentent. Excomm. in 6.

XXII. Sciendum præterea eſt Suſpenſionem ab Officio, vel Beneficio, vel ab utroque ſimul, aut fieri ad tempus, ut in cap. *cum in cunctis* 7. §. finali de Election. cap. 1. de Re judicata in 6. cap. 2. de Temporibus Ordinat. eodem libro, Clement. 1. §. 1. de Hæreticis, Clement. 2. de Pœnis: vel donec mereatur indulgentiam, ut in can. 25. Concilii Aurelianenſis III., & in his caſibus Suſpenſio non eſt proprie Cenſura Eccleſiaſtica, ſed delicti pœna, quia non reſpicit reſipiſcentiam in futurum, ſed eſt culpæ præteritæ punitio: Siquidem vera Cenſura, non profertur ad certum tempus, ſed ad reprimendam contumaciam, quæ tunc terminum habet, cum culpa recedit. Hinc eſt quod, ut hæc Suſpenſio imponatur, non requiritur prævia monitio, nec ut tollatur neceſſaria eſt abſolutio, ſed ſufficit lapſus temporis, pro quo imponitur abſque ulla abſolutione, ut docet Gloſſa in verbo *per menſem* in cap. Sacro 48. de Senten. Excomm., & verbo *Donec* in Clemen. 1. de Decimis. E contra vero Suſpenſio, quæ eſt vera Cenſura, & proprie talis, non habet temporis præfinitionem, & requirit monitionem, ſaltem illam, quæ includitur in illa conditione: *ſi hoc fecerit*: vel *niſi ſatisfecerit*, ut in cap. *Presbyter* 2. q. 5. cap. *ex tua* 11. §. *finali* de Clerico non reſidente cap. 2. de Purgatione Canonica, cap. *quia ſæpe* 40. de Election. in 6., & alibi, & ut tollatur, eſſe neceſſariam abſolutionem docet Gloſſa verbo *ſuſpenſum* in cap. 2. de Solutionibus. His præſuppoſitis.

XXIII. Dicimus Violatores Suſpenſionis communiter Irregulares fieri, & juris eligendi eſſe incapaces, quod ſi Irregularis non eficiatur ille, qui ſuſpenſus a Beneficio eidem ſe ingerit, & fructus percipit, ex communi tamen ſententia Beneficium perdit ipſo jure, argumento capitis 1. §. ultimo de Electionibus in 6. & cap. *cupientes* 16. de Electionibus.

Ex hoc quod dictum ſit *communiter*, animadvertere oportet duo copulative requiri ad hoc, ut quis ex violatione Cenſuræ Irregularis fiat. Primo ut actus, a quo eſt Suſpenſus ſit proprius alicujus Ordinis, ſicuti conſtat in cap. *is qui* de Sent. Excom. in 6., & in cap. *is cui* e. t., atque ita in ſpecie notant Innocen. in cap. 1. de Sent. Excom., & alii plures. Secundo requiritur, ut quis actum Ordinis exerceat, tamquam Miniſter, & hoc habetur in cap. 2. de Cler. Excomm. Miniſtr., & colligitur ex cap. *cum medicinalis* in fine, titulo ſupra citato, & exponit Gloſſa perpendendo illa verba: *ſi contingeret eos Divina Officia exequi ſicut prius*, ideſt tamquam in Officio ſuo agentes. Quibus poſitis conditionibus ſtatim apparet Irregularem non eſſe Epiſcopum, qui ſuſpenſus ab actu Juriſdictionis Beneficium confert, aut illum, qui ſuſpenſus a collatione Sacramentorum, eadem confert

fert ea forma, & ſolemnitate, qua Laicus illa poteſt conferre, itemque illum, qui ſuſpenſus a perceptione Sacramentorum Sacramenta percipit, aut Miſſam audit, cum talis Sacramentorum perceptio communis ſit Laicis, & Clericis: E contra vero ab Irregularitate immunis non eſt ille Epiſcopus, qui Sacerdotes conſecrat, & minores Ordines confert; quippe quæ talis Suſpenſio adimit Epiſcopo principalem actum ſui Ordinis; imo etiamſi conferat primam Tonſuram, argumento legis *Oratio* ff. de Sponſalibus, in qua ponitur, quod aliquo prohibito, omne id cenſetur eſſe prohibitum, per quod pervenitur ad illud; adhuc etiam ſi Miſſam celebret in apparatu Pontificali, & ſolemnem Benedictionem impertiatur per illa verba: *Sit nomen Domini Benedictum &c.*, ſi a Pontificali ſuſpenſus fuerit, quod ejuſmodi actus jure ordinario inferioribus Presbyteris non competant, cap. *miniſtrare* juncta Gloſſa in v. *benedictionem* 26. q. 1. cap. *tranſmiſſam* de Electionibus, & ut advertit Abbas in cap. *dilectus* n. 20. verſic., *aut ſuspenditur Epiſcopus a Pontificalibus* de Conſuetudine; quia etſi Pontificalia non ſint de ſubſtantia Ordinis nec Officii, cum etiam ſine ipſis poſſit quodlibet Officium exerceri ſecundum Innocentium in cit. cap. *cum medicinalis* de Sentent. Excomm. in 6. n. 2. verſ. *ſecus autem dicunt quidam*; tamen ſunt actus proprii Ordinis Epiſcopalis, a quibus eſt ſuſpenſus. Quoties igitur aliquis a jure, vel ab homine eſt ſuſpenſus, quo ad ſe, & quo ad alios, oportet illum Irregularitate irretiri, ſi in Divinis adminiſtret, & revera Irregularis ſit, qui Sacris Ordinibus inſignitus ante debitam ætatem in eiſdem Ordinibus adminiſtrat, eorumque uſum exercet, aut qui ab alienis Epiſcopis abſque Litteris Dimiſſoriis, vel extra tempora promotus eſt, nec ab alio, quam a Rom. Pontifice poteſt diſpenſari. Itemque illi Irregulares ſunt cauſſa violatæ Suſpenſionis, qui ſunt per ſententiam notorii Fornicatores, ſi ea Suſpenſione manente eo tempore, quo publice in eodem vitio verſantur Divinis ſe immiſcuerint, aut irretiti crimine Simoniæ, aut rei nefandi Criminis ante peractam pœnitentiam propriis Officiis operam dederint, & hujuſmodi Irregularitates a ſolo Papa deleri communis eſt Canoniſtarum ſententia, qui tamen diſcrepant, dum Caſus ponitur in ſuſpenſo ab homine, vel a jure illa Suſpenſione, quæ eſt in pœnam directam, & propriam, & ad tempus certum, vel donec pœniteat, ſi tempore Suſpenſionis in ſuo Officio miniſtraverit. Ceterum, quia ſub ea forma, etiam propria Suſpenſio imponitur; ideo in hoc caſu immerito ab aliquibus dubitatum fuiſſe ſcribit Gonzales in cap. *Apoſtolica* de Clerico Excomm. miniſtr. n. 11. quippe qui putat Suſpenſionem, ſive tamquam Cenſuram, ſive tamquam pœnam impoſitam ad certum tempus, utramque privare Sacro Miniſterio, & ideo illum, qui ita Suſpenſus Divina Officia celebrat, irregularem eſſe, argumento capitis *Si quis* Epiſcopus in 6. cum ſequenti 11. q. 3. cap. *Presbyter* 2. q. 5. cap. 1. de Re judicata in 6. cap. *is qui* 18. §. *finali*, cap. *is cui* de Senten. Excom. in 6., & ex iis, quæ tradit Gloſſa verbo *ſuſpenſos* in cap. 2. de Cenſibus in 6. Suarez Diſp. 26. Sect. 1. n. 5. Covarruvias in cap. *Alma* p. 2. §. 2. n. 3. Diana, Leander, & alii.

XXIV. Ut autem pateat alter Suſpenſionis effectus, per quem Suſpenſi privantur jure eligendi, hunc eruimus ex Juribus Electionis fundatis, aut in Officio, quod Perſonis Eccleſiaſticis convenit, aut in Juriſdictione, quorum alterutro caret Suſpenſus. Siquidem quotieſcumque aliquid generali-

 ter

ter prohibetur, ſpecies generis prohibita intelligitur, Clementina *Exivit* §. *nam ubi* de V. S., neque unquam cenſeri poteſt datum, quod datur a non habente poteſtatem cap. 2., cap. *Paſtoralis* de Donation. Nec obſtat Gloſſa in cap. *cupientes*, cap. *Beneficiis* de Election., & Electi Poteſt. in 6. cum textus ille loquatur, & procedat, non in ſuſpenſo ab Officio, ſed a Beneficio, per quam ſuſpenſionem eligendi poteſtas non tollitur ut Alexander III., notavit in cap. *cum in cunctis* 7. §. *Clerici* titulo nuper citato, qui tamen Pontifex, quando excludit ſuſpenſum a Beneficio ab eligendi poteſtate, utramque pœnam diſtincte apponit Suſpenſionis ſcilicet, & privationis facultatis eligendi. Et hæc dicta ſint, quo ad effectus Suſpenſionis.

XXV. Reliquos modo complectimur effectus Interdicti. *Interdictum*, ut ex Gofredo refert Juretus in notis ad Carnotenſem Epiſtola 266. *genus Cenſuræ eſt introductum ad compeſcendam Superiorum contumaciam, ut univerſa Plebs, quæ eorum malitiam non ignorat, & cui illorum iniquitas maxime diſplicet, hinc occaſione arrepta proclamet in eos, & ſic qui ob Dei timorem ab injuſta actione non volunt deſiſtere, clamore Plebis ab ea recedant*. De illius origine, profecto non conſtat apud Juris Pontificii Interpretes; tamen hoc unum certum eſt ante Alduini Epiſcopi tempora Interdicti Cenſuram in Eccleſia invaluiſſe, idque conſtat, tum ex cap. 26. Concilii Cabilonenſis ſub Carolo Magno, tum ex can. 32. Concilii Triburienſis, quibus in locis Miſſarum ſolemnia prohibentur celebrari in Eccleſia, & Januæ Eccleſiæ claudi jubentur, ut Divina Officia non celebrentur. Ceterum tunc temporis Interdicta non fuiſſe, adeo frequentia, Teſtes ſunt Ademarus Engoliſmenſis, qui Interdicti obſervantiam ſuo ævo novam fuiſſe ſcribit, & Ivo Carnotenſis, qui epiſtola 94. Interdictum propter illius novitatem appellat *remedium inſolitum*. Labentibus vero Sæculis Interdictorum uſus mirum in modum extenſus eſt, ut inde major Excommunicationibus vis, & efficacia adderetur, & ut ubi Potentium prævalebant incurſus particulares Excommunicationes in ſuas Perſonas latas audentium peſſundare, iidem ad Obedientiam, & reſipiſcentiam adigerentur.

XXVI. Quod attinet ad illorum ſpeciem, multiplex hæc audita eſt, invenitur enim Interdictum quod appellatur *Locale*, itemque aliud quod dicitur *Perſonale*, & tertium quoddam nuncupatum *Mixtum*. Audiuntur etiam Interdicta quædam appellata *Generalia*, & nuncupata *Specialia*. Inde autem nata ſunt hæc diſcrimina, quod aliquando Interdicta ferebantur directe in locum, aliquando in Perſonas, aliquando æque directe Perſonæ, & Loca ſupponebantur Interdicto, nempe Regna, Provinciæ, Civitates, Diœceſes, Communitates, Collegia, Monaſteria, Capitula, aut unica Eccleſia, ut ſatis inſinuatur in cap. 10. 16., & 17. de Sentent. Excomm. in 6. Qualecumque vero Interdictum eſſet, non privabantur ii, qui Interdicto ſubijciebantur omnibus rebus Divinis, ſed illis dumtaxat, quæ in jure expreſſæ ſunt, & quidem in jure declarato, ratione cujus intelligitur, quod ſi Interdicta ſit Civitas, aut Eccleſia, tam Suburbia, quam Capellæ, & Cæmeterium interdicto ſubſunt; ſecus vero interdicitur Clerus, & Populus cum Populus, & Clerus Interdicto ſupponitur.

XXVII. Potiſſimi Interdicti Effectus tres cognoſcuntur: Prohibitio Celebrationis, & Auditionis Divinorum Officiorum; Privatio aliquorum Sacramentorum; Demum Privatio Sepulturæ Eccleſiaſticæ. Ad primum Effectum redu-

reducuntur Miſſa, Horæ Canonicæ, aliæque preces ſolemniter celebratæ, interdictiones Nuptiarum, Aquæ, Olei, Chriſmatis, & Omnisfunctio ab Ecclesia in cultum Dei ordinata. Ad ſecundum referuntur Eucbariſtiæ Sacramentum, Ordo, & Extrema unctio, quorum tum activa adminiſtratio, tum paſſiva receptio prohibetur, ſi excipiatur ſtatus articuli Mortis, in quo deferri poteſt Euchariſtia, etiam ad perſonaliter interdictos, & adminiſtrari extrema Unctio, ſi infirmi nequeant alia Sacramenta percipere. Tertius tandem effectus ad omnes extenditur, etiam infantes, & Amentes, qui licite in loco interdicto ſepeliri non poſſunt. Verum cum ejuſmodi Jnterdicta vergerent in ſummum Salutis diſcrimen eorum, qui ſine propria culpa Divinis Officiis, Sacramentis, atque inſtructionibus privabantur, idcirco Pontifices Jnterdicti rigorem mitigare cœperunt,ut conſtat exDecretisAlexandriIII. Jnnocentii III. & Gregorii IX. in cap. 43. & 57. de Senten. Excom. & in cap. 11. de Pœniten. & Remiſſ. quibus in locis permittitur Baptiſmus adminiſtrari parvulis, & Pœnitentia morientibus; indulgetur prædicatio verbi Dei, adminiſtratio Sacramenti Confirmationis, & Clericis ſepultura in Cœmeteriis; In Conventualibus item Eccleſiis conceditur ſubmiſſa voce recitare Divina Officia, Peregrinis, & Cruce ſignatis, etiam ſanis pœnitentiam dari, & Miſſarum ſolemnia ſemel in hebdomada ſub certis conditionibus celebrari. Amplius etiam de interdicti Rigore relaxavit Bonifacius VIII. qui in cap. *Alma Mater* de Sentent. Excomm. in 6. vult non tantum morientes, ſed etiam viventes, tam ſani, quam infirmi ad pœnitentiam licite admitti, & quod ſingulis diebus in Eccleſiis, & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia Divina Officia, ſicuti prius, ſubmiſſa tamen voce, & clauſis januis Excommunicatis, & Jnterdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis, exceptis diebus Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis Virginis, Corporis Chriſti, & Conceptionis, ex conceſſione Martini V. Eugenii IV. Leonis X. quibus diebus volunt quod pulſentur Campanæ, & januis apertis alta voce Divina Officia ſolemniter celebrentur, Excommunicatis prorſus excluſis, ſed Jnterdictis admiſſis, ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis effectum facilius inclinentur, iiſdemque præfatis diebus participatio Divinorum permittitur, dummodo tamen propter eorum exceſſum Jnterdictum prolatum non fuerit, tales enim Altari appropinquare omninò prohibentur. Is vero qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito Jnterdicto [niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut a jure ſit conceſſum eidem] Jrregularitatem incurrit, a qua nequit per alium quam per R. Pontificem liberari, & adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debebit admitti ex cap. 18. §. 1. de Sentent. Excomm. in 6. Neque ab hac Jrregularitate immunis eſt Epiſcopus, qui tempore Jnterdicti, ſive Sacros, ſive Minores ordines confert, quod apparet ex eo quia celebrat Miſſarum ſolemnia, & actum exercet certo Ordini Eccleſiaſtico competentem tempore ipſo prohibitum, ſive id fiat januis clauſis Jnterdictis, & Excommunicatis excluſis, ſive in Feſtivitatibus nuper memoratis, nam quod permittitur in citata Bonifacii Conſtitutione, pertinet ad Officia Divina, non autem ad Ordinum celebrationem; imo etiam ſi immineret neceſſitas ordinandi Presbyteros, Diaconos, aut Subdiaconos, alioſve miniſtros: Etenim ut notat Sylveſter verbo *Jnterdictum* 5. q. 7. contra Panormitanum in cap. *non eſt vobis*, nullibi id jure cautum eſt, quod hæc ſit vera, ac propria neceſſitas compellens ad Jnterdicti violationem, quamquam Epiſcopus Jnterdictum decreverit; ſiquidem is tenetur illud ſervare, vel illud tollere,

aut

aut ſuſpendere ex cap. ultimo de Privilegiis in 6. idemque reſpondendum erit quo ad recipientes prædictos ordines, & aſſiſtentes Epiſcopo ordinanti, ſi ut Diaconi, vel Subdiaconi veſtibus induti ſacris huic Ordinum celebrationi coadjutores extiterint ea peragentes, quæ in Pontificali libro continentur, cum ſinguli agant Actus tempore interdicti ſuis Ordinibus convenientes, atque ideo irregularitas manifeſto jure contrahitur. Non contrahitur tamen, ut in ſpecie notat idem Sylveſter loco citato, per ſolemnem Nuptiarum benedictionem, modo alia ex cauſſa Nuptiæ prohibitæ non fuerint, ſi in his diebus contingat, quibus ſpeciali privilegio licet Divina Officia celebrare apertis januis, & ſolemniter, quod Nuptiarum benedictio ſit Officium Divinum, ſicuti Calda, & alii communiter tradiderunt. Suſpenduntur etiam ab ingreſſu Eccleſiæ qui in loco interdicto celebrant, donec ei ſatisfecerint, cujus ſententiam violarunt, & hæc ſuſpenſio ad illos quoque extenditur, qui coram interdictis non toleratis celebrant, vel celebrare faciunt, aut eoſdem interdictos ad Divina Officia, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta admittunt, quod ſi eoſdem ſepeliant in loco Sacro, vel etiam non interdictos, contra juris permiſſionem, ſepeliant in loco interdicto, Excommunicationis ſententia feriuntur, a qua neque eximuntur Religioſi, qui interdictum non ſervant, quod Principalis ſervat Eccleſia, ceterique omnes, qui quoquomodo interdictum violant, vel alios cogendo, ut in locis interdictis Divina Officia celebrent, vel convocando plebem non interdictam ad audienda in locis interdictis Divina Officia, vel impediendo ne nominatim interdicti juſſi egrediantur Templo, & poſtremo omnes ii, qui nominatim interdicti, dum exire ab Eccleſia monentur, exire nolunt, & ſolus R. Pontifex Excommunicationem hanc relaxabit, ut habetur in Clement. 2. de Sententia Excommunicationis.

XXVIII. Neque hanc Excommunicationem effugiunt Violatores *Ceſſationis a Divinis*, ut ſtatuitur in cit. Clem. 2. §. in *Ceſſationibus* h. t. licet ubi ſermo eſt de Jrregularitate, hac non afficiatur Clericus, ſi in ipſo loco Ceſſationis Divina celebret, etſi id ſine gravi peccato fieri non poſſit. Super hoc autem advertendum eſt Jnterdicti quamdam ſimilitudinem gerere Ceſſationem a Divinis, quæ tamen non eſt proprie Cenſura, ſed potius ipſum factum, quo ſuſpenduntur Organa Divinæ laudis, & ab ipſis Divinis Officiis ceſſatur propter gravem aliquam injuriam Deo, vel in ſe, vel in Miniſtrorum ſuorum Perſonam illatam, ut injuriantes reſipiſcant, & quod deliquerunt emendent. Hinc eſt quod requiritur aliqua poteſtas legitima, quæ hanc Ceſſationem ex legitima cauſſa per ſententiam decernat, ſive requiritur jus, quod eamdem præſcribat, & caſus eſt, cum Eccleſia violatur, in qua ceſſatur a Divinis. Accedit inſuper quod hæc Ceſſatio certo in loco decerni debet, cum eadem non afficiat Perſonas, ſed tantum locum, & ſic extra locum, in quo a Divinis ceſſatum eſt, licet cuilibet Divina audire, & Clerico Divina peragere. In loco vero, in quo eſt decreta Ceſſatio, ab iis omnibus Divinis Officiis abſtinendum eſt, a quibus fideles abſtinent Jnterdicti tempore cum limitationibus ibi expreſſis pro libero uſu, tum Sacramenti Pœnitentiæ pro iis, qui infirmi non ſunt, tum celebrationis Matrimonii, præcipue vero Sepulturæ Sacræ, cujus prohibitio expreſſa in jure monſtrari non poteſt; neque enim in pœnis, ubi termini ſunt ſtricte, & proprie accipiendi, per excluſionem Divinorum Officiorum excluſa intelligitur Sepultura,

Digitized by Google

tura, cum ſit aliquid diverſum, unde videtur quo ad hæc, Ceſſationem a Divinis eſſe quid ipſo Jnterdicto rigoroſius, cum iſta durante nec Officia Divina januis clauſis, nec ſolemniter unquam celebrari poſſint, horum autem prius quotidie licitum eſt per Jnterdictum generale, poſterius quibuſdam anni Feſtivitatibus.

§. III. *Cum tanta ſit Cenſurarum Pœna ſolus Romanus Pontifex, & Generalia Concilia decernere Cenſuras poſſunt: eaſdem vero ferre poteſt qui Clericus eſt, & idoneus ad conſequendam Eccleſiaſticam Dignitatem, Conditionibus iis poſitis, quæ a S. Canonibus præſcribuntur.*

XXIX. Prima hujus Propoſitionis pars breviſſime oſtenditur ex iis ipſis, quæ nunc ſunt in more Cenſuris, quas præter, nullæ aliæ hactenus auditæ ſunt. Et procul dubio Epiſcopus aliquis hac ſua facultate uſus fuiſſet ſi facultas hæc communis eſſet Eccleſiarum Paſtoribus; & ita in immenſum Cenſurarum ſpecies excreviſſent. Illud tamen non temere fuiſſe ſtatutum eruitur, ſtatim ac affirmatur Cenſuras eſſe veluti Generales quoſdam Eccleſiæ Ritus, quibus ſinguli Paſtores contra contumaces ſubditos utuntur, qui certe Ritus, non ab alio, quam a R. Pontifice, aut Generali Concilio inſtitui poſſunt, quemadmodum ab iiſdem inſtituuntur Leges, quibus Chriſtiana Reſpublica ubique regitur, & conſervatur quacunque Confuſione ſublata.

XXX. Altera Propoſitionis pars ita probatur. *Excommunicandi Poteſtas ad Clavem Juriſdictionis pertinet*, non *ad Clavem Ordinis*: ita docet S. Thomas in 4. d. 18. q. 2. *quia per Excommunicationem homo a Communione Fidelium ſeparatur*. Qui autem ſeparare hominem poteſt ab alio homine, niſi is, qui juriſdictione præditus eſt in Foro judiciali? Siquidem hominem obligare in comparatione ad alios eſt actus, qui pertinet ad Forum Publicum Exterioris Judicis; cum itaque Epiſcopi propria auctotitate juriſdictionem hanc habeant in Foro judiciali, ad ipſos ſpectabit Cenſuras ferre, & propterea illi poterunt Excommunicare: Eadem Poteſtate fruuntur Legati Papæ in ſua Provincia, Vicarii Generales, & Abbates, licet nondum ſint in Sacris, Vicarii item, aut Officiales Capituli, ut ſpecialiter dicitur in inſtrumento eorumdem nominationis, cum Sedes vacant, aut Captivi detinentur Epiſcopi; & ii qui jura habent Epiſcopalia, ut Cardinales in propriis ſuis Titulis; quapropter, niſi aliter ſpecialibus locorum Statutis caveatur, ii omnes præter R. Pontificem, Archiepiſcopos, & Patriarchas ſubditos ſuos adigere poterunt ad ea, quæ partium ſuarum ſunt, adimplenda Cenſurarum comminatione. De Sacerdotibus autem, & Parochis, qui forum contentioſum de jure communi non habent, non poteſt hoc idem affirmari, licet videatur inferri ex cap. 2. & 3. de Offic. Judic. Ordinar. cum citati textus non de ſimplicibus Sacerdotibus, & Curatis agant, ſed de illis Sacerdotibus, & Plebanis, qui cum multis aliquando præſſent Eccleſiis, plus habere poterant Auctoritatis; vel Privilegio, vel Conſuetudine juriſdictione contentioſa Parochos illos, & Sacerdotes non caruiſſe dicendum eſt, & ratione illius juriſdictionis potuiſſe Excommunicationem proferre. Hanc interpretationem ſuppeditant verba illa textus: *in Malfactores promulgata*, quæ leguntur in laudato 3. cap. & illa: *petierit juſtitiam*, quæ ponuntur in ſecundo; quæ ſane verba ſupponunt juriſdictionem in proferente, & innuunt Tribunal erectum

Pa-

Digitized by Google

Parochos, & Sacerdotes illos habuiſſe, de quibus in illis textibus agebatur. Et juxta hunc ſenſum accipienda etiam ſunt tum verba textus in cap. *nemo*, in cap. *alia cauſſa*, 16. q. 1. in cap. *Mennam* 2. q. 5. ubi Gloſſa, tum ea, quæ leguntur in libr. 6. Capitul. Caroli M. cap. 224. ne quis ſibi temere perſuadeat non ſolum Epiſcopos, verum etiam Parochos facultatem habere proferendi Cenſuras, quamquam juriſdictionem Ordinariam, & Eccleſiaſticam in exteriori Foro non habeant. Excipitur Caſus Præſcriptionis, quando nimirum Parochi aliæque Eccleſiaſticæ Perſonæ, quæ aliis aliqua ratione præſunt, facultatem Cenſuras ferendi Præſcriptione obtinuerunt. Ceterum præter quam quod requiritur tempus 40. an. cum titulo ex cap. 15. de Præſcrip., & ſine titulo tempus immemorabile ex cap. 1. e. t. in 6. notare tamen oportet hujuſmodi Parochos, aut alios Clericos non ideo alias Cenſuras ferre poſſe, quod argumentum a ſimili in Præſcriptione non ſuſtineatur. Idemque dixeris ſi Conſuetudini eorum facultas inniteretur. In his enim Caſibus Summus Pontifex, & Eccleſia permittit, quod qui diu Cenſuras tulerunt, aut ferre conſueverunt, in hoc uſu perſeverent, ut firma, & certa ſit Juriſdictio Eccleſiaſtica.

XXXI. Nullus vero Caſus occurrit, in quo permittatur Fœminæ Cenſuras ferre, etiam ſi eidem concedatur poſſe ratione dignitatis quamdam obtinere Eccleſiaſticam Juriſdictionem, quoad Correctionem, & adminiſtrationem, nam Fœmina incapax eſt illius juriſdictionis, quæ ad Claves ſpectat, tum in Foro interiori, tum in Foro Exteriori, ut late adverſus Lutherum pluribus rationibus, & auctoritatibus oſtendunt Joannes Roffenſis, Alphonſus a Caſtro, Joannes Banderius, & nos oſtendimus ſuo loco agentes de Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, & deducunt omnes ex cap. *nova* de Pœnit. & Remiſſ. Verum neque Laicus homo ejuſdem juriſdictionis capax eſt, ex eo quod Laici Spiritualia tractare non poſſunt, ex cap. 2. de Judiciis cap. *Eccleſia S. Mariæ* de Conſtitut. & ex pluribus aliis textibus, qui ponuntur in Diſt. 96. unde etiam invenitur ſtatutum non poſſe Laicum conſtitui Vicarium Epiſcopi. Nihilominus hoc poteſt notari diſcrimen inter Laicum, & Fœminam quoad hanc poteſtatem, quod ubi Laicus ex diſpenſatione, vel delegatione Papæ poteſt excommunicare, Fœminis nunquam delegationem hanc fuiſſe commiſſam invenitur in Jure, & Commentum exiſtimetur quiquid aſſeritur de Poteſtate ferendi Cenſuras facta per Clementem VII. Abbatiſſæ Fontis Ebrarldi; quamquam enim facultas illa ſolum Jure Pontificio Clericatum requirat ſupra quod jus Pontifex ſecundum plenitudinem Poteſtatis de jure poteſt diſpenſare, ut ait Innocentius III. in cap. 4. de Conceſſ. Præben. tamen ſemper Eccleſiæ, Romaniſque Pontificibus indecens viſum fuit, & Sæculorum omnium moribus ſemper abſonum, Cenſurarum diſpenſationem Mulieribus committere. Diſputarunt aliqui utrum occulte Excommunicato facultas hæc ſit deneganda. Verum communior ſententia docuit occulte Excommunicatum manutenendum eſſe in ſua Poſſeſſione, quia non privatur juriſdictione, neq. aliud evincitur ex S. Thoma in 4. diſt. 18. q. 2. A. 2. ad 3. ubi docet *Excommunicatum non poſſe excommunicare, quia privatur Juriſdictionis uſu*, ergo cum habeat illum uſum occulte excommunicatus ex ratione l. *Barbarius* ff. de Officio Prætoris, poterit excommunicare. Ceterum quicunque ille ſit, cui a jure, vel

vel ab homine concedatur hæc Poteſtas ferendi Cenſuras, id unum certum eſt Conditiones aliquas prærequiri, ut licite, & valide inferantur.

XXXII. Illicite igitur, & inconvenienter Cenſuras ferunt ii, qui aut odii, aut vindictæ animo, non Diſciplinæ intuitu agunt, itemque neglecta formalitate, quæ a jure requiritur, aut dum peccato non ita gravi graviorem Cenſuram irrogant. Ii vero, qui intentione carent, & juriſdictione, aut eam habent impeditam, aut in propriam Perſonam, aut in propria Cauſſa Cenſuras ferunt, hi invalide eaſdem ferunt. Cumque Appellatione legitima, Voluntate Superioris, Captivitate Epiſcopi ab Hoſtibus detenti, & Excommunicatione Majori ejuſdem Juriſdictio impediatur; in ſingulis hiſce Caſibus nullæ erunt Cenſuræ, etiam Delegati ejus, aut Subdelegati, quod horum quilibet, niſi res jam incœpta ſit, juriſdictione ſpolietur, una cum eo, a quo illam accepit. In Cauſſa propria Cenſura valide fertur, ſi per modum Defenſionis id fiat, aut ubi Cauſſa tam publica fuerit, ut negari non poſſit. Neque ex eo quod Prælatus communicans cum homine a ſe Excommunicato Excommunicationem minorem incurrat, ſequitur quod in propriam Perſonam poſſit Prælatus Cenſuram ferre, nam in hoc Caſu, non in Excommunicationem a ſe, ſed in Excommunicationem a jure latam incidit, quia jure communi ſancitum eſt, ut qui cum Excommunicato denunciato communicat, excommunicationem contrahat. Dubitari poſſet de validitate Cenſuræ ex metu latæ, non ita gravi, ut libertatem phyſicam tolleret, petita ſimilitudine ab abſolutione, quæ nulla eſt, cum per vim, & metum extorquetur, & videantur paria jura ligandi, & ſolvendi. Nihilo tamen ſecius ſuſtinendam eſſe hanc Cenſuram ex eo patet, quia irritatio abſolutionis vergit in favorem Eccleſiaſticæ Poteſtatis, cujus vis in expoſito caſu enervatur. Secus vero contingit, cum Judex ſuppoſita cauſſæ gravitate cogitur ferre cenſuras; & jura illa quæ paria ſupponuntur, cum validæ urgent rationes, poſſunt a ſe ſeparari. Conditionibus his notatis ex parte ferentis Cenſuras, ſuperſunt ceteræ, quæ Cauſſam reſpiciunt, & Subjectum, quod ligari debet Cenſuris.

XXXIII. Nullus inficiatur prærequiri peccatum ut Cenſura infligatur, & grave in ſuo genere, vel ex appoſitis Circumſtantiis, ut pœna proportionetur Culpæ, quia, ut legitur in cap. 41. 11. q. 3. *Anathema* eſt æternæ mortis damnatio, nonniſi pro mortali debet imponi crimine, & contra illum, qui aliter non potuerit corrigi. Hoc idem optime admonuit Sanctus Leo hujus nominis primus in Epiſtola 67. ad Epiſcopos per Viennæ Provinciam conſtitutos: Sic enim inquit. *Nulli Chriſtianorum facile Communio denegatur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus, & dolens quodammodo debet eſſe animus vindicantis.* Hæc, & alia ad hanc rem ibi laudatus Pontifex Leo. Idem probatur multis auctoritatibus, quibus apparet Sententiam Excommunicationis non eſſe infligendam a jure, nec ab homine, niſi pro mortali Culpa, ſicut cum S. Thoma in 4. d. 18. q. 2. ad 3. communiter docent Doctores, quorum eſt concors Sententia. Quapropter quotieſcunque Lex aliqua lata invenitur, cui adjecta ſit Excommunicationis pœna, evidenter colligitur Legislatoris intentionem fuiſſe obligare tranſgreſſorem ad mortalem culpam, & ejus obligatio neceſſario deducitur, præſertim quia Excommunicatio gladius cenſetur Spiritualis. Itemque ſi quis tranſgrediendo Legem, vel Judicis præce-

ptum mortale crimen non committit, hunc non afficit, neque ligat Excommunicatio a jure, vel ab homine generaliter inflicta. Excipe tamen contumaciam in re levi, ſi huic annexa ſit Excommunicatio, quia ut bene notat laudatus Præceptor Angelicus 2. 2. q. 105. A. 2. *contumax in non comparendo peccatum inobedientiæ contrahit, quod non aliter quam ex contemptu conficitur. ex ea quidem cauſſa, quia vocatus a Judice juſte vocante, nequaquam ei obedire vult*. Accedit his, quod cum non habeant latentia peccata vindicatam, cap. *Chriſtiana* 32. q. 5. & cogitationis pœnam nemo patiatur cap 14. *Diſt.* 1. de Pœniten. Peccatum internum, ut tale, non eſt Cenſuræ materia, ſed prout exterius innoteſcit, ut non ambigue, ſed plene procedens ab actu interiori malo, in hoc enim Eccleſia Juriſdictionem habet coactivam: Quemadmodum etiam requiritur effectus completus, niſi Legislator ſecus intendat, ut contingeret, ſi etiam conatus alicujus pravæ actionis a Legislatore ſub Cenſura prohiberetur, qualis eſt provocando ad Duellum, quæ ex Conſtitutione Clementis VIII. Excommunicatione confoditur, etiam ſi non ſequatur Conflictus. Tandem requiritur ſi Cenſura eſt a jure, quod peccatum ſit committendum, quia Lex futura dirigit, vel jam commiſſum, & perſeverans, ſi ſit ab homine, quia nonniſi in contumacem ferri poteſt, & in ſingulis his caſibus debet eſſe proprium, quia in Innocentem, & bene valentem ferri non poteſt, quod maxime notat Innocentius IV. in cap. 5. de Sententia Excomm. in 6 ubi prohibet in Univerſitatem, vel Collegium proferri Excommunicationis Sententiam, ne contingat innoxios hujuſmodi pœna irretiri. Hinc facile intelligitur non officere his fundamentis cum illa, quæ ex Concilio Gangrenſi circa annum 324. celebratum opponuntur ad probandam efficaciam illius Cenſuræ in illos latæ, qui hæretice ſentiunt de aliquo articulo Fidei, aut illa quæ in Toletano 1. in Confeſſione Fidei leguntur, ubi actus interior credendi contra exteriorem expreſſe diſtinguitur, & utrique Anathema decernitur. Verba Concilii Gangrenſis ſic apponuntur: *Si quis Jejunia Eccleſiæ putaverit eſſe contemnenda perfectam in ſua contumacia judicans eſſe rationem. Anathema ſit*. Verba vero Toletani ita ſonant: *Si quis dixerit, vel crediderit Chriſtum innaſcibilem eſſe, Anathema ſit*. Nam in Concilio Gangrenſi revera non agebatur de exiſtimatione mete interna, ſed de ea, prout in actum exteriorem prodibat. Et hoc ſatis conſtat ex lectione magis probata Canonis illius Concilii, quæ ita ſe habet: *Si quis... tradita in commune jejunia, & ab Eccleſia cuſtodita ſuperbiendo diſſolvit ſtimulo ſua cogitationis impulſo, Anathema ſit*. Concilium vero Toletanum particulam *vel* ſumit pro conjunctiva *atque*, ut legitur in aliis ejuſdem Concilii Anathematiſmis: *Si quis dixerit, atque crediderit Deum Patrem eſſe Paracletum, Anathema ſit*. Sequitur ergo quod ſicuti ut quis anathema incurrat, non ſatis eſt ut doceat, niſi credendo dicat; ita non ſatis eſt ut interius credat, niſi aliquo modo credulitatem oſtendat. Neque etiam officit, quod in jure probetur ſententia Excommunicationis generaliter prolata ab homine: Sciunt enim omnes quod Exceptio firmat regulam. Excipitur itaque caſus illius Culpæ, quæ hanc generalem excommunicationem permittit pro futuris culpis, non tamen indiſtincte, & ſemper, ſed cum aliqua rationabilis cauſſa ſubſit, ut dicitur in cap. *Romana* §. *careant* de Senten. Excom. Cauſſa vero, quæ poſſit his generalibus Excommunicationibus juſtam occaſionem præbere con-

contingit, quoties aliquod delictum in aliqua Urbe, vel Provincia frequentiſſimum fit. Poterit enim tunc Sententia Excommunicationis ab Homine generaliter ferri ad imitationem Legis, & Canonis, in eos, qui illud crimen commiſerint. Nam cum moneantur ab ipſo Judice ne id committant, & nihilominus minime vereantur contumaci animo ſcelus ita vetitum perpetrare, juſte excommunicantur, donec ſatisfactione præmiſſa abſolutionem ab Eccleſia humili petitione poſtulaverint. Idem etiam dici poteſt quoties aliquod crimen conjectura maxime veriſimili timetur. Siquidem tunc Generalis ab Homine fertur Excommunicatio in eos, qui id delictum commiſerint. Et hæc Excommunicatio generaliter ab Homine lata pro futuris culpis ſimilis eſſe videtur Statuto. Atque ita Forenſi uſu, & Praxi jam diu inductum eſt, ut iſtæ Excommunicationes generaliter ferri ab Homine poſſint pro futuris culpis. Plurimum autem refert utrum Excommunicatio pro futuris Culpis feratur per Statutum, aut Canonem, an per Sententiam Hominis, & Judicis quoad illos, qui hujuſmodi Cenſuris obnoxii eſſe poſſint. Id autem ut plenius dignoſcatur haud perperam hic agetur de ſubjecto Cenſurarum, quod eſt alterum eorum, quod in ſuperiori diviſione diximus inquirendum.

XXXIV. Hic autem recolendum eſt id, quod Clemens III. decernit in cap. 21. de Senten. Excomm. videlicet neque *Cenſuras ſine juriſdictione ferri poſſe, nec poſſe incurri ſine ſubjectione*: itemque illud quod Bonifacius VIII. expreſſit in cap. 2. de Conſtitut. nimirum *Statuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſerunt Excommunicationis Sententia promulgatur, Subditi ejus furtum extra Diœceſim committentes minime ligari noſcuntur, cum extra Territorium Juſdicenti non pareatur impune*: & id quod legitur in Clementina *Quamvis* de Foro competenti, ſcilicet *Sacris Canonibus eſſe interdictum, ne quis Epiſcopus Juriſdictionem in Diœceſi exerceat aliena*; namque his poſitis fundamentis ſatis intelligitur illum ſolum poſſe Cenſuras incurrere, qui illi ſubjicitur, a quo iſtæ feruntur, & qui in proprio Epiſcopi ſui Territorio delinquit. Cum itaque homo non baptizatus, non viator, non doli capax, juriſdictioni coactivæ Eccleſiæ non ſubjiciatur; e contra vero homo baptizatus, viator, & doli capax extra Territorium ſui Epiſcopi delinquens, in idipſum bis puniri non debeat; in alterutro ex his caſibus non poterit homo ille talibus Cenſuris inondari. Nec obſtat Canon Concilii V. Generalis, quo ſtatuitur, quod qui *hæreticis ſuas facultates reliquerint poſt mortem Anathemati ſubjiciantur*; vel quod legitur in c. 18. de Senten. Excomm. *Eccleſiam certis in caſibus ligaſſe mortuos, & ſolviſſe*. Hoc enim innuunt illa Decreta poſſe Eccleſiam Viventibus præcipere, ut pro mortuis non orent, aut ut iis Eccleſiaſticam Sepulturam denegent, quod illi compertum ſit, quod dum viverent a Fidelium communione eſſent excluſi. Et ita tunc Eccleſia non decernit Excommunicationem, ſed illam, quæ contracta erat denunciat. Ita pariter Innocentius III. in cit. cap. 18. monet ut *illius Mortui abſolutio a Sede Apoſtolica requiratur, quia cum viveret ab ea fuerat abſolvendus*. Quod ſi quis inſtet Amentes, & Ebrios irretiri Cenſuris, & conſequenter etiam rationis impotes eiſdem pœnis ſubjici poſſe: Inſtantiæ huic reſpondetur, Amentes, & alios tunc ſaltem rationis compotes fuiſſe cum admiſerunt crimen propter quod Cenſura ligantur. De Impuberibus autem non eodem modo loquendum eſt, hi

Digitized by Google

etenim, ſive ſint Mares, ſive Fœminæ valide ligari poſſunt Cenſuris a jure latis, & ſolum concedunt Canones, quod per defectum ætatis, in quo commiſſus fuit exceſſus, Epiſcopus Diœceſanus abſolutionis Beneficium impertiri poſſit. An vero ita pariter ſubjiciantur reliquis Cenſuris ab homine latis, non conveniunt Doctores, ſed probabilior eſt negativa ſententia, niſi tamen conſtaret aliam eſſe Superioris intentionem. Illud vero quod diximus de iis, qui facinus committunt extra Territorium ſui Epiſcopi, propter quod a ſuo Epiſcopo excommunicari non poſſunt, non extenditur ad Religioſos, qui extra Clauſtra delinquunt, quod Religioſi juriſdictionem non exerceant ratione loci, ſed ratione Perſonarum, quas idcirco quocunque inſequi poſſunt. Non deſunt tamen Theologi, qui vim eamdem extendant ad Cenſuras ab Epiſcopo per modum ſententiæ latas in ſubditos ex. gr. ſi comam nutriant, ſi furentur &c. quas ligare illos ſubditos volunt, qui in alieno Territorio delinquunt; quod hujuſmodi ſententiæ reſpiciant privatum Perſonarum bonum, adeoque vim habere poſſint independenter a Territorio. Verum in contrarium urgent Bonifacii VIII. verba ſupra relata: *extra Territorium jus dicenti non paretur impune*, in quibus verbis legitur potiſſima ratio, quare non ligantur ii, qui extra territorium furantur. Et profecto ſive Epiſcopus Statutum ferat, ſive ſententiam dicat contra eum, qui extra Diœceſim exiſtit, ibique peccat, jam vere jus dicit extra Territorium, quod illi prohibetur omnino ex ſuperius citata Clementina *Quamvis* de Foro competenti. Sed quid reſpondendum, ſi non Subditus in loco, ſeu Territorio delinqueret, ubi Cenſura per modum ſententiæ lata eſſet? Huic quæſtioni ita communiter reſpondent DD. quod cum tantum a Sententia ligentur, qui tempore Sententiæ ſub Judicis eam pronunciantis juriſdictione continentur, & ei Subditi ſunt, futuri Subditi ab ea incurrenda eximuntur, quia Sententia referenda eſt ad tempus, quo pronunciatur; unde communis eſt Canoniſtarum Sententia illam vim ſumere incontinenti, hoc eſt ſimul, & ſemel imponere quidquid poteſt obligationis: qua propter qui poſtquam lata eſt talis Sententia Territorium ingrediuntur, delinquentes non ligantur, etiamſi fuiſſent Territorium ingreſſi cum animo ibidem commorandi. Secus vero dicendum eſſet ſi Cenſura lata eſſet per modum ſtatuti, etiam ſi tempore, quo lata lex fuit non eſſent Subditi, & ideo hac Cenſura ligantur, quod adverſus prohibitionem egerint intra Legislatoris Territorium, pro quo primo, & per ſe Lex, ſeu Statutum, & Conſtitutio primo datur, ut nempe qui in eo verſantur, tali modo, & ordine ſe gerant, & propterea tale Statutum ipſos etiam Peregrinantes ligare debet, ne pax, & ordo Territorii turbetur, licet ob ejuſdem ignorantiam, facilius quam loci incolæ a Cenſura immunes judicari poſſint. Aliquid addendum ſupereſt de iis, qui vel mandant, vel conſulunt crimen, quod Cenſuræ ſubjicitur utrum ne hanc Cenſuram incurrant? Super quo dubio breviter reſpondere ſolent Doctores in hoc negotio animadvertendum eſſe utrum implicite, vel explicite Mandantes, & Conſulentes contineantur, & quatenus comprehendantur, rurſum inquirendum eſſe reſpondent, utrum in effectum influxerint tunc quando Cenſura fertur adverſus Mandantes independenter ab Effectu, cum enim aliud ſit mandare, aut conſulere, & aliud exequi cap. *ſi quis viduam* diſt. 50 Pœna in unum lata, in alium extendenda non eſt; Ita pariter cum non incurratur Cenſura, niſi ab eo, qui eſt cauſſa Operis prohibiti

hibiti ſub Cenſura, Mandans, qui in Effectum non influit, non debet Cenſuram incurrere, niſi hæc lata ſit primario contra Mandantes, qui Cenſuris, etiam ſolo mandato obnoxii fiunt. Ut igitur ad id, a quo digreſſi fuimus revertamur: Subjectum Cenſurarum agnoſcimus Chriſtianos omnes in Univerſo Orbe exiſtentes, ſi agatur de Cenſuris a jure latis, ſi tamen malitia ſuppleat ætatem, quod jura ſemper, & ubique ſingulos ligent, ſolos vero Subditos ligari Cenſuris ab homine latis, quia Cenſuræ non operantur ultra ferentis intentionem; immo poſſe ſubjectum idem pluribus ſubjacere Cenſuris, ſive ejuſdem ſive diverſæ ſpeciei, ſi diverſam tranſgrediatur Legem, cujus violationi alia, & alia annexa ſit Cenſura, & conſequenter multiplicari cenſuras prout moraliter multiplicantur numerice, aut ſpecifice tranſgreſſiones, quia unicuique tranſgreſſioni completæ ſua alligatur Cenſura propter multiplicatam contumaciam.

XXXV. Verum tamen eſt, quod quanto gravior & acerbior eſt Chriſti Fidelibus Cenſurarum pœna, majoraque interius, & exterius infert nocumenta, tanto maturius, cautiorique Judicio Eccleſiarum Prælati, eorumque Vicarii ea uti debent. Hæc autem cautio in eo præcipue ponitur, ut conditiones illæ non deſint, quæ ad Cenſurarum formam pertinent, & quæ omnino in ferendis eiſdem ſervari debent; nam etſi Prælati excommunicandi poteſtatem habeant, non debent tamen hanc acerbiſſimam punitionem temere exercere, ſed ſervatis iis, quæ a Sacris Canonibus ſervanda traduntur. In primis itaque a S. Canonibus decretum eſt ut Excommunicationi præmittatur *Monitio*, ſive *Citatio*, ne defectu ejuſdem, vel injuſta, vel nulla Excommunicationis ſententia habeatur. De injuſtitia Cenſurarum Monitione neglecta loquitur Innocentius IV. in cap. *Romana Eccleſia* 5. de Senten. Excomm. cujus verba hæc ſunt: *Nec in ſpecie, nec in genere pro Culpis, & Offenſis præteritis Excommunicationum Sententias abſque competenti monitione præmiſſa promulgent, & ſi contra præſumpſerint, injuſtas noverint illas eſſe.* De nullitate vero earumdem loquitur Bonifacius VIII. in cap. 45. tit. eod. in 6. ubi dicit: Nullas eſſe Excommunicationis Majoris, Suſpenſionis, & Interdicti ſententias latas contra participantes Excommunicatis ea participatione, quæ ſolam minorem Excommunicationem inducit, ſi decernantur Monitione Canonica non præmiſſa. Conſtat igitur primam hanc Conditionem omnino eſſe ſervandam, ut omnino contumax ille judicetur, qui ut ſanus fiat Eccleſia omnia, quæ penes ſe habet remedia adhibet. Sed præterea, & illud conſtat ex laudatis Innocentii verbis nullam eſſe difficultatem de Cenſuris, quæ ipſo facto a Jure, vel Statuto decernuntur pro peccatis futuris (ſi excipiatur Caſus qui ponitur in Clementina unica de Statu Monach. qua excommunicantur ipſo facto, niſi moniti reſipiſcant ii, qui viſitationes impedire præſumunt) & jure merito nam jus ipſum ſatis admonet, Lex ſemper loquitur, & ſemper clamat, & ſatis contumax eſt, qui a Lege continuo monitus, eidem non obtemperat. Conſtat etiam non quamlibet monitionem ſufficere, ſed eſſe oportere competentem, ut ſcilicet talis monitio Canonica ſit, quæ tribus vicibus diſtinctis fieri ſolet juxta ea quæ leguntur ex Concilio Rothomag. apud Gratianum cap. 5. XVI. q. 7. ibi; *Statuimus ut qui decimas dare recuſant ſecundum Domini Noſtri praeceptum admoneantur ſemel, ſecundo, & tertio &c. vel una ſaltem, ſed expreſſe, quod pro tribus valitura ſit.* Sic Epheſini PP. ut nihil ex his omni-

nibus, quæ ad Eccleſiaſticum ordinem pertinent prætermitterent, tribus diſtinctis vicibus Neſtorium vocaverunt, & PP. Calcedonenſes eodem modo Dioſcorum citarunt, & Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi conceſſit, ut una pro tribus monitionibus uterentur Judices canonicam prolaturi Excommunicationis Sententiam, ſed obſervarent aliquorum dierum competentia intervalla, niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaderet moderanda cap. *Conſtitutionem* 9. de Senten. Excom. in 6. Hæc vero Monitio licet alioquin ad domum ex lege fieri poſſit, & ad ipſius citandi habitationem aſſiduam, ut ſic legittime citatus, & monitus quis dicatur l. *ſcire debemus* §. *quod autem* ff. de Excuſat. Tutor. l. *aut quod aliter* § *& ſi forte*, l. 4. §. *Prætor ait* ff. de Damno infect. communis tamen Canoniſtarum ſententia eſt quod perſonalis eſſe debet, quamquam Caſus aliquot excipi ſoleant, in quibus perſonalis monitio neceſſaria non eſt, nimirum quoties excommunicandus doloſe latitat, aut cum legitime fuit jam ſemel citatus ad cauſſam perſonali citatione; quoties monitio ad domum facta pervenit ad ipſius excommunicati notitiam, aut ſi male abſolutus ab Excommunicatione denuo ſit ſubjiciendus cenſuræ; aut demum ſi propter appellati, aut ſuorum metum, vel potentiam intimatio fieri nequeat, ut exponitur in Clementina *Cauſſam* 3. de Election., & in his Caſibus ſatis eſt ut Monitio fiat in loco publico, unde ad appellati, ſeu Procuratoris ejus notitiam poſſit veroſimiliter pervenire. Porro in his Monitionibus Perſona Superioris exprimi debet, quippe qui non cenſetur quis contumax, niſi cognoſcat Superioris imperium; exprimi etiam debet ſaltem in gegenere pœna ab eo decernenda, & nomen illius contra quem agitur ex laudato cap. *Conſtitutionem*. Parum autem refert an fiat in *Scriptis*, quia hoc nulla lege requiritur, fieri tamen debet perſonis præſentibus, idoneis, per quas ſi neceſſe fuerit, poſſit probari Monitio juxta Innocentii III. Decretum in cap. *Sacro* 48. de Sententia Excommunicationis, idque ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem. Ubi vero Monitiones neceſſariæ non ſunt, omitti non debet Perſonæ delinquentis citatio, ut colligitur ex cap. 12. cauſſa 2. q. 1., & cap. *Presbyter* 2. xv. q. 5. ne quis inconfeſſus, aut non convictus puniatur, & hæc citatio extenditur etiam ad caſum illius, qui ipſo facto Excommunicationem incurrit, ut excommunicatus declaretur per Judicem. Omiſſio tamen citationis non ſubjacet omittentem Interdicto, quia pœnæ non ſunt ampliandæ.

Quamquam vero hæc omnia dicta ſint juxta Deciſiones Canonicas, tum veteres, tum Recentes, attamen videtur aliquibus neceſſitas Monitionum infirmari ab iis, quæ ex Hiſtoria tam Sacra, quam Profana petuntur; ſiquidem in his cernitur Paulum monitione uſum non eſſe dum inceſtuoſum Corinthium ab Eccleſiæ communione ejecit, neque Cyprianum cum excommunicavit Victorem mortuum, neque Patres Oecumenici quinti, & ſexti Concilii cum anathematizarunt Origenem, & Honorium, neque demum Innocentium I. & Ambroſium contra Archadium Imperatorem, & Magnum Theodoſium, dum eoſdem ab Eccleſia excluſerunt. Attamen ex his monumentis nihil inferri poſſe facili negotio demonſtratur.

XXXVI. Dicunt itaque non conſtare monitionem factam ab Apoſtolo, cum Inceſtuoſum Corinthium Satanæ tradidit in interitum Carnis, *ut Spiritus ſalvus eſſet in die Domini*. Verum objicimus, neque conſtare utrum a Sacer-

cerdotibus, vel a multitudine lata fuerit hæc Excommunicatio, quod ultimum Calviniſta colligeret. Cum itaque rei gerendæ aliunde Ordo cognitus eſſet, non fuit neceſſe, quod Apoſtolus eumdem præſcriberet, & conſequenter Monitionis non meminit in ſua Epiſtola, quod ſuppoſuit ex Chriſti conſtituto faciendam eſſe: Et revera in Epiſtola ad Titum de hac praxi diſſerens, ita ſcripſit cap. 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam Correptionem devita*, hoc eſt eos devitare oportere, docet Apoſtolus, qui ab Eccleſia moniti, eidem parere detrectant, aut ſi reſipiſcunt, hoc non agunt coram Eccleſia præſentando ſe Superiori, & oſtendendo ſe paratos eſſe ad exhibendam ſatisfactionem. Præterquamquod cum decertamus pro neceſſitate Monitionum, Caſum ſupponimus in traſgreſſione Legis, quæ Cenſuram infligit, non in tranſgreſſione Legis, quæ Cenſuram comminatur. In quo ſecundo caſu probabilius videtur monitionem ab homine, diſtinctam a monitione Legis non eſſe neceſſariam, ut ſupra diximus, quia ſufficienter admonitus eſt, qui Legem, & pœnam a Lege ſancitam cognoſcit, quam pœnam Corinthii omnes non ignorabant, quod antea Apoſtolus eiſdem ſcripſerat, ne commiſcerentur fornicariis: *& ſi is, qui frater nominabatur eſſet fornicator, aut Avarus, aut idolis ſerviens, cum ejuſmodi nec Cibum ſumerent*. Et ita patet propoſitum. Similiter cum in Concilio Africano, ut conſtat ex lectione epiſtolæ 65. S. Cypriani apud Lambertum p. 122. ſtatutum fuiſſet; *ne quis de Clericis, & Dei miniſtris tutorem, vel Curatorem teſtamento ſuo conſtitueret, & ſi quis contra feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*, nulli mirum eſſe debet, quod S. Cyprianus Victorem mortuum excommunicaverit, eo quod Fauſtinum Presbyterum Tutorem Teſtamento ſuo declaraſſet, in hoc enim caſu ſufficiens reperta fuerat admonitio ex parte Judicis, & ſufficiens contumacia ex parte delinquentis Teſtatoris, qui Legem non ignoraverat comminatoriam Cenſuræ. Igitur neque ex hac parte de veritate Sententiæ noſtræ licitum erit ambigere. Cetera, quæ reponuntur ab Adverſariis ad rem non faciunt, vel quia Oecumenica Concilia Origenem, & Honorium anathematizzant, quos monere non poterant, quia jam e vivis exceſſerant, vel quia non reſpectu ſui Origenes, & Honorius damnantur, ſed reſpectu eorum, quæ ſcripſerant, quæ cum per ſe mala eſſent, ſemper in ſe ipſis damnari poterant, nec indigent monitione. Quod vero pertinet ad Excommunicationem ab Innocentio I. latam, hanc repetunt Adverſarii ex Apochripho monumento, hoc eſt ex litteris Innocentii ad Archadium, quarum litterarum exemplar edidit *Georgius Alexandrinus* Scriptor Sæculi VII. *futiliſſimus*, & *mendaciſſimus homo*, ut obſervarunt Photius, Blondellus, & Petavius. His accedit, neque eam epiſtolæ partem, quæ Gelaſio tribuitur, & ponitur in cap. 10. diſt. 96., & in qua ſermo eſt de Archadii, & Theodoſii Excommunicatione a S. Innocentio lata, haberi in genuina ejuſdem Gelaſii epiſtola, quæ legitur apud Labbeum Concil. Tom. 4. p. 1181., & conſequenter ex his ſpuriis monumentis non poſſe peti efficax argumentum pro Adverſariorum ſententia. Tandem ad factum Ambroſii reſpondetur, non contendiſſe Ambroſium, ut Theodoſius ſubjiceretur Cenſuræ, ſed tantum Pœnitentiæ Publicæ in conſpectu Populi, ut pro eo Populus orans fleret, quemadmodum teſtatur S. Auguſtinus Homil. 49. inter 50. cap. 3. nunc Sermone 312. Quis autem putaverit ex his momentis demonſtrari ad Excommunicationes,

quæ

Digitized by Google

quæ pro delictis prætetitis feruntur, monitiones eſſentialiter non requiri? Sed jam ad aliud progrediamur, quod in Sacris Canonibus reperitur expreſſum, & ad Praxim pertinet ferendæ Cenſuræ.

XXXVII. Quiſquis excommunicat: *Excommunicationem in Scriptis proferat, & Cauſſam Excommunicationis expreſſe conſcribat, propter quam Excommunicatio proferatur. Exemplum vero hujuſmodi Scripturæ teneatur Excommunicato tradere infra menſem, ſi fuerit requiſitus. Et hæc eadem in Suſpenſionis, & Interdicti ſententiis volumus obſervari*. Ita Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi, & in cap. 1. de Senten. Excom. in 6. Patet igitur ex his in Forma Excommunicationis hæc debere obſervari, ut in primis fiat per talia verba, quæ ſufficienter eam ſignificent; nimirum *Te excommunico, a Fidelium Communione excludo*, & alia ſimilia. Deinde ut feratur in Scriptis, & quidem cum Cauſſæ expreſſione, quamvis in aliis Sententiis judicialibus, Cauſſa, quæ Judicem movet, non ſoleat Sententiæ inſeri cap. *ſicut* 16. de Senten., & Re judicata; & demum ut Exemplum hujus Scripturæ tradatur Excommunicato intra Menſem, ſi tamen Excommunicator fuerit requiſitus, ex cit. cap. 1. Hinc colligitur non excommunicari aliquem per hæc verba: *Denunciamus, & declaramus talem eſſe excommunicatum*, quod in his verbis ſolum habeatur declaratoria ſententia, & mera denunciatio, per quam non ligari hominem, textus eſt clarus in cap. *Paſtoralis* 53. de Appellationibus. Hæc item verba *incurras indignationem Dei, Petri, aut Pauli, & noſtram*, quia indeterminate ſignificant, nihil faciunt ad Cenſuram incurrendam, quia Cenſura, quæ de facto incurritur, debet eſſe determinata. Ita pariter ſi a Judice ſcriberetur: *Excommunico Petrum ob Contumaciam;* vel *Excommunico Petrum rationabili cauſſa motus*, ſatis non fieret, quod talis forma delicti ſpeciem ſingulariter non exprimeret. Exinde tamen inferri non poſſet talem Cenſuram irritam eſſe, & invalidam, cum laudatus Summus Pontifex Innocentius in cit. cap. ſic loquatur: *Superior vero, ad quem recurritur, ſententiam ipſam ſine difficultate relaxet*, quid autem opus eſſet relaxatione, ſi Cenſura talis eſſet invalida? Poſtremo colligitur, quod ſi Judex requiſitus intra menſem non fuerit, non teneatur exemplum hoc tradere, & ſi poſt menſem requiſitus fuerit, & noluerit tradere, irrationabiliter exemplum hoc denegabit, Cenſuras tamen Pontificii hujus Decreti non incurret, nimirum Suſpenſionem per menſem, & poſtea Irregularitatem, ſi hanc Suſpenſionem non obſervaverit, in quas pœnas incidet, ſi hujuſmodi Conſtitutionis temerarius extiterit Violator.

XXXVIII. Diximus in hac illatione *per denunciationem non ligari quempiam Excommunicatione*, quod Denunciatio nihil addat Excommunicationi, ſed ſolum declaret, quod ut is vitetur, qui ab initio ligatus jam fuit. Nunc vero addimus ad Conditiones Cenſurarum etiam ſpectare Denuntiationem, ut innoteſcat illud etiam, quod poſtremo loco, decernitur in Sacris Canonibus tamquam ritus ſervandus, ut ipſa Cenſura nota fiat omnibus, & operetur quoad exteriores effectus. De hac Denuntiatione legitur in cap. *Curæ ſit omnibus* 20. cauſ. XI. q. 3., ubi hæc ratio redditur, *ut Excommunicatis, ubique Eccleſiaſticus aditus excludatur, & Excuſationis Cauſſa omnibus auferatur*. quæ ratio augetur in Clementina *Si quis ſuadente* 2. de Pœnis, *ut eo major ſit Excommunicati Confuſio, quo ſua fuerit Culpa potentior*. Parum autem refert, ſive incurratur illa Cenſura, quæ a jure infligitur, ſive in-

cur-

curratur illa, quæ ab homine decernitur, nam utraque denuntiatione indiget, ut Excommunicati Conſortium, omnes fugere teneantur, præſertim poſt editam Bullam *Ad evitanda ſcandala*, ex cujus diſpoſitione nullus tenetur vitare Excommunicatum, præterquam in caſibus notorii Percuſſoris Clericorum, niſi nominatim fuerit denuntiatus, & ita neque Suſpenſum, & Interdictum in illis caſibus, qui notantur, tum in Clementina *Multi cum ad nos* 2. de Pœnis contra eos, *qui Clericos capiunt, captoſque, donec reſignent Beneficia auſu detinere Sacrilego non verentur*: tum etiam in Clementina ultima de Cenſibus contra eos, *qui ab Eccleſiaſticis res ſuas alio deferentes pedagia exigunt*, qua propter in his Decretis Locorum Ordinariis injungitur, ut Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti Sententias publicare non differant. Denuntiatio hæc ſi agatur de Excommunicatione a jure, ferenda eſt a Judice Ordinario, in cujus Diœceſi delictum fuit admiſſum ex cap. 1. de Treug. & Pace, & ex cap. 1. de Raptoribus. Si vero agatur de Sententia lata ab Homine fieri debet ab eo, qui Sententiam protulit, ut docetur in cap. *Paſtoralis* de Appellationibus §. *Verum*, vel ab altero de ejus mandato, qui utrum poſſit eam omittere, aut differre, maxime dubitatur a Theologis. Attamen ſi excipiatur Caſus notoriæ Injuſtitiæ talis Cenſuræ, in reliquis omnibus Judici parebit, & Cenſuram denuntiabit, quod *non Cognitio*, ut ait Innocentius III. in cap. *Paſtoralis* 28. de Officio, & Poteſtate Judicis Delegati, *ſed executio tantum demandatur eidem*, qua de re, etſi Delegatus ſciat ſententiam illam injuſtam, exequi nihilominus tenetur eamdem, niſi apud eum efficere poſſit, ut ab hoc onere ipſum abſolvat. E contra vero non tenetur ſemper Judex Ordinarius ad Denuntiationem faciendam, & hoc eruitur ex citato cap. *cura ſit*, quæ verba ſtrictam non inducere Denuntiationis obligationem ex vulgari Interpretum expoſitione ſatis luculenter inſpicitur. Fieri autem hæc Denuntiatio ſolet deſignato nomine proprio, & individualibus Caracteribus illius Perſonæ, quæ propter Excommunicationem vitari debet ex Ordinariorum præſcripto, & Locorum conſuetudine, niſi quod aliquando cum quibuſdam Cæremoniis ad terrorem aliorum peragitur, quæ Cæremoniæ præſcribuntur in cap. *debent* 106. cauſſ. XI. q. 3. nimirum ut XI. Presbyteri circumſtent Epiſcopum quoties ſolemniter Excommunicationem profert, & poſt latam anathematis ſententiam lucernas ardentes, quas in manibus tenent humi projiciant, & pedibus conculcent, cui ſolemnitati, aliæ quoque maledictiones, & execrationes verbales addi ſolent, quas quo ad effectum plus operari, quam ſimplicem Excommunicationem cenſet Covar. in Relect. c. *alma mater* h. t. in 6. P. 1. §. 6. n. 9., & colligitur ex cap. *nemo Epiſcoporum* dicta cauſſa XI. q. 3., & aliquando legimus Sententiam anathematis Chriſti Sanguine exaratam, ut contra Pirrhum Monothelitam in Concilio Romano anno 648. teſte Theophane in Miſcellan. 20., quod & factum fuiſſe in Synodo VIII. contra Photium, refert Nicetas in Vita S. Ignatii. Ex eodem cap. *Debent* nuper citato colligunt Doctores Excommunicati nomen, & Excommunicationis cauſſam ad loca vicina mitti debere, quoties periculum eſt, ne Excommunicatus in ea loca ſe transferat, ut Denuntiationem ſuo fruſtret effectu. Aſt hic caute notandum eſt, quod ante Denuntiationem juridicam Cenſuræ a jure latæ reus citari, audiri, & criminis conſcius declarari neceſſe eſt; monet enim Cabaſſut. Theor. & Prax. lib. 5. cap. 19. n. 19., quod ſenten-

tis contra eum lata, qui nullo modo citatus fuit, nulla eſt ipſo jure, quod verum eſt, quamquam crimen ſit notorium. Notari etiam ulterius debet, quod Appellatio interpoſita a Cenſura ab homine ſimpliciter, & abſolute lata, non obſtat quominus Judex ad Denuntiationem progrediatur, e contra vero obſtat, ſi agatur de Cenſura a jure, & ratio diſcriminis eſt, quia in primo caſu contumacia probata eſt, & contumace non auditur appellans capite *ſunt quorum* 2. q. 6. in altero vero caſu, qui a Statuto, vel a Jure excommunicatus eſt, non ex proprio ore repertus eſt contumax, adeoque poteſt, vel factum negare, aut ſaltem negare ſe cum mala fide, aut advertentia, aut ſine neceſſitate operatum eſſe, & Judicem ipſum, ut ſibi infenſum recuſare. Ita pariter Appellatio illa impedit denunciationem, quæ interponitur a ſententia mere declaratoria. Quapropter ſi declarare velit Judex aliquem reum eſſe criminis, cui annexa eſt Excommunicatio in jure, poterit is interpoſita appellatione declarationem hanc & denuntiationem, quæ eam conſequeretur, impedire. Unde ſi Judex neglecta appellatione ulterius procedat ad declarationem, & denuntiationem, non ideo vitandus erit ut publice Excommunicatus ille, contra quem ſic actum fuerit. Ceterum cum Appellationis remedium *non ſit ad defenſionem iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum*, ut ſcribitur in cap. 61. de Appellationibus, cauſſa ſufficiens, & probabilis requiritur ad appellandum. Deinde non oportet ad compares Judices appellationes referri, ſed a minori judicio in majus tribunal aſcendere, cauſſa 2, q. 6. cap. 28. demum intra quadraginta dies interponi debet, qui a publicatione ſententiæ computantur. Et hæc ſatis dicta ſint de Conditionibus illis, quæ Cenſuram præcedunt, concomitantur, & ſubſequuntur.

XXXIX. Unicum ſupereſt inquirendum, videlicet an poſitis omnibus hiſce conditionibus dubitari ne poſſit de Cenſurarum eventu in ordine ad Subjectum contra quod infliguntur? Profecto multiplex hinc orietur Quæſtio de hoc, ſi fontes ſinguli aperiendi eſſent, qui ab incurrenda Cenſura impediunt; ſtatim enim occurreret Ignorantia, Metus, Neceſſitas, Impotentia, Dubium tum Juris, tum Facti, Cenſuræ invaliditas, Appellatio, Conſenſus læſæ Partis &c. Verum cum in ſingulis hiſce Caſibus attendatur circumſtantia, quæ actum reddat mortaliter malum, & hujus circumſtantiæ legem Morales omnes Theologi in ſuis libris aperiant, non hic immorabimur, ſed inquiſitio noſtra tota erit de Excommunicatione illa, quæ eſt ſpeciali Statuto lata pro actu jam Lege Divina damnato: Utrum ſcilicet Excommunicatio hæc ſtatim afficiat, & liget ejus Actus Auctores, qui bene norunt Actum illum damnatum eſſe, ſed Cenſuram ignorant? Et quid dicendum, ſi quis ab Excommunicatione contra ſe latam appellaverit?

XL. Negativa ſententia plures habet Patronos, qui ad incurrendam Cenſuram expoſcunt non ſolum Peccatum, & inobedientiam contra Legem Divinam, vel Naturalem, ſed præterea inobedientiam erga Eccleſiam, quæ tali peccato Cenſuram appoſuit, argumento cap. *Propoſuiſti* d. 28. ubi licet Clericis jure Divino Incontinentia prohibita ſit, non tamen iidem dicuntur Cenſuram incurrere antequam habeant notitiam Legis Eccleſiaſticæ Cenſuram inferentis. Addunt inſuper id quod decernitur in cap. 2. de Cenſuris in 6. nimirum *ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes*, quod utique interpretantur de ignorantibus ipſam

Cen-

Cenſuram; cum cauſſa, ob quam infertur Cenſura ſit peccatum mortale, quod illicitum eſſe, omnibus facile cognitum eſt, qui vero ignorat Cenſuram, quamvis ſit inobediens erga Deum, non tamen eſt inobediens erga Eccleſiam, ut eruitur ex lege *contumacia ff. de re judicata*. Et quanquam non ignorent Gloſſam in dict. cap. 2. in v. *ſtatuta*, aſſerentem hoc tantum procedere in Cenſuris, quæ per Statuta particularium Epiſcoporum infliguntur, non vero quæ per R. Pontificem, idem tamen etiam circa jus commune dici poſſe contendunt, quia etiam hic ignorantia ab inobedientia erga Eccleſiam excuſat, & quamvis ignorantia juris non excuſet quoad validitatem Actuum, & Contractuum, qui contra jura fiunt, excuſat tamen plerumque a pœna, præſertim ſimpliciores, lege *cum de indebito* 25. §. 1. ff. de Probat. & etiam *alios*, quando ignorantia non eſt Craſſa, & Affectata, ut ſi Cenſuræ, quæ in Bullis, vel Corpore juris continentur, a Locorum Ordinariis non publicantur, vel uſu non obſervantur: Confirmant etiam ex eo quod Pontifex in eodem cap. 2. principaliter cupiat Animarum Periculis obviare, & Conſcientiæ favere, ſicut ex principio Textus apparet; atqui hæc ratio periculi Animarum, & favoris Conſcientiæ æque ſubeſt in Cenſuris latis a jure communi, quam a particularibus Statutis, ergo concludunt idem utrobique jus eſſe ſervandum. Et quidem merito, nam Eccleſia non vult maius onus imponere frangenti Leges, quæ Cenſuram infligunt, quam frangenti Præceptum. Si ergo Ignorantia invincibilis frangentem Præceptum a Peccato excuſat, quanto Magis a Cenſura excuſabit?

XLI. Affirmativam ſententiam tuetur Fagnanus in cap. *A nobis* de Senten. Excom. ubi enim aſſeritur, quod quando Statutum Ordinarii pœnam annectit facto jure communi damnato, tunc Forenſis ligatur pœna, etiamſi eam ignoret, quia in facto generaliter damnato, non poteſt allegari juſta ignorantia. Forenſis igitur (hoc eſt non ſubditus Ordinario) in caſu expoſito Cenſura ligatur: quanto magis ergo Cenſura ligabitur quicunque ille fuerit, qui jus Divinum non ignoratum violabit, & cui Cenſura eſt inflicta, non a ſtatuto particulari, ſed a Canone univerſali? Præluxerat Fagnano Scotus in 4. d. 5. q. 8. a. 1. ubi inquirens, *quibus pœnis ſubjaceant ii, qui Baptiſmum repetunt?* Reſolvit quæſtionem, & poſtea proſequitur = *Non apparet quod ignorantia juris in facto illo, ſive in ſuſcipiente, ſive in conferente excuſet. Aut enim poteſt intelligi ignorantia Iuris Divini prohibentis Baptiſmum reiterari, & patet quod ignorantia talis Præcepti non excuſat; Aut intelligitur Ignorantia juris Canonici infligentis pœnam, & neque illa ignorantia excuſat, quin pœna illa incurratur*. Quando enim ſuper aliquo, quod eſt jure Divino damnatum additur pœna Canonica, ut illud ſtrictius evitetur, non eſt neceſſarium ad hoc ut incurratur illa pœna aliqua ſcientia juris Canonici, ſed ſufficit quod teneatur ſcire præceptum, & qui illud tranſgreditur incurrit pœnam Canonicam, etiamſi neſciat a Jure Canonico pœnam eſſe inflictam. Accedit his Eccleſiæ praxis, quæ Cenſuris irretitos, & ligatos judicat frangentes præceptum, cui Cenſura annectitur, etiamſi ignoretur Cenſura, imo quamquam ignorantia allegetur; nam huiuſmodi delinquentes non admittit ad probationem talis ignorantiæ, niſi prius a Cenſuris abſolvantur. Affirmari ergo ne poterit Eccleſiaſticos Judices iniuſte Iudicare excommunicando, & abſolvendo; imo publicando in Cenſuras illos inci‍diſſe, qui delictum commiſerunt, etiam ſi ignoraverint Cenſuras, & ſuam al-

allegaverint ignorantiam? Id aſſerere illum non pudebit, qui ignarum Cenſuræ ab Excommunicatione reddit immunem. Contrarium tamen omnia Tribunalia tuentur, jura præcipiunt, & Eccleſia probat, quæ dum abſolvit, & ligat, non abutitur poteſtate a Chriſto ſibi collata, ut velit abſolvere quod coram Deo non eſt ligatum, & velit ligare quod coram Deo eſt ſolutum.

XLII. Hic tamen diſtinguere oportet Forum illud, cujus examini ſubjicitur is, qui Cenſura creditur illaqueatus, quod Forum profecto eſſe debet Contentioſum, non vero Tribunal Conſcientiæ, ſive conſideretur Homo excommunicatus, ſive Judex, qui a Cenſura debet abſolvere; nam ex parte hominis Excommunicati cum ignoratione Cenſuræ, præſens reſolutio locum habere non poteſt, quod non dependeat ab illius voluntate, quod a tali Cenſura abſolvatur, ſed a poteſtate Miniſtri; quia vero ille qui Judex ſedet in Foro Pœnitentiæ, & audit in Confeſſione caſum, cui eſt annexa Cenſura Papalis, ſcit ſe Juriſdictione carere, ut ſuum Pœnitentem abſolvat, hinc eſt quod hujus Cauſſæ cognitio ad Forum externum pertinere dignoſcitur. Quapropter redeunt argumenta ſecundæ ſententiæ, quæ ſatis probant, quod Excommunicatio illa, quæ eſt ſpeciali Statuto lata pro actu jam lege Divina damnato, ſtatim afficit, & ligat illius Actus Auctores, qui bene norunt actum illum damnatum eſſe, ſed Cenſuram ignorant.

XLIII. Id autem ut uberius adhuc demonſtretur conſiderare oportet, ignorantiam juris invincibilem, & probabilem ab incurrenda pœna non alia ratione excuſare, niſi quia efficit actum, cui annectitur talis pœna, involuntarium, non quidem ex eo quod ille actus non procedat a voluntate, & non ſit volitus, nam vere actus hic voluntati tribuendus eſt; ſed quia eſt contra volitionem, aut nolitionem, quæ haberetur ſine tali ignorantia, ut explicat D. Thomas 1. 2. q. 76. a. 1. & 3. Et revera cum ad ignotum non poſſit ferri voluntas, lege *labro* ff. de ſupe. leg. & voluntas ſit actio intellectus cognoſcentis, nec quiſquam dicatur velle, quod in mente non cogitavit, patet ignorantiam excuſare a culpa, & a pœna, ubi illud quod ignotum eſt ad malitiam actus pertinet, non excuſare vero, ſi non ſit ejus, quod ad malitiam actus attinet, quia in hac ſpecie ignorantia non conſtituit involuntarium, nec eſt (ut ajunt) cauſſa cauſſalis illicitæ operationis, ut eleganter prælaudatus Doctor Angelicus exponit in dicto a. 1 cit. quæſt. Ubi igitur contigerit hic caſus, expendendum erit, utrum in eo, qui actum commiſerit alioquin jure Divino damnatum, ignorans tamen pro eo crimine inflictam eſſe aliquam pœnam, ignorantia reperiatur, quæ verſetur circa id, quod peccati, & actus malitiam conſtituit, & a quo malitia tota peccati, pendet; aut verſetur circa ſolam pœnam, cumque malitia minime propter illam ignorantiam nec tota ceſſet, nec ejus pars, neceſſe erit aſſerere ignorantiam pœnæ nequaquam tollere malitiam actus, cui a lege pœna infligitur, atque ideo minime eamdem ignorantiam ab incurrenda tali pœna excuſare delinquentem.

XLIV. Hæc autem Concluſio inde petitur, quod nullus requiratur conſenſus ipſius delinquentis ad pœnam delicti, cum communi omnium ſententia definitum ſit, obligationem contractam ex delicto naturalem eſſe, quod multis probatur, & manifeſtum eſt, quia æquitas, & Reipublicæ utilitas, (quæ ratione naturali conſideranda ſunt) dictant punienda eſſe delicta per leges, quibus jure naturali tenemur obtemperare; ubi vero adeſt æquitas,

&

& naturalis ratio, inibi & naturalis obligatio a jure conſtituitur, lege *Stichum* §. *naturalis* ff. de Solutio. lege *cum amplius* §. *is natura debet* ff. de Reg. Juris cum ipſo facto, & in actu ipſius criminis, delinquens cenſeatur ſe ipſum pœnæ ſubdidiſſe, conſenſu ad delictum, quod ex legum ſeveritate, & civili diſciplina (ratione quidem naturali) pœna ſequitur, ut textus eſt clarus in lege *a Reo* §. *quod vulgo* ff. de Fide Ju. quo in loco fit mentio hujus naturalis æquitatis, quæ ſuadet delicta puniri. Conſtat igitur non eſſe neceſſariam ſcientiam pœnæ legalis, ut delinquens ea puniri juſte poſſit, ejuſque obligationem contrahat. Et paſſim videtur affirmari ab Juris utriuſque Doctoribus, cum quis puniendus eſt pœna legis communis ſpecialem pœnam adulteris conſtituentis, aut inceſtis, aut furibus, quod adulterium, inceſtum, aut furtum commiſerint, ſcientes ſe id ſcelus egiſſe, inſcii tamen, probabili ignorantia, pœnæ ſtatutæ.

XLV. His breviter recenſitis pro alterutra harum Opinionum, modo Caſus exponitur illius ignorantiæ, quæ excuſat ab incurrenda Cenſura, & contingit quando invincibiliter ignoratur factum, quod Excommunicationis Cenſuræ ſubjectum eſt, etiamſi graviter peccet, qui factum illud committit. Ita aperte docet Alexander III. in cap. *ſi vero* extra de Sent. Excom. dicens: *Eum Excommunicatione non innodari, qui percuſſerit illum, quem ignorabat eſſe Clericum*; quod de Ignorantia probabili Gloſſa ibidem exponit, & ratio eſt, *quia non facit contumaciter, qui neſcit ſe facere*. Ea autem vocatur invincibilis, ſeu probabilis ignorantia, quam quis non poteſt, cum non tenetur, vincere. Pariformiter quiſquis Excommunicationem a Judice latam invincibiliter ignorat, durante ea ignorantia, licet impingat in id, quod prohibitum eſt, non tamen Excommunicationem incurrit. Quod extenditur adhuc ad Statutum Judicis Ordinarii annexam habens Excommunicationem, ſi invincibiliter ignoretur ab eo, qui contra fecerit, & ratio eſt, quia non cenſetur præmonitus, qui probabiliter ignorat, & non poteſt judicari monenti Eccleſiæ inobediens, qui mandatum Judicis præcipientis invincibiliter ignorat. Non aliter ac dicitur excuſatus a peccato, & illius pœna, qui operam dat rei illicitæ, quod hæc ignorantia excuſat omnino a peccato illo involuntario, quod oritur ex Re ignorata, ut docet S. Thomas l. ſ. c. a. 3., & notat Cajetanus ſcribens: *Judam illicite cognoſcentem Thamar nurum ſuam non commiſiſſe inceſtum, etiamſi operam daret rei illicitæ*, & probare conatur ſubtili ratiocinatione Alfonſus a Caſtro in libro 2. de Poteſtate Leg. pœnal. cap. 14. verb. 2. *propoſitio*, & præſertim conſtat ex cit. cap. *Si vero*. Nec quidquam refert, quod danti Operam rei illicitæ imputatur quidquid inde ſequitur, etiam præter ejus intentionem, etiam caſu, cap. *continebatur* de Homicid., nam id eſt intelligendum, vel quo ad pœnam Irregularitatis, quæ ſæpe a jure infligitur abſque culpa, quatenus culpa dolum, & malitiam ſignificat, vel minime procedit, ubi proprie contingit ex ignorantia juſta, & invincibili defectu voluntatis, quæ neceſſaria eſt ad culpam, & malitiam, ejuſque pœnam conſtituendam. Nec denique poterit cuiquam perſuadere textus in cap. *in lectum mariti* 14. q. 2., ubi excuſatur a peccato Inceſtus maritus ipſe, in cujus lectum ſoror ivit uxoris, quam quidem putans ſuam eſſe uxorem cognoverit, & tamen licet propter ignorantiam excuſetur maritus, pœnitentia tamen illi injungitur; nam ex hoc capite deducitur ignorantiam illam culpam aliquam habuiſ-

nuiſſe, vel fuiſſe craſſam, & culpabilem, quæ non conſtituit involuntarium, & malum factum ex ea, peccatum eſt, & punitione dignum, quod talis ignorantia habeat ſcientiæ conditionem, & idem operetur, quod operatur Scientia, cum adeſt. Nam ex nimia voluntate peccandi oritur hæc ignorantia, quam quis tollere non vult, ut liberius peccet, & ita intelligitur textus in leg. 1. ff. de legibus, dum inibi expreſſum eſt per leges puniri delicta, quæ etiam per ignorantiam committuntur, & explicatur etiam Gratianus in cap. 1. 15. q. 1., & Ariſtoteles libro 3. Ethic. c. 1. dum ignorantem pravum, & malum appellat, aſſeverans eum non excuſari.

XLVI. Sed dicendum ne idem eſt, ſi Contumacia deficiat, quod dictum eſt contingere cum deficit Scientia Cenſuræ? Hanc Contumaciam profecto ita connectunt Cenſuræ Abbas, & Navarrus in Manual. cap. 27. ut deficiente illa, Cenſuram ipſam deficere arbitrentur, quod Cenſuram præcipue inventam agnoſcant, ut Rebelles a Contumacia diſcedant. Verum hic opus eſt explicatione. Sunt nonnulli, qui volunt Contumaciam non dari, niſi triplex præcedat Monitio: mehercule tamen falluntur, eo quod etiam Monitionibus omiſſis Cenſuræ infliguntur, & hujuſmodi ſunt Cenſuræ latæ Sententiæ, quæ in illa hypotheſi cum Cenſuris ferendæ Sententiæ confunduntur, quæ trinam monitionem includunt. In omnibus itaque Cenſuris Contumacia requiritur, ſed alia, & alia, & aliquando hæc includitur in violatione Præcepti, cui eſt annexa Cenſura. Ne vero aliquis id gratis aſſertum arbitretur, audiri poteſt Benedictus XIV., qui in lib. 7. de Synod. Diœc. cap. 44. hæc ſcribit: *Gravius, & execrabilius eſſe oportet delictum, ob quod infligatur Cenſura latæ Sententiæ, qua nimirum homo per ſolam Legis tranſgreſſionem nulla prævia monitione ejuſdem legis, ſtatim perſtringitur*. Et infra impugnans Godeſcalcum male adducentem Gerſonem hæc addit: *In foro autem interno, & coram Deo, cujus oculis omnia nuda ſunt, & aperta, ad incurrendum in Cenſuram latæ ſententiæ, nulla eſt neceſſaria Judicis declaratio, ſed ſatis eſt crimen perpetrare, cui illa eſt annexa, ſuam quippe Contumaciam, & Eccleſiæ contemptum, ſatis aperte manifeſtat, qui in legem delinquit*. Alia igitur eſt contumacia contra Judicem imponentem Cenſuram, & alia eſt Contumacia contra objectum prohibitum, ob quod Cenſura imponitur. Si Judex præcepit, & res ab illo præcepta aliam prohibitionem non habet, niſi præceptum Judicis; ut violans præceptum dicatur Contumax, ac per conſequens Cenſura innodatus, requiritur monitio, & tunc contumacia iſtam includit. At quando non Judex, ſed Eccleſia medio Canone Generali, & Pontifice præcipit non rem novam, ſed quod a Deo eſt prohibitum, non alia Contumacia requiritur contra Deum, & alia contra Eccleſiam, ſed ſufficit eſſe contumacem contra Deum, ut Cenſura incurratur, quia contumacia hæc includitur in ipſa violatione Præcepti. *Admonitionis loco*, inquit Theophilus Rainaldus Tom. 14. pag. 4. *eſſe promulgationem legis aliquid præcipientis, vel prohibentis ſub pœna Cenſuræ*. Qui præceptum Dei violat reſiſtit Deo, non trina tantum monitione, ſed continua voce, & monitione præcepti clamanti. Præterquamquod Paulus, ajebat malum factum ſufficere, ut gladius timeatur: *Si autem malum feceris time, non enim ſine cauſſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt vindex in iram ei, qui malum agit* Romanorum cap. 14. Cum igitur Cenſura in gladio oſtenſa ſit, & cauſſa ejuſdem in malo agendo, ut nihil amplius,

plius, ſatis apparet monitionem non eſſe neceſſariam, ut contumacia habeatur, quæ ſufficit ad incurrendam Cenſuram. Et revera eidem Apoſtolo ſatis fuit conſtare ſibi, quod nonnulli Idolis ſervirent, ut præciperet cum hujuſmodi, nec cibum ſumendum eſſe, quod hi foris eſſent Chorint. c. 5. v. 14., quod clare de Cenſuris ab omnibus intelligitur dictum, quæ monitionem, & Contumaciæ probationem non ſemper expectant. Sed ut ingenue loquamur facile ab aliquibus vitioſus circulus committitur, ubi ab eiſdem agitur de neceſſitate Scientiæ, & Contumaciæ ad incurrendam Cenſuram; ſiquidem hi probant neceſſitatem Scientiæ Cenſuræ, quia requiritur ab illis Contumacia, deinde probant neceſſitatem Contumaciæ, quia ab eiſdem requiritur notitia, & advertentia in incurrendo, ac ſi Contumacia contra præceptum non eſſet contumacia contra Cenſuram, dum idem ab uno, & alio præcipitur, & verum non eſſet, quod Paulus docet, *qui Poteſtati reſiſtit, Dei Ordinationi reſiſtit*; at qui violant ſcienter, & volun- præcepta Dei, contumaces ſunt contra Deum, & digni habentur pœnis inflictis a Deo: Ergo ob eamdem contumaciam merentur pœnas in illos inflictas ab Eccleſia; Eccleſia enim in caſu nihil novum præcipit, ſed tantum pœnam addit frangentibus præceptum impoſitum a Deo.

XLVII. Porro in Caſibus illis, in quibus ad incurrendam Cenſuram Contumacia requiritur abſit, qui credat ex ipſa indole Cenſuræ hanc Contumaciam includere animum obfirmatum in malo, ut perperam ſcripſit Recentior quidam Theologus Cabaſutium referens ad ſuam vindicandam opinionem. Siquidem poſtquam hic Auctor adnotaſſet duplicem contumaciam, alteram contra Deum, & alteram contra Eccleſiam, inquit, *Contumaciam contra Deum ſufficere ad peccatum mortale, non vero ad incurrendam Cenſuram, ſi ea prorſus ignoretur, niſi interveniat ſimul Contumacia in Eccleſiam, quæ nulla eſt in iſtiuſmodi ignorante*. Præter hæc nihil aliud addit Clariſſimus Auctor, ut patebit conſulenti caput 17. n. 36. libri 5. eximii Operis inſcripti Juris Canonici Theoria, & Praxis, Unde ergo hoc verbum *obfirmo*, a quo *obfirmatum* plus explicat, quam *Contumacia*? *Obfirmo*, inquit Ambroſius, *idem eſt ac pertinaciter, & obſtinate perſiſtere*; quis autem credet tantum requiri, ut Cenſura incurratur? Sequeretur hinc, quod nec ſcienter operantes contra Cenſuram, ipſam incurrerent, cum idem non ſit ſcienter operari, & obſtinate, & pertinaciter agere; nec dicitur animum habere obſtinatum, qui ſcienter, & voluntarie præceptum frangit, & tamen talis contumax contra Deum a Cabaſutio vocatur, & reus peccati, quod notatu dignum eſt, ut Contumacia ab ipſo requiſita cognoſcatur, & libertas illius Theologi, qui Cabaſutium inducit, ut ſuæ falſæ Sententiæ patrocinium inveniat. Quid plura? Sententia Cabaſutii, quam immane aberret ab opinione hujus Theologi, videre eſt ex iis, quæ Cabaſutius ſcribit in capite 13. ejuſdem libri 5. ſub numero 8. ubi agit de ignorantia concomitante, quatenus hæc a Cenſura incurrenda excuſat, exemplum ponens in illo, qui hominem occidit, quem credit eſſe feram, ubi hæc ſubdit: *Verumtamen ſi occiſor iſte dubitaſſet, fera ne eſſet, an homo, tum demum reus eſſet criminis homicidii, ſimulque pœnarum Civilium, & Canonicis Irregularitatibus innodaretur ex homicidio ſurgentibus, non autem excommunicatione, niſi* (conſiderentur hæc verba) *forte aliqua lata eſſet contra*

tra

tra homicidas generaliter &c. Ex quibus verbis ſatis apparet, nunquam requiſiviſſe Cabaſutium ad innodationem Cenſurarum neceſſarium eſſe, quod quis ſit obſirmatus in malo, ſed neque neceſſarium eſſe, quod qui Cenſura innodandus eſt, certo ſciat Cenſuram ipſam annexam eſſe tali delicto, contra quod forte aliquam latam fuiſſe pronunciat ſub quadam hypotheſi.

At inquies Erronea Conſcientia inducit ne Cenſuram? Non inducit Cenſuram erronea Conſcientia; ſed Superior legitimus, & actus externo opere conſummatus, non mentale Sacrilegium, aut opus intentum, cui ſit annexa Cenſura, quapropter ſi quis percuteret Laicum credens huic percuſſioni annexam eſſe Cenſuram, in hac percuſſione occurreret quidem Sacrilegium internum, non autem externum, unde vindictam non haberet exteriorem, nec ſubjaceret anathemati, quia talis actus Sacrilegus eſſet extra objectum poteſtatis vindicativæ, quæ cum a Chriſto Societati ſenſibili tradita fuerit, non videtur alio, quam ſenſibili modo exerceri poſſe, adeoque in res pure inſenſibiles cadere nequit; præter quam quod Eccleſia declarans ſe non intendere, ut quis cogitationis pœnam patiatur, oſtendit ſe nolle Cenſuris actus mere internos plectere.

XLVIII. Accedimus modo ad alteram Inquiſitionis partem, in qua ponitur, quid dicendum ſit de illo, qui a Sententia Excommunicationis contra ſe latam appellat? Utrum ſcilicet facta Appellatione ligatus maneat, donec is, ad quem appellatum eſt agnita Sententiæ injuſtitia, eamdem reſciderit. Ut recto ordine, hoc argumentum tractetur recolenda ſunt illa, quæ diximus ſupra N. XXXII. agentes de nullitate, & injuſtitia Cenſurarum. Quibus præſuppoſitis nunc adnotamus earum differentias; & 1. qui dicit Excommunicationem nullam, auditur, licet non petat abſolutionem quoquomodo cap. *per tuas* de Senten. Excomm. Sive hæc nullitas ab illo aſſeratur, quia Cenſura lata fuit, poſt Appellationem interpoſitam cap. *Paſtoralis* §. *Verum* de Appellat., vel quia in ea fuerit expreſſus intollerabilis error, ſcilicet Juris, aut ex quocumque alio motivo, juxta caſus, qui exponuntur in cap. *cum contingat* de Offic. Deleg. Qui vero dicit Sententiam Excommunicationis injuſtam, non auditur volens probare ejus injuſtitiam, niſi antea petat abſolutionem, ut dicitur in cit. cap. *per tuas* verſus finem, *ne*, ibi inquit Pontifex, *Sententiam Eccleſiaſticam contemnere videatur, & per hoc amplius ex ſuo contemptu ligetur.*

2. Differunt, quia Appellans ab injuſtitia abſolvitur pure, & ſimpliciter; Appellans proponens nullitatem, & intendens eam probare, ad cautelam abſolvi poteſt. Primum dicitur, quia Excommunicatio etiam injuſta ligat, quoad Eccleſiam, & ſi contemnitur ligat, quo ad Deum cap. *Si Epiſcopus* 11. q. 3., & tenet Gloſſa in cit. cap. *per tuas* v. *in aliis* Secundum dicitur ex praxi Sedis Apoſtolicæ, quæ ad cautelam conſuevit abſolvere eod. cap. *per tuas* verbo *Ad cautelam*.

3. Differunt, quia Appellatio ab injuſtitia devolvit Juriſdictionem ad Superiorem cap. *revera* 3. q. 9. Sed non ſuſpendit Excommunicationis effectum. Appellatio vero propter nullitatem, operatur utrumque effectum devolutivum, & Suſpenſivum cap. *Paſtoralis* de Offic. Deleg.

4. Notandum præterea, quod alia Differentia eſt in caſu, quo Judex citet aliquem ad dicendum cauſſam, quare non debet excommunicari, & in caſu quo Judex citet ad dicendum cauſſam, quare non debeat declarari inci-

incidiſſe in excommunicationem, nam in primo caſu a tali excommunicatione datur Appellatio, ut citatus ab imminenti irreparabili gravamine ſe tueatur præſidio Appellationis Clement. 1. in verbo *ipſo jure* de Hæret., & lib. 2. ff. de Appell. recip. In ſecundo caſu a comminatione talis declaratoriæ non datur Appellatio, quæ tamen datur a Declaratoria. *Neque Appellationes* (verba ſunt Concilii Trid. in princip. cap. 20. Seſſ. xxiv.) *recipiantur niſi a Definitiva, vel a Definitivæ vim habente. & cujus gravamen per appellationem a Definitiva reparari nequeat*. Unde cum gravamen Declaratoriæ reparari poſſit, non debet Appellatio talem Declaratoriam præcedere.

XLIX. Notandum præterea eſt Appellationem ſignificare provocationem ab inferiori Judice ad Superiorem factam ratione gravaminis illati, vel inferendi, ſive hæc fiat Judicialiter, hoc eſt ab actibus Judicialibus ante litis conteſtationem, ſive poſt litis conteſtationem, nondum dicta ſententia, aut executioni demandata, ſive fiat extrajudicialiter, ob gravamen nimirum, quod extra judicium ab aliquo infertur, aut inferendum timetur; quamvis hæc non ſit vera, & propria Appellatio, ſed provocatio ad Cauſſam, quod non fiat ſemper a Judice, ſed ab homine, qui inique gravat. Hac præmiſſa indole Appellationis judicialis, ſciendum eſt rurſus, quod tantum in quatuor Caſibus in Judicio appellari poteſt. 1. a Sententia *definitiva* ex cap. 20. Seſſ. xxiv. Trid. Concil. Illa vocatur Sententia Definitiva, quæ principali quæſtioni finem imponit, licet non toti Cauſſæ per Gloſſam in Clement. unica in verbo *Definitiva* de Sequeſtr. poſſ., & fruct. 2. a Sententia *habente vim Definitivæ*, hoc eſt, quæ expectat aliam definitivam poſt ſe, ut notat eadem Gloſſa in verbo *repulſione* poſt medium 3. *ab interlocutoria*, vel alio quocumque gravamine, quando hoc per definitivam ſententiam reparari non poteſt ex cap. 1. in fine Seſſ. xiii. laudati Triden. verbo *niſi gravamen*. 4. Ab interlocutoria, quotieſcumque a Sententia definitiva appellari non poteſt, ut habetur in cit. cap. 1., ſeu quando gravamen per Appellationem a Definitiva reparari non poteſt. ut ponitur in cap. 20. Seſſ. xxiv. ejuſdem Concilii. Ea autem eſt Sententia interlocutoria, quæ inter principium, & finem cauſſæ fertur ſuper his, quæ incidunt, vel emergunt, ut definit Gloſſa in cit. Clemen. 1. ita nuncupata, vel quia Judex non definit, ſed interloquitur inter principium, & finem, vel quia inter partes loquendo ſine ſolemnitate Scripturæ pronuntiat. Ita pariter illud dicitur gravamen irreparabile, quod conſequitur omnem actum irretractabilem, ut inquit cum Zerola 1. P. verb. *abſolutio §. Ad ſextum*, Cabaſutius Juris Canonici Theoria lib. 4. cap. 12. n. 20. ac ferentem ſecum actualem, & præſentaneam executionem, qualis eſt Incarceratio, Tortura, Actualis, & præſens Excommunicatio; etenim ſequens Definitiva poteſt quidem liberare a Carcere, & Excommunicatione, ſed non poteſt efficere, quominus homo hujuſmodi mala actu non ſuſtinuerit.

L. Quandocumque tamen hæc Judicialis Appellatio intentetur decem prærequiruntur, quorum, ſi vel unum defuerit, non valebit Appellatio. Primum eſt cauſſa gravaminis illati, vel comminati, cap. *cum ceſſante* h. t. 11., ut cauſſa hujuſmodi ſit probabilis, cap. *ut debitus* e. t. iii. ut ſit vera, cap. *interpoſita* t. e. iv., ut ſit expreſſa, cap. *cum cauſſam* e. t. v., ut Appellanti petitio non ſit admiſſa ex cit. cap. *interpoſita*. vi., ut propterea quod pe-

Digitized by Google

titio non admittebatur ſit appellatum cap. *dilecto* §. *ultimo* t. e. VII. Ut Appellatio fiat in ſcriptis VIII., ut petantur Apoſtoli IX. Ut ſi appellatus hoc petierit veniat inſtructus appellans cap. *cordi* t. e. in 6. Decimum quod requiritur eſt, ut Appellatio fiat intra decem dies Cap. *Romana*, cap. *concertatione* l. c.

Poſtremo additur Cenſuram dupliciter ferri poſſe, vel pure, & abſolute; vel conditionate, puta niſi inter annum reſtituat.

LI. Patet jam ex his omnibus 1. Appellationem legitimam excuſare a Cenſura conditionali, ſi ponatur ante lapſum temporis ad implendam conditionem conceſſi, cap. *praeterea* de Appellationibus, quia hæc Appellatio devolvit cauſſam ad alium Judicem, & ſuſpendit obligationem exequendi, id, quod præcipitur ſub Cenſura.

Patet 2., quod ſi Cenſura jam lata ſit, & expleta conditio, Appellatio Cenſuram non ſuſpendit c. *Paſtoralis* hoc tit., quæ executionem ſecum trahit, unde talis Appellatio devolutiva eſt, non ſuſpenſiva.

Patet 3., quod ſi Cenſura ſit ab homine, Appellatio neque Cenſuram ſuſpendit, neque impedit Denunciationem ex cit. cap. *Paſtoralis* §. *Verum*. Nam cum Appellatio non poſſit ſuſpendere Excommunicationem, nec tollere ejus effectum, conſequens eſt, ut excommunicatus ad Eccleſiam redire non poſſit, niſi virtute abſolutionis, capite *cum deſideres* §. *ultimo*, capite *ſicut* de Senten. Excomm. Adeo ut nec ſufficit ſatisfactio cap. *ſervetur* 11. q 3., nam cum vinculum Excommunicationis a Clavium poteſtate procedat, ab eadem poteſtate tollendum eſt per viam abſolutionis, cujus vicem non gerit appellatio; ideoque denunciatio facta a Judice appellatione pendente, qua declarat Ex. gr. ipſum excommunicatum fructibus Beneficii eſſe privatum, innovari non creditur, niſi Judex per eam aliquid adjiciat priori Sententiæ, quod appellatione pendente non licet. Imo Uvameſius docet in præſenti n. 9. hanc denunciationem fieri poſſe etiam per Judicem Delegatum, quod eſt contra Suarem Diſp. 3. Sect. 15. n. 18., quia etſi Delegatus detulerit Appellationi, manet tamen Judex quo ad ea, quæ ſunt acceſſoria priori Sententiæ.

LII. Movet hic quæſtionem Hoſtienſis de illo, qui appellat viva voce dum Sententia Excommunicationis profertur; utrum ſcilicet hæc Appellatio Excommunicationis effectum ſuſpendat? & difficultatem dirimunt DD. in favorem illius, qui in ſubſtantialibus illorum Actuum alterum præveniſſe cenſeatur, quod ſi id clare non conſtet, concludunt aliqui Reum eſſe ligatum, & præſumi Excommunicationem præceſſiſſe, quia de Juriſdictione Epiſcopi, & de Excommunicatione conſtat, de præcedente vero appellatione non conſtat, argomento cap. *Venerabilis* de Senten. Excom. in 6. Alii contrarium docent, quia videtur in dubio Appellationem præceſſiſſe per L. *ſi quis, id quod verbo, quod ſi dum proponitur* ff. de Juriſd. omn. Jud. Alii vero diſſentientes ſententias ita conciliant, ut velint ſecundam opinionem in Foro Contentioſo obtinere, in quo Judex in dubio non debet aliquem judicare excommunicatum ex cap. *ſi quid* 86. diſt. Priorem vero ajunt procedere in foro interno, in quo debet quis in dubio ſequi partem tutiorem, & exiſtimare ſe Cenſura innodatum, juxta id, quod legitur in c. *illum* de Cleric. Excomm. Miniſtrau.; & quod docet D. Thomas in 2. 2. q. 60. a. 4.

LIII. Gra

LIII. Gradatim, nec ullatenus prætermiſſo Judice medio appellandum eſt, niſi quis undecumque appellet ad Papam cap. *dilecti* e. t. Quando Judex a quo non tenetur deferre Appellationi, non poteſt ea non obſtante ulterius procedere, & ſuum exequi Officium. Imo æqualiter puniendus erit, ſive injuſte non deferat, ſive frivolæ deferat appellationi. Si ſententia ex qua primum appellatum fuit, duabus aliis ſententiis, ſive per Delegatos a Papa Judices, ſive per Ordinarios fuerit confirmata, non licebit ulterius appellare cap. *ſua nobis* h. t. ne liceat in una, eademque cauſſa tertio provocare: Sententia excommunicationis evidenter injuſta, vel erronea nulla eſt ipſo jure, etiam citra appellationem c. 1. de Senten., & Re judic., & cap. *inter ceteras* t. e. & Gratianus in addit. ad can. finalem 2. q. 6. ſive injuſta ſit ex cauſſa, ſive ex animo, ſive ex ordine, cujus rei textus eſt clarus in c. *Epiſcopus* §. *ſi ergo, injuſte dejecti* verſus finem 11. q. 3., & ita DD. communiter.

§. IV. *Juriſdictio, quæ inducit poteſtatem inferendi Cenſuras, eadem præſupponitur, ſi per aliquem eaſdem oporteat relaxare, iis retentis, quæ a Sacris Canonibus præſcribuntur.*

LIV. Adeo neceſſaria eſt abſolutio ab Excommunicatione, quæ ſemel quempiam ligaverit, ut etiamſi Excommunicatio injuſta fuerit, nihilominus ad plures effectus obtinendos abſolutio petenda ſit, ut de his egimus in ſuperiori paragrapho. Etenim poſtquam ſemel Excommunicatio lata eſt, & ligat, indiget Excommunicatus abſolutione, quæ præſtanda eſt, juxta formam juris, ut infra trademus, ſi ſervari commode poſſit. Cum vero ii, qui Excommunicatione ligati ſunt, aut e vivis exceſſerint, aut commune debitum nondum exſolverint, alterutris hoc remedio ſuccurrendum eſſe, tum poteſtas ſolvendi, & ligandi Apoſtolis a Chriſto tradita, tum praxis Eccleſiæ utendi hac poteſtate, cumulatiſſime probant, & hoc adeo certum eſt, ut præter abſolutionem, nullum aliud remedium in promptu haberi poſſit per quod Cenſuræ tollantur; neque ab alio poteſt hæc abſolutio conferri, niſi ab illo, qui auctoritate ſibi tradita utitur, ut hac ſententia reprimat contumaces. Auctoritas hæc, quæ etiam poteſtas Juriſdictionalis, vel Juriſdictio appellatur, in aliquibus Ordinaria eſt, in aliquibus Delegata, & ſinguli illam exercere poſſunt, niſi a Lege, aut facto hominis prohibeantur. Auctoritatem Ordinariam habet abſolvendi a Cenſura qui eam tulit, vel ejus Superior, & Judicis partes poteſt exercere, non alius. Sic Epiſcopus abſolvet ab Excommunicatione per eum lata, vel Archiepiſcopus, in caſibus, quibus juriſdictionem propriam exercere valet inter ſubditos Suffraganeorum, aut denique ipſe Papa, & quilibet alter, cui a Superiore, aut a R. Pontifice fuerit hæc facultas demandata, quia ii omnes, & ſoli, vel Ordinariam, vel Delegatam habent in Foro Externo Juriſdictionem. Quia vero frequenter Cenſurarum abſolutio obtinetur in Foro interno, hic multa occurrunt ad Examen revocanda, ut innoteſcat quis poſſit in hoc Foro a Cenſuris abſolvere.

LV. Et ut ab Epiſcopis exordiamur, ante reſponſionem recolenda eſt Cenſurarum illa facta diſtinctio ab Homine, & a Jure, qua diſtinctione præmiſſa ſtatuitur, quod poſſit Epiſcopus abſolvere ab Excommunicatione eum,

quem Prælatus inferior excommunicavit, quod notat Gloſ. ult. in cap. *cum ab Eccleſiar. Prælatis* de Offic. Ordin. Argumento, quod Juriſdictio competens Prelato Inferiori in aliqua Diœceſi; ita eſt accipienda, ut minime privet Epiſcopum ordinaria Juriſdictione, quam habet, ſed ei accedat, ut ajunt, accumulate ad hunc Effectum, quod Prælatus Inferior poſſit uti hac Juriſdictione ſicut Epiſcopus; ſitque inter eos præventioni locus, ut communiter tenent DD. qui tamen advertunt, quod Ordo, & ipſa Epiſcoporum utilitas exigit ut Inferiores Prælatos tueantur, & protegant, neque id quod ab iis conſulto factum fuerit, temere reſcindant, maxime ſi illorum Juriſdictio eſſet per Præſcriptionem acquiſita, quod probari videtur in cap. *auditis* de Præſcrip. Eadem facultas reſidet in Epiſcopis, quo ad abſolutionem ab illis Excommunicationibus, quæ latæ ſunt per Conſtitutionem Inferioris, quæ confirmata ſit per R. Pontificem, aut quæ Generalis ſit; tum quia Confirmatio R. Pontif. non tollit Ordinariam Juriſdictionem ex cap. 1. & 2. de Confirm. util. vel inut. Tum quia Generalis ſententia ſimilis eſt Statuto, aut Epiſcopali Conſtitutioni. Non obſtat Gloſ. in cap. *ex frequentibus* h. t. nam quod ibi dicitur, procederet quando Excommunicatio eſſet lata ab homine, & confirmata per R. Pontiſ. quia tunc ab illa Epiſcopus non poſſet abſolvere, nec quiſquam alius quam ipſe Excommunicator, quia ejuſmodi Excommunicationes ſemper ſunt Reſervatæ, etiam ſi Reſervationis, mentio non fiat ex can. 53. Concil. Elliberit. & ex Can. 5. Concil. Nicæni, ne Juriſdictionum, & Judiciorum ordo ſubvertatur. Unde ex his ſequitur Epiſcopum tantum poſſe abſolvere ab Excommunicatione Juris abſolutionem minime reſervantis, puta a Cenſuris, vel cum eæ occultæ ſunt, vel cum, etſi occultæ non ſint, qui in eas inciderunt Romam adire non poſſunt: *Liceat Epiſcopis* (ita Trident. in cap. 6. Seſſ. xxiv. de Refor.) *in Irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum Contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque Caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, Delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum in Foro Conſcientiæ gratis abſolvere impoſita ſalutari pœnitentia*. Et ex his verbis patet primum pronunciatum. Alterum vero habetur expreſſum in cap. 26. & 58. de Sent. Excom. in quibus locis recenſentur ii omnes, qui imminente mortis articulo, aut paupertate, aut infirmitate, inimicitia, puerili, aut ſenili ætate, fragilitate ſexus vel alio impedimento Canonico Romam recurrere non poſſunt. Quare ex verbis in Trident. Decreto exarstis inferunt communiter DD. poſse Epiſcopos in vi hujus Decreti diſpenſare, & abſolvere in Suſpenſione contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem Ordines ſuſcepit, ſi jam ad legitimam ætatem pervenerit; item in Suſpenſione contracta ab eo, qui Ordines ſuſcepit, dum Vinculo Cenſuræ obſtrictus eſſet: item in Suſpenſione contracta a Conjugato ſuſcipiente Ordinem Sacr. non ut in matrimonio miniſtret, ſed ut manente delicto occulto, poſt diſſolutionem ejuſdem per mortem Uxoris poſſit in reliquis promoveri; item in Suſpenſione contracta ab eo, qui furtim, ideſt neſciente Epiſcopo, neque probante, neque examinante Ordines ſuſcepit: item in Suſpenſione, quam quis contraxit recipiendo Ordines ſine Litteris Dimiſſorialibus: demum in Suſpanſione a Divinis, quam incurrunt Religioſi admittentes Fœminas; non poſſe tamen abſolvere a Cenſuris incurſis propter ingreſſum in

Mona-

Digitized by Google

Monaſterium Monjalium, etiam ſi delictum ſit occultum, patet ex Conſtit. Pii V. & Gregorii XIII. Occultum autem in præſenti materia ſecundum terminos Juris illud eſt, quod non eſt notorium apud omnes, etiam ſi poſſit probari per aliquos Teſtes, ſufficit enim non eſſe divulgatum, & quod poſſit aliqua tergiverſatione cœlari. Imo non pauci ſentiunt Epiſcopos adhuc diſpenſare & abſolvere poſſe, etiam ſi actus ſit materialiter publicus, non vero formaliter, in quantum delictum, quia inquiunt ipſi, adhuc occultum dicitur: quemadmodum etiam eidem facultati Epiſcopo a Tridentino Decreto Conceſſæ ſubjici ajunt delictum idem, ſi in loco ita diſtanti publicum ſit, ut ſpes non ſubſit fore, ut ad illum locum deferatur, occultum ibi, ubi abſolutio petitur. Attamen non deſunt alii, qui contrarium tueantur cum Navarro Conſil. 43. de Tempor. Ordinat. in Noviſ. quod exiſtiment non dici occultum delictum, quod alicubi, ubi ſcilicet commiſſum eſt, publicum ſit, licet in eo loco, in quo abſolutio petitur ſit occultum. Quemadmodum ubi agitur de abſolutione iis conceſſa, qui Romam adire non poſſunt, quamquam olim invaluerit ſententia, ut abſolverentur hac conditione, ut eodem impedimento ceſſante (pueris exceptis adepta puberbate) ad Apoſtolicam Sedem accederent, mandatum ipſius humiliter ſuſcepturi ſub pœna reincidentiæ in eamdem ſententiam ipſo jure, ſi hoc omiſiſſent. Contraria tamen prævaluit Conſuetudo, quæ excipit caſum abſolutionis datæ imminente mortis articulo, ſive qui abſolvit hoc præcipiat, ſive Confeſſarius præ oblivione, vel ignorantia id Pœnitenti non injunxerit. Moribundus enim, vel alius qui in Caſu neceſſitatis abſolutus fuit a Cenſura aliqua, ubi convaluit, ad ſuperiorem debet accedere, ut denuo abſolutionem ab eo, vel potius præcedentis abſolutionis ratificationem recipiat. Quando autem dicatur delictum deductum ad Forum contentioſum, quod eſt id quod opponitur delicto occulto, ad hoc ut Epiſcopus poſſit abſolvere, non bene conſtat inter DD. nam arbitrantur aliqui tunc contingere ſtatim ac denuntiatio, aut accuſatio de illo coram legitimo Judice facta eſt. Alii, ubi primum Citatio facta fuerit. Et alii demum poſt litis conteſtationem, ut probabilius videntur ſentire Doctores illi, qui facultate a Concilio conceſſa minime gaudere putant Abbates, & inferiores Prælati habentes Juriſdictionem Ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, etiam nullius Diœceſis, quam tamen concedunt Superioribus Conventualibus Religionum exemptarum erga Religioſos ſibi ſubditos propter laudatam Pii V. Conſtit. incipien. *Romanus* ſub data 21. Julii 1571. contra paucos exiſtimantes Prælatos Regulares facultate in hoc Decreto conceſſa erga ſuos ſubditos Regulares uti non poſſe. Quia vero laudatum Concilii Decretum prærequirit, quod ii, quos Epiſcopus abſolvere poterit ſint ſibi ſubditi, obſervatur referri hæc verba ad quoſcunque, qui Epiſcopo quomodocumquæ ſubduntur, vel qui ſunt Ordinarii ſubditi, ut pote qui ibi domicilium habeant, vel quia ſubdantur quo ad ſolum Pœnitentiæ forum, eo quod in ſua Diœceſi inveniuntur tamquam Advenæ, & Peregrini, etiam ſi ſint vagabundi Scholares, & Mercatores, vel quia degunt in Civitate alicujus artis exercendæ gratia, aut Officii, puta Medicus, Prætor, & ſi miles, etſi aliis in Civitatibus delicta illa commiſerint, & propter hæc in Cenſura inciderint, & in quocumque loco, etiam extra Diœceſim, ut pluribus cit. DD. docet Barboſa Allegat. 39. n. 7. Et ideo non ſolum in propria Diœceſi, ſed etiam extra Diœceſim licere Epiſcopo in aliquod Delicto-

rum

rum, de quibus in hoc Decreto, prolapſo, ad ſe abſolvendum proprium Confeſſarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipſe poteſt in ſuos ſubditos exercere, deciſum refert Nicol. Garc. de Benef. P. 11. c. 10. n. 139.

LVI. Quæ hactenus diximus de hac facultate conceſſa Epiſcopis, locum habent ſive electi, ſive confirmati fuerint, quamquam non conſecrati, dummodo ſubditos habeant, & ſint Epiſcopi in illis regionibus, in quibus Concilium Tridentinum receptum eſt, alioquin hac facultate in hoc capite conceſſa eoſdem uti non poſſe, referunt deciſum Aloyſ. Riccius in Praxi rerum fori Eccleſ. Deciſ. 532. in 1. Edit. alias Reſol. 445. n. 3. in 2. Edit. Garc. loco cit. P. 7. cap. 11. n. 23. & alii plures, cum quibus inſuper ſentiunt convenire Capitulo Sede vacante facultatem eamdem, contra paucos ſuſtinentes dictum Capitulum non ſuccedere Epiſcopo in facultate, quæ illi competit vigore hujus Decreti, quibus licet non aſſentiatur Sel. in Selec. Canon. c. 49. n. 3. aſſerit tamen de hoc multum fuiſſe dubitatum, & ſub die 20. Junii fuiſſe concluſum Pontificem eſſe conſulendum. Neque conveniunt DD. utrum ſua hac facultate uti debeant Epiſcopi tantum in foro Sacramentali Pœnitentiæ, & in Confeſſione Sacramentali, ex hoc quod in Trident. Decreto hæc verba legantur: *in Foro Conſcientiæ*, aut etiam extra Sacramentum; Nam pro prima ſententia fertur ita fuiſſe deciſum, ut videri poteſt apud laudatos Auctores, & apud Barboſam Alleg. cit. n. 8. Salmaticenſibus autem Tract. 10. cap. 2. n. 54 hæc non arridet opinio, quod velint forum Conſcientiæ non idem eſſe ac Forum Pœnitentiæ, quia inquiunt Forum Conſcientiæ, non ſolum eſt intra, ſed etiam extra Confeſſionem, modo res occulta ſit, non autem in Foro Contentioſo, quod clarius eruitur ex antecedentibus Concilii verbis in *Diœceſi ſua*, cum quiſque intelligat Subditum extra Diœceſim exiſtentem non poſſe ab Epiſcopo in Diœceſi Sua Sacramentaliter abſolvi, & concordat Navarr. Conſ. 11. n. 2. de Privileg. Jacob. de Graſſ. in aureis Deciſ. P. 1. l. 1. c. 15. n. 32. Suarez, & alii, quibus major oritur difficultas ex ſequentibus ejuſdem Decreti verbis *per ſe ipſos*, eo quod non ſtatim ipſis appareat, utrum iidem Epiſcopi poſſint committere, & delegare hanc facultatem, quamquam ipſi putent id ipſis licere per ſuum Vicarium, non ex Generali Commiſſione Vicariatus, ſed ex ſpeciali abſolute, ſentientibus aliis ex ſpeciali tantum, quando caſus occurrit, aliis vero repugnantibus, quod velint in hoc electum Miniſterium perſonale Epiſcoporum. Nihilominus communior ſententia videtur illorum eſſe, qui cum laudato Barboſa Alleg. 39. n. 13. putant Concilium in præſenti diſtinguere voluiſſe inter facultatem diſpenſandi ſuper Jrregularitate, & Suſpenſione, ac abſolvendi a Cenſuris reſervatis, ut prima exerceri poſſit per quemcumque, ſecunda vero conveniat tantum Vicario, qui ſpeciatim deputatus ſit per Epiſcopum cum facultate abſolvendi ab his Cenſuris, & hoc cohæret cum ſequentibus ejuſdem Concilii verbis: *aut Vicarium ad id ſpecialiter &c.* Sed jam locus eſt ut tranſitum faciamus ad reliquos, qui poſſunt a Cenſuris abſolvere.

LVII. Magna fuit Quæſtio inter Canonici Juris Interpretes poſſet ne, qui non eſt Sacerdos Abſolutionem ab Excommunicatione miniſtrare, cum hæc Abſolutio ad Ordinem ſpectare videatur? Hoſtienſis in Summa h. tit. §. *quis poſſit. abſolvere*, & alii moribus obtentum eſſe fatentur, ut plerumque Judices Eccleſiaſtici abſolventes quemquam ab Excommunicatione,

quia

quia Sacerdotes non ſunt, committant ſolemnem abſolutionem Sacerdoti alicui. Covar. verſo ſub eod. tit. P. 1. §. 11. n. 10. contrarium ſentit, quod velit abſolutionem ab Excommunicatione omnino, & quo ad omne ejus vinculum ſive judiciale, ſive pœnitentiale concedi, & miniſtrari ab habente juriſdictionem, & poteſtatem excommunicandi, etiam ſi is, nec Presbyter, nec Diaconus ſit, nec Subdiaconus 1. quidem, quia cum pluribus Interpretibus Juris, qui ab ipſo citantur, falſam omnino eſſe ait diſtinctionem illam duplicis vinculi, & idem tenet Gloſſa in cap. *Canonica* t, e. 2 vero, quia ex Evangelio non probatur hæc differentia Perſonarum, nam illis ipſis, quibus Matth. 18. datur poteſtas Juriſdictionis ad excommunicandum, datur etiam ad abſolvendum; cum igitur ex cap. *tranſmiſſam* de Electionibus primum competat Clericis minoribus, eiſdem etiam poterit alterum convenire, & nullibi legitur, aut probatur contrarium. 3. Ad hæc abſolutio ab Excommunicatione Sacramentalis non eſt, ut Theologi omnes in 4. Sent. d. 18. fatentur poſt S. Thomam inibi q. 2. A. 2. eo quod doceant hanc poteſtatem ad Juriſdictionem, non ad Ordinem pertinere, quod uberius habetur in eodem cap. *tranſmiſſam*, & fatetur idem Hoſtienſis priorem Sententiam ſequutus, dum concedit quoad judiciale Forum exterius Clericum minorem abſolvere poſſe ab Excommunicatione, & ratio ipſa demonſtrat, quæ docet ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinere remiſſionem vinculi illius, quod propter peccati culpam contraxit peccator abſque ulla Excommunicatione, non autem pertinere remiſſionem vinculi contracti ex Judicis exterioris ſententia. Si igitur hæc abſolutio Sacramentalis non eſt, minime requirit, quod ejus Miniſter ſit Presbyter. Si Abſolutio vero Juriſdictionis eſt fori exterioris, ad eum pertinebit, qui hanc Juriſdictionem habebit, & excommunicandi poteſtatem, ſive hanc Juriſdictionem habuerit Ordinariam, vel Delegatam, & etiam ſi exhibenda foret cum ſolemni forma extra caſum neceſſitatis, quia poteſtas abſolvendi a Cenſuris in periculo mortis non datur, niſi ut quis etiam abſolvatur a peccatis, & ſolus Sacerdos a peccatis abſolvere poteſt; quamquam etiam in hoc caſu ſi Clericus Cenſuram tuliſſet, eamque idcirco relaxare valeret extra Sacramentum Pœnitentiæ.

LVIII. Modo ſupereſt ut videamus, an quilibet Sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ abſolutionem a Cenſuris impendat; & certum eſt quemlibet Sacerdotem ad audiendas Confeſſiones adprobatum, qui non ſit ſuſpenſus, excommunicatus, denunciatus, hæreticus, & degradatus, relaxare poſſe Cenſuras omnes a jure, aut a Statuto, quas Legiſlator ſibi non reſervavit. Eruitur hæc Propoſitio ex verbis Innocentii III. in cap. *nuper* h. t. *Conditor canonis eo ipſo, quo Cenſuræ abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit conceſſiſſe videtur aliis facultatem eam relaxandi*. Quod dictum eſt de his Cenſuris, extenditur ad Cenſuras ab homine per ſententiam generalem, ſi quas ita ferri contingeret, ſecus vero ſi ferrentur per Sententiam particularem, inter quas recenſentur Excommunicationes, quæ feruntur contra eos, qui Monitorio parere recuſant, licet generales videantur, quia ſemper hæ ſunt reſervatæ, ut ſupra probavimus ex citato cap. 53. Concilii Elliberitani, in quo ſic legitur: *Placuit ut ab eo Epiſcopo quis recipiat Communionem, a quo abſtentus in Crimine aliquo fuerit. Quod ſi aliquis Epiſcopus præſumpſerit eum admittere, illo adhuc minime* con-

conſentiente, vel ſciente, a quo fuerat communione privatus, ſciat ſe hujuſmodi cauſſas inter fratres eſſe cum ſtatus ſui periculo præſtaturum. Quod ſi de Epiſcopis id definiverunt Elliberitani Patres, multo fortius ad Presbyteros illorum prohibitio extendenda eſt. Similiter ſi contingat, quod Epiſcopus ſibi reſervet Cenſuras, quæ jure communi reſervatæ non ſunt, ſimplex Sacerdos ab his non abſolvet, neque pariter ab illis, quæ ſunt deductæ ad forum contentioſum. Idem dixeris de illis Suſpenſionibus, quæ imponuntur ad tempus, vel quæ ſunt ab homine latæ, vel quorum reſervationis Legiſlatores meminerunt, quia reſervatio hæc ceteris poteſtatem hanc aufert, non vero iis per quorum Statuta hujuſmodi Cenſuræ fuerunt reſervatæ, qui ab eiſdem cum ad Forum contentioſum deductæ fuerint abſolvere poſſunt, vel per ſe ipſos, vel per eorum Succeſſores, aut per Delegatos ab illis, qui Statutum fecerunt, niſi fortaſſe ab hac facultate exciderint per Appellationem ad Papam, aut quia denuntiantur Excommunicati, aut quia ſuſpenduntur ab Officio, & Beneficio, aut quia ſunt Interdicti, cum in omnibus his caſibus Juriſdictione priventur. Inter reſervatas Excommunicationes illæ quoque enumerantur, quibus in aliqua Diœceſi ligantur ii, qui Monitorio non parent, aut nominatim excommunicantur ob aliquod delictum, a quo propterea abſolvendi non erunt, niſi de licentia Epiſcopi excommunicantis ex trito Axiomate: *Præventus a Judice Forum ipſius in ea cauſſa declinare non poteſt*. Secus vero dicendum erit de Excommunicato per Statutum ſui Epiſcopi, ſi in alienam Diœceſim tranſeat, dummodo mala fides abſit, nam licet hæc Excommunicatio eſſet reſervata, poterit ſive per Epiſcopum loci illius, ſive per ſuum Confeſſarium abſolvi, ut videtur uſu receptum ad evitanda incommoda, quæ ſequerentur abſolutionem a Cenſura ab homine ubicunque conceſſam.

LIX. Quæ hic ſunt dicta non reſpiciunt Caſum articuli mortis, nec tempus. Jubilæi tempore poſſunt Sacerdotes omnes abſolvere a Cenſuris Papæ reſervatis, modo tamen ab Ordinariis approbati ſint: Poſſunt etiam abſolvere a Cenſuris reſervatis Epiſcopis, ſi Epiſcopi eiſdem hanc facultatem conceſſerint, ut late oſtendemus agentes de Jubilæo. In articulo Mortis quid conveniat Sacerdoti oſtendimus etiam ſuo loco, ubi ſermo fuit de facultate cuilibet Presbytero conceſſa ab Eccleſia quemlibet abſolvendi a quibuſcumque Caſibus reſervatis ſine Cenſura, & cum Cenſura, ubi etiam diſſidium expoſuimus Theologorum in materia abſolutionis impertiendæ a Sacerdote præciſo, ſeu excommunicato denunciato, ad quem Lectorem remittimus, & ſolum notamus cum Paludano in 4. d. 10. q. 3. concl. 6. *melius eſſe non confiteri, quam hæretico confiteri, & ſanctius eſſe mori ſine Communione, quam de manu Hæretici communicare*. Ulterius progredimur inquirendo an Sacerdos non approbatus poſſit in articulo mortis abſolvere, cum præſens eſt alter Sacerdos ex adprobatis, vel cum obtineri poteſt per litteras a Superiore Abſolutio a Cenſuris. Dum in hac re dirimenda diſſentiunt inter ſe DD. in hoc conveniunt omnes, in caſu Articuli Mortis Sacerdotes ſuſpenſos, vel interdictos, aut irregulares præferendos eſſe Excommunicatis vitandis. Non approbatos præferendos eſſe approbato, qui ſit excommunicatus, quamquam toleratus. Et Sacerdotes approbatos, etiam ſi non pro reſervatis, præferendos eſſe iis, qui nullate-

nus

Digitized by Google

nus ſunt approbati. Quod ſi Confeſſio fieri cœperit cum non approbato, licet poſtea ſuperveniat approbatus, eamdem poſſe continuari ajunt, & abſolutionem impendi, quia gratia illimitate conceſſa reſtringi non debet, & Juriſdictio delegata, re non integra continuatur, niſi revocetur. Præſtat tamen, ut a quocunque Presbytero fuerit Pœnitens abſolutus in mortis articulo, ſi convaluerit ſatisfaciat, ſi actu ſatisfacere non potuit, vel cautionem, aut juramentum det ſatisfaciendi, & quod quamprimum commode poterit ſe præſentet Superiori ſub pœna reincidentiæ, ut ab eo in foro exteriori abſolvatur, quod ſi ante moriatur quam a Superiore fuerit abſolutus, non erit illi deneganda Eccleſiaſtica Sepultura ex cap. 14. de Sepultur. Non eſt tamen neceſſe, ut dum quis abſolvitur in articulo mortis a Cenſuris, abſolvatur etiam a Suſpenſione, aut ei relaxetur Irregularitas, cum harum neutra nullum præbeat impedimentum ſaluti, ad quod tollendum Tridentini Patres facultatem abſolvendi conceſſerunt in Articulo Mortis ab Excommunicatione, & Interdicto perſonali: Et ita ſentiunt Theologi illi, apud quos tutior eſt, nec minus probabilis opinio, quæ negat ſimplicem Sacerdotem poſſe in Mortis Articulo omnes omnino Cenſuras relaxare.

LX. Quoniam vero ſæpe in Superioribus meminimus iſtarum Cenſurarum, quæ reſervatæ nuncupantur, merito hic ſubjiciuntur nomina hujuſmodi Cenſurarum, quarum aliquæ reſervatæ ſunt Epiſcopo, & aliæ reſervatæ ſunt Rom. Pontifici. Cenſuræ Epiſcopis reſervatæ ſunt omnes illæ, quæ cum publicæ ſunt reſervantur Papæ. Illa vero publicitas requiritur, quæ appellatur Juris. Item illæ ſunt, quæ licet publicæ fuerint, tamen acceſſus ad Rom. Pontif. non patet iis, qui in eaſdem inciderunt. Accedunt his leves percuſſiones Clericorum, & illæ, quas incurrunt Incendiarii, & Eccleſiarum cum eſtractione Spoliatores. Crimen hæreſis occultum olim reſervatum fuit ſolis Epiſcopis, ut illis ſolum, & in foro Conſcientiæ tantum, non eorum Vicariis abſolvere eſſet permiſſum, hodie vero facultatem hanc eſſe eiſdem ademptam a Bulla in Cœna Domini communiter creditur, & ſic declaraſſe Gregorium XIII. fuiſſeque in Supremo Generalis Inquiſitionis Prætorio pronunciatum, & non ſemel deciſum, defendunt plures apud Barboſam in Collectaneis DD. in Concil. Trid. cap. 6. Seſſ. xxiv. de Refor. n. 52. Sed quidquid ſit de hac revocatione, certum eſt Archiepiſcopo Noſtro Fr. Cajetano Incontri ex vive vocis oraculo facultatem hanc fuiſſe conceſſam a Benedicto XIV. ut ab hæreſi abſolveret, non per ſe ſolum, ſed per quoſlibet delegatos in Foro interiori. Ne autem æquivocatio oriatur in intelligentia qualitatis hujus occultæ hæreſis, notare oportet, hæreticum dupliciter poſſe nuncupari, occultum nimirum ſimpliciter, & per accidens. Hæreticus per ſe, & ſimpliciter occultus ille eſt, qui etiam pure mentalis, & intellectualis appellatur, quod nullum ſignum animi ſui exterius exhibet, & hujuſmodi hæreticus ab omni Sacerdote approbato ad audiendas Confeſſiones poteſt abſolvi, ſi pœniteat, & confiteatur, cum non incurrat Excommunicationem, ut cum pluribus teſtatur S. Antoninus in Summa P. 23. tit. 24. c. 4. Hæreticus per accidens occultus eſt, qui verbo, ſcripto, aut opere, ſeu facto exteriori hæreſim protulit, ac proinde in Excommunicationem, & alias Cenſuras, ſeu pœnas per Eccleſiam adverſus hæreticos latas incidit, & dicitur occultus, quia

ſolus, abſque eo quod ab alio audiatur committit occulte crimen hæreſis, manifeſtando illam aliquo actu interiori, quando nemo eum audit, & hic caſus eſt reſervatus ſive Papæ, ſive Epiſcopo. De aliis Cenſuris, quæ reſervantur Epiſcopis, ut certa notio habeatur, conſulendi ſunt eorum Caſus reſervati pro unaquaque Diœceſi. Cenſuræ Rom. Pontifici reſervatæ plures ſunt, vel pauciores juxta varias Juris Interpretum obſervationes, Celebriores tamen habentur in ſequentibus fontibus, hoc eſt in capite *ſi quis* 17. q. 4. In c. 26. de Offic. Deleg. in C. 7. de Crim. falſ. in c. 4. tit. eod. In c. 18. 19. & 22. de Sent. Excomm. In c. 17. de Elect. in 6. in c. 11. de Sent. Excom. eod. lib. in c. 5. de Pœnis. lib. eod. In Clement. 1. & 3. de Pœnis, in Clement. 1. de Priv. in Clement. 2. de Sent. Excom. & demum in Extrav. comm. ut in c. 3. de Pœnis, in c. 2. de Reliq. & Venerat. Sanct., in c. 1. de Regul. in c. 3. de Pœnit. & Remiſſ. in c. 2. de Simon. in cap. 1. de Sentent. Excomm. in cap. 3. de Privil. in cap. 1. de Judæis, & in cap. 1. de Simon. plures aliæ recenſentur in recentioribus Bullis Summor. PP. ad quas Lectorem remittimus. Solent R. Pontifices delegare facultatem abſolvendi e Caſibus ſibi reſervatis; & in hoc obſervandum eſt diſcrimen quod reperitur inter delegationem factam a Papa, & illam factam ab Epiſcopo, nam Delegatus a Papa pro reſervatis, ſemper habet poteſtatem abſolvendi a Cenſuris, quia nullus eſt Caſus Papæ reſervatus, qui non habeat annexam Cenſuram, non vero idem dicendum eſt de vi delegationis factæ ab Epiſcopo, quod illius reſervationes non ſemper habent annexam Cenſuram. Qui vero eſt delegatus, ſive a Papa, ſive ab Epiſcopo ad ferendam Cenſuram, neuter eſt delegatus ad abſolvendum ab ea, niſi id illi ſpecialiter a Papa, vel ab Epiſcopo committatur. Et demum delegatus ad abſolvendum a Cenſura Juris reſervata, non cenſetur delegatus ad abſolvendam a Cenſura ab homine ſine ſpeciali commiſſione. At hactenus de his, cum inquiſitio noſtra tunc eo tendat, ut exponamus modos quibus peti, & quibus conferri ſoleat Cenſurarum abſolutio, & Caſus illos, qui poſſunt contingere ex abſolutione non recte petita.

LXI. Abſolutio igitur peti poteſt, vel *ſimpliciter*, vel ad *Cautelam*. Alterutra autem diſtinguitur ex eo, quod abſolutio ſimplex vere neceſſaria eſt, & petitur, ac datur ab ea Excommunicatione, quam injuſtam eſſe contendit excommunicatus. Abſolutio vero ad Cautelam tunc datur cum excommunicatus affirmat Excommunicationem fuiſſe nullam, & hæc quandoque conceditur, non quia neceſſaria ſit, ſed ut tute ſe immiſceat Divinis, & aliis actibus, qui contendit ſe non fuiſſe excommunicatum. E contra vero petitur, & datur ſimplex abſolutio juxta formam Juris, quia ea etiam neceſſaria tunc erit, cum conſtiterit Sententiam Excommunicationis iniquam eſſe. Ea etenim eſt univerſalis Eccleſiæ inſtitutio, ut velit excommunicatum a ſuo Judice, injuſte tamen, ideſt abſque ejus culpa, interim ligatum eſſe, ac teneri ante abſolutionem ſervare Canones contra excommunicatos ſtatutos ſub pœnis ab iiſdem inductis: Quod ſecus eſt, ubi Excommunicatio eſt nulla, nec enim requiritur abſolutio ab eadem, quia excommunicatum minime ligaverit, & hinc eſt, quod hujus Excommunicationis abſolutio dicitur ad cautelam, quia ſi forſan vera fuiſſet Excommunicatio, ne aliis ita excommunicatus impedimento ſit, vel ſibi noceat Excommunicatio. Quamquam vero ſit neceſſaria abſolutio ſimplex,

non

non inde tamen inferri debet (& ſi contrarium plerique ſenſerint) petentem hanc abſolutionem, vere fateri ſe eſſe excommunicatum, hoc eſt non poterit inde aſſumi certa confeſſio Excommunicationis, ſed tantum præſumpta, quæ in rebus magni momenti, & maximi præjudicii probationem plenam abſque aliis adminiculis non conſtituit. Ex hoc vero quod abſolutio ad cautelam neceſſaria non ſit, non inde ſequitur tamen, quod dum petitur exprimenda non ſit cauſſa nullitatis, quia nullitatis cauſſa in univerſum eſt aliquo modo probanda, ut detur abſolutio hæc ad cautelam, ſaltem quoties narratur Appellationem præceſſiſſe; debet enim ſummarie cognoſci an Appellatio Excommunicationem præceſſerit, nec ſufficit quod unius Teſtis teſtimonio probetur, aut per juramentum ipſius appellantis: Imo quoties Appellatio ab interlocutoria fuerit interpoſita, erit probandum plane, quod appellatio Excommunicationem præceſſerit, licet nondum conſtet ipſius Appellationis juſtificatio: Secus dicendum erit ſi appellatum ſit a ſententia definitiva, in quo caſu erit ſufficiens Summaria, & ſemiplena probatio. Additur tandem abſolutionem ad cautelam conferri a Papa, & a quocunque Superiore ipſius Excommunicati, vel ab ipſo Excommunicatore. Utrum vero eamdem præſtare poſſit Delegatus, non conveniunt DD. ſed tamen affirmativa ſententia uſu, & praxi recepta eſt extra Curiam Romanam, nec poteſt ex contradictione Adverſariorum impediri, niſi ii dixerint Excommunicationem latam fuiſſe propter manifeſtam offenſam, quod probare debent intra octo dies ex textu ſingulari in c. *ſolet* de Sent. Excom. in 6.

LXII. Eſt & alia ſpecies Abſolutionis, quæ dicitur *Conditionata*, & alia, quæ vocatur ad *Reincidentiam*, quæ duæ ſpecies abſolutionis nullam ingerunt difficultatem, ſi earum prima reſpiciat conditionem de præterito, vel de præſenti, & altera ſi datur in Articulo Mortis, vel ob juſtum impedimentum. Sed difficultas tota oritur quando conditio eſt de futuro, puta donec ſatisfeceris, & nova culpa non concurrit poſt datam abſolutionem ad reincidentiam. Itaque ad dirimendam primam difficultatem, in qua non conveniunt Auctores, dico Panormitanum in cap. 1. de Judic. not. 6. poſt. Gloſſ. in Clement. 1. verbo *donec* de Decimis, exiſtimare Excommunicationem latam ſub ea conditione, *ſi ſatisfecerit*, non tolli, nec diſſolvi abſque abſolutione etiam ſequuta ſatisfactione. Ratio præcipua eſt, quam expendit. Florent. in 3. P. tit. 24. cap. 77. §. 1. quod abſolutio ab Excommunicatione debet ſimpliciter miniſtrari juxta regulam actus de reg. Jur. in 6. quapropter in prædicta abſolutionis forma *donec ſatisfecerit*, habetur hic ſenſus, ut ſemel excommunicatus ab eadem Excommunicatione abſolvatur ea quidem conditione, *ſi ſatisfecerit*, & conſequenter forma illa ſufficiens non eſt ad abſolutionem ab Excommunicatione, etiam ſi conditio evenerit. Ad hæc, Excommunicatio, inquiunt, non commode patitur ſuſpenſionem, quia vel eſt omnino per abſolutionem tollenda, vel manebit ejus vis, & effectus integer non obſtante ſuſpenſione: ergo non poterit Excommunicatio tolli abſque abſolutione, ſi ſemel ſimpliciter lata fuerit; neque item ſi ſemel ligaverit, adhuc ad tempus lata, ea quidem lege, *donec ſatisfecerit*. His tamen non obſtantibus, in contrariam abiere ſententiam plurimi ex DD. quorum aliqui diſcrimen conſtituerunt inter hæc duo, nempe, quod quis excommunicatus ſemel ſimpliciter, pro modo

Bbb 2 dum

dum abſolvatur ſub conditione, vel quòd ab initio excommunicetur quiſpiam ſub conditione, donec ſatisfecerit. Nam in primo caſu inquiunt ſemel Excommunicatio habuit ſuam vim, abſolute ſcilicet abſque alia conditione, & in poſteriori Excommunicatio ſemper habuit illam conditionem ab initio poſitam *donec ſatisfecerit*. Ad primam vero rationem reſpondent, quod etſi forma illa ſit neceſſaria ad abſolutionem, tamen etiam ſine illa forma præſtita valet, ut tenet Gloſſa ultim. communiter recepta in cap. *cum deſideres* de Senten. Excommunicationis, & ſuffragatur textus in cap. *venerabilibus* e. t. §. *ſane*, quia forma a jure tunc ſervanda eſt cum commode ſervari poteſt, & quando caſus eſt in Excommunicatione abſolute lata, non vero in Excommunicatione ad tempus inflicta. Ad alteram rationem reſpondent, quod licet excommunicatio vere ſuſpendi non poſſit, nihil impedit, quod ab ea detur abſolutio ad certum actum, vel tempus, quo finito iterum quis ſit ipſo jure excommunicatus ſub iiſdem monitionibus, & ſolemnitatibus, quibus prior Excommunicatio inflicta fuit, eamque praxis jam diu admiſit. Præterea Excommunicatio fieri poteſt ſub conditione ex cap. *præterea* de Appallationibus. Ergo & abſolutio abſque nova verborum forma. Et revera in Interdicto Eccleſiaſtico conſtituto *donec aliquis ſatisfaciat*, ſequuta ſatisfactione non eſt neceſſaria relaxatio, cum ipſo jure cenſeatur, & ſit Interdictum relaxatum, ut tenet Gloſſa in cap. *non & vobis*, verbo *donec*, & ibi DD. Idem dixeris de Suſpenſione Eccleſiaſtica, quæ nulla indiget abſolutione, ſi lata fuerit ea conditione: *donec ſatisfactum fuerit*. Ita pariter idem affirmabitur de abſolutione ab Excommunicatione ſub eadem conditione lata, eſt enim hujus abſolutionis illud peculiare, quod lapſo termino in abſolutione præfinito, vel peracto actu, ad cujus effectum quis abſolvitur, ſtatim abſque nova ſententia Excommunicatio tollitur.

Ad alteram Quæſtionem utrum ſine nova culpa quis in eamdem Cenſuram reincidere poſſit? breviter reſpondendum eſt quamcumque Cenſuram tolli penitus per abſolutionem a legitimo Superiore impetratam, & conſequenter non ſine nova culpa poſſe quem nova cenſura ligari, quod patet ex iis, quæ diximus agentes de Conditionibus prærequiſitis ad Cenſuram. Hoc ipſo igitur quod quis deficit in iis ad quæ adſtringitur in actu impetrandæ abſolutionis a Cenſuris, novo peccato irretitur, & quidem ut ſupponitur gravi. Ergo & nova Cenſura ligabitur, ſive hæc imponatur auctoritate Juris, ſive Judicis ipſius, a quo ſub his conditionibus a Cenſura abſolutionem obtinuit.

LXIII. Solet etiam inquiri utrum valeat Abſolutio data, aut Abſenti, aut Invito? Verum non videtur de illarum valore dubitari poſſe. Nam ſi Superior abſentem ligat, cur & abſentem abſolvere a Cenſura non poterit? Abſolvet profecto, & ſtatim ſuum effectum operabitur, dummodo ab aliqua conditione non dependeat, & licet ejus notitia nondum ad abſolutum pervenerit, quia talis abſolutio a Superioris voluntate, & intentione vim trahit. Quod idem dixeris de Abſolutione Invito data, ſi tamen a Contumacia receſſit, quia Cenſura eſt pœna, quæ etiam a nolente auferri poteſt, & tantum Caſus excipitur Abſolutionis a Cenſura vi Bullæ, vel Privilegii in ipſius Pœnitentis favorem conceſſi, cujus uſus a voluntate illius pendet, in cujus gratiam fuit conceſſum. Dubitari poſſet de validitate hujus abſolutionis, ſi per metum, dolum, errorem, aut per

vim

vim eſſet extorta. Sed in hoc negotio cum agitur de Dolo attendenda eſt Cauſſa finalis, aut impulſiva; nam ſi Error, & Dolus non ſunt in re ſubſtantiali, ſed ſolum impulſiva, valet abſolutio, quæ valebit etiam in caſu quo metus a Deo, vel a Cauſſa naturali inferretur, ut valet votum ex eodem metu factum, nunquam vero valeret ſi metus gravis eſſet, ſi eſſet injurioſus a quocunque incuſſus ad obtinendam abſolutionem, ex cap. unico de iis, quæ vi in 6. Imo quiſquis eſſet, qui hunc metum incuteret, Excommunicationi ſubjaceret.

LXIV. Ut ad alteram inquiſitionis noſtræ partem progrediamur, quæ reſpicit modum petendæ Abſolutionis a Cenſuris breviter adnotamus duo inſpicienda eſſe ſuper hoc facto, Forum videlicet, a quo eadem abſolutio impetratur, & quod ille qui abſolutionem petit, non petat, ut abſolvatur ab una, ſi pluribus eſt irretitus, ſed petat ut ab omnibus abſolvatur. Siquidem licet Abſolutio verbis indefinitis, & generalibus impetretur, nihil refert ad petentem, qui ab illa tantum abſolvitur, cujus abſolutionem petiit ex l. *ſi de certa* Cod. de Tranſact. E contra vero ſi in petitione fuerint omnes expreſſæ unica abſolutione tollentur omnes l. *pluribus* ff. de Acceptilat. Si vero ſcientiam habens omnium Excommunicationum indefinite abſolveret excommunicatum, qui unicam tantum in petitione nominatim expreſſit, tunc erit abſolutus ab omnibus, quia veroſimili conjectura præſumi poterit Abſolventem, a tacitis etiam Excommunicationibus nihilominus abſoluturum, ſi pro earum ſingulis Excommunicatus petiiſſet abſolvi, dummodo tamen in abſolvente ſit poteſtas abſolvendi ab omnibus, & falſa non fuerit abſolutionis cauſſa, contra Panormitanum, qui in cap. ex *parte* ſupr. cit. exiſtimat abſolutionem ex falſa cauſſa præſtitam validam eſſe, ſi abſolvens habeat animum abſolvendi non obſtante cauſſa falſa, licet iniqua ſit abſolutio, ſicuti conſtat ex cap. *venerabilibus* §. *ſane* h. t. Etenim apud laudatum Auctorem, & Excommunicatio ex falſa, & injuſta cauſſa lata minime ligat ſi Excommunicator non habuerit ligandi poteſtatem, quod præſumi debet, quia is putabat cauſſam veram eſſe, alioquin non excommunicaturus, ſi ſciret eam falſam eſſe. Verum in his Excommunicationibus, & abſolutionibus quandoque pronunciatis, vel obtentis ex falſa cauſſa, quoad eorum validitatem, ita loquendum eſſe, ut inter alterutras nulla ſit differentia tenuit Rota in Noviſſ. 399. & ſenſit Innocentius in c. *ſacro* verbo *alioqui* extra h. t. Pariter enim procedunt Excommunicatio, & Abſolutio cap. *verbum* de Pœniten. d. 1. & notat Gloſſ. in cap. *inferior* 21. d.

LXV. Quod vero ſpectat ad Forum, notandum eſt, quod Forum Pœnitentiæ diſtinguitur a Foro Conſcientiæ, quia hoc latius patet quam illud, quare Diſpenſatio, quæ remittitur ad Forum Conſcientiæ datur non audita Confeſſione, ſecus ſi remittitur ad Forum Pœnitentiæ; unde verbum illud in Foro Conſcientiæ ſonat Conſcientiæ ſecuritatem, & ne diſpenſatio valeat pro Foro externo. Hinc ſequitur, quod qui poteſt abſolvere in Foro Conſcientiæ, poteſt etiam abſolvere extra Forum Pœnitentiale, hoc eſt licet Confeſſiones excipere nequeat, ut Parochus nondum Sacerdos, poteſt dare abſolutionem a Cenſuris non data abſolutione a Peccatis, ut late probant Navarrus lib. 5. Conſil. de Privil. Conſil. 11. Et in Manuali cap. 27. n. 41. Et Suarez Tom. 4. de Religione lib. 6. cap. 16. n. 4. & alii.

LXVI.

Digitized by Google

LXVI. Non minus autem requiritur juſta cauſſa ad tollendam Cenſuram, quam requiratur Juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ ex cap. 1., ex cap. *ex tenore*, ex cap. *de cetero* extra h. t. Ex quibus textibus etiam evincitur, quod hæc juratoria Cautio exigitur ad cautelam futuræ, & præſumptæ contumaciæ ab eo, qui juſte excommunicatus abſolutionis tempore ſatisfacit pro commiſſa culpa; & hæc cautio adhuc extenditur ad caſum manifeſtæ, vel dubiæ illatæ offenſæ ab eo, qui ab excommunicatione petit abſolvi, ſi non poſſit ſatisfacere, ut communi omnium conſenſu definitum eſt. Et idem dixeris de Excommunicato per contumaciam, quæ ſive manifeſta ſit, ſive non, qui abſolvendus eſt antequam abſolvatur hanc cautionem præſtare debet de ſtando judicio, & de ſatisfactione expenſarum. Unicus eſt caſus, in quo abſolutio conceditur cum ſufficienti cautione poſt convenientem ſatisfactionem, quando ſatisfactio Spiritualis eſt, vel ejus conditionis, ut ab excommunicato præſtari non poſſit. Nempe Collatio Beneficii, Receptio in Canonicum &c., & hunc caſum excipit Gloſſa verbo *Emenda* in cap. *ſolet* ſupr. cit. quam DD. communiter ſequuntur agentes de manifeſta offenſa. Et ipſi Confeſſarii ſecus facientes peccant mortaliter, & abſolventes Excommunicatum, injuriam læſæ parti inferunt, niſi pars ipſa condonet cap. *cum tu* de Uſuris, & cap. *Parochianos* de Sent. Excomm.

LXVII. Quod vero attinet ad formam Abſolutionis, ſi hæc datur in foro interiori, ſufficit forma, quæ uſurpari ſolet in abſolutione Sacramentali. In ceteris caſibus agendum eſt juxta mandatum, quo Sacerdoti committitur abſolvendi facultas, vel juxta id, quod in Rituali cujuſcumque Diœceſis notatur. Quod ſi per Epiſcopum ſit relaxanda Cenſura, in hoc caſu obſervari debet, id quod ponitur in Pontificali Romano ad hunc titulum. Obiter adnotatur hanc abſolutionem ab Excommunicatione illi etiam eſſe impertiendam, qui cum excommunicatione deceſſit, licet cum Pœnitentiæ, & contritionis ſignis deceſſerit; adeoque neceſſario eamdem eſſe pro illo impetrandam, licet apud Deum abſolutus eſſe credatur, cum adhuc tamen apud Eccleſiam ligatus cenſeatur. Et hæc abſolutio ab eo conferenda eſt, qui eum vivum abſolvere jure potuiſſet, non quod Eccleſia ſolvere, & ligare mortuos poſſit, quod ultimum aſſeruit Gloſſ., & Panormitanus in c. *ſi quis* de hæret. ſed quod poſſit denuntiare eos deceſſiſſe ligatos, vel abſolutos quo ad actus, & effectus per vivos erga mortuos agendos, quemadmodum poſt alios explicat Alphonſus a Caſtro lib. 2. de Juſta Hæret. punitione cap. 20., qui etiam exponens hæc verba, quæ leguntur in dicto cap. *ſi quis*: *Anathema ei dicatur*: explicat, *poſt mortem ſolemnis fiat maledictio, quia permittit illum deceſſiſſe excommunicatum*: hanc enim ſignificationem habet hæc dictio *Anathema*, ut ex probatis Auctoribus demonſtratur.

LXVIII. Quoniam vero in ſuperiori numero LVIII. meminimus illius ſpeciei Cenſuræ, quæ licet feratur per ſententiam generalem, revera tamen talis ſententia particularis eſt, & *Monitorium* appellatur, hinc eſt quod antequam huic materiæ finis imponatur, pauca de Monitoriis addere, non inutile arbitramur. *Monitorium*, itaque eſt *Sententia Generalis, quæ profertur ad finem Revelationis pro rebus deperditis, vel ſubtractis contra eos, qui rem deperditam, ab ipſis inventam non reſtituunt, vel ſcientes injuſtum rei alienæ detentorem, non indicant*. Hujus Sententiæ vis aliquos præſuppo-

nit

nit Conditiones 1., ut fiat Monitionibus præmiſſis, per quas inventor, vel detentor rei alienæ conſtituatur in vera, & actuali contumacia. Hanc conditionem requirunt Tridentini Patres Seſſ. xxv. de Refor. cap. 3. ibi, *quæ ſine Monitionibus præmiſſis &c.* 2. ut ferantur tantum ab Epiſcopo non ab inferioribus Prælatis Trid. d. l. An autem Vicarius Epiſcopi virtute generalis Mandati poſſit talia Monitoria, & Cenſuras concedere, pro utraque parte leguntur DD. Sententiæ, & Cardinalium Declarat. refert Barboſa de Officio Epiſcopi Alleg. 97. n. 6. & 7. Tutior itaque videtur Sententia, quod Vicarius Epiſcopi ſine Speciali Mandato tales Cenſuras proferre non debeat, nam Concilii Trid. PP. ſtatuunt, quod a nemine prorſus, præterquam ab Epiſcopo decernantur, & quamvis nomine Epiſcopi, regulariter etiam veniat Vicarius, id tamen non ſemper procedit in negotiis magis arduis, præſertim ubi jura meminerint Epiſcopi cum aliqua particula reſtrictiva. 3. requiritur ut talia Monitoria, vel Cenſuræ non dentur, niſi in ſubſidium ordinariæ executionis realis: propterea, ſi alia via conſtare poſſit de injuſto rei alienæ detentore, vel res ipſa recuperari, abſtinendum erit a Cenſuris. Tridentinum ibidem. 4. demum conditio eſt, ut res pro quibus Monitoria conceduntur ſint magni momenti, quia Cenſura ex ſæpe dictis nonniſi ex gravi cauſſa ferenda eſt. & ex ſtylo Curiæ Rom., ut refert Riccius in Praxi aurea Parte 1. Reſol. 250. Monitoria Cenſuris non conceduntur, niſi ſumma ſit ſaltem 50. aureorum.

LXIX. Occaſione harum conditionum fuit olim dubitatum. Utrum quo ad Subditos Abbatis Exempti, & Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis jus decernendi hujuſmodi Excommunicationes ad Epiſcopum pertineret? Et Ugolinus de Poteſtate Epiſcopi cap. 45. per Sacr, Congreg. deciſum refert, *adeundam eſſe Sedem Apoſtolicam*. Utrum vero hæc deciſio procedat in caſu, quo Appellationes ab hujuſmodi Abbate habente Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in certa parte Diœceſis ad Epiſcopum interponantur? Videtur dicendum quod cum ex facti ſpecie conſtet apud talem Epiſcopum remanere Juriſdictionem habitualem ex communi explicatione DD., qui inter alios effectus Juriſdictionis habitualis apud Epiſcopum remanentis, recenſent Appellationem ab Inferiore ad ipſum, adempta Abbati per Concilium Juriſdictione hujuſmodi excommunicationes decernendi, in illo jure ſuccedit Epiſcopus.

LXX. Ceterum autem hæc Monitoria non obligant ad revelandum, vel denunciandum, qui citra ſuam, vel ſuorum infamiam id facere non poſſunt; quamvis ſi rem alienam ipſi detineant alio honeſto modo, quo fieri poteſt, ſcilicet clam, vel per tertium reſtituere teneantur. Nec etiam illi ad revelandum tenentur, qui rem non certo ſciunt, & ſaltem per unum conteſtem probare nequeunt, vel qui jure Compenſationis rem ſine alterius injuria detinent. Et quiſquis Secretum vel explicite, vel implicite promiſit, ut Advocati, Notarii, Procuratores &c. Aut ii, quibus ſub Sigillo naturali aliquid commiſſum eſt, niſi agatur de impedimento Matrimonii, aut de gravi damno alteri inferendo. Et demum tales Revelationes non faciunt fidem in ordine ad inquiſitionem, vel pœnam criminalem contra denunciatum: unde uſus obtinuit, ut Monitoriis inferatur clauſula: *Volumus autem, quod ex revelatione hujuſmodi, ſi eam fieri contingat, niſi pro civili*

inte-

intereſſe, & civiliter tantum agi poſſit, alias revelatio ipſa, neque in judicio, neque extra, fidem faciat.

LXXI. Ex dictis colligitur, quod reliqui omnes præter illos, quos excepimus, qui ſubjiciuntur Epiſcopo Monitorium concedenti, tenentenentur revelare ſtatimac Monitorii plenam notitiam habuerint, excluſis etiam infidelibus, Amentibus, Judæis. Cathecumenis, & Infantibus, vel quia Eccleſia in eis Juriſdictionem non habet, vel quia obedientiæ incapaces ſunt. Tenentur vero Religioſi, etiam exempti, quia Epiſcopo ſubjiciuntur a Concilio Tridentino Seſſ. laud. cap. 22. quo ad Cenſuras, & ii, qui in aliam, etiam commorandi gratia Diœceſim tranſierunt, quia ubi ſemel cœptum eſt judicium, ibi & finem accipere debet leg. 7. & 30. ff. de Judiciis, & ex cap. 19. de foro compet. Et demum quot quot ſub Mortali præcipi poteſt, ut revelent. Privilegium non revelandi Affinibus conceſſum ad quartum uſque gradum extenditur in linea Collaterali, in Recta vero uſque in infinitum. Neque expectanda iis eſt, qui revelare tenentur triplex monitio, ſed poſt primam ſtricte ad revelationem tenentur omnes, qui facti notitiam habent, nam ſtricta eſt obligatio, quæ ex Religione, & Juſtitia naſcitur; quapropter qui non revelando damni cauſſa fuerunt, ad reſtitutionem tenentur ex D. Thoma 2. 2. q. 62. A. 4. ad 6. Poſſunt tamen dari cauſſæ, in quibus revelationem differens non peccaret, puta ſi grave detrimentum ex præcipitata revelatione vereretur, ſi dubitaret an revelare teneretur, ſi eruditum aliquem vellet conſulere, ſi propriis, & gravibus negotiis alio traheretur, tandem ſi ſperaret partes ante latam Excommunicationem ſecum invicem conciliatum iri, aut ſalubribus ſe conſiliis præſtiturum, ut delinquens parti læſæ quantum opus eſt faciat ſatis. Qui vero ſublatis his cauſſis ita differret revelationem, ut prævideret ſe amplius revelare non poſſe, is non revelando graviter peccaret, & Excommunicationem incurreret.

LXXII. Iis omnibus, quæ in præſenti Capite expoſuimus addere oportet, quod licet Eccleſia pœnas habeat certo delicto determinatas, propter particulares tamen circumſtantias, quæ in tali delicto concurrunt, quæ ipſum delictum aggravant, vel minuunt, etiam inferioribus Judicibus concedit, ut a pœna Ordinaria Juris recedant, & aliam extraordinariam graviorem, vel leviorem pro ſua prudentia, & arbitrio imponere valeant. Singulariter in Jure Canonico eſt animadvertendum, quod antiqui Canones in imponendis pœnis, & in infligendis Cenſuris proni fuerunt, quæ tamen hodie majori ex parte in deſſuetudinem abierunt, adeo ut teſte Val. h. t. §. in fine, ſi non omnes, ſaltem pleræque pœnæ Juris Canonici factæ ſunt arbitrariæ; & præſertim circa Cenſuras Eccleſiaſticas mandavit Tridentinum Seſſ. xxiv. de Refor. cap. 3. ne Judices Eccleſiaſtici faciles ſint in illis ferendis, niſi omni alio modo deſtituantur, cum experientia doceat Cenſuras Eccleſiaſticas levibus de cauſſis latas, contemni potius, quam obſervari, nihilo tamen minus, eo aliquando crevit delinquentium audacia, & delictorum frequentia, ut aliquando Cenſuræ ipſæ ad compeſcendos audaces minime ſatis ſint, ſed præterea cogatur Eccleſia in effrænes hujuſmodi homines procedere Depoſitionis, & Degradationis ſententia. Pauca igitur de duabus hiſce ſpiritualibus pœnis addenda ſuperſunt, ut finem huic Diſputationi imponamus, harum quoque pœnarum inſpecta natura; in quo conve-

veniant, in quo diferant, & cui committatur hujus ſententiæ prolatio demonſtraturi.

LXXIII. *Depoſitio* itaque, ſi totalis ſit, eſt pœna Eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum, & ſine ſpe reſtitutionis privatur omni Officio, & Beneficio, retentis tantum Privilegiis Clericalibus Fori, & Canonis. Dixi *ſi ſit totalis*; nihil enim repugnat decernere partialem Depoſitionem, quæ privet aut Officio, aut Beneficio, aut quæ altero horum privet in parte, non in toto; ex quo ſequitur quod Clericus ita Depoſitus, manet adhuc Clericus cap. *cum non ab homine* 10. de Judic. & poſt peractam pœnitentiam poteſt Epiſcopus cum illo diſpenſare, & Ordinibus ſuis eum reſtituere. Hujuſmodi Depoſitio Verbalis dicitur, quia fit per ſententiam Epiſcopi, vel Vicarii ejuſdem ſpeciale ad id mandatum habentis, & differt a Depoſitione Reali, quæ proprie appellatur *Degradatio*, & eſt pœna Eccleſiaſtica, qua Perſona Eccleſiaſtica privatur omni, non tantum Beneficio, & Officio, ſed etiam omni Clericali Privilegio, ut inſtar Laici habeatur, ſine ulla ſpe diſpenſationis, aut rehabilitationis, & cum externa ſolemnitate Canonica, qualis deſcribitur in cap. *Degradatio* de Pœnis in 6. & in cap. *novimus* de Verb. Signif. Ipſe tamen Character Sacr. Ordinum, qui in anima imprimitur, quia indelebilis eſt, auferri nequit, ideoque ſi contingeret aliquem ex falſis probationibus condemnari, & degradari, demonſtrata poſtmodum innocentia reſtitutus, noviter ordinari non deberet; Imo degradatus in caſu extremæ neceſſitatis ſi Sacerdos foret ex plurim. DD. ſententia, ut ſupra, & alibi adnotavimus, aliquem abſolvere poſſet. Quia vero Degradatio Actualis refertur inter actus Ordinis Epiſcopalis, ideo fieri non poteſt niſi ab Epiſcopo conſecrato, ut Gloſſa communiter recepta in cap. *tranſmiſſam* 45. verbo *de talibus* de Electionibus, & Tridentinum docet in XIII. Seſſ. de Refor. cap. 4. his verbis *... & per ſe ipſum ad actualem, degradationem* &c. & propterea nec poteſt ab Epiſcopo demandari Abbatibus Presbyteris, & ſolemniter benedictis. Unde ita Archidiaconus ſcribebat in cap. *dilecto* n. 1. in verbo *mucrone* de Senten. Excom. in 6. *Duplex eſt mucro Spiritualis; alius diſciplinans, ſeu Medicinalis, ut Excommunicatio, qui non ad punitionem, ſed ad Correctionem tantum vibratur, alius eradicans, ſive mortalis, qui non tantum ad correctionem, ſed etiam punitionem infligitur, & hic eſt mucro Epiſcopi ſpecialiſſimus*, unde nullus non ordinatus in Epiſcopum ipſum vibrare poteſt. Quamquam vero ſoli Epiſcopo facultas hæc reſervetur, ab ipſo tamen ſolo fieri Degradatio non poteſt per textum in cap. finali 15. q. 7. & per Concilium Agathenſe, ex quo revera intelligitur quod in Degradatione Presbyteri olim adhibebantur ſex Epiſcopi, tres in Degradatione Diaconi; hodie vero aſſiſtentibus totidem Abbatibus uſum Mitræ, & Baculi ex Privilegio Apoſtolico habentibus fieri debet, ſi in Civitate, aut Diœceſi reperiantur, & commode intereſſe poſſint, alioquin aſſiſtentibus aliis Perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, & Juris ſcientia commendabiles ſint, etiam ſi ad Diœceſim non pertinerent, inter quas perſonas non computari Regularium Mendicantium Superiores, eo quod non habeant nomen dignitatis, declaravit Sacra Congregatio, quæ eoſdem Abbates dixit non debere intereſſe Examini, vel Proceſſui Degradationis, ſed tantum actuali Degradationi aſſiſtere ut Aſſeſſores. Dum vero Epiſcopus in Caſibus in jure expreſſis ſolemniter, & actualiter degradatur ab Ordine, huic degra-

dationi XII. adſtare debent Epiſcopi, ut textus loquitur in cap. *Felix* 15. q. 7. & notat Abbas in cap. *non poteſt* de Re judicata, Sylveſter in verbo *Degradatio* n. 1. Clarus in Practi. Crimin. §. finali q. 74. v. *ſed quæſtio quod Epiſcopi* &c. Viſum eſt aliquibus, quod Clericus primæ Tonſuræ degradari non poſſit, quia inquiunt in Tonſura nihil traditur, aſt contrarium legitur in cap. *ſi quis Epiſcopus* 27. q. 2. in quo legitur de ſolemni Depoſitione Pſalmiſtæ, quod ab Hugone intelligitur de ſolemni Degradatione, & idem docet Archid. in laudato cap. *Degradatio* n. 4. v. *Clericus cujuſcunque gradus*, & ſequitur Geminus col. 4. v. *quæro an Degradatio fieri poſſit in exiſtente in prima Tonſura*. Ergo Clericus etiam primæ Tonſuræ actualiter deponitur, & idem patet manifeſte ex Pontificali in titulo de Degradatione a prima Tonſura, ubi forma hujus Degradationis præſcribitur his verbis: *Auctoritate Dei Omnipotentis &c.* Tibi *auferimus habitum Clericalem, & nudamus te Religionis ornatu, atque deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali* &c. & demum ex eo patet quod excluduntur Abbates a facultate degradandi hunc clericum, etiam ex commiſſione Epiſcopi; nec ii audiuntur qui contrarium ſentiunt hoc fundamento, quod Abbatibus committi poteſt collatio Tonſuræ, & Ordinum minorum, ita ut qui poteſt conferre, poſſit etiam auferre: ſiquidem his non obſtantibus hoc Privilegio non gaudent Abbates, nam *Spiritualia facilius conſtruuntur, quam deſtruuntur*, ut in hac ipſa materia Degradationis inquit Gloſſa, in laudato cap. *Degradatio* v. *Canonibus* de Pœnis in 6. a ſimili de Epiſcopo, qui ſolus poteſt Ordinem conferre, & tamen, ut ſupra notavimus, ſolus auferre non poteſt. Sed his omiſſis videamus modo in quibus caſibus locum habeat Pœna Degradationis.

LXXIV. Nonnulli ex Interpretibus Canonum exiſtimarunt, quod in omnibus delictis, in quibus per leges ſæculi imponitur pœna Mortis naturalis, ſecundum Canones ſuccedat pœna Degradationis, quia Eccleſia non habet ultra quod præſtare poſſit, cum nunquam capite plectat delinquentes; ita cum aliquibus Abbas in cap. *& ſi Clerici* de Judiciis n. 41. Verum Oppoſita ſententia magis probatur, utpote quæ validioribus innitatur rationibus, ex quibus evincitur, non eſſe locum Degradationi niſi in Caſibus in jure expreſſis. Et re quidem vera multi ſunt Caſus, in quibus lex Civilis imponit laico pœnam mortis naturalis, ut in L. *quamvis* ſecunda, Cod. de Adulr. de communi, & tamen Clericus pro Adulterio ſecundum Canones non degradatur, ſed deponitur, & in Monaſterium detruditur ad agendam perpetuam pœnitentiam, cap. *ſi quis Epiſcopus* 81. diſt. Pro Raptu lex Civilis imponit Laico pœnam ultimi ſupplicii L. unica Cod. de Rapt. Virg. & lex Canonica pro raptu non imponit pœnam Degradationis actualis, ſed Depoſitionis cap. *de puellis* 36. q. 2. & idem in raptu Monialis ut L. *ſi quis non dicat rapere* C. de Epiſcopis & Cler. & cap. *nullus* 36. q. 2. ſimiliter Clerici Idolorum cultores, Aruſpices, & Sortilegi de jure Canonico deponuntur, & in Monaſterium detruduntur, ut cap. *ſi quis Epiſcopus* cum cap. ſequenti uſque in finem 26. q. 5. & tamen de jure Civili laici concremantur, & eorum bona publicantur, ut decernitur in L. 3. C. de Malefic. & Mathemat. Epiſcopi, & Clerici rebellantes Sedi Apoſtolicæ; Item Clerici contra naturam incontinentes ab hac pœna eximuntur cap. de *Liguribus*, 23. q. 5. cap. *Clerici* de Exceſſ. Prælaſ. & tamen committunt crimen atro-

ciſ-

ciſſimum læſæ Majeſtatis in primo caſu ex L. 1. in principio, & ex iis quæ ibi notantur ff. ad legem Juliam Majeſtatis, & ex Clement. *Paſtoralis* de re judic. Et in ſecundo caſu ex Conſtitut. 72. S. Pii V. incipientis *Horrendum illud ſcelus* &c. Igitur ex his omnibus conſtat, ut bene ponderat Aretinus hic n. 61. non eſſe verum, quod ſemper Canon imponat pœnam Clerico, quæ poſſit proportionari pœnæ civili, quæ imponitur Laico, & eſt communis opinio; ſiquidem ſolus Papa, attenta Eccleſiaſtica libertate poteſt limitare, ſeu declarare in quibus Caſibus Clerici ſint per Epiſcopum degradandi, & comprimendi per Curiam Sæcularem, quia cum non puri hominis, ſed veri Dei vice fungantur in terris, Jus Divinum non humana, ſed Divina potius auctoritate diſtinguit, ſeu declarat.

Caſus itaque in quibus Romani Pontifices decreverunt Clericos eſſe degradandos, & tradendos Curiæ Sæculari, & qui inſeruntur in Corpore Juris novem enumerantur 1. Crimen hæreſis cap. *excommunicamus* §. *damnati*, cap. *ad Abolendam* §. 1. de hæret. cap. 1. & cap. *ſuper eo* t. e. in 6. II. Crimen Falſificationis litterarum Apoſtolicarum cap. *ad falſariorum* de Crimin. falſ. III. Crimen inſidiarum, & conſpirationis contra proprium Epiſcopum c. *ſi quis Sacerdotum* 11. q. 1. IV. Crimen Aſſaſſinii c. *pro humani* de Homicid. in 6. V. Crimen incorrigibilitatis. VI. Exercitium nefandi criminis contra naturam ex laudata Conſtit. Pii V., & ex altera ejuſdem Pontif. Conſtit. incipien. *Cum primum* §. 11. VII. & VIII. Celebratio Miſſarum, & adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ per illos, qui promoti non ſunt ad Sacrum Presbyteratus Ordinem ex Bulla 81. Clementis VIII. incipien. *Etſi alias*; IX., & ultimus caſus eſt Crimen cudentium aureas, vel argenteas Monetas in Provinciis, Regnis, Civitatibus, & Locis in Italia dumtaxat exiſtentibus ex Conſtit. Urbani VIII. incipien. *In ſuprema*. Cum igitur regula ſtet pro Exemptione Clericorum a Sæculari poteſtate ante omnem humanam Conſtitutionem a Jure Divino inductam, ut notat Gloſſa in cap. *Si Imperator* 96. diſtin., & a prædicta Regula hi tantum novem Caſus reperiantur excepti, utique in aliis non exceptis firmatur regula in contrarium, ut non ſit locus huic pœnæ Degradationis l. *quæſitum* §. *denique* ff. de Feud. inſtruct. leg. *nam quod liquide* §. final. ff. de Pœn. legat. c. 2. de Conjug. lepros. etiam ſi eadem ratio reperiatur, quia quando lex eſt ſimul pœnalis, & exorbitans, non proceditur de ſimilibus ad ſimilia ex identitate, imo neque ex majoritate rationis, etiam quando agitur de limitanda exemptione Clericorum a juriſdictione Laicali. Quod ſi in jure dubium occurrat, vel in facto, an crimen commiſſum, vel qua pœna puniendum ſit, regulariter ſemper Judex in mitiorem partem inclinare debebit, niſi concurrentes circumſtantiæ aliud ſuadeant, l. *proſpiciendum* 11. & l. penultima ff. h. t. Veluti ſi in Jure Canonico Depoſitionis pœna ſtatuatur, non de Degradatione, ſed de verbali tantum Depoſitione ordinarie accipiendum erit. Sed in his fuſius evolvendis immorari non vacat, quia fere in deſuetudinem abiiſſe videntur.

CAPUT VIII.

DE IRREGULARITATE.

PLura ſunt, quæ viam præcludunt ad Ordines, Morum jactura; Præteritarum Culparum per Pœnitentiam remiſſio; Corporis, aut animi labes ſine culpa: & Nota defectus. Ex his autem poſtrema Capita examini ſubjicimus, nam de reliquis ſatis diximus, ubi agentes de publica Pœnitentia, & de Qualitatibus Ordinandorum noſtra Inquiſitio defluxit. Capita hæc tum Antiquis, tum Recentioribus placuit appellare *Irregularitates*; neque Apoſtolicæ Sanctiones ab hac voce abſtinuerunt, regulam præſcribentes pro conferendis Ordinibus Eccleſiaſticis, aut ſemel jam collatis exequendis. Dicitur itaque Irregularitas ex eo, quod Regulare illud dicatur, quod ſit ſecundum regulam, cumque Regula Juris Pontificii omnes admittat ad Ordines, qui a Lege non excluduntur, illi ſunt extra Regulam, qui excluduntur, & Irregulares appellantur, & qui hac Nota laborant impedimentum habent, quod appellatur *Irregularitas*. Quare antiquitus Sacris initiati contra Regulam dicebantur, qui ex prohibitis admittebantur, ut in ea ſpecie quoſdam ab eo Ordine prohibuit Apoſtolus 1. ad Timot. cap. 5., & Concilium Nicænum in can. 2. Non modo habet hoc peculiare Irregularitas, ut Ordinum ſuſceptionem impediat, ſed etiam uſum eorum, ſi ante fuerint ſuſcepti ex cap. *curandum* d. 34. & ex cap. finali de Temp. Ordin. Quin etiam obſtat ſuſcipiendis Beneficiis ex cap *poſtulaſti* de Cler. Excom. Miniſtr. Quæ tamen Beneficia non vacabunt, ſi Irregularitas fuerit ſubſequens, ut ex communi DD. ſenſu tenuit Rota in Deciſione 195., & Gomez in Tract. de Expectativis n. 60. Sed expectanda erit Judicis Sententia, ſive quis Irregularitatem contraxerit ex Delicto, ſive ex ſolo Defectu: quamobrem poteſt deſcribi Irregularitas *Vitium, cujus cauſſa jure humano Pontificio prohibetur quis Beneficium, & Ordinem Eccleſiaſticum ſuſcipere, & in ſuſcepto miniſtrare*. Quæſtio olim fuit, num jure humano tantum Pontificio Statutum eſſet hoc Impedimentum, an potius Jure Divino, quod in Veteri Teſtamento, in Canonibus Apoſtolorum, atque in eorum Epiſtolis plura inveniantur, quæ poſtremam hanc Opinionem cumulatiſſime probant. Verum cum Apoſtolorum Canones, & Decreta Juris humani ſint, & Lex vetus per Chriſtianam, & Evangelicam ſit abrogata, certum modo apud omnes eſt Irregularitatem non eſſe, Jure Divino, ſed ab humano inſtitutam; quapropter in nullo caſu Irregularitatem eſſe conſtituendam, niſi in eodem Jure Pontificio expreſſum fuerit, Doctores communiter docuerunt, argumento cap. *is qui* de Senten. Excom. in 6. neque faceſſere id quod legitur in cap. *ad audientiam* de Homicid. ubi in Dubio Irregularitatis, determinatur pro ipſa Irregularitate, quia hoc ſit judicium tutius; nam hoc debet contingere, inquiunt, quando Dubium eſt Facti, non vero quando Dubium eſt Juris, non ſolum in Foro interno, verum etiam in exteriori, & Judiciali, ſive Forum ſit Exterius ſimplex judicio cœpto per accuſationem, aut denunciationem; ſive ſit mixtum exterio-

teriori abſque Accuſatore, & Denunciatore. His præmiſſis, modo ad Irregularitatis ſpecies exponendas accedimus. Sit igitur

§. I. *Duplex eſt Irregularitas, altera ex Defectu, altera ex Crimine orta, & alterutra varias ſub ſe ſpecies complectitur.*

II. Irregularitatum illarum, quæ a Corporis vitio, & labe deducuntur multi exponuntur Caſus in cap. 21. Levitici, quorum etiam meminit Magnus Gregorius in cap. 11. Primæ Partis Paſtoralis, & leguntur ſub 40. diſt: in cap. *hinc etenim*, & ſinguli impediunt quem Sacris Ordini bus donari, quia quoad ſuſceptos, tantum inducunt Irregularitatem in illo actu Ordinis, qui vel ob inſignem deformitatem, vel ob defectum impeditur vitio corporis. *Dixit Dominus ad Moyſem* (ſic legitur in Levit. l. c.) *homo de ſemine tuo per familias ſuas, qui habuerit maculam, non offeret Deo ſuo, nec accedet ad Miniſterium ejus, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel parvo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel herniosus:* Et in toto titulo de Corpore vitiatis de hoc argumento latiſſime agitur, ſed relinquitur arbitrio Epiſcopi, ut decernat quod Corporis vitium quem impediat Sacris Ordinibus promoveri, cum id vel impedimentum præſtat Ordinis executioni, vel inſignem inducit deformitatem. Hæc tamen Corporis labes non inducitur propter hoc quod ſine ſua culpa contingat aliquem inutilem eſſe membro, ſi defectus non pateat extrinſecus, promoveri ſiquidem is poterit, & promotus jam, cum hic caſus acciderit, in Ordinibus ſuſceptis miniſtrabit, neque ut vulgo credebatur, tenebitur membrum illud abſciſſum ſecum deferre per Gloſſ. in cap. *Eunuchus* 55. diſt.

III. Secunda Irregularitas ex Bigamia reſultat, ſive hæc propria ſit, ſive ſimilitudinaria, quæ Sacris Ordinibus, & Officiis impedimento eſt, ut probatur ex cap. 3. Epiſt. ad Timoth. & ex can. 18. Apoſtolorum. Multis autem modis Bigamia contrahitur, nam Bigamus eſt, qui duas ſucceſſive ſibi copulavit uxores, aut earum alteram eodem tempore illegitimam habuit carnali commixtione ſibi conjunctam: aut qui viduam in uxorem adhuc primam accepit, & cognovit: aut Fœminam ab alio cognitam, & repudiatam uxorem duxit: aut ab altero vitiatam: aut Virginem, quæ poſt Matrimonium adulterata eſt, ſi poſt adulterium Maritus eam, vel ſemel cognovit: aut qui poſt ſolemnem Profeſſionem contraxit, & conſummavit Matrimonium, ſive valide ex Papæ diſpenſatione, ſive invalide. Hujus vero Irregularitatis ratio potiſſima eſt, quod hujuſmodi Matrimonia quo ad ſignificationem non ſunt perfectum Sacramentum ob diſparitatem, quam habent cum Myſticis Chriſti, & Eccleſiæ Nuptiis, quarum imaginem Nuptiæ Chriſtianorum retinent cap. *acutius* 26. diſt. cap. *debitum* de Bigam. ſiquidem minime ſignificant conjunctionem Chriſti cum unica, & immaculata Sponſa Eccleſia.

IV. Tertia Irregularitas oritur ex Homicidio voluntario, aut membri mutilatione, ſi ſine facientis culpa fit, ſed ut ſuo quiſque juſte fungatur Officio. Hanc Irregularitatem incurrunt Judex, Apparitor, Carnifex, Accuſatores, & Teſtes in cauſſa criminis, & Milites in Bello juſto occidentes, & vul-

& vulnerantes cap. *ſi quis viduam* d. 50. cap. in *Archiepiſcopatu* de Raptor. cap. finali de Cler. vel Monach. in 6. & Clemen. unic. de Homicid. Secus vero qui Principi ſuadet, ut legem ferat, qua morte plectantur certorum criminum Auctores; aut Confeſſarius, qui vel renuit abſolvere Judicem, qui detrectat flagitioſum capite damnare contra Legis mandatum; modo generatim loquatur ut puniat ſecundum legem; vel Reum urget, ut ſuum Capitale Crimen juridice interroganti confiteatur. Qui accuſant de injuria ſibi, ſuiſque rebus illata, non vero alteri, & expreſſe proteſtantur, ſe nullam intendere capitis, aut mutilationis pœnam eximuntur ab hac Irregularitate, cap. *Prælatis* de Homic. in Teſte vero talis proteſtatio non prodeſt, cum ipſe interveniat in aliena cauſſa: qua de re Clerico non licet teſtificari in cauſſa Sanguinis, cap. *his a quibus* 23. q. 8. ſed ſolum poteſt teſtificari ad innocentis oppreſſi liberationem, petita ſui Superioris licentia, Privata vero, atque voluntaria homicidia non ſubjiciuntur Irregularitati, niſi caſum lethalis culpæ præceſſerit, cap. *ex litteris* de Homic.

V. Irregulares item ſunt Illegitimati: item obbligati ad publica Ratiocinia, & Tutores, Quæſtores, Curatores, Publici Adminiſtratores cap. 1. de Fil. Presbyt. cap. *præterea* d. 51. Accedunt his Illiterati, cap. *Illiteratos* d. 26., & Neophiti, qui ab Idololatria, vel Mahumetiſmo, vel Judaiſmo recens converſi, adultaque ætate baptizati ſunt, cap. *quoniam* d. 48. Qui vero jam diu relicta Gentilium, aut Judæorum Lege, Chriſtianam, & Evangelicam profeſſi fuerint, cum Epiſcopo viſum fuerit, tunc demum poterunt ad Sacr. Ordines, & Eccleſiæ Beneficia promoveri. Irregulares etiam ſunt Energumeni, Arreptitii, Dementes, Epileptici, & Lunatici, qui ſi antea non fuerint Ordinati excluduntur in perpetuum ab Ordinibus cap. *Clerici*, cap. *Maritum* d. 33. Laici Chirurgiam, aut Medicinam exercentes, etſi membrum reſecent, aut reſecari præcipiant Irregularitatem non incurrunt; ſed neque ii, qui ſunt Sacris Ordinibus initiati, qui tamen prohibentur mederi per aduſtionem, & abſciſſionem alicujus membri in cap. *Sententia Sanguinis*, ne Cler. vel Monac. non vero illam conſulere juxta Medicinæ præſcripta, tametſi fortuito, & ex accidenti mors inde ſequeretur. Neque illi incurrunt Irregularitatem, ſive Laici, ſive Sacerdotes, qui bona intentione ægro aquam, vel vinum, vel juſculum propinant, licet inopinato citius moriatur, & ſuffocetur, aut ex motione ſui Corporis expiret. Hujuſmodi enim Officia per ſe, & directe non tendunt ad mortem, neque ad ejus accelerationem, ut contra Toletum, Suarez, Ugolinus, Coninchius aliique tenuerunt.

VI. Memoratæ hactenus ſpecies Irregularitatum complectuntur illas, quæ ex defectu proficiſcuntur, & differunt a reliquis, quæ cum ſupponant culpam gravem, Irregularitates ex Delicto appellantur, quod in pœnam talium criminum ſint inductæ. Requiritur tamen, quod hujuſmodi Delinquentes actum externum conſummaverint, cap. finali 15. q. 1. a quo non ſola voluntas, ſed factum requiritur. Qua de re, ſi quis peccavit non plus quam venialiter, ſive ex ſubreptione, ſive ex imprudentia, aut ignorantia tantum veniali, aut ex oblivione, & ſine ſufficienti deliberatione, hic in Foro Conſcientiæ diſpenſatione non indigebit, ſuorumque Beneficiorum fructus percipiet, & ad alios Ordines aſpirabit ſecluſo Scandalo,

cujus

cujus intuitu humiliter ab his omnibus abſtinebit, donec fuerit cum illo diſpenſatum.

VII. Has inter ſpecies Irregularitatum, quæ ex Delicto proveniunt, prima conſtituitur, quæ advenit ex reiteratione Baptiſmi, quem non eſſe repetendum ſuo loco probavimus. Incurrunt autem hanc Irregularitatem, tum illi qui ſcienter baptizant, tum ceteri qui rebaptizantur cap. 2. de Apoſt. cap. *oſtenditur* de Confecr. d. 4. & ex l. 2. 3. & 4. C. *ne Sanct. Bapt. reiter.* imo & is qui inſcius, & ignorans fuerit rebaptizatus, ſi verum eſt Rom. Pontificis Reſponſum, quod ex Pœnitentiali Theodori retulit Ivo Carnotenſis lib. 1. Decret., & ab eo Gratianus deduxit in cap. *qui bis* de Confecr. d. 4. de quo plures DD. dubitant, qui aut ſaltem illud referunt ad caſum, in quo agitur de ignorantia culpabili, ſupina, & craſſa; aut ubi rebaptizatus ignoranter poſt ſcientiam ratam habeat hujus Sacramenti repetitionem. Certe Scotus in 4. Sententiarum d. 6., & Cardinalis a Turrecremata, aliique cenſent rebaptizatum ex ignorantia juſta, quæ invincibilis ſit non eſſe Irregularem, ne pœnam iſtam conſtituamus abſque aliqua ipſius rebaptizantis, aut rebaptizati culpa. Sed hoc argumentum non videtur ſatis efficax, cum novum non ſit in jure Irregularitatem ſæpiſſime contrahi abſque culpa: Qua de re Paludanus in 4. d. 9. q. 4. concluſ. 2. & D. Antoninus 2. Par. tit. 14. cap. 13. §. 12. dum eximunt baptizantem ex ignorantia juſta ab Irregularitate; de eo, qui rebaptizatur etiam juſta ignorantia, reſpondent eum eſſe Irregularem, & poſſe Epiſcopum magna ex cauſſa in hac ſpecie diſpenſare propter juſtam ignorantiam. Non conveniunt tamen hi DD. cum quæritur, utrum idem dicendum ſit de Sacramento Confirmationis repetito, quod dictum eſt de Sacramento Baptiſmi. Paludanus enim loco cit. q. 2. cum Scoto, & aliis defendunt non eſſe Irregularem eum, qui bis etiam ſcienter hoc Sacramentum ſuſceperit, vel contulerit, cum nunquam inveniatur in Jure Canonico hæc pœna ſtatuta pro iteratione Confirmationis. S. Antoninus e contra l. c. diſt. 28. c. 6. §. 5. tum in Baptiſmo, tum in Confirmatione, tum in Sacramento Ordinis priorem ſententiam tuetur, quam Gloſſ. in c. *dictum* de Confecr. d. 5. cujus ex Concilio Terraconen. cap. 6. manifeſta eſt deciſio prohibens Sacramentum Confirmationis iterari, ut & Baptiſmi, pœnam iterantibus adjiciens, unde ſequitur non ſolum iteratum Baptiſma, verum etiam iteratam Confirmationem Irregularitati oportere eſſe obnoxiam.

VIII. Secunda ex Delicto Irregularitas illos afficit, qui ſuſpenſi, vel excommunicati in Officio miniſtrant per aliquem actum Eccleſiaſtici Ordinis, a quo fuerunt ſuſpenſi, cum itaque Fœmina capax non ſit Ordinis Eccleſiaſtici, & Laicus eodem omnino careat, nequit pro illis conſtitui Irregularitas: Sed neque conſtituitur pro Epiſcopo a Pontificalibus ſuſpenſo, licet in iis celebret, quod Pontificalia non pertineant ad ſubſtantiam alicujus Ordinis Eccleſiaſtici: Imo neque pro quolibet alio, qui ſuſpenſus a collatione Sacramentorum ea conferat illa forma, & ſolemnitate, quibus Laicus potuiſſet conferre, puta ſi baptizaret aliquem ſecundum ritum, quo Laici quandoque ſolent Baptiſmi Sacramentum conferre. Quod idem dixeris de ſuſpenſo a perceptione Sacramentorum, qui tamen ea perciperet, quod eadem perceptio non pertineat ad aliquem actum Ordinis Eccleſiaſtici. Et de Excommunicato minori Excommunicatione, quamvis celebret Miſſarum

So-

Solemnia, & ſit ſuſpenſus a perceptione Sacramentorum, quia hæc ſuſpenſio generalis eſt, quatenus communis eſt Clericis, & Laicis, tamen celebrando, graviter peccabit, niſi forte illi fuiſſet interdictus Eccleſiæ ingreſſus, aut in interdicta Eccleſia celebraret. Siquidem in his caſibus interdictus eſſet Actus pertinens ad Ordinem Eccleſiaſticum intra Eccleſiam tantum, aut intra Eccleſiam non interdictam exercendus, cap. *is qui* in Eccleſia, cap. *is cui* de Senten. Excomm. in 6. Accedunt his Corpore vitiati, & Illegitimi, ſi forte Sacris Ordinibus inſigniti, licet ſuſpenſi in iiſdem miniſtraverint, qui novam non contrahent Irregularitatem, quia ad hoc ut ſuſpenſus efficiatur Irregularis, requiritur quod Suſpenſio fuerit a jure, vel ab homine Judice in exteriori Foro propter delictum quo ad ſe, & quo ad alios inflicta, aut ſaltem niſi aliter ſit deciſum; cujus rei cauſſa hodie celebrantem ante legitimam ætatem, aut in Ordinibus Sacris Miniſtrantem, Irregularem eſſe ex Pii II. Conſtitutione apertiſſimum eſt, itemque notorios fornicatores, itemque luxuriantes contra naturam, & Simoniacos, cum hujuſmodi delinquentes, tum quo ad ſeipſos, tum quo ad alios ſint ipſo jure ſuſpenſi Infamiæ nota, quam eorum ſcelera proprio auctori inſignem inurunt, quibus accenſeri debent Hæretici, ſive Apoſtatæ a fide, cap. *infames* 6. q. 1. cap. *qui in aliquo* d. 51. cap. *qui is* de Conſecr. d. 4. & eorum filii cap. *ſtatutum* de Hæret. niſi conſtiterit illorum Parentes tales non deceſſiſſe.

IX. Ex illicita mutilatione contrahitur quoque hæc Irregularitas, puta ſi quis membrum ſibi culpa propria abſciderit, etiam ſi ea abſciſſio nec impediat Miniſterium Ordinis, nec inſignem deformitatem inducat, quod præcipue ad eos pertinet, qui propria voluntate virilia ultro ſibi execuerunt, cap. *pœnitentes* d. 55. aut ſe caſtrandos præbuerunt, aut qui ab aliis paſſi ſunt abſciſſionem hanc culpa tamen ſua, cujuſmodi illi cenſendi ſunt, quibus in adulterio deprehenſis pudenda in pœnam, vel ultionem exciſa fuerunt.

X. Quarta Irregularitas ex Delicto ortum habet ab Homicidio, violenta ſcilicet hominis peremptione, quia vero homicidium aliud eſt voluntarium, aliud caſuale, aliud neceſſarium, examinandum eſt, num ex ſingulis his homicidii ſpeciebus Irregularitas incurratur. Voluntarium homicidium eſt, quod ſolo malo animo occidendi committitur l. 1. in principio, & in cap. ultimo de Homicid. Itaque ut contrahatur Irregularitas, neceſſe eſt, quod animum ipſum occidendi ſequatur actus occiſionis per ſe, & non per accidens, ut docet textus in c. ultimo 15. q. 1. & in cap. ultimo de Homic. in 6. Ideoque qui ex deliberata voluntate occidendi hominem bene armatus inſidias illi tetenderit, nec tamen occiderit, nec ei membrum amputaverit, hic Irregularitatem non contrahit, cap. *cogitationis* de Pœniten. d. 1. quod ipſa lex Pontificia, quantum ad hoc, verum actum homicidii, & mutilationis exigat. E contra vero Irregularis erit, qui mandaverit aliquem verberari, ſed expreſſe inhibuerit ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, ſi Mandatarius fines Mandati excedens, mutilaverit, vel occiderit, cum Mandans in culpa fuerit, & cogitare debuerit hoc poſſe evenire. Quod ulterius affirmatur non tantum procedere in Mandato expreſſo, ſed etiam in Mandato tacito, ut Mandatori homicidium imputetur, etiamſi præmiſſa fuerit proteſtatio de non occidendo quemquam, ut textus eſt clarus in cap. *ex litteris* de Exceſſ. Prælat. Minime vero cenſendus eſt ille Irregularis, qui homicidium, cui mandatum non dederat

nec

nec Conſilium, nec auxilium, nec favorem, ratum habuit, licet aliqu contrarium ſenſerint contra Gloſſ. in cap. *ſi quis viduam* v. *conſilio* d. 50. quod actus homicidii non contingat per ratihabitionem vere, nec vera culpa eam præcedat, & quamquam excommunicetur qui ratam habet percuſſionem Clerici in c. *cum quis* de Senten. Excom. in 6. ratio in promptu eſt, quia Excommunicatio fertur in percutientem Clericum ob injuriam ipſi percuſſo, & Ordini Eccleſiaſtico illatam, quæ injuria etiam infertur per Ratihabitionem ejus percuſſionis, quæ nomine ratum habentis fuerit illata. Secus autem quoad irregularitatem, quæ in materia homicidii requirit actum occiſionis, vel mutilationis membri culpa prævia contingentis. Præterquam quod verum non eſt, quod incurrat Excommunicationem ille, qui ratam habuit Clerici percuſſionem ejus nomine non commiſſam, ergo neque contrahet Irregularitatem, qui ratum habuit homicidium, cui mandatum non dedit; ſecus vero res eſt, ſi mutilationi, & homicidio cauſſam dederit Conſilium, argumento cap. *ſi quis viduam* d. 50., & cap. 2. de Cleric. pugnant. in Duello, & cap. *ſicut dignum* §. *Clericos* de Homicid, quia regulariter ex Conſilio in Delictis quis tenetur, cap. *nuper* de Senten. Excomm. Dixi *regulariter*, ut adverterem caſum illius, qui non eſſet alioqui facturus, nec homicidium commiſſurus, cui conſilium præſtitum fuit, & eſt communis opinio DD. in c. ad *Audientiam* eod. tit. Qui Doctores quoad incurrendam hanc Irregularitatem idem pronunciant tum contra illum, qui conſilium dederit, alioqui facturo; ita tamen, ut ex iniquo is ſit deterior factus, cum etiam in caſu, quo ex pravo ad homicidium conſilio non fuerit occiſus is, adverſus quem tractatus acceſſit, ſed ipſemet, cui conſilium eſt datum, quibus DD. ſuffragatur textus citatus in cap. *ſicut dignum* cit. §. *qui vero*, & §. *Clericos* de Homicid. Ex quo præterea eruitur etiam illum hanc Irregularitatem contrahere, qui præſtat opem, vel auxilium homicidio, quando ipſe auxiliator fuerit cauſſa proxima, vel inducens ad committendum delictum, aut faciliorem, & audaciorem efficeret ipſum delinquentem ad criminis executionem. Utrum vero Irregularitatem incurrat, qui potuit Clericum ab homicidio defendere, nec tamen defendit, aut doloſe non obviavit Occiſori, aut quando illius cauſſa Homicida ipſam occiſionem aggreſſus eſt? Res eſt apud aliquos maxime dubia; quapropter videtur tutius aſſerere jure Pontificio teneri quem ab altero, ſi comode poſſit, injuriam propulſare, & illum ab ea defendere, ac liberare cap. *non inferenda*, & cap. ultimo 23. q. 3. cap. *dilecto* de Senten. Excom. in 6. alioquin reus erit ipſius commiſſi criminis. Quapropter ſicut ex hac Omiſſione, Canonis Excommunicatione afficitur qui Clericum potuit a percuſſione, & injuria defendere, nec tamen defendit, ut probat textus in cap. *quanto* de Sent. Excomm. aut qui doloſe deſinit obviare percutienti Clericum, in eumdem etiam pœna, & vitium Irregularitatis conſtituendum erit ex cit. cap. *ſicut dignum* §. *illi vero*. Præterea probatiſſimum in jure eſt, illum, cujus gratia homicidium fieri paratur eo meliori modo, & forma, quibus potuerit teneri crimen hoc impedire, ſive fuerit præſens tractatui, ſive non, aut tantum ſcientiam ejus habuerit, & fuerit ad vitandum crimen neceſſaria illius Tractatus revelatio: quapropter ſi malo zelo hanc revelationem omiſerit erit Irregularis. Non enim eſt hæc ſimplex taciturnitas, ſed ita contingens, ut ad conſenſum accedat, tum propter textum in cap. *conſtitutis*

de Teſtibus in primo, tum propter Clement I. de *Procurato*, & l. *filius familias* ff. ad *Macedon.* Atque ita in hoc caſu videntur definire Gloſſa in v. *contra probibitionem*, Panormit. Felin. & alii in cap. *Petrus* de Homicid. Unum hic licet animadvertere diſcrimen inter Mandantem, & Conſulentem quoad incurrendam Irregularitatem, quod is qui mandavit, revocato ante factum ſuo Mandato, non amplius ſit Irregularitati obnoxius, tametſi Mandatarius poſt Mandati revocationem exequatur demandatum homicidium. Conſulens vero non ſit immunis ab iſta, etiam ſi conſilium revocaverit, & pro viribus diſſuaſerit, ſi is qui Conſilium accepit fuerit delictum exequutus, poſtquam ei fuit intimata revocatio Conſilii. Cujus differentiæ DD. hanc rationem aſſignant, quia Mandatum ſit in ipſius Mandantis commodum, & gratiam. Conſilium vero dirigitur in gratiam, & commodum ejus cui datur. Diſpoſitio autem ejus quod noſtra intereſt, noſtro ſubeſt, & non alieno arbitrio, non vero e contra, niſi is cui, & cujus Commodo Conſilium datum eſt deſtiterit velle Conſilium ſibi datum exequi. At ſi poſt revocationem Mandati, Mandatarius velit illud exequi, non id tribuetur influxui præcedentis Mandati, ſed propriæ ejus, qui exequitur malitiæ. Ideoque Mandans poſt revocationem opportunam non tenebitur Canonicis pœnis, quibus tamen tenebitur, an eſſet Mandatarius alioqui facturus, vel non, quia ſit hoc Caſu crimen ipſius Mandantis cauſſa. & reſpectu, quemadmodum in ſpecie notat Bart. in l. *non ſolum* §. *ſi mandato* col. ult. ff. de Injur., & docent Jaſon. in l. 1. C. de Serv. fugit. n. 22., & Ludov. Carrer. in Pract. Crimin. tit. de Homicid. §. *circa* n. 75. & alii.

XI. Ad eaſdem Irregularitatis ſpecies pertinet adhuc illa Irregularitas, quæ contrahitur ab illo, qui dedit cauſſam Abortui Fœtus animati, quod *nil referat natam quis erripiat Animam, aut naſcentem diſturbet*, ut ſcribit Tertullianus in Apolog. c. 9. *Et homicidii feſtinatio ſit probibere naſci*. Ponitur circumſtantia fœtus animati, alioquin non eſt proprie homicidium, quod Irregularem efficiat dantem Abortioni cauſſam cap. *ſicut* de Homicid. & Gloſ. in cap. *ſi aliquis* e. t. Et revera ſi homicidium a cæde hominis dicitur, & talis non eſt qui caret anima cap. *in quadam* de Celebr. Miſſ. l. *in lege Falcidia placuit* ff. ad L. Falcid. profecto oportet fœtum tempore Abortus animatum eſſe, ut continget in Maſculo, ſi ſæquatur poſt quadrageſimam a conceptione diem, & in Fœmina ſi poſt 60. juxta communiorem ſententiam. Sed quid dicendum, ſi periclitetur mater niſi fœtus extinguatur? Præmiſſa diſtinctione Fœtus anima informati, vel non. Reſpondent aliqui iu hac poſteriori hypotheſi ad ipſius prægnantis ſalutem licere impedire fœtus nondum animati lucem, minime vero ſi fœtus ſit animatus. Opponitur tamen textus in cap. *ſi quis* de Homic. & l. *ſi quis aliquid* 38. §. *qui abortionis* ff. de pœnis. S. Anton. 3. P. tit. 7. cap. 2. §. 2. Covarruvias in Clement. *ſi furioſus* P. 2. §. 3. n. 1. Navarrus, & Leſſius hanc directam intentionem de Abortu inanimato quocunque prætextu intendatur deteſtantur, ſalus enim animæ in dubio præferenda eſt propriæ vitæ corporeæ. Altera quæſtio ventilatur: Utrum Clericus abſque Irregularitatis pœna poſſit in bello juſto hortari milites ad pugnandum, ex qua exhortatione homicidia, & mutilationes ſequuntur; Aut poſſit in bello juſto pugnare? Huic quæſtioni reſpondit textus in cap. *petitio* de Homic. & text. in c. *Clerici*, & in c. *ſequenti* 23. q. 8. Textus in dicto cap. *petitio* ad Irregularitatem

con-

conſtituendam præter alia expreſſe definit, non eſſe ſatis quod quis ſit præſens bello juſto ſimul cum ipſis militibus, & pugnet, ſed requirit quod aliquem ex hoſtibus manu propria interficiat, membrumve mutilet. Multo minus ergo Irregularitatem contrahet, ſi in ipſo conflictu præſens hortetur milites ad præliandum. Aſt propria pugnare manu, quia ab aliis citatis juribus Clerici in Majoribus Ordinibus conſtituti prohibentur; profecto graviter peccabit hic Clericus, qui contra Canones pugnabit, verum Irregularitatem non incurret ex laudato cap. *petitio*, ſi nec quemquam occiderit, vel mutilaverit. Quod idem probat Gloſſa in cap. *ſciſcitaris* 7. q. 1. & eſt communis omnium opinio. Qnod ſi bellum injuſtum ſit, qui in eo pugnaverit, & auxilium dederit, Irregularis erit ſi inde ſecuta fuerit mors hoſtis, vel membri mutilatio ex cit. cap. *ſicut dignum* §. ultimo de Homicid. ubi hoc notant omnes.

XII. Progredimur jam ad Irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio Caſuali. Homicidium dicitur Caſuale quod nec directe, nec indirecte eſt volitum, ſive quod nec dolo, nec culpa commiſſum eſt, ſed mero caſu accidit. Hoc præſuppoſito quoad Irregularitatem incurrendam advertendum eſt, an occidens, vel mutilans dederit operam rei licitæ an vero illicitæ. Si licitæ rei Operam dederit, valde probabilis ſententia videtur, quod ſecutum homicidium, vel mutilatio non aliter imputetur ad Irregularitatem, quam ſi occidens, vel mutilans culpam latam commiſerit, ideſt in præcavendo aliquo periculo eam diligentiam adhibere neglexerit, quam communiter omnes boni homines adhibere ſolent, etſi alii putent etiam culpa levi in tali caſu contrahi Irregularitatem. Ratio vero eſt, quod cum hoc caſu circa culpam ad Irregularitatem requiſitam aliquid in ſpecie in jure expreſſum non habeatur, ideo Irregularitas, tamquam aliquod odioſum, & pœnale, ac impedimentum a SS. Ordinibus potius reſtringenda, quam interpretatione extendenda ſit, cap. *Odia* 15. de Reg. Jur. in 6. Exempla pro iſta parte habentur in cap. *dilectus* 13. 14. 15. h. t. quæ videri poſſunt. Dixi *etſi alii putent etiam culpa levi in tali caſu contrahi Irregularitatem*, ut adverterem non eſſe probandam eorum opinionem, nam Irregularitas ex delicto, ut ſupra diximus præſupponit peccatum mortale, & ſatis eruitur ex cap. *quæſitum* de Pœnit. in quo decernitur quod Parentes, qui noctu inter dormiendum infantem oppreſſerunt non ſunt irregulares, quamvis id aliqua eorum incuria pro qua pœnitentia imponitur, acciderit, niſi ea negligentia fuerit ſtudioſa. Si rei illicitæ Opera data ſit, hoc eſt factum ex quo mors alicujus eſt ſecuta præter intentionem ex ſe fuerit illicitum, & prohibitum agenti: Commune habetur dictum: quod danti Operam rei illicitæ imputantur quæ ſequuntur, licet diligentiam habuerit in præcavendo damno, ut notatur in cap. *ſuſcepimus*, & in cap. *tua nos* hoc tit. Ad hoc tamen requiritur, quod actus ille illicitus ex ſua natura ſit ordinatus, vel periculoſus ad læſionem alterius, atque ex eo, ſi non ſemper, ſaltem frequenter ſoleat homicidium, vel mutilatio conſequi. E contra ſi actus ex alio fine fuerit illicitus, non inducetur Irregularitas, ſi per accidens, & caſualiter contingat homicidium, ut loquitur textus in cap. *exhibita* t. e. & in cit. cap. *quæſitum*, & in l. *qui domum habebat* ff. *locati*, niſi ejuſmodi cauſſam quis dederit animo nocendi aut non adhibita diligentia, quam debuit, aut potuit adhibere. Et propterea qui fecit taxillos ad ludendum non incidit in

Irregularitatem ex eo quod conveniens ad ludum ſe interfecerit; nam etſi ſecundum communem Opinionem ars faciendi taxillos ſit prohibita, tamen non aſt ad homicidium ordinata. Neque erit Irregularis, qui gladium furto ablatum alteri bono animo donat, ſi donatarius ex poſt facto illo gladio aliquem occidat; vel ſi Clericus contra præceptum Judicis foras equitaret, & equus effrænis factus aliquem obviantem occideret. Super hoc tamen plurimum notare juvat, utrum cauſſa, ex qua hujuſmodi homicidia, & mutilationes prodeunt ſit proxima, vel remota, proxima quidem, veluti quis conſilium, præceptum, vel opem quis dedit, & an dederit ſponte, vel impulſus. Remota eſt cum cauſſa eſt vero ſimiliter ordinata ad cauſſatum. Nam in primo caſu non diſtinguitur an quis dederit operam rei licitæ, vel illicitæ, ſed indiſtincte ex cauſſa proxima ſemper incurritur Irregularitas ſecundum Innocentium in cap. *ad audientiam* h. t. & in cap. *ſententiam* ne Cler. vel Monac. In ſecundo vero caſu tenent omnia illa, quæ ſuperius notavimus, quando præbens huiuſmodi cauſſam dabat operam rei illicitæ animo nocendi, aut non adhibendo diligentiam, quam potuit, & debuit adhibere, alias ſecus l. *ſi putatur* ff. ad l. Aquil.

XIII. Supereſt nunc Caſus Homicidii quod neceſſarium appellatur, ut innoteſcat quantum hæc neceſſitas valeat ad impediendam Jrregularitatem. Hic pro homicidio neceſſario aſſumitur homicidium illud, quod non ex Juſtitiæ ſed Defenſionis cauſſa committitur, nam de altero pauca in ſuperioribus delibavimus. In Clementina *ſi furioſus* h: t. hæc verba leguntur: *ſi furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat nullam ex hoc irregularitatem incurrit*. Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem. Satis igitur conſtat quod irregularis non eſt, qui ad ejus propriam, & neceſſariam defenſionem invaſorem, aut aggreſſorem occiderit. Dubium itaque eſſe poterit, an, & qualiter ob defenſionem proprii Corporis liceat alterum occidere? An idem liceat pro defenſione rerum, & bonorum? & utrum ad defenſionem ſui proximi? &

Reſpondetur ad 1. Quidquid quiſque ob tutelam ſui Corporis fecerit, alterinum vulnerando, vel occidendo, tametſi in alterius damnum fecerit, jure feciſſe cenſetur L. 3. ff. de juſt. & Jur. ita tamen, ſi moderamen inculpatæ tutelæ non exceſſerit.

In Reſponſione ad 2. non conveniunt DD. plures enim hanc occiſionem licitam arbitrantur argumento L. 1. C. *Unde vi*. Alii dicunt hoc verum eſſe de Jure Civili, & in foro contentioſo, ſi aliter res a rapina, & invaſione ſalvæ haberi non poſſint, non vero in Jure Canonico, ut per textum in cap. *ſi vero* de Senten. Excom. & in cap. *inter hæc* 33. q. 2. ubi notatur, quod de jure civili poteſt Pater occidere filiam adulteram in fraganti crimine depræhenſam L. *nec in ea*, & L. ſeq. ff. de Adulter. & etiam Maritus adulterum certo caſu L. *Gracchus* C. eod. & tamen ſecundum Canones Pater, & Maritus peccant, & ideo imponitur eis gravis pœnitentia, ut in cap. *admonere* ead. cauſ. & q. ſed probabilior ſententia illorum eſt, qui neque a Jure Civili, neque a Jure Canonico repetunt hoc jus occidendi hominem pro ſola rerum defenſione, niſi pro defenſione rerum ſimul, & Perſonæ, ut late probat textus in cap. *ſicut Dignum* de Homic. Et revera quod opponitur ex L. 1. C. *unde vi* contrariam opinionem

non

non probat, cum littera illa *propulſare* dicat, non *occidere*. Licitum eſſe ibi dicitur vim vi propulſare, dummodo id fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. In hoc autem moderamine, ut eruitur ex Gloſ. in verbo *moderatione*, præcipue ſpectandus eſt modus, ut ſcilicet, ſi armis inferatur violentia, armis repellatur; ſi ſine armis, ſimili modo repelli debeat, ut L. 1. §. *vim vi* & L. 3. ff. *de vi, & vi arm.* Non videtur autem ſervari hoc moderamen ſi auferenti bona aufertur vita, nam quælibet injuria Corporalis major eſt quavis reali L. *in ſervorum* in fine ff. de Pœn. & ſic contraria ſententia ſuſtineri non poteſt. Quod dictum eſt in caſu, in quo Laico pro neceſſaria rerum defenſione non liceat occidere furem; eo magis dictum volumus de Clerico, cui a Jure Canonico expreſſe prohibetur rerum ſuarum ſpoliatorem occidere ex cit. cap. *ſuſcepimus*, & hanc opinionem communem eſſe teſtatur Marian. Socin. in cit. cap. n. 7. Navarrus, Sylveſter, & Abbas hic, ubi in 3. notabili ita ſcribit: *quod pro rebus conſervandis, non licet Clerico occidere Latronem, licet aliter res conſervari non poſſent; imo potius debet ſuſtinere omnem jacturam rerum*. Quod adhuc latius probatur ex laudata Clement. *ſi furioſus*, quæ dum concedit, quod poſſit, qui aliter mortem vitare non valet, ſuum invaſorem occidere, in aliis caſibus id non permittit cap. *nonne* de Præſumtionibus. Præterea dum eadem Clementina dicit *Invaſorem ſuum* innuit pro neceſſaria defenſione perſonæ tantum, non autem rerum licere hominem occidere, vel mutilare. Non excuſabuntur itaque in hoc caſu a peccato, & conſequenter ab Jrregularitate, qui hominem occiderint pro defenſione rerum ſuarum, imo & proprii honoris, & pro defenſione quarumcunque aliarum rerum temporalium, quantumcunque neceſſaria, & inevitabili, & pro neceſſaria defenſione Parentis, Filii, Conjugis, vel alterius Conjuncti, interficit aggreſſorem; nam & ſi hoc videatur permiſſum quo ad aliam pœnam Fori Contentioſi, tamen quo ad Irregularitatem, ſecus eſt juxta litteram dictæ Clementinæ, & ejus Gloſſam, quam dicit communiter receptam Navarrus in Manuali cap. 27. n. 213. Covarruvias tamen in Relectione ejuſdem Clement. p. 3. §. unico n. 5. & Barboſa de Offic. Epiſc. Alleg. 51. n. 10. contrarium docent dum perpendunt caſum illius, qui ob defenſionem ſui Proximi ejus aggreſſorem ſervato moderamine occiderit, cum ad talem defenſionem quandoque ex Juſtitia obligatur. *Qui enim potuit a morte hominem liberare, & non liberavit homicida eſt*, inquit textus in cap. *ſicut dignum* §. *illi etiam* tit eod. Qui non repellit a ſocio injuriam, ſi poteſt, tam in vitio eſt quam ille, qui facit cap. *non inferenda* 23. q. 3. Quin imo ut ſupra diximus excommunicatus eſt permittens Clericum percuti, ſi potuit prohibere, & non prohibuit cap. *quanta* t. e. Verum hæc non obſtant, nam Irregularitas incurritur etiam cum merito, ut patet in Judice qui protulit ſententiam ſanguinis, ſi exinde ſequuta ſit mors c. 1. 51. d. c. *hic a quibus* 23. q. ult. c. *Clericis*, c. *ſcientiam* ne Clerc. vel Mon. & notatur per D. Thomas in 2. 2. q. 40. a. 2. in corp. & ad 4. In his igitur caſibus hæc ſola Jrregularitas delicto non imputabitur. Et contrarium aſſerere, docet idem Navarrus, quod eſſet mille Deciſiones in Theorica, & Praxi receptas ſine ratione ſufficienti mutare, & contra textum fere expreſſum in d. Clement. Cum ergo Regula ſit quod Irregularis efficiatur, qui aliquem interficit, aut mutilat, nec ab hac regula reperiantur excepti, niſi Caſus Furioſi, Infantis, Dormientis, & illius,

qui

qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem ſtabimus regulæ, quamdiu non probabitur exceptio Gloſ. 1. in cap. *inter hæc* in fine 32. q. 2. & ex L. 1. ff. de Regulis Juris.

XIV. Supereſt modo ut inquiratur quid dicendum ſit in caſu quo quis dubitet ſe in Irregularitatem incidiſſe, propter hoc quod percuſſerit hominem, de cuius vulnere an fuerit lethale, vel ne ſciri non poteſt, & propterea num percuſſus, ab eo, vel ab aliis occiſus extiterit?

Præſuppoſitis iis, quæ initio huius capitis diximus modo reſpondetur quod cum dubitatur, an ex homicidio fuerit contracta Irregularitas, vel non, debere quem reputare ſe Irregularem, & abſtinere a miniſterio Altaris, quamvis revera homicidium non commiſerit, cum ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur cap. *ſignificaſti* 18. de Homic. cap. *ad audientiam* tit. e.; unde videtur inferri, quod in dubio Irregularitas eſt præſumenda. Non ita tamen hoc generaliter accipiendum eſt, ut non poſſit adhuc contrarium affirmari, & tunc præcipue cum agitur ad pœnam imponendam propter Irregularitatem in Foro contentioſo, nam tunc in dubio quis debet potius judicari non Irregularis, quem e contra, quia pœnæ ſunt molliendæ potius, quam exaſperandæ cap. *pœnæ* de Pœnit. d. 1. Reſponſio igitur præcipue obtinet in foro pœnitentiali ad pœnitentiam imponendam, aut quaſi pœnitentiali, ut quis abſtineat a miniſterio Altaris, quia dubius tenetur tutiorem partem eligere in omni materia, in qua ſubeſt periculum ſalutis æternæ. In Excommunicatione eſt textus in cap. *illud* de Cleric. excom. In Baptiſmate eſt textus in cap. *Parvuli* de Conſecr. d. 4. In Pœnitentia in cap. *ſi quis potius* de Pœniten. d. 7. In Sacramento Ordinis in c. *veniens* de Presbyt. non baptiz. In Matrimonio in cap *Iuvenis* de Sponſal. & generaliter ubicunque agitur de præcepto ſub culpa mortali, eſt textus in Clement. *Exivi.* §. *item præterea* de V. S. Nec aliud ſenſit D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4. *Ubi non apparent*, inquit. *manifeſta indicia de malitia alicujus debet unuſquiſque eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium eſt, alioquin injuriatur ei, & contemnit ipſum*. Nullus autem debet alium contemnere, aut nocumentum quodcunque inferre abſque cauſſa. At vero circa ſe ipſum homo debet dubia interpretari in pejorem partem ſecundum illud Job. 9. *Verebar omnia Opera mea*, eo quod non debeamus noſtris malis adhibere remedium: expedit ad hoc ut ſecurius remedium apponatur, ut ſupponatur id quod eſt deterius. Et concordat Gloſſa in cap. *unico* in verbo *æſtimare* de Scrut.

§. II. *Neque Baptiſmus, neque Pœnitentia Sacramentum, neque Religioſa Profeſſio Irregularitatem quamlibet tollunt, ſed ſola Diſpenſatio a legitimo Superiore impetrata, aut Ceſſatio Cauſſæ, quæ Irregularitatem inducit.*

XV. Poſt explicatas Irregularitatum omnium ſpecies, merito ponitur Canonicum remedium, quo impetrato hoc impedimentum aufertur, ut quis licite poſſit, aut ad Ordines promoveri, aut in iiſdem miniſtrare. Hoc autem remedium perperam a Baptiſmo, aut a Sacramento Pœnitentiæ, non nulli expectavere, quod Irregularitas peccatum non ſit, ſed ut jam diximus, aut pœna Peccati, aut quid annexum defectui, ratione cujus ab Ordinum ſuſce-

ſuſceptione, vel eorum functione debeat aliquis abſtinere. [Latet profecto neminem Baptiſmum delere peccatum, ſed poſt Baptiſmum peccatorum reliquias remanere, defectus ſcilicet naturæ corruptæ: & norunt omnes per Sacramentum Pœnitentiæ deleri peccata, ſed poſt Pœnitentiam aliquid remanere luendum, pœnam ſcilicet peccatis debitam, niſi aliter læſæ Divinæ juſtitiæ reparetur. Quid mirum ergo quod etiam remaneat Irregularitas, quia vel defectus Corporis, vel pœna delicti eſt per diſpenſationem auferenda? Crediderunt certe Patres graviora quæque crimina per Sacramenta Mortuorum deleri, atque poſt remiſſionem, peccatores ad juſtitiam redire, & ſine crimine eſſe; nequaquam tamen crediderunt iis, qui hujuſmodi delicta commiſerant mox ab obtenta reconciliatione remitti crimina quoad forum exterius, & quoad judicialem punitionem, ut dici poſſent irreprenſibiles, & ſine crimine, ut non impedirentur ad Sacros Ordines aſcendere, aut in illis miniſtrare, quemadmodum prohibuerat Apoſtolus ad Titum ſcribens, & ad Timotheum. Certe Innocentius I. in Epiſtola ad Victricium c. 6. ſcribebat: *In Baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum Uxorum numerus aboletur*; & Auguſtinus in lib. de Bono Coniugali c. 18. idem argumentum perſtringens, *non licere ordinari niſi unius Uxoris virum* ajebat. De Sacramento enim agitur non de peccato, nam in Baptiſmo peccata omnia dimittuntur, ſed qui dixit: *Si acceperis uxorem non peccaſti, & ſi nupſerit non peccavit, & quod vult faciat, non peccat ſi nubat, ſatis declaravit nuptias nullum eſſe peccatum. Propter Sacramenti ſanctitatem, ſicuti fœmina etiam ſi Cathecumena fuerit vitiata, non poteſt poſt Baptiſmum inter Dei Virgines conſecrari; ita non abſurde viſum eum, qui exceſſit Uxorum numerum ſingularem non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quamdam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad Ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam*, hactenus Auguſtinus, ex quo ſatis conſtat per Baptiſmum illam Irregularitatem non tolli, quam Bigamus contraxit. Si qua Irregularitas per Baptiſmum tollitur illa eſt, quæ originem habet ex quovis delicto ante Baptiſmum commiſſo, quia per Baptiſmum tolluntur peccata, & quæ ſequuntur ex illis ſub ratione, qua ſunt peccata. Secus autem dicendum ubi homicidium contigerit abſque peccato, ut in Judice, eo ſiquidem caſu Irregularitatem non tolli per Baptiſmum probant Gloſſa in cap. *ſi quis viduam* diſt. 50. Sayrus, Coninch, & alii in cap. *gaudemus* de Divor., & in cap. *deinde* d. 26. Hoc peculiare etiam habet Religioſa Profeſſio, quod tollat Irregularitatem ortam ex defectu Natalium, cujus Irregularitatis auctores Innocentius III. ſuppoſuiſſe videtur Urbanum II. & Synod. Pictavien. in Epiſt. 118. lib. 4. ad Andream Lundunen. Epiſcopum, ac Danorum Metropolitam, & ſuum per Septentrionem Legatum; non videtur tamen hæc Irregularitas firmiter, & generaliter ſtabilita ante ultimam Decretal. collectionem factam, & evulgatam auctoritate Gregorii IX. quæ pro jure communi Eccleſiaſtico uno conſenſu recepta fuit, in quibus Decretalibus pateſcit, non ſolum filios Presbyterorum, & Spurios, ſed quoſcumque illegitimos tandem Irregulares fuiſſe declaratos: & in cap. 1. de fil. Presb. Ordinandis, vel non, ut filii Presbyterum, & ceteri ex fornicatione nati ad Sacros Ordines non promoveantur; imo, & ad primam Tonſuram, & minores Ord. hæc Irregularitas paulatim extenſa eſt, ut expreſſe habetur in c. 1. t. e. in 6. Profeſſio itaque Religioſa tollit hanc Irregula-

rita-

ritatem ſaltem quo ad Sacros Ordines ex cau. Synodi Pictavien. relato in cap. 1. de Fil. Presb., & ex Decrero Urbani II. relato apud Gratianum d. 56. c. 1. neque illegitimi ſic Profeſſi indigent quoad hunc effectum ulla diſpenſatione; nequaquam tamen ipſe Profeſſus totaliter, & per omnia legitimatur, ſed manet alter Irregularitatis effectus in ſuo vigore, in quantum ipſi Profeſſi excluduntur a Prælaturis, idque indiſtincte, ſive in eiſdem, ſive in aliis Monaſteriis, ſive in Eccleſia Seculari, ſive Regulari, ubi poſt alios notat Fagnanus ad caput *ut filii* de Fil. Presb. n. 19. qui præterea n. 22. monet, quod cum illegitimis Regularibus ad Prælaturas, & Dignitates ſolus Papa diſpenſat. Cum itaque neque Baptiſmus, neque Sacram. Pœnitentiæ, nec Relig. Profeſſio quamlibet Irregularitatem tollant, reliquum eſt quod illam tollat ſola Diſpenſatio a legitimo Superiore impetrata.

XVI. Cum Diſpenſationis meminerimus ſtatim apparet diſcrimen Irregularitatis a Cenſura, quæ per abſolutionem aufertur, ita ut Irregularitas non debeat quædam ſpecies Cenſuræ reputari. Impedit profecto Cenſura Ordinum ſuſceptionem, & uſum, verum non directe, & primario ad hoc infligitur, ſed indirecte, & per conſequentiam, quatenus illorum Ordinum functiones ſunt Communicatio quædam Fidelium ut Excommunicatio; aut quatenus ſunt Officia quædam Eccleſiaſtica a Perſonis Eccleſiaſticis exercenda, ut ſuſpenſio; aut quatenus ſunt uſus Sacramentorum, ut Interdictum. At ſola Irregularitas eas directe impedit, qualiter ad Exercitium Ordinum ſpecialiter ſpectant. Præter quam quod nunquam Cenſura contrahitur ſine peccato, aſt multoties Irregularitas abſque ullo delicto contrahitur, non indiget ergo abſolutione, quæ eſt actus juſtitiæ, quo judicium, & cauſſa terminari ſolet. Cum itaque ſit Impedimentum quoddam morale non primario inſtitutum ob delinquentis punitionem, ſed ob honorem Sacri Miniſterii, cujus indignum redditur, qui tali macula coinquinatus eſt, opus erit ut tollatur diſpenſatione illius, qui poteſtatem habet diſpenſandi, quia nulla eſt quæ a jure naturali, vel Divino proveniat, ſive hæc totalis ſit, quæ omni Ordine ſuſcipiendo, & cujuſvis ſuſcepti exercitio privat, ſive ſit partialis, quæ privat facultate aliquem tantum Ordinem ſuſcipiendi, vel alicujus ſuſcepti Miniſterio, ſive ex Delicto ortum habeat, ſive ex defectu mere naturali, & inculpabili, quo aliquis dehoneſtatur.

XVII. Patet igitur 1. Epiſcopum non poſſe cum Bigamo diſpenſare, nequidem, ut in Ordine Sacro jam ſuſcepto miniſtret, quod & in Bigamia interpretativa (ut ſi Subdiaconus nulliter contrahat matrimonium cum vidua) obtinere deciditur in c. finali de Big. non Ord. nequidem ad min. Ordines ut monet Fagnan. in c. *ſuper eo* tit. eod. n. 46. declaraſſe Sixtum V. Item quo ad S. Ordines, & majora Beneficia, nec non Curam animarum habentia nequit Epiſcopus cum illegitimo diſpenſare c. finali de fil. Presb. c. 1. c. 2. in 6., & *tanto eſt difficilior diſpenſatio* inquit S. Thomas in 4. d. 25. A. 11. q. 3. *quanto origo eſt turpior, puta ſi filii Adulterini fuerint, vel ex Stupro, Inceſtu, aut Sacrilegio actu nati*. Idem aſſeritur ſuper Irregularitate, quæ oritur ex defectu lenitatis, ut notat Pyrrus Corradus in Praxi Diſpenſationem lib. 5. c. 2. & ſuper illa Irregularitate, quæ naſcitur ex Homicidio voluntario, & ex aliis criminibus deductis ad Forum contentioſum ex Trident. Concil. Seſſ. XXIV. de Refer. c. 6.

XVIII.

XVIII. Patet 2. quod poteſt Epiſcopus diſpenſare in Bigamia ſimilitudinaria. Hanc Bigamiam videntur Canoniſtæ deſumere ex c. 24. 27. q. 1. ubi legitur *quot quot virginitatem pollicitam prævaricatæ ſunt Profeſſione contempta, inter Bigamos, ideſt qui ad ſecundas Nuptias tranſierunt haberi debebunt*. Attamen incertum eſt an revera talis Bigamia haberi debeat ad effectum Irregularitatis, an potius in ordine ad Pœnitentiam ſubeundam per Canones veris Bigamis injunctam, quod poſterius congruit verſioni laudati Canonis, quæ legitur apud Gratianum Hervetum, & quæ ita ſe habet: *Quicunque virginitatem profitentes Profeſſionem ſuam irritam reddunt, ii Bigamorum definitionem impleant, hoc eſt definita Bigamorum pœnæ ſubjiciantur*, ut prædictum Canonem commentati ſunt Balſamon. Zonaras, & Ariſtenus; qua de re, ut bene monet Faguanus ad caput *nuper* de Bigam. neq. hodie inter DD. convenit, num hæc dici queat Bigamia, ac proinde tales habendos eſſe Irregulares propter præſumptionem incontinentiæ, aut ſolum ſuſpenſos tamquam notorie criminoſos. Ceterum hoc parum intereſt, cum aliunde certum ſit cum hujuſmodi neceſſariam eſſe diſpenſationem, & ſuper hujuſmodi Bigamia Epiſcopum diſpenſare. Diſpenſat etiam Epiſcopus ſuper Irregularitate, quæ contrahitur ex reiteratione Baptiſmi occulta, etiam ſi incurratur ab aliquo publice Baptizante, dummodo neſciatur an qui baptizatur fuerit antea baptizatus. Item ſuper Irregularitate ab illo contracta, qui duos S. Ordines, vel Acolytatum cum Subdiaconatu eodem die ſuſcepit, quando delictum eſt occultum, & ab Irregularitate occulta proveniente ab adminiſtratione in Ordinibus male ſuſceptis, ſi Epiſcopus non fuerit ſcienter particeps ejuſdem culpæ; & in Irregularitate occulta, quam quis contraxit exercendo Ordines, quos non habebat, ut exerceat ſuſceptos, & alios ſuſcipiat, aut contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem Ordines ſuſcepit, ſi jam ad legitimam ætatem pervenerit, quod refert deciſum Garzia de Benef. P. 2. c. 5. n. 51. aut ab eo qui excommunicatus celebravit, quando Excommunicatio eſt occulta, licet celebratio fuerit manifeſta. Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in Irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, licito tamen, vel auctoritate legitima, & juſta de cauſſa facto; imo & cum illo homicida occulto, qui cum aliter evadere non poſſet, aggreſſorem occidit, licet non in totum ſervata moderatione, nam etſi homicidium voluntarium ſit, quia tamen per ſe non eſt, nec ex delicto proficiſcitur, homicidium voluntarium dici non debet: & in Irregularitate proveniente ex homicidio Caſuali modo delictum ſit occultum, veluti ſi quis hominem occiderit non intendens occidere; aut ubi is, qui mandavit baculo vulnerare, & expreſſe ne occideretur, Mandatarius ſi armis percuſſerit, & occiderit, eo quod Decretum Concilii requirat homidium per induſtriam, per inſidias, & ex propoſito. Et cum Irregulari facto ex mutilatione membri etiam voluntaria, ſi eſt occulta. Cum vero Diſpenſationis litteræ ſuper defectu Corporis de Stylo Rom. Curiæ ſemper dirigantur ad Epiſcopum ejus qui defectum patitur, ut ipſe per ſe ipſum defectum inſpiciat, & de eo judicet, indubitatum apparet in hac etiam Diſpenſationa Epiſcoporum arbitrio plurimum eſſe attribuendum.

XIX. Hinc obiter advertendum eſt, quod delictum ad Forum contentioſum deductum aliquando manet occultum, quod contingit dum abſoluto judicio, ſententia abſolutoria defectu probationis pronunciata eſt, & in hoc

caſu. Patet 3. Epiſcopum poſſe cum hujuſmodi Irregulari diſpenſare, quia non fuit illius deliĉtum deduĉtum ad Forum contentioſum cum effeĉtu, ex quo non fuit probatum, uti reĉte notat Garzias l. c. P. 7. c. 11. n. 49. Advertendum præterea eſt nulli mirum eſſe debere, quod poſſit Epiſcopus cum criminoſis diſpenſare, quemadmodum expreſſe reſpondit Innocentius III. in c. 6. de Bigam. non Ordin. & ille poſtea prohibeatur diſpenſare cum Bigamo, ut ſuperius aſſeruimus, quod minus inordinatum appareat Bigamum, qui contrahendo ſecundas Nuptias non peccavit, quam prolapſum in crimen ad Ordines promoveri. Nulli inquam hoc mirum eſſe debet. Nam Criminoſus poſt peraĉtam Pœnitentiam reſtitutus videtur in priſtinum ſtatum, & incipit eſſe quod non fuit cap. *Ferrum*, c. *ponderet*, & c. *Domino Sanĉto* 50. d. & ideo cum talibus diſpenſatur. Sed Bigamus non prohibetur promoveri propter crimen, ſed propter Sacramenti defeĉtum, ut ſupra retulimus, quia carnem ſuam diviſit in plures ab unitate recedendo, & hoc Sacramentum amplius reſtitui non poteſt per aliquam ſanĉtificationem, cum non ſit crimen; & ita aliud conſideravit Apoſtolus cum dixit *non Bigamum*, & aliud cum dixit *non criminoſum*, ut opportune notavit Fagnanus in cap. *ſuper eo* hoc tit. n. 9. & 10.

XX. Patet demum quod in Irregularitatibus omnibus ſolus Pontifex diſpenſat, quia ſolus eſt ſupra Jus, Clement. *Ne Roman.* 2. in princip. de Eleĉt. n. præcipue vero, & ſolus cum Bigamis c. fin. h. t. & ſolus cum Illegitimis quo ad S. Ordines, & majora Beneficia, nec non curam animarum habentia c. finali de Fil. Presb. & c. 1. t. e. in 6. ſolus diſpenſat ſuper Irregularitate ex defeĉtu lenitatis, & ſolus tandem cum homicida voluntario. Qui tamen Pontifex in Diſpenſationibus his concedendis, ut ſcribit Pyrrus Corradus l. ſupra c. lib. 5. c. 1. n. 3. *non parum difficilem ſe reddit, nimiſque ab eis abhorret; cum abominabile ſit, quod effundens ſanguinem humanum offerat Sanguinem Chriſti, & Hoſtiam Immaculatam, vel Officium Deo ad Altaris Miniſterium præſtet.* Hinc Eccleſia indignum Sacerdotio conſtantiſſime judicavit ipſum judicium ſanguinis exercere. *Quomodo enim*, ſcribebat Ivo Carnotenſis Epiſt. 246. *Eccleſia judicare debet fundendum ſanguinem alienum, quæ a primo ortu ſuo juſſa eſt fundere ſanguinem proprium.* Hinc prodierunt Canones Concilii Toletani VI. & XI. apud Gratianum cauſſ. 23. q. 8. ſub n. 29. & 30. & Decretales Alexandri III. & Innocentii III. ſub tit. ne Clerici, vel Monachi ſub n. 5. & 9. quibus prohibentur Sacerdotes diſcuſſores in alienis periculis exiſtere: judicium ſanguinis agitare: truncationes membrorum per ſe facere, aut judicare inferendas: ſanguinis vindiĉtam exercere: imo nec intereſſe ubi hæc exerceatur. Hinc Epiſcopis Clericum degradatum tradituris Curiæ ſæculari morte afficiendum præcipit laudatus Pontifex Innocentius, ut pro illis efficaciter intercederent, ut citra mortis periculum circa eos ſententia moderaretur cap. 27. de Verbor. Signif. & hinc demum illæ crebræ Epiſcoporum apud ſæculi Judices pro Reis interceſſiones, de quibus variis in locis agit S. Auguſtinus & ſignanter Epiſtola 152. & 153. ad Macedonium non tamen ut Reos a morte corporali liberarent, ſed potius ut eos tantiſper in hac vita retinentes emendatos, & per pœnitentiam caſtigatos a vita mortali ad vitam immortalem mitterent. *Conſilium quippe ejus* [ſcilicet Dei] *quantum homini pio noſce donatum eſt exponit Apoſtolus dicens*: Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te

ad-

Digitized by Google

adducit. *Ad hanc volumus adduci pro quibus intervenimus non eorum peccatis vel parcimus, vel fovemus*. Neque ab eiſdem modo Epiſcopi abſtinent, ut citra metum Irregularitatis Brachio Sæculari tradant Clericos Degradatos, quos ſciunt ſic traditos morte afficiendos, idque auctoritate Decretalis Bonifacii VIII. in cap. 2. de Homicid. in 6. receptum videtur. Si ergo tantum horret Eccleſia judicium ſanguinis proferendum a Sacerdotibus cauſſa probata, & ſub interminatione Anathematis vetat ne quis Sacerdos habeat Officium Vice Comitis, aut Præpoſiti ſæcularis cap. 4. de Raptor. & ſi juriſdictionem obtineat temporalem, hujuſmodi Cauſſas Balivis ſuis committendas eſſe decernit cap. finali ne Cler. vel Monac. in 6. quid mirum ſi cum illis, qui humanum Sanguinem effuderint voluntario homicidio facilem non ſe præbeat Pontifex in Diſpenſationis Beneficio ellargiendo? Diſpenſat tamen dummodo Orator reperiatur idoneus, vitæque, ac morum probitas, aliaque merita ſibi ſuffragentur.

XXI. Prohibuerunt Lateranenſis Concilii Patres ut ſupra notavimus ne Clerici interſint ubi Sanguinis vindicta exercetur. Sed ſi interſunt tantum, numqnid propter hoc efficiuntur Irregulares, & propter hoc deponuntur? Non videtur quod debeant deponi, *ſed alias,* inquit Gloſſa, *debent puniri, quia interſunt contra præceptum*. Qua de re meliores, magiſque probati Clerici minus ſtatui ſuo conveniens eſſe arbitrantur hujuſmodi ſpectaculis intereſſe, quod ſi intereſſendo, in ipſam Sanguinis vindictam aliquo modo ad eam concurrerent, dubitandum non eſſet hinc Jrregularitatem contrahere.

XXII. Advertimus tandem, quod etiam ceſſatione cauſſæ inducentis Irregularitatem tollitur ipſa Irregularitas: ut ſi illegitime natus legitimus fiat per ſubſequens matrimonium, aut Principis Reſcriptum cap. 1. cap. *tanta* cap. *per venerabilem* qui Filii ſint legit. Aut ætas requiſita adveniat illi, qui ex ejuſdem defectu ad Ordines promoveri non poterat, Aut Litterarum pene rudi debita ſcientia acquiratur, & infirmitas evaneſcat, per quam a Sacris Altaribus, aut Ordinibus ſuſcipiendis aliquis arceatur.

FINIS.

Digitized by Google

AUCTORIS PARAENESIS

AD SOCIOS ACADEMIAE

THEOLOGICO-DOGMATICAE FLORENTINAE

QUoties opus hoc meum qualecumque ad finem fæliciter perductum eſſe Deo favente mecum ipſe recogito, HONORABILES VIRI quoties etiam veſtris ilhortationibus, veſtraque voluntate in Vulgus prodiiſse. quod primum facere detrectabam, & publici juris factum eſſe conſidero, gratulerne mihi potius an vobis, & gratulationis huius in labore meo; aut obſervantia, & amore veſtro in me ſingulari cauſas exquiram, ignoro. Mihi, fatebor enim ingenue, non mediocriter adblanditur doctiſs. Virorum conſenſus; qui opus hoc probavere, neque indignum arbitrati ſunt, quod ceterorum Theologorum familia accenſeretur, VOBIS lætandum erit profecto. quod neminem præterire poteſt. opera. cura, & voluntate veſtra factum eſse ne diutius lateret ſed in vulgus ederetur; quare fit, ut iſthæc illuſtrium virorum probatio non minorem vobis quam mihi voluptatem afferre debeat. Verum ne anceps hæream. & mihi ipſi. & vobis gratulari me poſſe jure merito arbitror: mihi quidem, qui illum, quem mihi propoſueram, fructum ex labore meo videor collegiſſe, vobis autem qui operam veſtram, & diligentiam in editione iſta curanda publico veluti ſuffragio comprobatam videtis. Quamquam fructum illum majorem, quem primum in votis habueram, non credatis velim collocari a me in laude quadam & gloriola, cujus aucupandæ nunquam animum meum tetigit ſollicitudo; verum in ſpe certa. & fiducia, quæ non perperam concepta eſt, fore, ut & VOS, & qui VOBIS in Academica noſtra paleſtra annumerabuntur. me duce [abſit verbis invidia] & quaſi viam digito demonſtrante, contra verſutas impiorum hominum inſidias divinorum Sacramentorum doctrinam ſarsam tectam tueamini. Hoc me reficit, hoc me recreat labores non mediocres paſſim in pluribus concinnandis, & componendis, quæ non mediocriter videbantur difuncta. hoc etiam animum meum erigit & extollit, ac quaſi pro gaudio geſtire & exultare compellit: Quamobrem ſi meum unquam ad vos Sermonem converti, quaſi hortaturus. & conatibus veſtris ſtimulos adiuncturus, ut majori ſemper in dies alacritate ab Heterodoxorum erroribus Catholicas doctrinas & Sacra Sacrorum Myſteriorum dogmata defenderetis, hoc modo peculiari quadam ratione fieri a me oportet, cum vobis arma, quibus in eo certamine uteremini, ſuppeditaverim. Neque hoc idcirco a me dictum putetis volo, quaſi armis hujuſmodi ante mei operis editionem caruiſſetis cum potius ſepe oſtenderitis. quam fortiter firmiſſimis armis adverſus Heterodoxos uteremini; verum quod hæc ipſa, quæ VOBIS a me modo ſuppeditantur, tamquam in Academiæ officina fabricata, & tanquam veſtra maximopere non diligere non poteſtis; Quis enim fructus in ſuo agro natos contemnit? Quis potius ſupra ceteros alíorum agrorum non amat non admiratur? VOS ergo, HONORABILES VIRI ſtrenue præparatis armis pugnate, & ad Dei gloriam. ad veſtri nominis, & Academiæ dignitatem tuendam impiorum vires retundite.

Valete.

Digitized by Google

APPENDIX

AD TRACTATUM

DE SACRAMENTO ORDINIS

IN QUA EXPONITUR

DOCTRINA CHRISTIANA

DE INDULGENTIIS

AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMIS ET PRAECLARISSIMIS VIRIS :

LAVRENTIO . GINORIO
BAIVLIVO . COMITI . MARCHIONI . SENATORI
FERDINANDO . CAPPONIO
EQVITI . COMITI . SENATORI
IOSEPHO MARCHIONI . RICCARDIO
COSMAE EQVITI . DEGLI . ALESSANDRI
NERIO . EQVITI . DRAGOMANNIO
DOMINICO . PANZANINIO . PATRICIIS . FLORENT.
ACADEMIAE . THEOLOGICO DOGMATICAE
CONSERVATORIBVS . AEDILIBVS

ALBERTVS PAPPIANI S. P.
EIVSDEM ACADEMIAE PRAESES FELICITATEM.

QUæ mea mens fuerat, cum edendæ huic de Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis Doctrinæ animum adieci meum, ut quotquot Academiæ Theologico-Dogmaticæ Florentinæ auctoritate ſua opem, & incrementum attulere, iis omnibus ſingulare aliquod exhiberem grati animi teſtimonium, ita ut publice ejus extaret memoria, quam cuique ſem-

ſemper volebam eſſe teſtatam, id modo & votis, & voluntati meæ reſpondere gaudeo vehementer. Cum enim ceterorum omnium Virorum, quorum præclara extant in Academiam merita, ſuperioribus Voluminibus, & nomina, & laudes, quoquo demum modo id factum ſit, attingerim, VOS relinquebamini Conſervatores Academiæ ÆDILES SPECTABILES VIRI, cum laude, & honore compellandi, quod in extremo hoc operis mei volumine præſtare non prætermitto.

Neque tamen hoc a me ſolum præſtari credatis; cum enim opus iſtud, ex quo publici Juris faciendum erat, non meo ſed Academiæ nomine in lucem prodire contenderem quod tamen ab Academicorum cœtu obtinere non potui; voluit enim, & eorum voluntati diu obſtitiſſe inutile fuit, ut meo Auctoris nomine vulgaretur; illud tamen facile obtinui, ut, quoniam nomen meum palam fieri vellent, Academia ipſa editionem operis curante, liberum mihi foret quorumdam præclariſsimorum Virorum nominibus quoſdam peculiares Tractatus conſecrare, in quo non meæ tantum erga ipſos obſervantiæ, ſed omnium quoque Academicorum argumentum indubium haberetur. Quare cum Veſtro nomini, PRÆCLARISSIMI VIRI, volumen hoc inſcribendum decrevi, mea fuit in decernendo voluntas, Academiæ univerſæ, quæ curandæ editionis ſibi provinciam aſſumpſit, conſenſus, & meæ voluntatis quaſi confirmatio. Videbat profecto univerſus Accademicorum cœtus, quantopere foret hoc ipſorum erga vos obſervantiæ teſtimonium ſibi neceſſa-

rium

rium, idquæ ea de cauſſa potiſsimum, quod, cum nullibi alias ſuam erga de ſe benemeritos viſos voluntatem, ſuumque gratum animum oſtendere potuiſſent, opportuniſsimum hoc tempus, opportuniſsima occaſio prætermittenda non erat, qua prætermiſſa, alia fortaſſe huic ſimilis multorum annorum ſpatio contingere non potuiſſet.

Hæc igitur qualiſcumque mea, & Academiæ ſimul grati animi ſignificatio, quam non meritis veſtris, non amplitudini, nobilitati, ac virtuti, quibus ſupra multos præcellitis, PRÆCLARISSIMI VIRI, reſpondere, ſed noſtrarum virium menſuram implere quilibet facile poteſt cognoſcere, ad inſtar ſingularis, gratiarum actionis habenda eſt pro ſingulari veſtra in nos humamitate. Hæc profecto tanta ſemper fuit, ac tot, tantiſque modis a vobis omnibus ſignificata, ut, ſi tempus, locuſque permitterent, ſingulorum præcipua, & non communis mentio fieri hic oporteret, ut ſingulorum ita virtus, & merita clarius legentibus innoteſcerent. Sed neque brevi oratione paucorum, ne dicam omnium, nomina tantum cum debita laude attigiſſe daretur, neque modeſtiæ veſtræ conſulerem, ſi cujuſque virtutem aliquam (quis enim omnes?) celebrandam aſſumerem. Quapropter de laudibus veſtris libenter taceo, ne aut oratione mea illis potius detrahere aliquid videar, quam addidiſſe, aut veſtræ adverſer voluntati.

Nunc quædam breviter dicenda ſunt, quare huic potiſſimum volumini tractatum *de Indulgentiis*, quem ad Pœni-

nitentiæ Sacramentum potius pertinere quis dixerit, adnectere mihi placuerit. Qua de re illud ſciant oportet lectores humaniſſimi, non omnia, quæcumque ad hunc Tractatum referuntur a pluribus Theologis, hoc loco a me pertractata eſſe, ſed, quæ ſumma, ac præcipua ſunt, me ſelegiſſe, ne volumen ipſum mole ſua nimis creſceret, & ne deeſſem iis, quæ in primi Voluminis præfatione, de ſervanda, quantum fieri poterat, brevitate, promiſſa ſunt. Hic vero Tractatum *de Indulgentiis* apponendum cenſui, quod maximam meo judicio cum Sacramento Ordinis, de quo in extremo hoc volumine agitur, habeat connexionem. Videt enim unuſquiſque, & confitetur, qui Catholico dogmati non adverſatur, Indulgentias in Catholica Eccleſia ab iis concedi, qui ſupremas in Eccleſiaſtica hierarchia obtinent dignitates. Quare cum per Ordinis Sacramentum Hierarchia conſtituatur, ex eoque pendeat, quidni ad ipſum referri potuit, quod eſt maxime cum Hierarchia ipſa conjunctum?

Ita VOS allocutos volui, PRÆCLARISSIMI VIRI, monitos Lectores omnes humaniſſimos, ut VOBIS obſervantiam meam, illis diligentiam ſignificarem. Valete.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITULORUM.

TRACTATUS DE INDULGENTIIS

Proemium, *in quo aperitur Controverſiæ ſtatus, quid Hæretici ſenſerint & quid Eccleſia.*

CAPUT I.

DE NATURA ORIGINE, ET DIVISIONE INDULGENTIARUM.

Num. I. *Characteres Indulgentiæ oſtenduntur, & unde petantur. II. Diverſa via incedunt Theologi ut naturam, & originem Indulgentiarum explicent. III. Ponitur adhuc tertia definitio Indulgentiæ, & illius Auctores arbitrantur ſe melius inveniſſe naturam Indulgentiarum. IV. Ponitur noſtra Propoſitio, quæ defenditur.*

§. I. Auctoritate, & ratione probatur Indulgentiam eſſe proprie Judiciariam quamdam abſolutionem, quæ cum ſolutione ordinario conjungitur.

Num. V. *Explicatur quomodo Indulgentia dicatur abſolutio. VI. Varia notantur ad prædictorum intelligentiam. VII. Indulgentia per ſe, & principaliter non eſt inſtituta ad delenda cujuſcumque ſpeciei peccata, ſive mortalia, ſive venialia. VIII. Poteſt tamen diſponere ad remiſſionem peccati mortalis: Explicantur verba, quæ communiter inſeruntur in Privilegiis Indulgentiarum. IX. Quamquam Indulgentia Culpam ſive mortalem, ſive venialem non remittat, remittit tamen quaſcumque pœnas temporales Divinæ Juſtitiæ debitas, & in futuro ſæculo luendas, ceteraſque in Sacramentali Confeſſione injunctas, vel injungendas contra Pſeudo-Reformatos probatur, qui docebant Eccleſiam non poſſe per Indulgentias a pœnis temporalibus ſolvere in futuro ſæculo luendis. X. Adduntur alia fundamenta ut eadem veritas comprobetur. XI. Quommodo menſuretur effectus Indulgentiarum explicatur. XII. Effectus Indulgentiæ non dependet a poteſtate judiciaria, neque onus quidquam imponit illam concedenti.* XIII. *Oſtenditur ad quid ſe extendat Indulgentiarum effectus, utrum ſcilicet ad pœnas injunctas XIV. vel etiam ad pœnas injungendas. XV. Agitur de more primitivæ Eccleſiæ in conferendis Indulgentiis.*

§. II. A Chriſto eſt in Eccleſia poteſtas conferendi Indulgentias.

Num. XVI. *Explicatur locus Matth. cap. 16. & alter textus cap. 18. & concluditur quod poteſtas, concedendi Indulgentias in Petro reſideat principa-*

Digitized by Google

cipaliter, In reliquis vero Apoſtolis ex Divina Ordinatione; ſed non eodem modo. XVII. Petro, & ſucceſſoribus ejus immediate datum eſt hoc jus a Chriſto Domino, quia illi ſoli ſpetialiter promiſſum fuit; per ipſum vero aliis communicatur. XVIII. Eadem veritas efficacius oſtenditur per aliam Scripturam, videlicet ex univerſali munere paſcendi ſibi contreditas Oves. XIX. Hunc morem Eccleſiam ſemper cuſtodiviſſe ex antiquiſſima Traditione probatur, & ex uſu perenni, & ex Conciliorum Decretis. XX. Plenius agitur de eodem argumento. XXI. Aliis argumentis oſtenditur eamdem diſciplinam uſque ad XIII. *Saculum perveniſſe, neque a Cypriano unquam fuiſſe neglectam, & reprobatam. XXII. Indulgentiæ in primitiva Eccleſia conceſſæ ab hodiernis non differebant. XXIII. Caſtigatur* Keimnitius, *& agitur de redemptionibus Pœnarum Canonicarum.* XXIV. *Non favet* Keimnitio *Chryſoſtomus, neque favet Auguſtinus: laudantur horum PP. ſententiæ, Cabilonenſis Concilii Canones explicantur; Abuſus reprehenditur, & quommodo Eccleſia eoſdem repreſſerit indicatur non diſſentiente* Keimnitio. *XXV. Quæritur in quo fundetur Poteſtas a Chriſto conceſſa Eccleſiarum Paſtoribus* Indulgentias *largiendi, & variæ ſententiæ exponuntur. XXVI. Verior ſententia eligitur, & probatur.*

§. III. Varietas, & multiplex Indulgentiarum diſtinctio a modo dependet quo pœnæ temporalis relaxatio conceditur.

Num. XXVII. I*d probatur a forma conceſſionis, & a voluntate concedentis. XXVIII. & XXIX. Varia Indulgentiarum nomina indicantur, & explicantur. XXX. In Indulgentia Plenaria aliqua ſingularia notantur. & explicantur. XXXI. Notantur Characteres Indulgentiæ Plenariæ. XXXII. Computantur, & explicantur tempora, ad quæ Pontifex ſuam Indulgentiam extendit XXXIII. Exponitur ultima diviſio Indulgentiarum in perpetuas, & temporales, & in articulo Mortis;*

CAPUT II.

DE FUNDAMENTO INDULGENTIARUM.

Exponitur vox fundamentum, *& breviter innuitur, quid hæretici de hoc ſenſerint.*

§. I. Indulgentiarum vis, ſive pretium illud, quo pœna temporalis ſolvitur, quæ poſt remiſſam culpam expianda ſupereſt, vel in hac vita, vel in altera ab Eccleſiæ Theſauro totum hauritur, quem Theſaurum de fide eſt admitti debere in Eccleſia, præcipuè conſtantem ex Chriſti Meritis, & ſuperabundantibus ejuſdem ſatisfactionibus.

Num. I. *Quæcumque alia explicandi ratio aſſumatur, tamquam erronea, & inutilis confutatur. II. Ex Scriptura hæc aſſertio probatur. III. Illorum ſententia confutatur, qui Clementi VI. hujus Theſauri Originem nos debere contendunt, quia primus fuerit, qui hoc nomen invexit: confutatur etiam*

pa-

Varonius, qui vult non ſpectare ad fidei Dogma quidquid de hoc Theſauro, ejuſque applicatione ad effectum Indulgentiarum aſſeritur. IV. Quid oporteat diſtinguere in Chriſti operibus, ut plenior hujus Theſauri cognitio habeatur. V. Qualitas culpæ lethalis, licet in ratione Divinæ offenſæ infinita ſit, huic Theſauro non detrahit. VI. Res explicatur, & probatur efficacius. VII. Ad remittendas exteriores publicas Pœnitentias, quæ ad Sacramentale judicium non pertinent non eſt neceſſaria applicatio hujus Theſauri. VIII. Quæritur utrum hic Theſaurus Sanctorum meritis, & ſatisfactionibus augeatur.

§. II. Etiam Sanctorum opera quo ad vim impetrandi ad Eccleſiæ Theſaurum pertinent, & ſub ratione ſatisfactionis potiſſimum applicantur, & per Indulgentias diſpenſantur.

Num. IX. *Probatur Aſſertio ex Conſtitutione Clementis* VI. *& Bulla Pii* V. *contra propoſitionem*. 39. *Baii, & ex communicatione bonorum Operum. X. Momenta contraria proferuntur. XI. & ſequentibus Adverſariorum argumentis reſpondetur nonnullis præmiſſis, & vana Calvini cura demonſtratur, qui illa profert quæ nec ſuum adjuvant errorem, nec Catholicæ cauſſæ contradicunt. XII. Exponitur ulterius contra Calvinum Catholicorum ſententia, laudatur Bellarminus, additur Gregorius* XIII. *qui Pii* V. *ſententiam confirmavit, & vindicatur S. Bonaventura a calumnia Calvini. XVI. A Keimnitio citatur textus ex Pſal.* 48. *contra doctrinam catholicam, Auguſtinus hunc locum explicat, & ſolvitur Keimnitii argutia: adducitur etiam alia in favorem ſatisfactionum Sanctorum quæ per Sacramentum Pœnitentiæ non applicantur: licet contrarium dixerint aliqui ex Theologis.*

CAPUT III.

DE MINISTRO INDULGENTIARUM.

Num. I. *Chriſtus Dominus non indiget alieno Miniſterio in diſpenſatione Indulgentiarum, neque dubitatur de poteſtate Rom. Pontificis, ſed quæruntur alii, ſi qui fuerint prediti hac facultate.*

§. I. *Propoſ. I.* Concilium Generale legitimum, ex ſe & Divino jure caret facultate concedendi Indulgentias Plenarias, ſed ſolum ratione Summi Pontificis, quem includit, & virtute illius.

Num. II. *Ex forma regiminis Eccleſiaſtici prima pars hujus aſſertionis oſtenditur: nec diſſentiunt S. Thomas, & S. Bonaventura. III. demonſtratur altera pars, & additur antiqua Conciliorum Diſciplina.*

Propoſ. II. Epiſcopi non habent immediate a Chriſto Domino facultatem concedendi Indulgentias, quamquam dum illas concedunt utuntur ordinaria poteſtate, quæ a juris diſpoſitionibus limitatur.

Num. IV. *Multiplici argumento hæc aſſertio probatur. V. Contraria ſen-*

ſententia indicatur & refellitur. VI. Inferiores Epiſcopis carent hac facultate, conſuetudine autem, vel privilegio poſſunt Indulgentias concedere; non ita vero Vicarius Capitularis, aut ipſum Capitulum Sede vacante. VII. Eadem carent Parochi. VIII. etiam Prælati Regulares qui tamen poſſunt aliis applicare bona merita, & ſatisfactiones ſuarum Congregationum. Hujus facultatis natura explicatur.

Propoſ. III. Non repugnat ex poteſtate delegata poſſe quemcumque Clericum Indulgentias concedere.

Num. IX. *Præmiſſis aliquibus hæc Propoſitio probatur.*

§. II. Quicumque ſit Indulgentiarum Miniſter, ne fiant remiſſiores ſi deleſ vaſta Indulgentiarum largitione hanc illi præcavendam eſſe voluerunt varia Concilia, & poſtremo Tridentini PP. in Decreto de Indulgentiis, quod in xxv. Seſſ. promulgarunt.

Num. X. *Vetus Eccleſiæ diſciplina uſque ad ſæculum* XIII. *hujus prohibitionis fundamentum perhibet, deinde vero ipſa Indulgentiarum natura, ſive conſiderentur quatenus ſunt abſolutiones, ſive quatenus ſunt diſpenſationes Theſauri per modum Suffragii. XI. Quæritur undenam oriatur hæc lex præſcribens ordinem, & modum obſervandum in conferendis Indulgentiis, & oſtenditur quod ipſa juſtitia cauſſæ decernit hanc legem. XII. Additur neceſſitas cauſſæ proportionatæ. XIII. Quid ſenſerit D. Thomas quando ſcripſit contra opinionem Altiſſiodorenſis. XIV. Vera D. Thomæ ſententia exponitur, & explicatur conditio cauſſæ proportionatæ, & de hac propoſitione nemini licet dubitare. XV. ſi dubium occurrat in Miniſtro Indulgentiarum, cauſſa Dubii perpenditur, & dirimitur. XVI. Delegatus exequitur facultatem ſibi conceſſam ad ferendum Indulgentias cum dicit:* concedo Tibi Indulgentiam plenariam, ſeu tot annos Indulgentiæ, *aut quid ſimile. Quid aliquando ſenſerint Theologi, & quanti ſit facienda illorum opinio. Traditur vera praxis. XVII. Delegatus ſua auctoritate moderate uti debet, ne ſe ad relaxationem inclinatum oſtendat, & ne vel indiſcrete, vel exuberanter illa utatur. XVIII. Poteſtas concedendi Indulgentias perpetua eſt in Rom. Pontifice, ſi dignitati non renuntiaverit, in aliis tamdiu perſeverat, quamdiu non revocetur, aut reſtringatur. Varia notantur in hac materia.*

CAPUT IV.

DE SUBJECTO INDULGENTIARUM.

Num. I. *Agitur in genere de Subjecto Indulgentiarum, & ii indicantur, qui hujus Beneficii capaces eſſe nequeunt.*

§. I. Status fidei, & ſtatus Gratiæ debet neceſſariò conjungi, ut homo Viator Indulgentiarum omnium ſit capax, quæ a ſuo Superiore conceduntur.

Num. II.

Num. II. *Infidelibus igitur, Hæreticis omnibus etiam occultis Indulgentiæ non proſunt. Adduntur Excommunicati, qui omni Eccleſiaſtica communione privantur, III. Probatur neceſſitas ſtatus Gratiæ. IV. Definitur tempus, in quo ſtatus gratiæ requiritur, ut quis Indulgentiam lucretur. V. Confeſsio præmittenda aliquando eſt, & aliquando non eſt neceſsaria, ut quis lucretur Indulgentiam: Peculiaris ſententia Theologorum quorumdam cenſura notatur. Quomodo cognoſci poſſit an Confeſſio prærequiratur, an non. VI. Utrum non ſubditis Indulgentiæ proſint. VII. Probatur quod proſint Rom. Pontifici, & ceteris paribus reliquis Prælatis. VIII. Citatur Alexandri* III. *Decretum, & explicatur. IX. Omnes omnino fideles capaces ſunt Indulgentiarum, quæ a quocumque Prælato conceſsæ fuerint Populo, Civitati, Eccleſiæ, ſive Laici fuerint, ſive Clerici, ſive Perſonæ exemptæ. X. Uno ſolum injuncto opere aliquando plures Indulgentiæ acquiruntur, non ſemper tamen uno opere exhibito Indulgentiæ plures acquiruntur. XIII. Non probatur eorum ſententia, qui inter conditiones ad acquirendam Indulgentiam recenſent ſollicitudinem ad ſatisfaciendum pro propria pœna, quod ſi hac concurrat plurimum, proderit ad perfectam Animæ liberationem, quia torporem non fovent Indulgentiæ, ſed peccantium adjuvant infirmitatem.*

§. II. Licet Defuncti propriè non ſint Indulgentiarum ſubjectum, tamen eis proſunt, quæ pro ipſis ſunt conceſſæ.

Num. XIV. *Exponitur contraria ſententia, & fundamenta adduntur, quibus innititur. XV. Antiqua praxis Eccleſiæ hanc ſententiam confirmat, cui ratio ipſa ſuffragatur. Applicantur itaque Indulgentiæ Defunctis, per modum Suffragii. XVI Explicatur ſenſus horum verborum, & juxta hunc loquendi modum poſſunt conciliari contrariæ opiniones, quæ aſſerunt non prodeſſe Defunctis Indulgentiæ per modum Abſolutionis. XVII. Laudantur Theologi qui nobiſcum ſentiunt. Qui tamen diſputant utrum noſtra ſententia pertineat ad fidei Dogma. XVIII. Prodeſse Indulgentias per modum Abſolutionis, & prodeſse per modum Suffragii quid ſignificet? XIX. Argumentum Recentiorum Theologorum perpenditur. XX. Non adverſantur Antiquorum Fundamenta. XXI. D. Thomæ explicatio præfertur, & uberius agitur de hoc argumento. XXII. Exponitur quid requiratur ex parte vivorum ad acquirendam Indulgentiam pro defunctis, & præſertim an requiratur ſtatus Gratiæ, in quo Theologi diſcrepant. Verba Bullæ controverſiam dirimunt. XXIII. Quid requiritur ex parte Defunctorum, ut illis proſint Suffragia? Tres conditiones ponuntur, Status gratiæ, Character Baptiſmalis, & ſpeciale Meritum, quod in hac vita præceſſerit, Addunt aliqui, quod in anima requiratur Notitia, & acceptatio Beneficii ſibi impenſi, verum hæ duæ conditiones refelluntur.*

CA-

ſolvatur, parti laſæ ſatisfacere tenetur, aut jurare ſe ſatisfacturum. Agitur de alterutra hac conditione. Navarrus, Boſſius, & Henriquez notantur. Quando reincidentia locum habeat. Teſtimonium abſolutionis a Cenſura utrum dari debeat Abſoluto? & quando. Abſolutio pro Foro interno nulla eſt pro Foro externo. Utrum Confeſſarius de Abſolutione præſtita ad aliquid teneatur? XVIII. Corollarium ſecundum. Refellitur eorum Theologorum ſententia, quæ defendit quod cum in Jubilæo A. S. conceditur facultas abſolvendi a Reſervatis in Bulla Cœnæ, conceditur etiam facultas illum abſolvendi, qui interius Fidei articulo diſentitur, ſuumque diſenſum aliquo exteriori ſigno pandit, quin tamen id circo ad forum judiciale ſit deductus. Secus vero dicendum de Receptatoribus, & fautoribus Hæreticorum, quia illorum crimen aliud eſt a Crimine hæreſis, ut uberius explicatur. XIX. Corollarium III. Harum facultatum beneficio non gaudent ii, qui Cenſuris irretiuntur, propter unumquemque illorum Caſuum, qui leguntur in Bulla Cœnæ. & referuntur a Benedicto XIV. in ſua Conſtitutione Paſtor Bonus edita idibus Aprilis A. 1744. XX. Ab aliis vero criminibus in dicta Bulla contentis non impenditur abſolutio, ut patet ex alia Conſtitutione Benedicti XIV. quæ incipit Convocatis num. 4. licet ab antiquioribus Pontificibus Alexandro VI. Clemente VII. & Paulo II. fuiſſent excepta. XXI. Poſſunt tempore Jubilæi Anni Sancti Confeſſores abſolvere a Caſibus reſervatis Epiſcopis imo etiam a Reſervatis illis, in quæ quis incidit in ſpe Jubilæi, non vero ſi Caſus incurratur poſt acquiſitum Jubilæum, & confutatur contraria opinio, quæ aſſerit, & tuetur toties Jubilæum acquiri poſſe quoties injuncta Opera repetuntur. A peccatis vero oblitis, etiam elapſo Jubilæo poteſt quis abſolutionem impetrare a quocumque Confeſſario, licet ſit deſtitutus hac facultate, & frui reliquis Privilegiis, quibus tempore Jubilæi uſus non eſt propter ignoratam neceſſitatem. XXII. Ponitur Caſus tum illius, qui ficte vult lucrari Jubilæum, tum etiam alterius, qui lucrari Jubilæum intendit ſed poſt obtentam abſolutionem, & impetratas diſpenſationes negligit exequi Opera injuncta ut innoteſcat quid in his caſibus tenendum ſit. XXIII. Quanti facienda ſit abſolutio a Reſervatis, & Cenſuris, & conceſſa Diſpenſatio, ſi totum fiat extra Sacramentum Pœnitentiæ declaratur; aut ſi fiat in Confeſſione invalida ex quocumque defectu. XXIV. Corollarium IV. Pœnitentiariis minoribus communiter non committitur Votorum omnium, exceptis ſolemnibus, ſed Majoribus Pœnitentiariis Diſpenſatio, quibus etiam concedi ſolet commutatio in Votis S. Sedi reſervatis. Additur quod commutare diſpenſando poſſint in Votis omnibus ſimplicibus, non exceptis illis quinque, quæ Sedi Apoſtolicæ reſervantur. XXV. Explicatur ſenſus verborum: commutare diſpenſando poſſint, qui alius certe eſt ab illo, quem nonnulli Theologi arbitrati ſunt, qui unam ex his poteſtatibus aliam excludere docuerunt, aut deduci non poſſe poteſtatem commutandi ex facultate conceſſa diſpenſandi. XXVI. Reſpondetur huic Inſtantiæ: ſi facultas commutandi, & diſpenſandi in Votis expreſſa non ſit in Bulla A. S. an adhuc intelligatur conceſſa; & quatenus ſit expreſſa, an ſe extendat ad Vota etiam juramento firmata? XXVII. Utrum quod dicitur de Votis juratis, extendatur ad Vota de non petenda diſpenſatione, aut commutatione eorumdem: & quid de Votis Caſtitatis, & Religionis conditionalibus, & quid ſi particula conditionalis æquivaleat particulæ temporis, & convertatur in illam: & uberius de materia Voti agitur.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. In commutatione Votorum debita proportio ſervari debet; in quo hæc conſiſtat explicatur. XXIX. Corollarium v. *Pœnitentiariis non deeſt facultas diſpenſandi ſuper impedimento Irregularitatis ex delicto contracta dumtaxat ob Violationem Cenſurarum, quæ facultas extenditur in favorem Clerici in minoribus Ordinibus conſtituti, qui in excommunicatione miniſtravit. XXX. Electio Confeſſarii a Regularibus facienda tempore Jubilæi A. S. a Pontifice permittitur ſine ſuorum Superiorum licentia, & in hoc diſciplina recens diſtinguitur ad antiqua. XXXI. Idem dicendum de illis Regularibus, qui non poſſunt Romam adire ut lucrentur Jubilæum; & generaliter de Monialibus omnibus, dummodo Confeſſarius eligatur, relative ad Moniales, unus ex approbatis ab Ordinario Loci ad audiendas earum Confeſſiones; pro Regularibus vero, dummodo ſit unus ex approbatis, niſi fuerit Parochus, aut Pœnitentiarius Canonicus. XXXII. Privilegia Jubilæi quibus non proſint ſingillatim oſtenditur. XXXIII. Reſpondetur Quæſtioni utrum Jubilæum magis proſit non eunti Romam legitime impedito, an alteri qui in Urbe Jubilæum conſequitur? XXXIV. Ad pleniorem inſtantiæ ſolutionem notatur, quod exterior actio,* per ſe loquendo, *non addit novum meritum, aut demeritum actioni interiori* per ſe loquendo.

§. IV. Jubilæi Anni Sancti Beneficia ad univerſum Orbem Catholicum extenduntur.

Num XXXV. *Indicatur quomodo ſe geſſerint in hoc negotio R. Pontifices Bonifacius* IX. *Clemens* VI. & *Nicolaus* V. *deinde alii Recentiores uſque ad Benedictum* XIV. *& hoc ſinguli præſtiterunt in anno, qui ſequebatur immediate annum Jubilæi. Extra hæc tempora primus omnium Xiſtus* V. *in initio ſuæ Aſſumptionis Bullam Jubilæi publicavit, quem morem ſequentes Pontifices in exemplum tranſtulerunt uſque ad hodiernam diem.* Innocentius XII. *Benedictus* XIV. *& Clemens* XIII. *Jubilæum iterato publicarunt; quod ſolum in duratione temporis diſcrepat a Jubilæo A. S. XXXVI. Agitur de requiſitis, & de iis quæ accidere poſſunt in peragendis Operibus injunctis, ut quis lucretur hoc* Jubilæum. XXXVII. *Agitur de Eleemoſina.* XXXVIII. *Agitur de* Jejuniis *injunctis.* XXXIX. Dubitatur *utrum* Jubilæum *ab Ordinariis Locorum publicari debeat, ut* Opera *injuncta impleantur, & affirmativa ſententia præferenda eſt negativa.*

DO-

DOCTRINA CHRISTIANA

DE INDULGENTIIS

AB HETERODOXORUM ERRORIBUS VINDICATA.

TRACTATUS NONU

DUriorem illam, & aſperiorem viam obtinendi remiſſionem pœnæ temporalis, vel propria ſatisfactione, vel ſatispaſſione ipſius Peccatoris aperuimus in ſuperioribus Tractatibus de Pœnitentia, & de Purgatorio: Ad aliam faciliorem, mitioremque viam modo pervenimus, quæ eſt per conceſſionem Indulgentiæ, ſi tamen per publicam poteſtatem liceat, ut hoc medio nobis, & Defunctorum Animabus ſuccurramus. Indulgentiæ nomen antiquiſſimum eſt, quod illud uſurpatum inveniamus a Prophetis, ab Apoſtolis, & a vetuſtiſſimis Patribus Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, & quamquam ſub varia explicatione, re tamen ipſa, ut ſignificarent vel remiſſionem, vel condeſcenſionem, vel relaxationem, aut quid ſimile, ut ex infra dicendis patebit. A poſteriorum etiam ſæculorum Patribus, & Conciliis idem nomen uſurpatum eſt; imo ab ipſis Imperatoribus, & Juris Conſultis, qui remiſſionem generalem criminum Indulgentiam vocarunt, & hujus

rei exempla ſuppeditant Theodoſianus Codex in titulo 38, libri IX. aliæque plures leges, quæ eadem voce in ſimili ſignificatione utuntur. Quod igitur conſtanti ſæculorum omnium conſenſu, ab uſu cognitum approbatumque eſt, poſtremis hiſce temporibus a Novatoribus eſt impugnatum, qui nullam in Eccleſia poteſtatem eſſe concedendi Indulgentias dixerunt; has nihil eſſe præter pias fidelium fraudes, aut ſaltem ſex hominum generibus non eſſe neceſſarias, nec utiles, mortuis videlicet aut morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur. Vvaldenſes qui ex teſtimonio Raineri libro contra Vvaldenſes c. 6. & Philedorphii libro contra eosdem hæreticos, in hos ſcopulos impegerunt ut reprobarent Indulgentias, tertium, & quartum Lateranenſe Concilium damnarunt. Uvicleſum, & Joannem Hus qui in eumdem errorem irrepſerunt Synodus Conſtantienſis repreſſit, Lutheri, Calvini, & ceterorum, qui cum illis ſenſerunt confregit audaciam Concilium Tridentinum in Seſs. xxv. verſus finem ubi ſic legitur: *Cum poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit, Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit: eosque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate eccleſiaſtica diſciplina enervetur.* Nos hunc de Indulgentiis Tractatum ita diſtribuimus ut Catholicorum, & Hæreticorum diſſidia aperiantur, mendacia, fraudeſque iſtorum diſcutiantur, & refellantur; & ſi quid inter Catholicos ipſos ſalva fide fuerit controverſum, etiam de hoc veritatis indagandæ, vel illuſtrandæ cauſa diſputabitur. Sit igitur.

C A P U T I.

DE NATURA, ORIGINE, ET DIVISIONE INDULGENTIARUM.

I. Accipitur ab aliquibus Indulgentia veluti *ſpecialis quædam remiſſio, ſeu relaxatio pœnæ debitæ pro peccatis jam remiſſis quo ad culpam; quæ fit a Paſtore Eccleſiæ habente ad hoc Poteſtatem*, Hos Indulgentiæ characteres inferunt hi Theologi ex capite *quod autem* de Pœnitentiis, & Remiſſion., & ex cap. *Indulg.* eodem titulo in 6. Hoc autem, ut videtur, non ſine ratione ab illis dicitur, nam cum Indulgentia non veniat a poteſtate ligandi, quæ eſt in Eccleſia, & tamen independenter ab Eccleſiaſtica poteſtate non habeatur, neceſſe eſt quod illius actus ſit actus poteſtatis ſolvendi, & ita oportet quod Indulgentia ſit abſolutio quædam, per quam qui illam aſſequitur liberetur a reatu pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, & per hoc ſalvari optime inquiunt illius diſcrimen a Suffragio, quod dum liberat a reatu ejuſdem pœnæ temporalis, id operatur non ex poteſtate abſolvendi, quæ ſit in illo, qui Suffragium exhibet, ſed ex illius privata donatione, ut diximus agentes de Suffragiis.

II. Sub-

II. Subtilius alii Theologi Indulgentiarum naturam ſcrutantur, & dum vident earum conceſſionem non exerceri per modum judicii aut ſententiæ, ſed per modum cujusdam ſimplicis donationis, per quam unicuique fidelium donatur de Theſauris Eccleſiæ tantum quantum neceſſe habet ad ſolvendum Deo pro tali reatu pœnæ, dicunt Indulgentiam non eſſe proprie abſolutionem, ſed *eſſe donationem quamdam, ſeu diſpenſationem Theſauri Eccleſiaſtici auctoritate publica facta fidelibus, ut pro peccatis ſuis ſolvant*; idque ſe poſſe tueri, eo efficacius putant, quo certo certius ſciunt Indulgentiam beneficium eſſe vivis æque ac defunctis commune, erga quos Eccleſia nullam directam jurisdictionem habet, quia per mortem homo conſtituitur extra ſtatum viæ, & conſequenter etiam extra forum militantis Eccleſiæ: unde reſpectu defunctorum, Indulgentiæ rationem abſolutionis habere non poſſunt.

III. Theologi, qui neutri ex his definitionibus acquieſcunt aliam exhibent, quæ non omnem actum jurisdictionis excludit, ſed a circumſtantiis illis omnibus cavet, per quas illæ ſolum Indulgentiæ deſcribuntur, quæ vel ſolis viventibus proſunt, vel pro ſolis defunctis conceduntur: qua propter apud illos hanc Indulgentiæ definitionem legimus, quod *Indulgentia ſit conceſſio virtute clavium facta, qua mediante liberatur peccator ex opere operato, ſeu ad modum ejus a reatu pœnæ temporalis extra ſacramentum*, in qua definitione clarius apparet diſcrimen Indulgentiæ a Suffragio, ac appareat in illa, quam Soto exhibet diſt. 23. q. 1. a. 1. ubi dicit *Indulgentia eſt Eccleſiaſtica relaxatio pœnæ pro peccato debitæ, quæ extra ſacramentum fit*, niſi per verba illa *Eccleſiaſtica relaxatio* intelligatur relaxatio, quæ fieri debeat per peculiarem Eccleſiæ facultatem, in quo caſu hæc definitio cum ſuperiori choæreret, aut ſaltem a ſuperiori parum differret, a qua tamen plurimum differunt definitiones Medinæ, Cordubæ, Alenſis, Cajetani & aliorum, in quibus definitionibus vera Indulgentiarum eſſentia non cernitur per ſuum genus, & differentiam explicata. Ideo vero per Indulgentiam dicitur in ſuperiori definitione quod relaxatur pæna extra Sacramentum, ut remiſſio, quæ per Indulgentias fit ſeparetur ab omni remiſſione Sacramentali in foro Pœnitentiæ: tum quia in hac ſola intervenit actus clavium, & eſt neceſſaria jurisdictio, quæ per ſe non intervenit in Sacrificiis, & in aliis Sacramentis, niſi ut recte & ordinate fiant; tum etiam quia remiſſio Sacramentalis non eſt Indulgentia, ſed excellentior quædam abſolutio, quæ communiter temporalem pœnam non remittit, e contra vero extra Sacramentum nullo alio modo fit temporalis pœnæ remiſſio virtute clavium, & ad modum operis operati, niſi per Indulgentiam. His nihilominus non obſtantibus ponitur.

§. I. *Auctoritate, & ratione probatur Indulgentiam eſſe proprie judiciariam quamdam abſolutionem, quæ cum ſolutione ordinarie conjungitur.*

IV. Habetur hæc Propoſitio in epiſtola Alexandri III. ad Epiſcopum Cantuarienſem, in qua Pontifex ait, *quod cum a non ſuo Judice ligari nullus valeat, vel abſolvi, remiſſiones* (ſic appellat hic Pontifex Indulgentias) *prodeſſe illis tantummodo arbitramur, quibus ut prodeſſent proprii judices ſpecialiter indulſerunt*. Eſt igitur Indulgentia una illarum rerum, quæ exigunt jurisdictionem in conferente, conſequenter vera abſolutio eſt, alioquin e-

etiam in non ſubditos poſſet conferri. Hinc eſt, quod Martinus V., & Gregorius hujus nominis VII. Indulgentiam concedentes verbo *Abſolutionis* utuntur, ille in ultima Seſſione Concilii Conſtantienſis; hic in epiſt. ad Epiſcopos, & Cleric. Britanniæ, & ad Alphonſum Hiſpaniæ.

Nunc ratione probatur eadem Propoſitio, nam cum Indulgentia ſit beneficium reſultans ex ſatisfactionibus Sanctorum, & ſatisfactione Chriſti; Nos hoc Theſauro uti non poſſe ad remittendas temporales noſtras pœnas clarum eſt, niſi ex illo nobis aliquid applicetur per Vicarium ejus, cui ſoli Chriſtus ipſe commiſit hujus Theſauri diſpenſationem, quia vero in hac diſpenſatione elucet veritas divinarum promiſſionum, quæ Matth. 16. & 18. leguntur: *quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum, & in Cælis*, non poteſt etiam non elucere abſolutionis illius actus, per quem a temporalibus pœnis eripimur, dum Indulgentiis adjuvamur.

V. Jam vero, ut Indulgentia dicatur abſolutio non requiritur, quod illius conceſſio fiat per modum judicii, & ſententiæ, quomodo ſit Sacramentalis remiſſio, ſed ſatis eſt, quod ſit efficax condonatio pœnæ immediate facta per voluntatem, & declarationem Vicarii Chriſti, qui in hoc utitur poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa, qua loquendi formula uſus eſt Paulus in 2. ad Cor. 2. & utuntur ipſi Pontifices, dum in conceſſione Indulgentiæ dicunt *miſericorditer indulgemus*. Hoc unum non reſpuit Indulgentia, quod annexa ſit ſolutioni ex Theſauro, quia hoc naſcitur ex ipſius Indulgentiæ charactere, & applicatione, quem modum Clemens VI. expoſuit in Extravaganti *Unigenitus*. Hoc autem præcipue oritur ex illo onere, quod in Pontifice remanet Divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi eo tempore, quo temporalem pœnam per Indulgentiam remittit, & ab hoc onere ſe eximit cum Indulgentiam elargitur Pontifex, & interim applicat Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones, quod illud eſt, quod S. Thomas ait hic ad 2. *qui concedit Indulgentiam ſolvit pœnam, quam alter debuit, de bonis Eccleſiæ communibus*; & hoc illud quoque eſt, quod Summus Pontifex ſemper agit cum Indulgentiam pro Defunctis concedit, quos non abſolvit, ſed applicat illis ex Eccleſiæ Theſauris quantum ſatis eſt ad compenſandam pœnam, quam illi Defuncti in Purgatorio luerent, ut ſuo loco videbimus.

VI. Super his tamen notandum eſt abſolutionem hanc quæ oritur ex Indulgentia non eſſe illius naturæ, ut etiam invito prodeſſe poſſit. Id proprium eſt illius abſolutionis, quæ proficiſcitur ex humanis judiciis. Ad effectum hujus abſolutionis tantum requiritur, quod qui ſuſcipit Indulgentiam ſit diſpoſitus, hoc eſt præmittat ea, quæ Pontifex prærequirit in ſuſcipiente, hæ vero diſpoſitiones quænam ſint ſuo loco inferius dicetur. Notandum ulterius eſt hanc abſolutionem, quia generalis, & conditionata eſt, non requirere cognitionem cauſſæ niſi generatim, videlicet ſatis eſt Pontificem cognoſcere quod expedit ut Indulgentia concedatur, & ſe velle quod pœna remittatur, ſi quæ debeatur, aut ſi opera injuncta, & pœnitentis ſtatus, pœnæ quæ per Indulgentiam remittitur corriſpondeat. Peculiaris abſolutio ſola requirit quod ſecundum allegata & probata feratur, & delicti conditio cognoſcatur. Indulgentiæ apud veteres uſitatæ abſolutionem hanc imitabantur, ſecus vero Indulgentiæ temporum poſteriorum, & hodiernæ, quæ conceduntur cum conditione certi operis faciendi, unde non eſt neceſſe quod peccata eorum cognoſcat Pontifex, qui indulgentias elargitur. Notandum adhuc

Digitized by Google

adhuc eſt nullum inconveniens inde oriri quod Eccleſia per Indulgentiam ſolvat quod non ligavit, ut per Sacramentum remittit pœnas, quas non taxavit. Nullus enim ignorat poteſtatem ſolvendi ſæpe latius patere poteſtate ligandi, ut patet cum Pontifex hominem ſolvit a votis, ſcilicet ab obligatione ex jure Divino proveniente, quamvis ipſe hominem non ligaverit, nec ex hoc ſequitur irritum ab Eccleſia fieri divinum decretum, aut illud immutare. Divina ſiquidem lex Purgatorias pœnas taxans, decernit etiam earum remiſſionem per Indulgentias, quæ ab Eccleſia conceduntur utente poteſtate clavium ſibi a Chriſto conceſſa. Nunc ſupereſt examinandum an judiciaria hæc abſolutio, qualis eſſe dicitur Indulgentia vincula habeat, quæ poſſit ſolvere, aut a quibus nos abſolvamur. Fudamentum huic dubio ſuppeditant verba, quæ in Pontificum Bullis leguntur, in quibus aliquando præmittitur peccatorum remiſſio, & aliquando integra abſolutio a culpa, & a pœna, pro quo.

Dicimus I. *Indulgentias per ſe, & principaliter non eſſe inſtitutas ad delenda cujuſcumque ſpeciei peccata mortalia, & venialia.*

VII. Hæc Propoſitio evidens eſt in doctrina Concilii Tridentini Seſs. VI. cap. 7. ubi dicitur nullum remitti peccatum lethale ſine gratiæ ſanctificantis infuſione, quæ infuſio, ut dixerunt Patres in can. 4. ejuſdem Seſſionis obtineri non poteſt per remiſſionem aliquam extra Sacramentum factam; & cum Seſsione XIV. dicant in cap. 2. Sacramentum Pœnitentiæ eſſe ad ſalutem lapſis poſt Baptiſmum neceſſarium, aufertur omnino Indulgentiis hæc poteſtas, nullaque concedi poterit, per quam peccatorum remiſſio extra Sacramentum tribuatur. Quod magis confirmatur, tum ex formulis concedendi Indulgentias hominibus contritis, vel confeſſis, quæ conditio inutilis eſſet ſi confeſſionis, vel contritionis effectus Indulgentiis conveniret, tum ex hoc quod in jure ſæpe ſignificatur per Indulgentiam compenſari ſatisfactionem, non vero contritionem, vel confeſſionem: quare S. Thomas in 4 d. 20. q. 1. a. 5. quæſtiunc. 1. *merita illa, ait, quæ per Indulgentiam communicantur poſſunt valere ad merendum gratiam, non tamen propter hoc diſpenſari, ſed determinate propter remiſſionem pœnæ*: quamquam igitur culpa venialis eſſet, adhuc tamen Indulgentiæ effectus ad hanc delendam non ſe extenderet, quia tantum reſtringitur ad pœnam temporalem, ut abſolute culpam excludit, quæ ab illa pœna moraliter diſtinguitur, & quæ deleri non poteſt ſecundum ordinariam legem ſine actu hominis, quo prior voluntas aliquo modo mutetur, qui actus per Indulgentiam non datur, neque per ſe ſufficit, niſi interveniat aliqua cauſſa, quæ ex opere operato poſſit venialem culpam delere, cujuſmodi eſt Sacramentum.

VIII. Dixi autem per *ſe, & immediate*, quia remote & ex accidenti Indulgentia deſervit ad impetrandum peccatori bonum motum, quo ſe diſponat ad remiſſionem peccati mortalis, qui Indulgentiæ fructus nullam in ſe repugnantiam includit, quemadmodum neque repugnat ex parte Theſauri, in quo Indulgentiæ nituntur: quapropter idem S. Thomas loco citato notavit, quantum eſt ex parte hujus Theſauri, & poteſtatis Eccleſiaſticæ ad illum applicandum, poſſunt Indulgentiæ hunc effectum habere, unde ait: *Si fieret communicatio in hunc modum: Facio te participem merito-*

rum

rum totius Eccleſiæ, vel unius Congregationis, vel unius ſpecialis perſonæ, ſic poſſet valere ad merendum aliquid illi, qui eſt in peccato mortali; Neque ſolus S. Thomas hoc dicit, ſed aliorum quoque opinionem adducit, quam quoad hanc partem probat, non vero quo ad alteram, in qua abſolute docent Indulgentias valere etiam exiſtentibus in peccato mortali, quia ait *propter hoc non diſpenſantur*.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra expenſa ex verbis privilegiorum, quorum exemplaria ſuppeditat Urbanus II. in Indulgentia quam concedit pro expeditione Hieroſolymitana, Gelaſius item II. ſcribens ad Exercitum Chriſtianorum, qui Cæſarauguſtanam Civitatem obſidebant, & Bonifacius VIII. in extravaganti *Antiquorum* de Pœniten. & remiſs. cum peccatorum nomine non ſemper ſignificari culpas, ſed aliquando pœnas probet auctoritas 1. Macab. 12. *ut a peccatis ſolvantur*: in hac igitur ſignificatione laudati Pontifices peccati vocabulum uſurparunt, & ſuis Indulgentiis ſe peccatorum remiſſionem concedere intellexerunt, non enim ii ſumus, qui locutionem hanc abſolvendi a culpa, & a pœna reprehendamus, quod quidem fecerunt Scholaſtici, quibus fortaſſe, argumentum ſuppeditarunt Clementina 1. de Privilegiis, & Clement. 2. §. 2. de Pœnit. & remiſs. Sed primæ explicationi ſuperaddimus, hanc culpæ remiſſionem non accipi a Pontificibus ut effectum immediatum Indulgentiæ, ſed illorum operum, Confeſſionis ſcilicet, & contritionis, quæ ab eiſdem præſcribuntur, quibus ſane operibus convenit, ut peccatorum culpas remittant. Quod ſi quis dixerit ex Canone 2. Concilii Claromontani, ubi inter cetera decernitur: *Iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur*, erui Indulgentias utpote ſuffectas pœnæ canonicæ, non aliter ac iſtam conferre ad culpæ remiſſionem. Reſpondebitur argumentum laborare in falſo ſuppoſito nam non Indulgentia, ſed opera injuncta pro aſſecutione Indulgentiæ in Canonicam pœnitentiam ſunt immutatæ, & his operibus ex Eccleſiæ beneplacito illa vis attribuitur, quæ Canonicæ pœnitentiæ inerat, diſponendi ſcilicet ad culpæ abſolutionem, quia ſufficiunt ad contritionis donum impetrandum, & ad extinguendum peccati affectum.

Dicimus 2. *Quamquam Indulgentia culpam ſive mortalem ſive venialem non remittat, remittit tamen quaſcumque temporales pœnas Divinæ juſtitiæ debitas & in futuro ſæculo luendas, ceteraſque in ſacramentali Confeſſione injunctas, vel injungendas.*

IX. Prima hujus propoſitionis pars, præcipuum Pſeudoreformatorum errorem perſtringit, qui docebant Eccleſiam non poſſe per Indulgentias a pœnis temporalibus ſolvere in futuro ſæculo eluendis. Hoc autem quod dixerint mirum eſſe non debet cum antea dixiſſent poſt remiſſionem culpæ nullum ſupereſſe pœnæ reatum coram Deo, nullamque eſſe neceſſitatem ſatisfactionis, & nullum Purgatorium. Suis in locis præcipuos hos errores confutavimus, nunc Indulgentiarum vim ab eorum conviciis vindicabimus. Et certe Indulgentias producere effectum, quem diximus, ſuperius ex Matthæo citata ſententia concludit, qua Chriſtus Dominus in Cœlo eſſe ſoluta promiſſit quæ Petrus ſolviſſet in terris; ſolvit autem Petrus ideſt Chriſti Vicarius Romanus Pontifex quidquid in perſona Chriſti fidelibus donat: igitur non ſine offenſione Divinarum promiſſionum negatur Indulgentias pœnas remittere Divinæ juſtitiæ debitas. Merito itaque Leo X. in ſua Bulla contra articulos Lutheri hunc anathematizavit: *Indulgentia his qui veraciter eas conſequuntur non valent*

ad

Digitized by Google

ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam juſtitiam, ut Sixtus IV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Licet ea* merito etiam damnaverat Petri Oxomenſis propoſitionem, qua aſſerebat Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere non poſſe.

X. Neque aliud intellexiſſe Apoſtolum cum in 2. ad Cor. ait: *ſe inceſtuoſo Corinthio indulgentiam donare in perſona Chriſti*, ſcilicet in Dei judicio condonationem hanc æque ratam fuiſſe ac ſi Chriſtus illam conceſſiſſet, teſtatur qui Commentaria in hunc locum ſub ementito Ambroſii nomine exaravit: *Ut ratam ei cui donavit oſtenderet apud Deum*, verba ſuut Ambroſiaſtri, ait *in perſona Chriſti ſe donaſſe quod donavit, hoc eſt, accepto tuliſſe Chriſto, cujus legatione fungebatur, ut factum Apoſtoli, ſit factum Chriſti, ſicut dixit: quæcumque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cælo*. Imo neque aliam fuiſſe veterum Patrum fidem tum importuna Tertulliani in Zephirinum animadverſio probat, quem nolebat aſſerere Martyrum cruciatus, & propria, & aliena peccata purgare: ſolutiouem a Martyribus peractam, ad ceteros fideles extendere, & purgationem illam, & ſolutionem, & applicationem æque pro alienis ac pro propriis reatibus coram Deo valere. *An tu*, inquit in cap. 22. l. de Pudicit., *& in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem? Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati, & ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus*. Et ne videretur temere iu S. Pontificem exarſiſſe, animadverſionis hujus cauſſam reddens *quis*, addit, *alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei filius? Si propterea Chriſtus in Martyre eſt, ut Mœchos, & fornicatores Martyr abſolvat, occulta cordis edicat, ut illa delicta concedat, & Chriſtus eſt*. Dixi *importunam*, quia ſcripſit hæc Tertullianus cum jam ad Montaniſtas acceſſiſſet, nam cum Catholicus ſcripſit ad Martyres cap. 1. hujus libri tenuit poſſe ad preces Maryrum indulgeri lapſis reconciliationem. Falſum itaque Zephirinus non credidit, & cum ipſo univerſalis Eccleſia cum credidit per Martyrum preces pœnæ remiſſionem poſſe obtineri, quæ non tantum in vita hac ex Canonum præſcripto, ſed & in altera peccatis debetur, quod uberius docuit Cyprianus in epiſtola 14. & poſtea S. Thomas in 4. q. 1. a. 5. & poſtremo Tridentinum Concilium in ſupra citato Decreto cum dixit *Indulgentias eſſe Chriſtiano populo ſalutares*, quod verum non eſſet ſi valerent tantum ad abſolvendum ab obligatione qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam aliquis ordinatur ex Canonum ſtatutis, quia ut obſervat laudatus S. Doctor *remitteret ad graviores pœnas, ſcilicet Purgatorii, & ideo explicandum eſt Indulgentias eſſe ſalutares, quia valent, & quantum ad forum Eccleſiæ, & quantum ad judicium Dei ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem & confeſſionem & abſolutionem, ſive ſint injunctæ, ſive non*. Ex hoc tamen non Colligitur Indulgentias debere pœnas illas remittere, quarum Deo debitores ſumus in foro externo, & quarum ſermo eſt in Pſalmo 88. iu cap. 12. epiſtolæ ad Hebr. & in 11. cap. epiſt. 1. ad Cor. in quibus locis Deus proteſtatur ſe viſitare in virga iniquitates filiorum: ab illo nos debere accipere diſciplinam, judicari, & corripi ne cum hoc mundo damnemur, ſiquidem hujuſmodi pœnæ a Deo infliguntur tamquam judice in Criminali foro pertinacibus, & rebellibus, & neceſſarium eſt quod ita infligantur per bonum reipublicæ, ut facinoroſi deterreantur a peccatis, & ut boni in juſtitiæ operibus confirmentur. Magnum vero diſcrimen eſt inter pœnitentias, quæ im-

po-

ipſum pertineat. Demum ſi eſſet neceſſaria in largitore Indulgentiæ condigna ſatisfactio ſuo effectu fruſtraretur ipſa Indulgentia, quod fieri non poſſe ex dictis unicuique perſpicuum eſt.

XIII. Quamquam vero communis ſit Theologorum ſententia Indulgentiam remittere pœnitentias injunctas, ſi Pontifex in ſuis litteris earumdem meminerit, quemadmodum illarum meminit in can. 62. Concili IV. Lateranenſis, ubi ait: *quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat*; vel cum dicit: *qui hac vel illa fecerint tot dies de injunctis ipſis Pœnitentiis relaxamus*: tamen non ita conveniunt omnes, ſed plurimam inter ſe certant cum quærunt ad quid ſe extendat Indulgentia conceſſa ſine illius particulæ adjectione. Nihilominus illa ſanior ſententia videtur, quæ Indulgentiæ facultatem extendit ad omnes omnino peccatorum pœnas injunctas, & injungendas juxta quantitatem, ſeu largitatem conceſſionis, hoc præcipue fundamento, quia Indulgentia valet, prout conceditur, & nullum in jure decretum legitur quod ſignificet Indulgentias, in quibus non additur hæc reſtrictio de pœnitentiis injunctis, accipiendas eſſe ac ſi cum eadem reſtrictione eſſent conceſſæ; Imo apud auctorem Gloſſæ in Extravaganti Bonifaci VIII. quæ incipit: *Antiquorum* legitur hunc Pontificem aliter ac Theologi ſentirent, ſuam mentem explicaſſe, cum de hac re interrogatus ait: *per pleniſſimam Indulgentiam ſe intellexiſſe, tam plenam Indulgentiam concedere voluiſſe, quam poſſet dari per claves Eccleſiæ*: quis autem dubitat Eccleſiæ claves non poſſe ſe extendere ad indulgendas pœnas in foro Sacramentali non injunctas, ſed tamen debitas in Judicio Dei? aut quis credet Pontifices decipere fideles omnes cum ſciant plenarias Indulgentias ab illis ita communiter accipi, ſcilicet per has Indulgentias ſe reſtitui ad innocentiam baptiſmalem, quantum claves ſe extendunt, ideſt quantum ad pœnæ reatum, ſi culpa remiſſa ſupponatur. Accedit etiam quod idem Bonifacius, referente Paludano Pœnitentiariis prohibuit ne anno Jubilæi confitentibus peccata ſua ſatisfactiones imponerent, non alia certe ratione, niſi quia ipſe Pontifex de non injunctis voluit Indulgentias concedere. Accedit inſuper quod ſi de effectu hujus Indulgentiæ eſſet ambigendum, fortaſſe fidelium non pauci in comparanda hac Indulgentia plus laboris aſſumerent, quam per injunctas pœnitentias eis eſſet impoſitum, cum ad lucrandum anno Jubilæi Indulgentiam teneantur adire Romam, & per 15. dies Baſilicas Apoſtolorum Petri, & Pauli Lateranenſem Eccleſiam, & Eccleſiam S. Mariæ Majoris viſitare. Argumentum etiam eo evidentius ſumitur ad hanc opinionem ſtabiliendum, quod Pius V. ut ſcribit Bartholomæus ab Angelo de eadem re interrogatus, aſſeruit, Indulgentias abſolute pronunciatas non reſtringi ad Pœnitentias injunctas, ſed etiam ad non injunctas extendi, quod colligitur etiam ex hodierna praxi concedendi Indulgentias, in qua pene omiſſa jam eſt illa forma, conſuetumque eſt abſolute remiſſiones fieri. Ratio vero hujus diſcriminis eſt, quia antiquitus Sacramentales Pœnitentiæ graviores imponebantur, quarum relaxſatio magis deſiderabatur, nunc vero Pœnitentiæ ſunt leviores, quod ſi nihilominus conceduntur Indulgentiæ aliquando per numerum annorum, & quadragenarum, ex hoc etiam oportebit inferre hanc conceſſionem non pro pœnitentiis jam injunctis, ſe de injungendis ſecundum antiquum modum, & per proportionem ad illas, cum pœna peccatis debita non ſit ea tantum, quæ infirma hac ætate injungi ſolet, qua ætate non cer-

te minor eſt peccati gravitas, quam olim fuerit ubi duris, ac diuturnis laboribus caſtigabatur.

XIV. Additur modo, quod hanc extenſionem ad pœnas injungendas habent illæ quoque Indulgentiæ, quæ ut ſupra dicebamus conceduntur pro pœnitentiis injunctis. Primo quia majus eſt remittere pœnas pro quibus pœnitentia eſt injuncta, quam reliquas, & hoc propter jus quod acquiritur miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ ne ejus præceptum abrogetur, cujus intuitu Pœnitens pro peccatis ſuis ſatisfacit, quæ in Confeſſione jam judicata ſunt, & quorum remiſſio facienda reſervatur per pœnitentiam injunctam, quantum fieri poteſt. Secundo quia illa particula *de injunctis pœnitentiis* additur ad augendam conceſſionem, eo quia uſurpatur ad exprimendum beneficium Principis, quod largiſſime interpretandum eſſe dicitur in capite *olim* de Verborum ſignificatione, & præſertim tunc, cum prodeſt alteri, & nocet nemini, & quando in ejuſdem conceſſione talia verba ponuntur, ex quibus hæc latiſſima explicatio colligitur, quod patet a ſimili in illa conceſſione, quæ fit a Superiore ut inferior beneficium abſolutionis a reſervatis impendat, in qua conceſſione non videtur poteſtas reſtricta ad ſolos caſus reſervatos, ſed legitur ampliatio auctoritatis ſupra reſervatos, & non reſervatos; ita in noſtro caſu conceſſio Indulgentiæ de Pœnitentiis injunctis, alias injungendas non excludit, quarum remiſſo, neque majus beneficium eſt, neque ſpeciale aliquod nocumentum, aut inconveniens affert, neque convenienti alicui rationi adverſatur, quæ ratio ſtatim occurrit ſi oppoſitum ſuſtineatur, quia ſequeretur, quod ille qui peracta ſatisfactione pœnæ talem Indulgentiam lucraretur, nullum ex illa fructum conſequeretur, quamquam aliorum peccatorum reatus haberet, propter hoc, quia pro his nullæ fuerunt pœnitentiæ injunctæ. Quod dicant aliqui huic ampliationi adverſari caput *cum ex eo* de Pœnit. & remiſſ. eo quod in capite hoc interdicatur Epiſcopis ne Indulgentias concedant niſi de pœnitentiis injunctis, hunc non eſſe verum ſenſum illius capitis Sacrorum Canonum Interpretes probant, & dicunt caveri tantum ne claves Eccleſiæ contemnantur per indiſcretas Prælatorum Indulgentias, & ne pœnitentialis ſatisfactio enervetur, decerni, ut cum dedicatur Baſilica non extendatur Indulgentia extra annum, & in Anniverſario Dedicationis ultra 40. dies, & ita Archiepiſcopis, & Epiſcopis a jure ipſo præſcriptæ ſunt Indulgentiæ concedendæ. Quod autem addatur ibi hæc particula *de pœnitentiis injunctis* non eſt aliqua reſtrictio, ſed amplæ conceſſionis explicatio, ut dixit Panormitanus, quia optime probat quod Indulgentiæ proſunt nedum in Purgatorio, ſed etiam quoad pœnitentiam hic injunctam, remittunt ſiquidem ipſas Pœnitentias, & Purgatorii pœnam, quæ eiſdem pœnitentiis correſpondet. Ne vero videatur ſupervacanea additio hujus particulæ *de pœnitentiis injunctis* dici poteſt quod cum clauſula hæc invenitur, primo ac per ſe remittantur pœnitentiæ injunctæ vel propriæ pœnæ, quæ injunctis pœnitentiis correſpondeant, ideoque illum qui lucratur talem Indulgentiam, ſi velit, liberetur ab onere tales pœnitentias implendi. Pro praxi tamen hoc conſulendum non eſt, fieri enim poteſt, quod qui ſperaverat ſe conſecuturum talem Indulgentiam, revera illam ob aliquod impedimentum non obtinuerit: imo fieri poteſt, quod in Pœnitentia injuncta ratio medicinæ præſervantis inveniatur, in quo caſu licet per Indulgentiam tollatur debitum, non tamen tollitur materia, ſeu neceſſitas me-

medicinæ, neque ceſſat præceptum ſatisfaciendi cum injunctis Pœnitentiis ob diſpenſationem, vel abrogationem ejus, ſed per ſubtractionem materiæ; unde in hoc caſu manet eadem obligatio applicandi medicinam præſervativam, quæ obligatio multo magis manet etiam in ordine ad ponendam ipſam materiam, quando pœnitentiæ injunctæ adimpletio tamquam conditio exprimitur in Bullis Pontificiis, ut quis Indulgentiam lucretur: quo ſtante qui lucratur talem Indulgentiam de pœnitentiis injunctis, remiſſionem aliarum pœnarum conſequitur, pro quibus talis pœnitentia non erat impoſita eo faciljus, quia ex opere operato pro reliqua pœna ſatisfacit.

XV. Primis Eccleſiæ ſeculis cum Indulgentiarum uſus invaluit Indulgentiæ quantumcumque plenariæ ſupponerentur, lapſos convenientis ſatisfactionis debito nunquam eximebant, & iis tantum concedebantur qui majori ex parte injunctis ſibi laboribus perfuncti fuiſſent: *Cum tempus ſtatutum*, inquit Concilium Nicænum, *etiam ab his fuerit impletum*, *& orationibus jam cœperint communicare*, *liceat humanius circa eos aliquid cogitare*. *Petro* Martyres alloquens ſic ajebat S. Cyprianus, *ut eos quos ipſi videtis*, *quos noſtis*, *quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis deſignetis nominatim libello*, & in libro de Lapſis totus eſt ut reprehendat Sacerdotes illos, qui ad libellos Martyrum lapſos a conveniente ſatisfactione eximebant, non veritus eos appellare lupos, carnifices, diabolos, & ſi qui erant ex lapſis qui Sacerdotibus ſubiraſcerentur quod ad Martyrum libellos abſque condigna ſatisfactione Indulgentia non donarentur, in illos acriter invehebat arguens eorum nimiam furioſe dementiam, & tandem iis tantum prodeſſe Indulgentiam aſſerebat, qui debitis pœnitentiæ operibus incumbebant. Quam igitur optimum eſt ut qui lucratur talem Indulgentiam de pœnitentiis injunctis, nolit liberari ab obligatione implendi tales pœnitentias, & ſic potius velit aliarum pœnarum remiſſionem conſequi, pro quibus talis pœnitentia non eſt impoſita. Sperandum eſt hominem hunc eſſe apud Dominum aſſequuturum quam poſtulat pro pœnis ſibi debitis veniam, quia ſic agent favori ſibi conceſſo, quamquam non coactus, cedit.

§. II. *Explicata Indulgentiarum natura*, *quæritur modo undenam Indulgentiæ ſint*, *& quando primus earum uſus invaluit? A Chriſto eſt in Eccleſia Poteſtas concedendi Indulgentias*.

XVI. Hanc Indulgentiarum originem aperit Tridentinum Concilium in Decreto de Indulgentiis quod legitur in principio Seſſ. xxv., & fundamentum Scriptura ſuppeditat in verbis illis, quibus Apocalipſis cap.1. dicitur quod Chriſtus accepit claves ad aperiendum Regnum Cælorum, & Matthæi 16. eaſdem tradidiſſe Petro, ut is, quem voluit eſſe Eccleſiaſticæ Reipublicæ fundamentum poſt ſe, haberet totum id, quod confert ad ſolvendum fideles a præceptis non tantum, vel obligationibus, ſed etiam ab omnibus vinculis, & impedimentis, quæ niſi tollantur, non poteſt quis in Regnum Cœlorum ingredi, & poteſtate illa quoque non carere, quæ valde neceſſaria eſt ad Eccleſiaſtici Theſauri diſpenſationem. Illa igitur Chriſti verba Petro dicta: *quodcumque ſolveris ſuper Terram*, *erit ſolutum & in Cælis*, continent hanc poteſtatem remittendi pœnas per Indulgentias, quia pœna temporalis reatus unum eſt ex impedimentis, & vinculis, quæ homines de-

B 2 ti-

tinent ab ingreſſu Regni Cælorum. Putant aliqui etiam ex verbis Matthæi cap. 18. *quæcumque alligaveritis ſuper Terram erunt ligata & in Cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper Terram erunt ſoluta & in Cælo*, probari Chriſtum Dominum Apoſtolis, & Eccleſiarum Prælatis, idest Epiſcopis tradidiſſe facultatem concedendi Indulgentias: ſed hoc abſolute verum non eſt, ſed ſolum quatenus hic poſterior locus cum primis conjungitur, & in eo fundatur, licet æque univerſalia ſint poſteriora hæc verba Matthæi 18. ſicut ea, quæ dicta ſunt Petro Mathæi 16. Etenim non verborum ampla uſurpatio, ſed ſingularis promiſſio facta Petro: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Tibi dabo Claves Regni Cælorum, &c. ſingularem demonſtrant poteſtatis eidem conceſſæ excellentiam ad diſpenſandas divitias immortalitatis*, ut ait Ambroſius in Sermone 66. & alii Patres dixerunt hujus promiſſimus verba ponderantes: hinc eſt quod licet in utroque loco legantur generalia verba, hæc tamen non excludunt adæquatam proportionem, quam exigunt loci, & ſermonis circumſtantiæ. Petro ita Chriſtus loquitur, ut explicet ſuum in Eccleſia futurum ſupremum Principatum, Apoſtolis vero ſic loquitur, quia antea eiſdem dixerat, agens de correctione peccatoris: *ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi tamquam ethnicus, & publicanus*, ut oſtenderet poteſtatem futuram in Eccleſia rebelles excommunicandi, qui actus certe pertinet ad poteſtatem Clavium, ſed ſi bene notatur in hoc loco non explicat Chriſtus Dominus apud quem hæc poteſtas futura ſit, illam tamen indicavit in ſuperiori loco dicens Petro: *Tibi dabo Claves*. Hæc itaque duo oportet quod diſtinguamus in his duobus Scripturæ locis, tum poteſtatem ligandi, & ſolvendi, tum ſubjecta per quæ hæc poteſtas exerceri debet, & licet quantum ad illam poteſtatem dicatur per poſteriora Matthæi verba nihil minus ſignificari quam per priora, tamen quantum ad ſubjecta neceſſaria eſt accomoda intelligentia, ita ut quilibet eorum tantum poſſit, quantum unicuique conceditur, aut ab unoquoque participatur ut poſſit ſuper Terram ſolvere, & ligare, quem voluerit eſſe ligatum, & ſolutum in Cælo. Ex his itaque.

XVII. Colligitur ſoli Petro a Chriſto Domino facultatem concedendi Indulgentias datam fuiſſe, & omnibus ſuis Succeſſoribus, ita ut ſolus Summus Pontifex immediate a Chriſto habeat hoc jus, quia illi ſoli immediate datum eſt, cui ſoli fuit immediate promiſſum, per ipſum vero idem jus aliis communicari. Nec aliud eruitur ex capite *cum ex eo*, & cap. *noſtro* de Pœnit. & remiſſ. cum in his locis Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Indulgentias Romani Pontifices moderantur, & Canones præſcribunt ab illis obſervandos in earum conceſſione. Hoc tamen non officit quin in Epiſcopis etiam, & Archiepiſcopis facultas hæc concedendi Indulgentias ordinaria non ſit, ſiquidem illis conceditur ex vi ſuorum munerum, quibus ex Eccleſiæ ordinatione conjungitur.

XVIII. Quia vero in laudato Scripturæ loco clare non habetur quod Chriſtus facultatem hanc Petro dederit, ſed quod tantum ſe daturum illam promiſerit, aperiendum ſupereſt quando hæc promiſſio fuerit impleta, & quia nullus in Evangelio locus occurrit ex quo poſſit actualis hæc donatio poteſtatis clarius inferri, præter textum Ioannis 21. ubi Chriſtus ipſi Petro dixit: *Paſce oves meas*: hinc eſt quod aſſerimus tunc fuiſſe Petro, & ceteris Romanis Pontificibus hanc facultatem collatam, & tunc ſuam promiſſionem impletam, quando Eccleſiarum in illo Primatum, & univerſale regimen collo-

Digitized by Google

locavit. Non ſunt huius loci momenta, quæ univerſalis Traditio ſuppeditat, & Eccleſiæ, & Patrum conſenſus, ut veritas hæc demonſtretur; ne vero ipſa res alioquin graviſſima ſine ullo fundamento relinquatur, ſatis erit illud petere ex ipſa actione, quæ Ioannis 21. Petro commendatur, videlicet ex univerſali munere paſcendi ſibi a Chriſto creditas oves, quod munus non qualecumque beneficium fuit, ſed pertinens ad perfectam Eccleſiæ gubernationem; quapropter tunc Petro hanc facultatem fuiſſe conceſſam credendum eſt, ut nihil illi deeſſet illius poteſtatis, quæ ſe extenderet ad præſtandum ea quæ, vel neceſſaria eſſent ſuis ovibus, vel valde commoda, ſcilicet tum ad ferendas leges, vel diſpenſandum in illis, tum ad perficiendum ea omnia, quæ ad commune bonum animarum ſpectarent, etiamſi ad Deum ipſum aliquo modo pertinerent, tum demum ad remittendum per Indulgentias temporales pœnas, ut ita quo ad fieri poſſet celerius Cælorum Regnum aperiretur.

XIX. Sed & illud quoque plurimum probat ex Chriſti verbis Petro prolatis *Paſce oves meas* adveniſſe Eccleſiæ jus concedendi Indulgentias, pœnarum ſcilicet relaxationem, quod Eccleſia Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque illuſtrium virorum temporibus hanc pœnarum relaxationem indulſit, Notiſſima eſt, & Patrum utriuſque Eccleſiæ Chryſoſtomi, Theophilacti, Paciani, aliorumque elogio commendata Apoſtoli indulgentia, qua inceſtuoſum Corinthium multo jam tempore nefandum ſcelus deflentem exemit ab iis, quæ ex injunctis ſupererant pœnitiæ laboribus, ne abundantiori triſtitia abſorberetur, ac forſan in deſperationem adigeretur. Neminem latet Tertulliani, & Cypriani temporibus Pontifices, & Epiſcopos conſueviſſe ad preces Martyrum eaſdem pœnarum relaxationes lapſis concedere, ut Martyres ipſos honorarent, & ad martyrium accenderent, idque probatur ampliſſime tum ex Tertulliani teſtimoniis in libro ad Martyres, & in libro de Pudicitia, quæ teſtimonia ſupra retulimus, tum ex Epiſtolis Cypriani 11. 17. & 23. quibus præſertim Martyres docet modum, & ordinem, quem illos obſervare oportebat, dum pro lapſis Indulgentiæ beneficium poſtulabant. Patent quoque omnibus illa Conciliorum decreta Ancyrani A. 314. can. 15. 22. Laodiceni A. 320. can. 2. Niceni A. 325. Carthaginenſis iv. A. 398. can. 76. Agathenſis A. 505. can. 60. in quibus eædem Indulgentiæ per Epiſcopos concedebantur pœnitentibus. Neque ea demum ignorantur quæ Baſilius ad Amphilochium ſcribens decrevit in ſuis Canonibus, & Nyſſenus in Epiſtola ad Letojum, & I. Innocentius in cap. 7. ſuæ primæ Epiſtolæ ad Decentium, & Magnus Leo in cap. 6. epiſt. ad Nicetam, nimirum obſervari oportere, ab eo, qui Eccleſiam adminiſtrat, quod pro ratione converſionis, pro circumſtantiæ proprietate, Pœnitentibus impoſitæ pœnitentiæ tempora contrahat, imponendaſque pœnitentias remittat, ubi id peccantium ſaluti, & fidelium utilitati judicaverit expedire. Hæc ſingula inquam omnibus ita ſunt nota, ut de harum veritate nulli liceat ambigere.

XX. Nemini quoque dubitare licet poſt hæc tempora eumdem uſum inoluiſſe, licet ſuſpecta habeantur ea, quæ ante S. Thomam Guillelmus Altiſiodorenſis ſcripſit in Summa l. 4. tract. 6. cap. 9 nimirum S. Gregorium Magnum Romæ conceſſiſſe ejuſmodi relaxationes viſitantibus Eccleſias Stationum, & degentibus in Urbe per Quadrageſimam. Item illa, quæ a nonnullis cum Baronio affirmantur ſcilicet ſub initium ix. Seculi ſimiles Indulgentias conceſſiſſe Leonem III. quod præſertim probant ex epiſtola S. Lugderi Epiſcopi

ſcopi Monaſterienſis, in qua legitur A. 803. Leonem III. veniſſe ad Carolum Magnum, multas Eccleſias, Capellas, & Altaria conſecraſſe, ubique Indulgentias concedendo, deinde Vardum ſe contuliſſe, ac ibidem S. Svvibertum in Catalogum Sanctorum retuliſſe, eidemque Eccleſiæ ſpeciales Indulgentias conceſſiſſe fidelibus ejuſdem Sancti feſtum celebrantibus, & ad Divina confluentibus. Tum illa demum, quæ leguntur in quodam marmoreo lapide, qui Romæ cernitur in Eccleſia SS. Silveſtri, & Martini, nimirum Sergium Papam varia SS. Corpora ibidem condidiſse, & ſingulis ad hanc Eccleſiam venientibus in feſtivitatibus iſtorum SS. tres annos, & tres quadragenas de vera Indulgentia conceſſiſſe. Nam licet ut dicebam hæc a ſeverioribus Criticis Morino & Papebrochio vel ſpuria monumenta habeantur, aut velint eſſe recentiorum temporum conceſſiones Indulgentiarum, ſpurium tamen monumentum illud habendum non eſt, quod ſuppeditat liber 7. epiſtolarum ejuſdem Magni Gregorii, ubi legitur epiſtola ad Recharedum, in qua S. Pontifex ait *Clavem parvulam a ſacratiſſimo B. Petri Corpore pro ejus benedictione tranſmiſimus, in qua eſt ferrum de Catenis ejus incluſum, ut quod collum ejus ad martyrium ligaverat veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat*. Neque adulterina Indulgentiarum exempla illa haberi debent, quæ tum in eodem, tum in 6. libro leguntur in epiſtola ad Secundinum, & in epiſtola ad Theonitum, & Andream, cum nullus ſit Scriptorum, qui has epiſtolas ſupoſititias agnoverit. Scrupulum movere poteſt quod Indulgentiam S. Pontifex *benedictionem* appellat, ſed hoc verbo conſueviſſe veras Indulgentias appellare, cognoſcimus ex D. Clementis ſententia in lib. 3. Conſtit. cap. 10. & in l. 8. cap. 44. ubi Laico non permittens facere aliquod opus Sacerdotale, Sacrificium recenſet, baptiſmum, impoſitionem manus, & benedictionem, ſive magnam, ſive parvam, hoc eſt remiſſionem peccatorum, quæ mortalia vocantur, & pœnarum inferni, quæ eis debentur, & remiſſionem reliquorum peccatorum, ideſt pœnarum, quæ debentur peccatis magnis prius remiſſis, & parvorum peccatorum, quæ dicuntur venialia. Si cui vero minus arrideat hoc quod ex D. Clementis Conſtitutionibus exemplum exhibuimus, arridebit aliud ex Gregorii VII. epiſtolis petitum, nimirum ex libro 7. Regeſtri ejus; ubi legitur epiſtola ad Alphonſum Hiſpaniæ Regem, in qua non ſolum imitatur, verum & interpretatur ejuſdem B. Gregorii exemplum; ibi ergo ſic ait: *Ex more SS. miſimus vobis claviculam auream, in qua de Catenis B. Petri benedictio continetur, ut omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberavit, ejuſmodi etiam interceſſionibus, vos ab omnibus peccatorum veſtrorum vinculis abſolvat, & ad gaudia perducat æterna.*

XXI. Probant quoque Indulgentiarum uſum per ſingula reliqua tempora, quæ ante VI. Clementem fluxerunt, cui Indulgentiarum uſum Lutherus attribuit, Bulla Urbani II. de Indulgentia pleniſſima in Synodo Claramontana conceſſa in eorum favorem, qui cruce in pectore ſignati ad bellum pro recuperanda terra Sancta proficiſcerentur, quam poſtea confirmarunt Clemens III. & ejuſdem nominis Innocentius. Probant etiam Generalia Concilias Lateranenſe A. 1215. Lugdunenſe, & Viennenſe, in quibus de Indulgentiis actum eſt, & emendati abuſus, qui paullatim circa Indulgentias irrepſerant; Et demum probant Indulgentiæ illæ ſingulæ, quæ in favorem Religionum, vel piorum Locorum, vel ob alias juſtas cauſſas, aut univerſæ Eccleſiæ, aut variis Provinciis, & Regnis conceſſæ ſunt, ita ut cuique jam

cor-

cordato, & prudenti viro tot monumenta poſſint ſafficere ad perſuadendum hunc Indulgentiarum uſum fuiſſe legitimom, & ex poteſtate a Chriſto conceſſa derrivatum. Impudenter igitur hanc Indulgentiarum originem inſectantur heretici, & eo impudentius, quod ante Æræ Chriſtianæ annum 1170. nollus hanc Eccleſiæ Doctrinam perſtrinxerit, c contra vero omnes commendaverint, quod ſi alicui viſum eſt Cyprianum Indulgentiarum conceſſionem impognaſſe in epiſtola 10. 11. & 20. ubi ſcribit *quod ſola pœnitentia eſt quæ ſatisfaciat, quod Daminus noſtra ſatisfactione, & quidem longa, & continua placendus eſt: qaod contra legem Domini, contra Evangelii legem, contra Evangelicam Diſciplinam, contra Evangelii vigorem, contra Domini & Dei legem agunt Sacerdotes illi qui pacem eis concedunt qui juſto tempore Deo non ſatisfecerint: quod eſt provocaſſe iram velle abſque legitima pœnitentia pacem conſequi: quod ſunt deceſſores animarum qui ea concedunt, quæ in perniciem vertunt &c.*, is profecto ſe neſcire diſſimolavit S. Martyrem laudatis in locis damnaſſe aboſum, qui in earumdem Iudolgentiarum uſum ac applicationem irrepſerat propter hoc, quod lapſi ſibi reconciliationem deberi contendentes quam ſemel cunctis a Martyribus, & Confeſſoribus datam clamitabant, & Deo ſatiaſacere detractantes ignavi, & iudocti Sacerdotes ejuſmodi lapſis aſſentiebantur eximentes eos a ſubeunda conveniente ſatisfactione, & offerebant pro illis, & Euchariſtiam dabant quando oportebat, ad hæc per ordinem pervenire. Cæterum S. Cyprianum Indulgentias ad Evangelii normam applicatas non damnaſſe, imo plurimi feciſſe oſteoditur 1. quod com pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominom remitti illos volebat, qui libellum ab eiſdem Martyribus accepiſſent, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſe putaſſent, ſi eos premi infirmitate aliqua & pericolo cæpiſſent. Oſtenditur 2. ex ejuſdem S. Cypriani reſponſo ad Conſultationem Caldonii Africani Epiſcopi epiſtola 20. iu qua dicit *lapſis, qui poſt ſcelus commiſſum arduum aliquid, & eximium ediderant, paſſive fuerant pro Chriſto, Abſolutionem eſſe concedendam prius quam ſatisfactionem impleviſſent*. Oſtenditur 3. ex epiſtola ejuſdem tertia ad Martyres, in qua indulgendum iis cenſet, qui ubi convenientem ſatisfactionem magna ex parte ſubiiſſent, proferrent Martyrum libellos, quibus nominatim & expreſſe deſignarentur. Non omnes itaque Indulgentias S. Cyprianus rejecit, ſed vel temerario petitas, vel incaute conceſſas.

XXII. Fcoſtra etiam objicietur Indulgentias Cypriani ævo conceſſas non convenire cum ceteris, quas poſteriorum ſæculorum Antiſtites conceſſerunt eo quod illæ non injongebantur ad exhibendam Deo ſatisfacticnem, vel ad expiationem pœnæ temporalis, quæ peccato quo ad culpam dimiſſo debebatur, ſed ad meram fidelium ædificationem, eo qood certo conſtet pœnas, quibus Canones lapſos caſtigant, pro peccatis etiam occultis fuiſſe injunctas, ut in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ oſtendimus Cap. vii. N. xvi. unde licet magna quidem ex parte ad ſatisfactionem Eccleſiæ, & ad reparanda ſcandala, & ad exemplum aliorum ne talia crimina auderent commitere Canonicæ pœnitentiæ ordinarentur, & ad politicum Eccleſiæ regimen pertinerent; tamen quia politia Eccleſiaſtica etiam ad animarum bonum ordinabat ideo Prælati Eccleſiaſtici in pœnis illis imponendis non ſe gerebant, ut meri judices, ſed etiam ut Paſtores, & ſpirituales Patres, & ideo maxime etiam intendebant Deum placare, & intendebant ſpirituale commodum ipſius pec-

cato-

Digitized by Google

cutoris, tum quoad correctionem in futurum, tum etiam quoad compenſationem delicti commiſſi apud Deum. Atque ob hanc cauſſam etiam in relaxatione earumdem pænarum per Indulgentias Patres ſibi proponebant a lapſis auferte pœnæ reatum pro eorum peccatis debitæ apud Deum, quod ſatis indicavit Cyprianus, cum in laudata Epiſtola 14. ſcripſit has remiſsiones factas fuiſſe per Martyrum, vel aliorum fidelium interceſsiones, *quia auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſent*, indicans ſatiſfactiones iſtorum lapſis prodeſſe ad remiſſionem apud Deum, dum eorum interceſſione fiebat remiſſio apud Eccleſiam. Veritatem hanc in veterum Patrum ſcriptis ipſe Kemnitius ſe inveniſſe teſtatur ſic enim loquitur in quarta parte Examinis Concilii Tridentini diſcutiens decretum de Indulgentiis pag. 306. *Nec vero neſcius ſum veteres aliquando nimis largiter, & verbis nimium magnificis diſciplinam illam canonicam commendare, ut quod Tertullianus dicit ſatisfactionibus illis peccata expiari, Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, ſanare, & Judicem placari, Auguſtinus Deum illis de peccatis præteritis propitiari &c.* Vanum igitur eſt ex hoc capite diſcrimen cognoſcere inter veteres, & novas Indulgentias.

XXIII. Neque ſatis eſt fundare Indulgentiarum noſtrarum diſcrimen a veteribus Indulgentiis, quod poſt IX. Sæculum uſus invaluerit veteribus inauditus Canonicas pœnitentias redimendi, aut eleemoſinis, aut precibus quibusdam, aut aliis piis operibus, quibus multum de earumdem pœnitentiarum vigore detrahebatur, quibus addit Kemnitius *languefactis vera contritione, ſequebatur everſio ſeriæ emendationis, & perſuaſio impunitatis in delictis*. Si veterum Patrum ſcripta conſuluiſſet Kemnitius ab his injuriis abſtinuiſſet. Legiſſet enim hujuſmodi redemptiones cum introduci cœperunt non fuiſſe admodum frequentes, neque pro omnibus pœnitentiis, imo animadvertiſſet redemptiones ipſas fuiſſe graviſſimas pœnitentias, ſatis eſt legere ut dictorum veritas cognoſcatur Canonem 56. Triburienſis Concilii A. 895. de jejunio homicidæ juxta Canones impoſito, & caput 440. libri 2. Collectionum Reginonis Abbatis, in quo modificationes illæ recenſentur in pœnitentiarum redemptionibus obſervandæ, quæ monumenta quia obvia non ſunt hic ſubjicimus. *Et niſi vel in hoſte* (verba ſunt Canonis Triburienſis) *aut in aliquo magno ſit itinere, vel longa, aut diu ad Dominicam Curtem, vel ſi in infirmitate detentus ſit, tunc licitum ſit ei tertiam feriam, & quintam, atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, ſive tres pauperes pro nomine Domini paſcendo: ita dumtaxat, ut vel carne, vel vino, vel medone, ideſt de tribus una re utatur, non omnibus veſcatur. Poſtquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, ſed ſtatuto modo pæniteat.* Quæ ſequuntur verba ſunt Reginonis. *Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit unde poſſit redimere ſi dives fuerit pro ſeptem hebdomadibus dat ſolidos 20. ſi non habuerit tantum, unde dare poſſit, det ſolidos 10. Si autem multum pauper fuerit det ſolidos tres -- Pro uno menſe quod in pane, & aqua pænitere debet aliquis, Pſalmos decantet mille ducentos genu flexo, & ſi non genuflexus 1680. & omni die ſi vult, & abſtinere non poteſt reficiat ad ſextam, niſi feria 4. & 6. jejunet uſque ad nonam, carnem, & vinum non ſumat, reliqua percipiat --* Primo anno quidam permiſerunt *triduanas quatuor, alii duodecim triduanas*, ideſt ſemel in menſe uno. Quidam dixerunt *triduanas*

agere

agere in verberibus, & in vigiliis inſiſtendo triduum. Pretium autem unius diei, idem *Agapen* duorum, vel trium pauperum, ſive unum denarium. Alii totum pſalterium in æſtate, in hyeme vero, & in verno, vel autumno quinquaginta Pſalmos. Quidam judicaverunt duodecim plagas, vel percuſſiones.

XXIV. De eiſdem Redemptionibus agens Petrus Pictavienſis in ſuo Pœnitentiali, quare fuerint uſitatæ cauſſam aperit, ex magno ſcilicet fidelium gravamine, vel quia in arcta dieta jejunare non poterant, & in compenſationes adhiberi cœperunt per orationes, per eleemoſinas, per peregrinationes, vel diſciplinas, vel abſtinentiam a carnibus &c. Singulis his operibus ſatisfieri Deo pro peccatis in Tractatu de Pœnitentia loco ſupracitato probavimus; ſed Kemnitius Chryſoſtomum adducit homilia 1. in epiſtolam ad Philemonem docentem ad impetrandam peccatis noſtris veniam non opus eſſe, vel pecunias impendere, vel peregrinando ad loca propinqua tranſire, affert etiam Auguſtinum Sermone de Martyribus, Bernardum Sermone 1. de Adventu, & Canones Cabilonenſis Concilii. Sed ad rem hæc teſtimonia non ſunt quia loquuntur de juſtificatione impii, ac remiſſione culpæ, non de ſolo reatu pœnæ, & auctoritates Patrum ſolum probant eleemoſinas, & peregrinationes non eſſe abſolute neceſſarias ad remiſſionem peccatorum, alioquin pauperes, & ægrotantes ſpe omni remiſſionis deſtituerentur. Ceterum Chryſoſtomum laudare peregrinationes ad Sepulcrum Martyrum conſtat ex iis quæ ſcribit in homil. 66. ad Populum Antiochenum. & S. Auguſtinus eaſdem laudat in epiſtola 137. ad Clerum, & Populum Hipponenſem, & S. Bernardus Petrobruſſianos confutat in hoc etiam errantes, quod peregrinationes fidelium ad loca Sancta reprehenderent. Ad id quod additur de Canone Cabilonenſis Concilii, dicimus, Patres Cabilonenſes uno Canone perſtrinxiſſe illorum audaciam, qui de induſtria peccabant, & ſibi impunitatem pollicebantur propter eleemoſinarum largitionem, altero vero repudiaſſe illorum opinionem, qui ſe poſſe purgari a peccatis omnibus putabant, ſi Romam, vel Turonem, aut alia Sancta loca ſub prætextu orationis pergerent. Quid hoc autem ſi hominum malitia remediis illis abutatur, quæ attentis circumſtantiis Eccleſiæ humanitati congruum fuit eligere in Canonicarum ſatisfactionum relaxationem? Sæculis quibus ea redemptio obtinuit perſuaſum ipſi Eccleſiæ fuit ſe a Chriſto hanc accepiſſe facultatem ubi id expedire judicaret. Quod ſi mitioribus adhuc remediis frigeſcente præſertim in fidelibus pietate uſa eſt, ut eaſdem Canonicas ſatisfactiones relaxaret viſitantibus particulares Eccleſias, ibique paulisper orantibus, eadem poteſtate a Chriſto accepta hoc præſtitit, tum quia id expedire cognovit, eo maxime quod hujuſmodi exemplis non careant ſuperiora quoque & ab his remotiſſima tempora, ut ſupra expoſuimus. Illæ pœnarum redemptiones, quas improba quæſtuariorum turba non ſine maximo Orbis Chriſtiani ſcandalo venales propoſuit, ſemper Eccleſiæ diſplicuerunt, & Novatores ipſi norunt, quid Apoſtolica Sedes, quid Generalia Concilia ſuper his Conſilii cœperunt. Siquidem Kemnitius genuina decreta tranſcribit, quæ de hac re Innocentius III. Clemens V. & Tridentini Patres ediderunt: quod ſatis eſt ad intelligendum, quanti faciendi ſint Hæreticorum clamores dum Romanis Pontificibus tribuunt, quæ a Romanis Pontificibus fuiſſe damnata, & interdicta ipſi Heterodoxi ſuo proprio ore fatentur.

XXV. Modo ſe ſe offert examinandum, qualia ſit hæc poteſtas, quæ a Christo in Paſtoribus Eccleſiarum derivata, fundamentum præbet conceſſioni Indulgentiarum. Pertinere hanc ad poteſtatem Ordinis Sacerdotalis propter hoc quod quilibet Sacerdos poſſit peccata remittere quo ad culpam, & pœnam dixerunt aliqui, non attendentes poteſtatem Ordinis per ſe ſolum ad hunc actum valide exercendum non ſufficere, cum ex vi tantum hujus poteſtatis nemo ſubditos habeat, quæ conditio requiritur ut dicitur in cap. *Quod autem* de pœnit. & remiſs. tum etiam quia hæc poteſtas augeri, vel minui poteſt, ut dicitur in cap. *Romana* eodem titulo in 6., e contra vero poteſtas Ordinis per ſe reſtringi, vel limitari non poteſt. Alii itaque, quos moverunt recenſitæ difficultates, præter poteſtatem Ordinis ſuppoſuerunt in illo, qui Indulgentias vult concedere actum cujusdam alterius curæ, vel providentiæ Paſtoralis, qui tamen non eſt actus jurisdictionis, nam hos duos actus diſtinguunt ad invicem, & advertunt quod ſi actus eſſet juridictionis, neque mortuis Indulgentiæ prodeſſent, neque Prælatis, qui illas concedunt, bene vero volentibus æque & nolentibus, cum etiam in invitos jurisdictio exerceatur: unde dicunt Indulgentiarum largitorem ſolum Eccleſiaſticum Theſaurum diſpenſare, ut ſpiritualiter indigentibus ſubveniat. Sed neque hi Theologi verum vident; nam quamvis Indulgentiæ concedantur per quamdam diſpenſationem Eccleſiaſtici Theſauri, inde tamen non ſequitur concedentem Indulgentias non exercere actum jurisdictionis; imo dicimus ſine jurisdictione nullum poſſe Eccleſiaſticum Theſaurum diſpenſare.

XXVI. Verior igitur eſt illa opinio quæ ſtatuit 1. Poteſtatem Ordinis Sacerdotalis ad concedendum Indulgentias non eſſe neceſſariam 2. Quæ cognoſcit hanc poteſtatem eſſe ſpiritualis jurisdictionis non cogentis, nec ligantis, ſed miſerentis, & ſolventis. Primum patet quia Diaconi præſertim Cardinales, & alii ex conceſſione Papæ Indulgentias largiuntur, & quia hæc temporalis pœnæ remiſſio, quæ per Indulgentias obtinetur non eſt actus Sacramentalis, unde non eſt cur ſupponat in conferente Indulgentias facultatem culpas remittendi, quæ ut infra videbimus remiſſæ jam ſupponuntur, vel per confeſſionem, vel per contritionem, ut quis effectum earumdem Indulgentiarum lucretur. Secundum etiam patet tum ex Chriſti promiſſione: *Paſce oves meas*; tum ex nuper citato cap. *Quod autem*, ubi dicitur *Indulgentias autem ſubditis prodeſſe*; tum ex iis, quæ in ſuperiori §. diximus oſtendentes hanc facultatem concedendi Indulgentias pertinere ad poteſtatem clavium non Ordinis, ſed jurisdictionis; & demum ex ipſa natura diſpenſationis in aliqua lege, quæ dari non poteſt ab illo qui jurisdictionem non habet. Nec valet id quod ab auctoribus ſecundæ aſſertionis objicitur; nam licet in invitum jurisdictio exerceatur, tamen ubi agitur de jurisdictione voluntaria id non valet, quia favor eſt, gratia, & privilegium, conſequenter neque ſuperior obligatur ad illud concedendum, niſi forſan ex charitate, ſi id neceſſitas exigat: quamquam non repugnat etiam actum jurisdictionis, quæ coactionem includit poſſe non exerceri in invitum, ut contingit ſi quis nolit a culpis abſolvi in foro Sacramentali; & ex his eruitur cur actum hujusmodi voluntariæ jurisdictionis poſſit aliquis circa ſe ipſum exercere ſub diverſis rationibus, præſertim cum hujus jurisdictionis effectus Communitatem reſpiciat, cujus non deſinit eſſe pars ille, qui ut Chriſti

Digitized by Google

ſi Vicarius Indulgentiam conceſſit. Quod additum eſt de utilitate Indulgentiæ pro Defunctis explicabitur cum agetur de hac ſpecie Indulgentiarum.

§. III. *Varietas, & multiplex Indulgentiarum diſtinctio a modo dependet, quo pœna temporalis relaxatio conceditur.*

XXVII. Supremam huic Capiti manum imponimus de multiplici Indulgentiarum varietate differentes, quæ varietas non oritur naſcitur ex effectibus, quos Indulgentiæ producunt, nam ſingulæ unicum tantum ſecundum ſpeciem effectum per ſe habent, remiſſionem ſcilicet pœnæ temporalis relictæ in foro Dei ex peccatis commiſſis quo ad culpam, ſed oritur ex diverſo modo, quo hæc pœnæ temporalis remiſſio extra Sacramentum fieri poteſt, ratione cujus aliquando majorem, aliquando minorem, aliquando effectum æqualem ſortiuntur juxta liberalitatem, & intentionem concedentis Indulgentiam, vel formam conceſſionis ejusdem. Dignoſcitur autem hic modus ex inſpectione litterarum Apoſtolicarum, utrum ne pro totali, vel partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ fuerit Indulgentiæ diſpenſatio conceſſa, alterutro enim ex his modis hoc evenire poteſt cum omnis Indulgentia vel ſit totalis, vel ſit partialis, ſeu quod idem eſt vel plenaria, vel non plenaria. Plenaria Indulgentia totam pœnam remittit, non plenaria remittit partem, & hæc ſub duplici præſertim forma tribui ſolet. Aliquando enim conceduntur Indulgentiæ tot dierum vel annorum, & tunc tanta pœna remittitur quanta ſolvenda eſſet in hac vita Canonum præſcripto; quandoque vero conceditur reſpective ad certam partem peccatorum, veluti ad tertiam, ſeu quartam, quanta nimirum perſolvi debuiſſet in hac vita pro tertia, vel quarta parte peccatorum.

XXVIII. Adduntur iis illæ Indulgentiæ, quæ Quadragenæ, & Septenæ in epiſtolis Pontificum nuncupantur, quibus conceduntur vel quadraginta dies, vel ſeptem anni Indulgentiæ. Invenitur & Indulgentia quædam, quæ *Carena* appellatur utramque prædictam complectens, quæ jejunium 40. dierum remittit, & ſeptennem pœnitentiam. Pro crimine valde atroci, & extraordinario, ut cui deberetur pœna capitis, de quo caput *accuſaſti* tit. de Accuſationibus Carena injungebatur. Suſpicantur Theologi eſſe Apochrypha illa Indulgentiarum monumenta: in quibus leguntur remiſſiones mille, imo & 20. mille annorum, cum Sacri Canones nunquam decreverint tantam, ſed ad ſummum totius vitæ pœnitentiam, unde non verentur eorum aliqui, inter quos Jo. Gerſon in Tractatu de Abſolutione Sacramentali, & Dominicus Soto in 4. d. 21. q. 2. a. 1. aſſerere tales Indulgentias fuiſſe olim a Quæſtuariis confictas, quos in ſua prædicatione abuſiones nonnullas conſueviſſe proponere ipſe Innocentius III ſcripſit in cap. *Cum ex eo* de Pœnitent. Nihil ominus ſi defendi debeant hæ Indulgentiarum conceſſiones, dici poteſt Auctores earum, ſi qui fuerunt ex Romanis Pontificibus reſpexiſſe ad pœnitentias, quas eſſent ſubituri qui vivunt in conſuetudine blaſphemandi, pejerandi, furandi, & alia hujus generis graviſſima ſcelera perpetrandi cum enim horum ſcelerum unicuique Sacri Canones plures pœnitentiæ annos injungant, horum annorum omnium ſumma facilime ſpatium aliquod millium annorum excedet.

XXIX. Dividuntur etiam Indulgentiæ in *Perſonales*, *Reales*, & *Locales*: Primæ Perſonis conceduntur, ſecundæ rebus, puta Roſariis, Coronis, Crucibus, Imaginibus &c. poſtremæ locis Sacris, Eccleſiæ ſcilicet, vel Altaribus, ſeu illis qui devote Sacra hæc loca viſitaverint, & hujus generis ſunt Indulgentiæ, quæ conceduntur viſitantibus certas quaſdam Romanas Stationes, ideſt Eccleſias Romæ, quæ ſint inſtar Stationum, ſeu præſidiorum, & Excubiarum ſpiritualium. Inſtante perſecutione, vel graviſſima alia urgente cauſſa ſolebant Chriſtiani more militum Stationes celebrare, quæ erant vigiliæ quædam Spirituales Eccleſiæ, quæ in jejunio, & oratione perſeverabat uſque ad horam diei nonam, & ſæpe etiam uſque ad veſperam; ſimul enim jejunium, & ſtatio ſolvebantur.

XYX. In plenaria Indulgentia aliqua ſingularia aliquando obſervantur; ita ut Summus Pontifex, qui illam concedit, vel dicat ſe concedere non ſolum plenam, largiorem, imo pleniſſimam omnium peccatorum veniam, vel Indulgentiæ plenariæ dicat ſe ſuperaddere Indulgentiam aliquot dierum, vel annorum, vel remiſſionem tertiæ partis peccatorum. Dum Pontifex ex his formulis utitur prima, multa de his vocabulis Auctores diſputant. Non nullis placuit Bonifacium VIII. qui fuit primus auctor hujus formulæ, in Extravaganti *Antiquorum* de Pœniten. & remiſs. uſurpaſſe hæc vocabula, ut indulgeret multiplicis pœnæ remiſſionem, ſcilicet ut indicaret ſe remittere pœnam peccatis mortalibus debitam, pœnam debitam venialibus, & pœnas ſimul, & culpas veniales. Magis tamen arriſit altera interpretatio, quæ plenam Indulgentiam dicit illam, quæ remittit totam pœnitentiam injunctam; Pleniorem, quæ remittit totam pœnitentiam merito ſecundum Canones injungendam; Pleniſſimam, quæ remittit totam pœnitentiam peccatis in Judicio Dei debitam. Verius fortaſſe illi dixerunt, qui nullum diſcrimen inter illa vocabula conſtituentes quo ad proprium, & per ſe effectum Indulgentiæ, notarunt in dicta Extravaganti addita fuiſſe illa verba, ob majorem rei declarationem, & ad ſcrupulos tollendos, & abuſus, qui ex variis opinionibus oriri potuiſſent, nam Clemens hujus nominis VI. in Extravaganti *Unigenitus* nullam aliam Indulgentiam agnoſcit niſi totalem, & partialem; Sixtus IV. in extravaganti *quemadmodum*, revocans Indulgentias, quæ illi æquivalent, quæ anno Jubilæi Romæ conceduntur ſolas plenarias revocat: Innocentius III. in Lateranenſi Concilio in Decreto pro expeditione Terræ Sanctæ ſolum concedens plenam peccatorum veniam, nullus dubitavit fuiſſe pleniſſimam; & uſus communis Eccleſiæ plenariam Indulgentiam ſine ulla limitatione conceſſam ſemper intellexit illam Indulgentiam, quæ omnem pœnam remittit de peccatis remiſſis quo ad culpam mortalibus, & venialibus confeſſis, & non confeſſis, habentibus pœnitentiam injunctam, vel non habentibus. Dixi *ſine ulla limitatione conceſſam*, ut adverterem, quod ſi caſus verificetur ſecundo loco propoſitus, qui ultra Indulgentiam plenariam addit conceſſionem quoque tot dierum, & quadragenarum Indulgentiæ (quem caſum certe aliqui Auctores nunquam accidiſſe fatentur, cum nullum exhiberi poſſit autenticum monumentum conceſſionis talis Indulgentiæ) inſpiciendus eſſet tenor litterarum, ex quo innoteſceret utrum additio lucranda eſſet alio tempore, loco, & actione, vel applicanda potius eſſet per modum Suffragii Animabus in Purgatorio.

Digitized by Google

XXXI. Quo ad Characteres Indulgentiæ Plenariæ notatur quod quoties non additur ſignum determinans remiſſionem partis pœnæ peccatis debitæ Indulgentia ſemper plenaria judicatur; quemadmodum talis habetur licet omittatur particula *Plenaria*, ſi tamen ejus loco dicantur Indulgentiæ omnium peccatorum, vel concedimus Indulgentiam peccatorum, dummodo tamen concedens habeat plenam poteſtatem, quod ſi non haberet, intelligeretur hic tantam Indulgentiam concedere quantam poſſet. Plenaria item eſt illa Indulgentia quæ conceditur de peccatis contritis & confeſſis, vel Confeſſio integra ſit materialiter, vel ſit integra formaliter, vel ſit in re vel in voto (quamvis alii ſentiant oppoſitum) ſic enim loquitur Gloſſa in Clementina unica de Relig. & Veneratione Sanctorum verbo *Confeſſio*, Abbas in cap. *omnis utriuſque ſexus* de Pœnit. & remiſs., & J. Andreas in cap. *quod autem* eod. tit. & eſt communis opinio, ſi tamen tanta contritio ſit, ut per ſe ſufficiat ad remiſſionem culpæ, quæ contritio cum ita facilis non ſit, propter hoc neceſſarium fuit addere confeſſionem, quæ & ad juſtificationem neceſſaria eſt, & ad perficiendam contritionem. Sed de hac circumſtantia alibi redibit ſermo.

XXXII. Pro computandis vero temporibus remiſſionum factarum per partiales Indulgentias notatur: *dies*, & *annos* ſignificare durationem pœnitentialis Satisfactionis in hac vita exhibitæ pro peccatis, ut jam ſupra dictum eſt; non vero quod totidem anni, & dies ex pœna Purgatorii remittantur, quot in Indulgentia exprimuntur, & hoc patet ex origine Indulgentiarum, & ex modo, quo partiales Indulgentiæ conceduntur, ſimilis in omnibus modo, quo olim pœnitentiæ Canonicæ injungebantur. Remittuntur certe per Indulgentias Purgatoriæ pœnæ. Sed tanta pœna remittitur quanta per pœnitentiam unius anni, vel diei remitteretur, ex quo fit, quod dicente S. Cypriano l. 4. epiſt. 2. *alud eſt longo tempore pro peccatis cruciatum emendari, & purgari diu igne, alud peccata omnia paſſione purgaſſe*, poteſt aliquis unius diei, unius anni, imo unius horæ, & momenti cruciatu voluntarie ſuſcepto, vehementia charitatis accedente, & contritionis intenſione, Purgatorias omnes pœnas redimere: e contra vero diuturnioribus, & acerbioribus adhuc totius vitæ ſatisfactionibus, vix alteri de Purgatoria pœna unica hora detrahetur, & ex hoc etiam oritur, quod eodem tempore, & per opus omnino ſimile unus homo conſequitur majoris pœnæ remiſſionem, quam alius, quia majori affectu operatur, & majori fervore, ac devotione ſe ad lucrandam Indulgentiam diſponit. Uſi etiam ſunt aliquando Pontifices in conceſſione partialium Indulgentiarum hac formula. *Annuam 30. dierum abſolutionem, & tertiam partem minorum peccatorum, & fraudem pœnitentiarum venientibus ad ſacri hujus Templi revolutam dedicationem concedimus.* Legitur hæc formula Veronæ in templo Eccleſiæ Collegiatæ S. Helenæ inciſa in tabula lapidea in ſolemni dedicatione illius Eccleſiæ; & tunc nihil aliud voluiſſe Pontificem remittere, quam 30. dies pœnæ debitæ pro peccatis mortalibus remiſſis, & tertiam partem pœnarum debitarum in Purgatorio pro venialibus Peccatis ſufficienter apparet. Quod vero dicitur & *fraudem pœnitentiarum*, ſignificat condonari inſuper ac remitti pœnas debitas pro peccatis majoribus remiſſis, quæ alias fuiſſent ſolutæ ac deletæ per pœnitentias canonice injunctas, ſi fuiſſent perſolutæ, ut poſtulabat ratio Canonum pœnitentialium. Quod ergo ita non eſt ſolutum implendo canonicas pœni-

tentias

tentias in judicio Eccleſiæ indictas, & præſcriptas vocat fraudem pœnitentiarum, & hujuſmodi fraudem Canonicarum pœnitentiarum Summus Pontifex condonat.

XXXIII. Ultima tandem Indulgentiarum diviſio eſt in perpetuas, in temporales, & in Mortis articulo. Prima tantum durat, quantum durat illa res cui conceditur: altera certo tempori determinatur: poſtrema tempus illud reſpicit, quo quis in vitæ termino conſtituitur, ſive hic terminus ſit verus, ſive præſumptus, niſi aliter per ſuperiorem concedentem Indulgentiam determinetur, quæ conditio attendenda etiam eſt ubi Indulgentia fuerit conceſſa perpetua viſitantibus aliquam Eccleſiam, ut quis ſciat utrum ſemel in die poſſit hanc Indulgentiam lucrari, vel toties quoties in die ipſam Eccleſiam viſitaverit, & hoc verius cenſetur ſi Indulgentia ſine ulla temporis determinatione conceſſa eſt abſolute *Eccleſiam hanc viſitantibus*. Sicuti expleto tempore conceſſionis Indulgentiæ ſpirat indulgentia, ita perit diruto templo, cui conceſſa eſt, ſi iterum non ædificetur. Dixi ſi *iterum non ædificetur*, quia in hoc caſu cum Eccleſia iterum ædificata eadem cenſeatur, retinet Indulgentiam, quam retinet etiam cum aliis privilegiis, ſi auctoritate Superioris in alium locum transferatur, cum talis Indulgentia non intelligatur conceſſa ratione ſitus, ſed abſolute Eccleſiæ ſub hoc titulo, ac Patrono.

CAPUT II.

DE FUNDAMENTO INDULGENTIARUM.

Fundamentum Indulgentiarum, de quo in hoc capite diſputatur. Principium illud eſſe dicitur, ex quo tamquam ex fonte dimanant Indulgentiæ omnes, Negant Heterodoxi vim hujus principii, & propterea nituntur oſtendere, vel nullum eſſe, vel ſaltem illud non eſſe, quod a Catholicis propugnatur. Neutrum tamen horum argumentis probant, ſed eorum more, vel mendaciis innituntur, vel Scripturarum Auctoritates traducunt, vel Patrum teſtimonia depravant. Sit igitur.

§. I. *Indulgentiarum vis, ſive pretium illud quo pœna temporalis ſolvitur, quæ poſt remiſſam culpam expianda ſupererat, vel in hac vita, vel in altera ex eodem Eccleſiæ theſauro hauritur, quem theſaurum de fide eſt admitti debere in Eccleſia, præcipue conſtantem ex Chriſti meritis, & ſuperabundantibus ejuſdem ſatisfactionibus.*

I. Celebris eſt illa Scripturæ ſententia, quæ dicit non eſſe *aliquod aliud nomen, ſub quo oporteat nos ſalvos fieri, niſi ſub nomine Jeſu*, quod idem eſt ac dicere, niſi in virtute meritorum Chriſti. Ab his igitur meritis profecto referendum erit acceptum quid quid remittetur temporalis pœnæ, quæ eſſet a nobis vel in præſenti, vel in ſæculo futuro luenda, propter ea quæ fecimus peccata, & quæ Sacramentalis abſolutionis beneficio nobis tecta fuerunt, quod erat primum probandum. Quod Chriſtus ſibi meruerit,

ut

Digitized by Google

ut quibus ipſe vellet, peccata remitterentur, & pœnæ, ex Novatoribus nullus negat, imo id omnes affirmant, & plurimis Scripturarum teſtimoniis probant petitis ex cap. 10. Actuum, ex 1. Ioan. ex 2. ad Cor. 5. &c. Quod Chriſtus eamdem facultatem in Petrum tranſtulerit, ut ſuo nomine, & auctoritate illa uteretur, æque clarum eſt ex Scripturis in ſuperiore capite citatis. Quoties igitur Romanus Pontifex Petri ſucceſſor aliique Paſtores Eccleſiarum in Chriſti nomine pœnas peccatis debitas remittunt, neceſſe eſt quod hæc eorum remiſſio in Chriſti meritis fundetur, quod idem eſt ac in theſauro continente merita Chriſti: ineptiſſimum enim eſſet aſſerere *hanc remiſſionem concedi juxta meritum ejus cui conceditur: vel ex gratuita remiſſione per poteſtatem a Deo datam, vel per liberalem remiſſionem virtute clavium factam abſque ulla ſolutione ex theſauro*, quæ tria aliqui etiam ex Theologis aſſerere non dubitarunt, non animadvertentes quod nulla gratia, vel Indulgentia ei fieret, cui ſic temporalis pœna remitteretur, unde probari non poteſt id quod ſcripſit Henriquez quolib. 15. q. 2. Secundo quia Indulgentia neque eſſet abſolutio, neque vera ſolutio, ut in ſuperiori Capite probavimus: & illa quæ tunc diximus ſufficiunt ad demoſtrandam falſitatem opinionis Franciſci Maironis, quam exponit in 4. Senten. d. 19. q. 2. Tertio demum quia etiam ut probatum eſt Indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis coram Deo; Sacerdoti vero ex vi poteſtatis remittendi peccata in foro pœnitentiæ non datur facultas, vel juriſdictio ad remittendam totam pœnam omnino gratis, ſed ſecundum talis judicii æquitatem, & ſi remitteret, non propterea remitteret ipſum reatum apud Deum donec alia ſatisfactio æquivalens loco illius non exhiberetur. Si igitur hæc ſatisfactio exhibenda eſt, qui hanc pœnam vult remittere oportet, quod illam reddat cum aliqua ſolutione ex theſauro, nec ſufficiet liberalis remiſſio virtute clavium facta. Conſtat itaque ex his neceſſitas hujus Theſauri, & propterea irrationabiliter ejus exiſtentiam ab Heterodoxis fuiſſe negatam, ut ſtatim probabitur.

II. Præcipuum hujus rei fundamentum ſuppeditant verba illa, quibus exponens Joannes efficaciam oblationis Chriſti cap. 2. docuit *Chriſtum eſſe propitiationem pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam totius mundi*. Quis autem ignorat non propter hoc plurimos hominum non ſalvari, & conſequenter illis non applicari hanc Chriſti propitiationem? Dicendum igitur eſt hanc propitiationem ſupereſſe, ſatisfactiones nimirum illas ſingulas, quas pro ſingulis illis hominibus Patri obtulir, quæ tamen applicatæ non fuerunt. Superſunt item innumeræ aliæ, quæ impoſterum applicabuntur, ut per earum effectus homines divites efficiantur, ſive poſtea hæc applicatio ſit futura per *Sacramenta*, ſive per *Sacrificia*, ſive per *Indulgentias*, ſingulis enim hiſce modis Chriſti merita nobis applicantur, & ita nobis applicari enixe poſtulamus. Fruſtraneum ergo non eſt ponere hunc Theſaurum, qui præcipue conſtet ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus, quem cum agnovit Apoſtolus *Abundantias Divinæ gratiæ* illum appellavit ad Epheſ. 2. *Inveſtigabiles Chriſti Divitias*, dixit cap. 3. *& diſpenſationem Sacramenti a ſæculis in Deo*, quæ poſtrema verba, & illum nobis oſtendunt theſaurum hunc non eſſe quærendum in loco aliquo materiali, cum res ſit penitus ſpiritualis, ſed in Divina acceptione poſitum, & præſentia oportere ab illa in nos derivare.

III.

III. Ejuſdem Apoſtoli verba querelam illorum vindicant, qui hujus Theſauri nomen per tot ſæcula inauditum fuiſſe in Eccleſia contendunt, & VI. Clementem primum fuiſſe cui in Extravaganti *Unigenitus* de Pœnit. & remiſſ. hujus Theſauri originem debeamus. Parum certè abeſt, quin de re graviſſima controverſiam, cum nominis quæſtione Auctores illi confundant; quod viro Theologo incongruum eſt, & admodum turpe. Etenim novitatis argumentum non eſt, quod recentiori vocabulo res antiquiſſima explicetur, nec prima haberi debet rei alicujus origo, cum primum de illa inſtituitur diſputatio, ſi conſtat omnibus tunc diſputari de rebus, cum hoſtes inſurgunt, qui ad hanc diſputationem nos provocant. Illud intueri oportet quid ſit, de quo diſputatur, utrum novum ſit, aut vetuſtiſſimum, ut temporis antiquiſſimi res eſt Verbi Incarnatio ad humanam naturam, unio in hunc finem facta, ut Verbum Incarnatum lapſum hominem redimeret, & pro illo Deo Patri ex perfecta juſtitia ſatisfaceret, ex quo myſterio neceſſario fuit conſequens, ut opera, & pœnæ ejuſdem Incarnati Verbi infiniti fuerint meriti, & ſanctificationis; cumque omnia ab ipſo fuerint facta, & aſſumpta ut a Redemptore hominum, & propter eorum ſalutem, ſequitur etiam ut Theſaurum, ex illis bonis operibus ac pœnis reſultantem, non tam ſibi, quam ipſis hominibus, quibus ſemper futurus erat juſtitia, ſanctificatio, & redemptio acquiſierit. In quo igitur Clemens VI. defecit cum in citata Extravagant. ait: *Quantum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio rederetur Theſauro militanti Eccleſiæ, acquiſivit volens ſuis theſaurizare filiis pius Pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt Dei amicitiæ participes ſunt effecti?* His verbis non novum dogma in Eccleſiam Clemens invexit, ſed novo nomine antiquiſſimam confirmavit Doctrinam, aut potius theſaurum nuncupavit fundamentum illud unde Indulgentiarum effectus petendus eſſet; quod vero Varonius in ſua regula fidei velit quid quid de hoc theſauro, ejuſque applicatione ad effectum Indulgentiarum paſſim aſſertum ad fidei dogma non ſpectare, quandoquidem nihil Fidei certitudinem attingere poſſit, niſi a Deo fuerit revelatum, idque conſtet vel Dei verbo ſcripto, vel non ſcripto ex traditione Apoſtolica ad nos tranſmiſſa. Hæc profecto gratis omnino aſſerit laudatus Auctor, nam fidei dogmata non ſunt rerum nomina, ſed res quæ per hæc nomina explicantur. Arriani etiam, & eorum Aſſeclæ adverſus *omouſion* obiiciebant vocem eſſe non ſcriptam, ac proinde ab Eccleſia proſcribendam; & Paſcentius Arrianus apud Auguſtinum epiſtola 178. flagitabat anathematizari, eo quod ſcriptum in litteris Dominicis minime reperiretur. Sed quid e contra veteres reſpondebant audiamus. Cyrillus Alexandrinus Dialog. 1. de SS. Trinit. p. 391. *De voce*, ait, *prorſus non laboramus, ubi illud verum eſt, quod ea ſignificatur*, & Nicænæ Synodi PP. apud Athanaſ. in libro de Decretis hujus Synodi Tom. 1. p. 270. *Etiam ſi dixerunt non ſic in Scripturis ſint voces, ſenſum tamen ex Scripturis habent.* Opportune itaque quod Auguſtinus ſcripſit in ſua epiſtola 74. *quid eſt contentioſius quam ubi de re conſtat, certare de nomine*, contra Varonium uſurpare poſſumus; Animi contentioſi eſſe, & ad detrahendum nati velle inferre ex hoc, quod ſcriptum in lege, aut in antiqua traditione non inveniatur hoc nomen *Theſaurus* uſurpatum in ordine ad exprimendum valorem, & effectum Indulgentiarum a libris Theologorum eſſe expungendum,

aut

Digitized by Google

aut eſſe male uſurpatum, cum res ipſa tamen, ut diximus, inveniatur. Potuit itaque Clemens VI. uti novo vocabulo, & licet tunc primo fuerit uſurpatum, nulla tamen Orbis Eccleſia contradixit, cuique ſiquidem perſuaſum fuit ſub illo nomine eam contineri doctrinam, quam totus Orbis profitebatur.

IV. Sed ut hujus theſauri pleniorem cognitionem exhibeamus animadvertimus duo in Chriſti operibus oportere diſtingui, illud ſcilicet, quod habet rationem meriti, & illud quod proprie dicitur ſatisfactio. Ex hoc quod Chriſtus operando exercuit omnium virtutum actus, plurimum promeruit: ex hoc quod in operando quod bonum erat acerbiſſimos cruciatus pertulit, cumulatiſſime ſatisfecit. Chriſtus promerendo, ſibi certe maximum, non tamen integrum præmium comparavit; obtinuit enim ſui Corporis gloriam, & Nominis exaltationem, ut Apoſtolus ſcripſit ad Philip. c. 2. quæ duo non ſunt integrum præmium operationum Chriſti, cum ejus meritum pretii fuerit infiniti. Chriſtus ſatisfaciendo, non pro ſe ſatisfecit, peccatum enim non habebat, pro quo ſatisfaceret: oportet igitur credere plurimum ſuperfuiſſe Chriſto meriti illius infiniti, quod eliciendo actus virtutum omnium acquiſivit, & totum ſuperfuiſſe, quod in ſe tulit, dum dolores noſtros ipſe portavit, & hæc illa ſunt ex quibus diximus præcipue Eccleſiæ Theſaurum conſtare.

V. Animadvertendum inſuper eſt nihil huic Theſauro detrahi ex parte ſatisfactionum a lethalibus hominum culpis, propter hoc quod in ratione Divinæ offenſæ infinitæ ſint, & nonniſi infinita ſatisfactione expiari poſſint. Nam hoc eſt diſcrimen inter infinitas offenſiones, quæ ex clupa mortali oriuntur, & infinitas ſatisfactiones, quæ a Chriſto Redemptore Patri offeruntur, quod iſtarum unica pro tollendis quibuſcumque infinitis his culpis, & pœnis, non ſolum ſufficit, ſed culpis adhuc expiandis pœniſque pro illis debitis infinito infinities pluribus par eſt, integra interim permanente hujus infiniti valoris conditione, ſufficientis ad infinita alia peccata remittenda, cum major ille ſit quam poſſint eſſe peccata hominum, & conſequenter remiſſiones eorum. *Unam Sanguinis Chriſti guttam* in citata Conſtitutione ſcripſit Clemens VI. *propter unionem ad Verbum ad redemptionem totius humani generis potuiſſe ſufficere*, quare non eſſe timendum de diminutione, aut conſumptione hujus Theſauri propter infinitum meritum ſatisfactionum Chriſti quas non in Dei acceptationem, ſed in Verbi dignitatem reduxit.

VI. Advertendum eſt 3. quod quamquam Chriſtus pro nobis, & pro toto mundo integre imo pleniſſime Deo Patri ſatisfecerit inde ſequi non debet, quod quia Chriſti ſatisfactiones per Indulgentias diſpenſantur non debeant fideles pro ſuis peccatis. ideſt pro reatu pœnæ temporalis expiando Domino ſatisfacere; ita enim Chriſtus ſua ſatisfactione nobis promeruit remiſſionem reatus pœnæ temporalis, ut Sanguine ſuo nobis gratiam, & gloriam comparaverit; ſed hoc non obſtante ſic nos currere monet Apoſtolus 1. Cor. 9. ut illam aſſequamur, ita pari ratione dicendum eſt Chriſti ſatisfactiones nobis prodeſſe, ſed nihil minus oportere non omittere ſatisfactiones noſtras, ut facilius pretium Sanguinis Chriſti, & ejuſdem ſatisfactiones applicentur. Hoc vero Chriſtus voluit, ut oſtenderet ſe nobis etiam gratiam ſatisfaciendi tribuere, ut efficacia Sanguinis ipſius magis ſplendeſceret dum non ſolum ipſe ſatisfaceret, ſed etiam membris ſuis virtutem ſatisfaciendi communicaret. Prærerquamquod quis ignorat Satisfactionem no-

noſtram prǽter expiationem pœnæ temporalis plures alios effectus operari, ſi illius ſit naturæ, cui illa conveniant, quæ Concilium Trident. Seſſ. xiv. c. 8. quibuſque ſatisfactionibus convenire debere decrevit? Proculdubio magnopere a peccato revocat, medetur peccatorum reliquiis, vitioſos habitus tollit, & Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit conformes nos efficit, quæ ſingula, neque blaſphemia, neque mendacia ſunt, quod fingunt Novatores, quibus & ſatisfactionum neceſſitas, & Indulgentiarum effectus nihil aliud ſunt, ut arroganter ſcripſit Calvinus in ſuis Inſtitutionibus cap. 9. numero 39. *Niſi ſanguinis Chriſti profanatio, Satanæ ludibrium, quo Chriſtianus populus a Dei gratia, a vita quæ eſt in Chriſto abducant, & a vera ſalutis via avertant*,

VII. Advertendum eſt 4. quod ubi agitur de remittendis exterioribus publicis pœnitentiis ad Sacramentale judicium minime pertinentibus, ad harum remiſſionem nulla eſt neceſſitas applicationis hujus Theſauri, quia hæ remiſſiones non attingunt immediate internum forum, aut non pertinent ad internum bonum animæ, neque diſponunt hominem ad gloriam conſequendam tollendo impedimenta illius, nam ſi aliquis excommunicatus decedat, & nunquam ab excommunicatione abſolvatur, neceſſe non eſt, quod illi applicetur ſatisfactio Chriſti, quæ ad ſolam internam animæ ſalutem, & gloriæ conſecutionem ordinatur; imo neque neceſſe eſt quod illi imponatur aliqua ſatisfactio, quia Eccleſia, quæ hominem ligavit poteſt ſuo arbitratu ſolvere, non exigendo aliam ſatisfactionem, quod efficere non poteſt ſi velit ſolvere a pœna debita in foro Dei, ad quam non Eccleſia, ſed vel Divina lex, vel peccator ſe ipſum ligavit, quia Divinam legem contempſit. Debita proportione ſervata neque ad diſpenſandum in votis neceſſaria eſt hujus Theſauri applicatio, licet per votum quis ligetur Deo, quia diſpenſatio voti non eſt materia juſtitiæ vindicativæ, ſed liberalitatis, in illa requiritur quod quando quis diſpenſatur in propria, aliena ſubſtituatur ſatisfactio; in hac vero ſolum requiritur juſta cauſſa, quod nimirum hæc diſpenſatio magis expediat ad bonum animæ, & ad Divinam gloriam, quæ duo ſpecialiter attenduntur in votis.

VIII. Major ſupereſt perpendenda difficultas utrum hic Eccleſiæ Theſaurus ex Sanctorum quoque meritis, & ſatisfactionibus conſtet, & cum Auctores Catholici paucis variatis id affirment, Heterodoxi omnino negant, quia verentur Sanguinem Chriſti profanari, ſi illi Sanctorum merita adjungantur; aut pretio Chriſti aliquid defuiſſe, quod Sanctorum paſſionibus ſuppleri poſſit. Sit igitur

§. II. *Etiam Sanctorum opera quo ad vim impetrandi ad Eccleſiæ Theſaurum pertinent, & ſub ratione ſatisfactionis potiſſimum applicantur, & per Indulgentias diſpenſantur.*

IX. Primam hujus Propoſitionis partem habemus in citata Conſtitutione Clementis VI. in qua cum dixiſſet Pontifex Eccleſiæ Theſaurum præcipue conſtare ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus, addidit: *Ad cujus quidem Theſauri cumulum, Beatæ Dei Genitricis, & omnium electorum a primo juſto uſque ad ultimum merita, adminiculum præſtare noſcuntur*. Idem quoque docuit in ſua Decretali Leo X. ad Cajetanum, ut hic refert 3. p. q. 48.

Google

p. q. 48. a. 5. in qua declaravit ad poteſtatem clavium Petro datam a Chriſto pertinere diſpenſare hunc Theſaurum, ad remittendas temporales pœnas ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & Sanctorum.

Altera Propoſitionis pars eruitur ex Bulla Pii V. quam Sanctus Pontifex edidit, ut Baji Propoſitiones proſcriberet, inter quas hæc legitur ſub n. 59. *Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis, nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretium ſanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Probatur etiam noſtra Concluſio ex communicatione bonorum operum, quam eſſe inter fideles Apoſtoli tradiderunt in Symbolo. Probatur item ex Paulo, qui in 2. ad Cor. 12. ſcribens ſe non quærere quæ Corinthiorum ſunt, ſed ipſos Corinthios, nec debere filios theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis, addit: *ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris*, & demum probatur ex ratione, quam S. Thomas inſinuat in 4. d. 20. q. 1. a. 3. q. 1. Nimirum ex unitate Corporis myſtici, in qua multi in operibus Pœnitentiæ ſupererogaverunt ad menſuram debitorum ſuorum, & multas etiam tribulationes injuſtas ſuſtinuerunt, per quas multitudo pœnarum poterat expiari ſi iis deberetur, quorum meritorum tanta eſt copia, quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedat.

X. Dubitatur nunc quomodo Sancti ſuis operibus nobis mereri potuerint, & quomodo eorum ſatisfactiones poſſint in Eccleſiæ Theſauro reponi? Hujus dubitationis ratio ex hac conſideratione oritur, quod fieri non poteſt, ut ex eo quod unus bene operetur, alter hujus boni operis habeatur auctor, & hic de alieno bono opere mercedem recipiat, quæ ex Scripturarum teſtimonio unicuique ſua tribuitur. Augetur difficultas cum animadvertitur, quod opera bona, quo ad vim ſatisfaciendi ita ſunt propria ipſius operantis, ut nulli alteri donari poſſint; vel quia ſolus Chriſtus potuit pro nobis ſolvere, unde ſolus poteſt alteri ſub hac ratione donare; vel etiam quia juſtus quidquid operatur, quantum in ſe eſt illud operatur, ut proſit ſibi ad merendum quantum poteſt. Cum maneant itaque juſtorum opera condigne remunerata; nihil de illis ſupereſt, quod in Eccleſiæ Theſauro reponatur.

XI. Ad harum difficultatum explicationem ſciendum eſt, non idem eſſe, aſſerere Merita Sanctorum, ut merita ſunt, eſſe in Theſauro Eccleſiæ, & dicere Merita Sanctorum eſſe in Theſauro Eccleſiæ cum hac clauſula *ad uſum Indulgentiarum*. Primum neceſſarium non eſt, nam ſive hæc merita ſint in Theſauro Eccleſiæ, ſive non, Theſaurum ipſum neque minuunt, neque augent. Secundum vero explicatur, nam dicere merita Sanctorum eſſe in Theſauro Eccleſiæ ad uſum Indulgentiarum, non idem eſt ac dicere, quod Indulgentiæ nituntur meritis Sanctorum conſideratis ſub ea ratione, qua merita ſunt, nam hoc eſt impoſſibile, quia Sancti nunquam potuerunt mereri, ut nobis peccata remitterentur remota quacumque ſatisfactione, ſicut meruit Chriſtus, quia hoc ſub nullius meritum cadit. Poſſunt Sancti nobis impetrare, ut tollamus obicem ad conſequendum effectum Indulgentiarum, & nos ipſi noſtram diſpoſitionem poſſumus aſſequi, Deo offerendo Sanctorum merita, ſed ut apparet hic Sanctorum concurſus,

non proxime, non per ſe in effectum Indulgentiarum influit, ſed remote, & per accidens. Sanctorum itaque merita, ut hunc effectum producant neceſſe eſt, quod a nobis conſiderentur, quatenus merita ſunt ſatisfactionum Sanctorum; aut quatenus meritoria eorumdem Sanctorum opera pœnalia, vel voluntariæ paſſiones patienter ab ipſis pro Deo ſuſceptæ magnum valorem habent, & ſufficientiam ad ſatisfaciendum, quæ ſatisfactiones in ipſis, neque in aliis habuerunt effectum compenſandi aliquem pœnæ reatum ipſis æqualem, vel quia nunquam peccarunt, vel longum vitæ tempus ſine lethalibus culpis in magna vitæ auſteritate, & ſanctitate tranſegerunt. Hæc eſt ſuperabundantia illa meritorum, quam Pontifex Leo proprie indicavit pretium eſſe ſolutionis, cum ait *poſſe Pontificem ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & Sanctorum Indulgentias elargiri ad redimendas pœnas temporales*, hoc eſt ex eo quod in Sanctis abundat. Illa item eſt, qua ita refertum eſſe Theſaurum Clemens VI. agnovit, ut dixerit *conſumi non poſſe, quia quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum*. Nemini autem admirationem debet ingerere, tam VI. Clementem, quam X. Leonem ipſas ſatisfactiones Sanctorum merita appellaſſe, ſi ignorari non poteſt, quod non ſit ſine merito ſatisfactio quælibet apud Deum, cum per æqualem compenſationem hæc fieri non poſſit, ſed per actum ſollicitæ voluntatis in acceptando pro divino amore adverſantia omnia; ex quo actu meritum illud exurgit, quod reatum pœnæ temporalis remittit in Purgatorio expiandum. Dilucidata igitur manet Concluſio noſtra, & quamquam breviter, tamen ſatis eſt declaratum Eccleſiæ Theſaurum Sanctorum meritis, & Satisfactionibus augeri; Meritis quidem, ut per illa Deum nobis miſericordem, & propitium imploremus, & plura alia bona impetremus, quæ nobis proficua ſunt; Satisfactionibus vero, ut ſub illis nobis merita ipſa applicentur, & diſpenſentur per Indulgentias.

XII. Ad primam itaque dubitandi rationem reſpondemus, quod Sancti plenam mercedem, imo etiam confertam, & coagmentatam, & ſuperfluentem menſuram præmii pro ſuis Operibus acceperunt, qui proprius effectus fuit ſuorum meritorum, ſed quia ut diximus, præter rationem meriti habent etiam opera Sanctorum rationem ſatisfactionis, ſub hac poſteriori ratione ſuperabundantia inveniuntur & in Theſauros Eccleſiæ recondenda, ut proſint ad remittendas aliorum pœnas. Hoc autem non eſt alieni boni operis fieri auctorem, & recipere mercedem de bono alieno opere, ſed eſt *aliena ſatisfactione ad hunc effectum diſpenſata*, ut in citata Decretali ſcripſit Leo X. *ſatisfactionem propriam compenſare*, diſpenſare enim alicuius merita non eſt propter ea aliquid impetraſſe. ſed eſt ea erogare ad debitum aliquod ſolvendum, vel abſolvendum, quod quia proprium eſt Indulgentiarum, ideo Sanctorum ſuperfluentes ſatisfactiones ad hunc Theſaurum pertinent.

XIII. Falſum vero eſt, quod opera bona, quo ad vim ſatisfaciendi nulli alteri donari poſſint, ut late probavimus in Tractatu de Pœnitentia, illud falſum non eſt, quod juſti ſæpe pœnas ſuſtineant non applicando eas in particulari aliis, in quo caſu videtur juſtos ſæpe habere ſatisfactiones, quæ neque in ipſis, neque in aliis habuerunt effectum. Non habuerunt in ipſis, non propter defectum Divinæ largitatis, ſed propter excellentiam perſonæ ſatisfacientis, in qua aut non fuit alicujus pœnæ perſolvendæ debitum

Digitized by Google

bitum, ut patet in Virgine Deipara, aut ſi quid fuerit pœnæ debitum, tanta non erat ejuſmodi pœna, ut tanta ſatisfactione purgari deberet, ut patet in Martyribus. Non habuerunt vero in aliis, qnia hoc eſt, quod ſupponitur. Cum vero abſurdum, & alienum a Divina providentia, ſit hujuſmodi ſatisfactiones perire, & quaſi pro nihilo reputari, juxta illud Lucæ 21. *Et capillus de capite veſtro non peribit*, dicendum eſt, quod quando juſti ſuam ſatisfactionem alteri non applicant, aut ipſi illa non indigent, intendunt ſemper per illa opera Eccleſiæ prodeſſe qnantum poſſunt, & eadem opera Eccleſiæ donare, ut in ejus Theſauro cuſtodiantur convenienti modo ſuo tempore diſpenſanda, ſicut Apoſtolus dicit ad Coloſ. 1. ſe impiere ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti in corpore ſuo pro Eccleſia, ad quam ſcribebat, & ſic prædicta merita ſunt communia toti Eccleſiæ. Ea autem, quæ ſunt communia multitudinis alicujus, diſtribuuntur ſingulis de multitudine ſecundum arbitrium ejus, qui multitudini præeſt; Unde ſicut aliquis conſequeretur remiſſionem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfaceret; ita cuilibet ſatisfactio alterius proderit ſi per eum, qui poteſt, diſtribuetur. Nec huic obeſt præſuppoſita ab aliquibus injuſtis intentio per talia bona opera ſibi merendi quantum poſſunt, quia nunquam ab his operibus excludunt propriam rationem ſatisfactionis, quæ neceſſario, & quaſi ex natura rei ineſt. Dixi *neceſſario, & quaſi ex natura rei*: quia in bonis actionibus hominum juſtorum ſemper duplex hic valor, ſive pretium continetur, videlicet ſatisfactionis, & meriti, ut patet in Eleemoſina, quæ *ab omni peccato, & a morte liberat*, ut dicitur Job. 4. quod eſt ſatisfactorium, & meritoria eſt vitæ æternæ, ut dicitur Mat. 25. *Percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine Mundi, eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*: & ut patet etiam in jejunio, oratione, ceteriſque operibus pœnitentiæ, de quibus extat memorabilis S. Cypriani ſententia in Sermone de Lapſis: *Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti plus, & virtutis, & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit exauditus, & adjutus a Domino, quem contriſtaverat, nuper lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolum Dei veniam merebitur*, (quod eſt ſatisfactorium) *ſed coronam*, (quod eſt meritorium) & demum, ut patet ex diſcurſu S. Thomæ in 1. p. q. 21. a. 1., ex quo infertur, quod duplex merces eidem operi debetur, *nam ſi conſideretur, quatenus meritorium eſt, illi debetur præmium ex juſtitia diſtributiva, quatenus vero eſt ſatisfactorium, debetur remiſſio pœnæ ex juſtitia commutativa*.

XIV. Ex his vero, quæ diximus, ut Sanctorum opera quo ad vim impetrandi oſtenderimus pertinere ad Eccleſiæ Theſaurum, & ſub ratione ſatisfactionis potiſſimum applicari, & per Indulgentias diſpenſari, tantum abeſt, quod Sanguis Chriſti profanetur, aut pretio a Chriſto ſoluto aliquid deeſſe credamus, quod Sanctorum paſſionibus ſuppleri poſſit, ut a Novatoribus arroganter, & contumelioſe objicitur; quin potius dicimus hoc ad gloriam ipſius Chriſti pertinere, quod tantam virtutem ſuis Sanctis attribuerit, qui cum ſatisfacere non poſſent ſine ipſius influxu, & virtute, Divina hac ſpe adjuti ſatisfactiones facerent, revera a Chriſti ſatisfactione diſtinctas, & qui Eccleſiæ Theſaurum augere non potuiſſent jam infinitum propter Chriſti merita, & ſatisfactiones, nihilominus illum extenderent, ut eorum etiam ſatisfactionibus recipiendis par eſſet, quæ vim haberent expiandi reatum pœnæ temporalis. Quæ autem in hoc eſt Sanguinis Chri-

ſti

ſti profanatio, quod illi Sanctorum merita adjungantur? inquiet Calvinus loco ſupra citato, *quia Chriſto, Lex, & Prophetæ omnes teſte Petro Actor.* 10. *teſtimonium perhibent quod per ipſum accipienda ſit remiſſio peccatorum. Indulgentiæ remiſſionem peccatorum per Petrum, & Paulum, & Martyres largiuntur. Sanguis Chriſti emundat nos a peccato,* inquit Joan. 1. cap. 1. *Indulgentiæ ſanguinem Martyrum faciunt ablutionem peccatorum. Chriſtus,* inquit Paulus 1. Corint. 5. *qui peccatum non noverat factus pro nobis eſt peccatum, ideſt peccati ſatisfactio, ut juſtitia Dei efficeremur in illo. Indulgentiæ peccatorum, ſatisfactionem in ſanguine Martyrum reponunt. Clamabat Paulus, & Corinthiis teſtificabatur* 1. Cor. 1. *ſolum Chriſtum pro ipſis crucifixum, & mortuum eſſe. Indulgentiæ pronunciant Paulum, & alios pro nobis mortuos. Alibi dicit Chriſtum acquiſiviſſe Eccleſiam ſanguine ſuo Actor.* 20. *Indnlgentiæ aliud pretium acquiſitionis in ſanguine Martyrum ſtatuunt. Una oblatione Chriſtus conſummavit in perpetuum ſanctificatos, ait Apoſtolus Heb.* 10. *Indulgantiæ reclamant a Martyribus perfici ſanctificationem, quæ alioqui non ſufficeret. Joannnes dicit Apocal* 7. *Sanctos omnes lavaſſe ſtolas in ſanguine Agni. Indulgentiæ docent lavare ſtolas in ſanguine Sanctorum &c.* Nec meliora profecto, nec magis fideliter, licet contra Novatorum morem ex Scriptura petita teſtimonia objici a Calvino poterant; minime tamen concludentia, quia ex ſingulis his teſtimoniis nec unum eſt, quod agat de remiſſione reatus pœnæ temporalis, qui non repugnat, ut ex Scriptura ipſa poſſet demonſtrari, quod inveniri poſſit etiam in omnibus juſtificatis, & qui ſolus per Indulgentias remittitur. Illa omnia Scripturarum loca a Calvino uſurpata de impii juſtificatione loquuntur, quam ultro fatemur, non produci a meritis Sanctorum, nec contrarium evincunt ſuperiora a nobis expoſita argumenta. Sicut igitur nihil detrahit ſatisfactioni Chriſti, quod unus pro ſe ſatisfaciat, quod hanc vim a Chriſto receperit; ita nec Sanctorum ſatisfactiones, quas Eccleſia diſpenſat per Indulgentias poterunt ipſi Chriſti ſatisfactioni obeſſe, cum per illas nullus ex impio fiat juſtus, ſed ad ſolum reatum pœnæ temporalis diſſolvendum Eccleſiæ membris applicentur.

XV. Non ita ſincere Catholicorum rationem Calvinus expoſuit, ut antea Scripturæ teſtimonia propoſuerat: fingit enim in loco cit. cap. 9. n. 41. Catholicos docere Martyres plus morte ſua præſtitiſſe Deo, ac meritos eſſe, quam ſibi opus eſſet; tantamque illis meritorum largitatem ſuperfuiſſe, quanta in alios redundaret, ex quo principio ita concludit. *Ne igitur ſupervacuum ſit tantum bonum, comiſceri eorum ſanguinem Sanguini Chriſti, & ex utroque Theſaurum Eccleſiæ confici ad remiſſionem, & ſatisfactionem peccatorum. Atque ita accipiendum,* quod ait Paulus Colos. 1. *ſuppleo in corpore meo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*

Abutitur in hoc loco Calvinus Catholicorum argumento, & eorum rationem vel non intelligit, vel malitioſe traducit. Nullibi docuerunt Catholici. *Martyres plus morte ſua præſtitiſſe Deo ac meritos eſſe, quam ſibi opus eſſet*: ſed quam ſibi opus eſſet ad ſatisfactionem docuerunt, ſcilicet ad ſatisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis, propter momenta, quæ ſupra dedimus, Calumniatur etiam Calvinus in hoc, quod dicit *ex Catholicorum ſententia, merita multis Sanctorum ſuperfuiſſe, & hæc in alios redun-*

Digitized by Google

dundare, nam quid in hoc Catholici doceant, ſupra etiam oſtendimus. Falſiſſimum etiam eſt id, qnod Calvinus in loco notato *Catbolicos nonniſi nomen Chriſto relinquere. Ceterum vulgarem ſanctulum facere, qui in turba vix dignoſcatur*. Nam Catholici ſolum Chriſtum agnoſcunt, & prædicant Redemptorem, Propitiatorem, & Salvatorem, nec ſatisfactiones Chriſti cum ſatisfactionibus Martyrum, & Sanctorum commiscent, licet enim aſſerant ex utrisque Eccleſiæ Theſaurum coaleſcere, Chriſti tamen, & Sanctorum merita non in eodem ordine a Catholicis collocantur, qui dicunt Sanctos nonniſi per Chriſtum meruiſſe, & dignum aliquod pretium pro redimenda pœna peccatis debita potuiſſe ſufficere; & ad hoc probandum præter alia teſtimonia uſurpant Apoſtoli verba; *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego miniſter ſecundum diſpenſationem Dei*, ideſt ut explicat Bellarminus in lib. 1. de Indulg. c. 3. *quæ Chriſtus in Sanctis ſuis adbuc paſſurus erat pro corpore ipſo Eccleſiæ, ſive inſtruendo prædicationibus, ſive confirmando exemplis, ſive expiando ſatisfactionibus*. Accedit his, quod ipſe Paulus in 1. ad Cor. cap. 3. & 9. ſe Chriſti adjutorem facit, & Salvatoris efficium ſibi indicit, *omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos: & omnes bomines ſe illuminare*, inquit ſcribens ad Ephes. cap. 3. Sequitur ne propter hoc quod Chriſti Attributis ab Apoſtolo detrahatur, & eidem irrogetur injuria? hoc verum certe eſſet, niſi ſciremus Chriſtum non neceſſitate, ſed dignatione Paulum ad miniſterium hoc deſtinaſſe, ut portaret nomen ſuum coram gentibus, & regibus. Idem quoque eſt dicendum dum in ſatisfactionibus Sanctorum vim ineſſe cognoſcimus remittendi pœnas temporales aliorum; videlicet nos non irrogare Chriſto injuriam, quia ab ipſo Sancti virtutem hanc receperunt, ut illorum paſſiones eſſent juſtæ compenſationes pro pœnis, quas nos debemus Deo, & non tantum aliquid, quod Deum moveret, ut nobis Chriſti satisfactionem applicaret, quod diximus jam condemnatum fuiſſe a Pio V., & deinceps a Gregorio XIII., qui Pii ſententiam confirmavit. Nec Novatoribus favet, licet hoc ſibi plurimum perſuaſerit Kemnitius D. Bonaventuræ ſententia, in qua legit ſatisfactiones Sanctorum applicari ad pretium aliquod ſolutionis pro peccatis, ideo quia pretio Chriſti aliquid defuerit, nam hoc nullibi ſcripſit Sanctus Doctor, & in 4. Senten. diſt. 20. par. 2. a. 1., ad quem locum pertinet hæc ſententia revera non legitur hæc clauſula: *Ideo quia pretio Chriſti aliquid defuerit*.

XVI. Si aliquid Novatoribus favere poteſt. eſt id quod legitur in Pſal. 48. & quod ab eodem Kemnitio reponitur: *Frater non redimit, redimet bomo. Nam ſi David negat*,. inquit Kemnitius, *fratrem pretium redemptionis fratris poſſe Deo perſolvere, oportebit etiam negare Sanctorum ſatisfactiones poſſe applicari ad reatum pœnæ pro aliis expiandum*: Non ita tamen argumentatur Auguſtinus hæc verba perpendens in ſua prima Concione in Pſalmum prædictum, qui cum dixiſſet, *non poſſe impium, qui in ſua virtute, & in multitudine divitiarum ſuarum confidit liberari, nec a ſe, nec ab alio, quia Chriſti Redemptionem ſibi noluit applicari, hæc ſubdidit. Qui ſunt, qui dant pretium redemptionis animæ ſuæ? quibus ait Dominus: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut & ipſi recipiant vos in æterna tabernacula. Illi dant pretium animæ ſuæ, qui non ceſſant eleemoſinas facere. Ideo illos, quos monet per Timotheum Apoſtolus, noluit*

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſuperbos, ne in abundantia divitiarum glorientur: denique quod poſſidebant, nolunt apud illos veteraſcere, ſed aliquid ex eo fieri, ut eſſet pretium redemptionis animæ illorum. Theſaurizent, inquit, *ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam, ſic dabunt pretium redemptionis animæ ſuæ*. Videtur itaque, quod Auguſtinus non reſpuit, ſed commendat, quod juſti per eleemoſinas dent pretium redemptionis animæ ſuæ, cum veritas ipſa hoc dicat, & hoc dicendo, nihil aliud intelligat, quam redemptionem a reatu pœnæ, qui remanet poſt abſolutionem a reatu peccati, a quo ille ſolus poteſt redimere, qui ut Auguſtinus ait in 1. ad Cor. 1. *factus eſt nobis a Deo juſtitia, & redemptio*. Cum itaque neque Auguſtinus hæc commendando irroget Chriſto injuriam, nec Chriſtus ipſe ſibi contumeliam hoc præcipiendo inferat, ſemper concluditur, quod abeſt ab omni injuria Deo Redemptori, quod in Eccleſiæ Theſauro Sanctorum ſatisfactiones reponantur, & Chriſti ſatisfactionibus conjungantur, ut illæ pro pretio ſolvantur redemptionis pro ſolo pœnæ reatu aliorum fidelium. Verum vero cum Indulgentiæ concednntur ſolutio fiat ex his ſatisfactionibus Sanctorum, vel ex ſatisfactionibus Chriſti; res eſt Divino judicio relinquenda, & arbitrio. Poſſet ſi vellet Pontifex Indulgentiam concedere ex ſolis ſatisfactionibus Sanctorum, nam poteſtas clavium, quo ad actum Indulgentiæ utraſque ſatisfactiones indifferenter comprehendit, nihilominus concurreret ſatisfactio Chriſti, ut principalis, & univerſalis cauſſa effectus iſtarum ſatisfactionum. Regulariter tamen non ita ſolent Indulgentiæ concedi, ſed ex toto Eccleſiæ Theſauro, ut coſtante ex meritis, & ſatisfactionibus Sanctorum indiſtincte concurrentibus ad producendum effectum, per quem Indulgentiæ conceduntur. Præter effectum Indulgentiarum, nullus alter prodit ex Theſauro conſtante ex ſatisfactionibus Sanctorum, quia illorum ſatisfactio non eſt accomodata ad alium effectum, ſeu non eſt pretium, quod in alios uſus expendi ſoleat: quod de Theſauro conſtante ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti non eſt dicendum, qui Theſaurus multis aliis modis poteſt diſpenſari, & per alia, præter effectum Indulgentiarum, nimirum per Sacramenta, per Sacrificia, & pleraque alia fidelium opera, interdumque diſpenſatur per Chriſti miniſtros, & interdum immediate ab ipſo Chriſto, quod evenit quando culpa, vel pœna remittitur, aut ſpirituale aliquod beneficinm nobis confertur interius abſque hominum interventu per miniſterium Sacramentorum. Applicatio vero ſatisfactionis Sanctorum nunquam immediate fit ab ipſis Sanctis, ſive jam defunctis, ſive adhuc viventibus, hoc ipſo enim quod hæ ſatisfactiones in Eccleſiæ Theſauro ſunt reconditæ, transferuntur in Dominium Eccleſiæ, & deſinunt eſſe ſub ejus voluntate, qui illas operatus eſt, & ideo non poſſunt per illum amplius applicari. Diſpenſari igitur debent per homines, in quibus ſit publica auctoritas, atque adeo per poteſtatem clavium a Chriſto conceſſam, quæ quo ad hoc, cum non remittat culpam, ſed ſolum pœnam, colligitur ſatisfactiones Sanctorum ſolum per Indulgentias diſpenſari, quarum ſolum proprium eſt has pœnas extra Sacramentum remittere, & præter opus operantis. Non defuerunt certe Theologi, qui etiam per abſolutionem Sacramentalem dixerunt diſtribui Theſaurum hunc conſtantem ex ſatisfactionibus Sanctorum, ſed perperam propter hoc, quod Sacramenta generaliter loquendo ſunt fundamenta Eccleſiæ, in quibus ſolus Chriſti Sanguis opera,

Digitized by Google

tur, cum ex latere Chriſti omnia prodierint, & loquendo de Sacramento Pœnitentiæ ſolius Chriſti nomine in hoc Sacramento peccata remittuntur, quia ſolum de ſe ipſo dixit Lucæ 23. *Oportuit Chriſtum pati, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam in remiſſionem peccatorum*: *& ſolum beneficium mortis Chriſti applicari peccatoribus*, dixerunt Tridentini Patres loquentes de hoc Sacramento in cap. 1. Seſſionis XIV.

CAPUT III.

DE MINISTRO INDULGENTIARUM.

I. CHriſtum Dominum non indigere aliorum miniſterio in diſpenſatione Eccleſiaſtici Theſauri, poteſtas excellentiæ, quæ in illo eſt remittendi peccata, & Dominium Theſauri per cujus applicationem fit hæc remiſſio ſatis convincunt. Cæterum quia noluit per ſe munus hoc exercere, ſed per homines, quibus poteſtatem contulit ſolvendi, & ligandi; merito quæritur quis ille ſit, in quo hæc poteſtas reſideat. Plurima in ſuperioribus Capitibus diximus, præſertim vero in Cap. I. §. II. ex quibus cognovimus Romanum Pontificem poteſtatem hanc retinere, cum enim ſolus ſit Chriſti in terris Vicarius, in illo principaliter reſidere debet facultas hæc, cum cognoſcatur fundamentum, & finis totius Eccleſiaſticæ juriſdictionis, ſine qua jam diximus nullum poſſe Indulgentias concedere, & in hoc nullus Catholicorum diſentit. Difficultas tota eſt an in aliis, quam in ſolo Romano Pontifice facultas hæc inveniri poſſit, & quinam habendi ſint veri Indulgentiarum Miniſtri. Sit igitur

§. I. & Propoſitio 1. *Concilium Generale legitimum ex ſe, & Divino jure facultate caret concedendi Indulgentias Plenarias, ſed ſolum ratione Summi Pontificis, quem includit, & virtute illius.*

II. Veritas hujus Propoſitionis habetur in hoc diſcurſu: Monarchicum Eccleſiæ regimen a Chriſto Domino inſtitutum præſupponit nullum juriſdictionis genus Eccleſiæ ipſi fuiſſe immediate conceſſum: & quod id contigerit manifeſtum eſt ex teſtimoniis Evangeliſtarum, & ex ipſius Eccleſiæ perpetua ratione, cujus regimen conſtantiſſime in uno capite conſervatum eſt ex immutabili Chriſti inſtitutione: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Tibi dabo claves Regni Cælorum*: *Paſce oves meas*. Negari igitur æque poterit Generali Concilio, per quod ſolum repræſentatur Eccleſia, juriſdictionem hanc eſſe conceſſam, ut in vi illius plenarias Indulgentias Chriſtiano populo impertiretur, quia nulla de hac re promiſſio eſt, nullumque extat teſtimonium unde poſſit inferri. Huic ſententiæ Theologorum plurimi aſtipulantur, inter quos tum D. Thomas in 4 d. 20. q. 1. a 5., & S. Bonaventura 2. q. a. 3., & licet plura proferat Gerſonius in libro *de poteſtate Eccleſiæ* Conſideratione 11. quæ videntur favere contrariæ ſententiæ, nihilominus illum rationes ſuæ non movent ut Controverſiam dirimat, ſed illam Lectorum arbitrio conſiderandam relinquit.

Digitized by Google

III. Altera Propoſitionis pars per ſe manifeſta eſt, nam accedente Pontificis conſenſu, vel quia ipſe ſit præſens per ſe, & conceſſioni Indulgentiarum annuat, vel per ſuos Legatos ex conceſſione ejus, tunc Concilium generale poterit Indulgentias concedere, quia tunc hujuſmodi conceſſio non erit a Concilio Generali ratione ſui, ſed quatenus caput habet, & virtute illius. Neque expedire videtur quod duæ poteſtates univerſales admittantur ad eundem actum eliciendum, quia vel neutra illarum alteri ſubordinaretur, quod eſſet monſtruoſum, vel una dependeret ab alia, & in hoc caſu illa, quæ dependeret non eſſet immediate a Chriſto, ſed ab alia. Conſtat autem poteſtatem Pontificis non pendere a Concilio, quia ſi vult poteſt etiam nolente Concilio Indulgentias conferre, e contra vero Pontifice renuente non poteſt Concilium Indulgentias dare: igitur dicendum eſt poteſtatem Concilii Generalis a Papa dependere: quod magis verum eſt quando Concilium eſt acephalum, quia tunc caret capite per cujus influxum poteſtatem hanc poteſt recipere. Idem dicendum eſt ſi Concilium congregari contingat eo tempore, quo Eccleſia caret Pontifice, nam licet tunc Concilium hoc habeat poteſtatem, quæ neceſſaria eſt ad regimen Eccleſiæ pro eo tempore, non extenditur tamen hæc poteſtas ad concedendas Indulgentias, quia talis conceſſio non eſt neceſſaria ad regimen Eccleſiæ, cum ſit ſolum res ſupererogationis, & ad melius eſſe, nec habemus validum fundamentum, imo neque probabile ad id aſſerendum, quemadmodum hoc fundamentum habemus ad aſſerendum oppoſitum, quod fundamentum ſuppeditat tum ipſa Theſauri Eccleſiæ conditio, qui cum non ſub Dominio Eccleſiæ ſit defuncto Pontifice, ſed ſub Dominio ipſius Chriſti diſpenſatio ejus ſuſpenſa manere debet, donec Vicarius ejus eligatur: cum etiam infrequens hujus auctoritatis uſus diſpenſandi Indulgentias per Concilia Generalia, quod tantummodo factum legitur in Concilio Baſileenſi Seſs. 24., & in Seſs. 17. Concilii Conſtantienſis, quorum alterum eo tempore Schiſmaticum erat, alterum vero non Indulgentias plenarias conceſſit, ſed ſolum centum, vel quadraginta dierum, ut ex eorum Actis apparet. Superſedemus efficaciora argumenta in medium proferre in confirmationem noſtræ Propoſitionis, & adverſariorum objecta refellere, quod plura præſupponant fundamenta, quæ proponentur, & explicabuntur in Tractatu de Eccleſiaſtica Hierarchia.

IV. Propoſitio 2. *Epiſcopi non habent immediate a Chriſto Domino facultatem concedendi Indulgentias, quamquam dum illas concedunt ſuo utantur ordinaria poteſtate, quæ a juris diſpoſitionibus limitatur.*

Legitur hæc Propoſitio in Conſtitutione Clementis VI. ſæpe laudata ubi Pontifex dixit Chriſtum Theſaurum ſuorum meritorum reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ, *quem per B. Petrum Cœli clavigerum, ejuſque ſucceſſores, ſuos in Terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & propriis, & rationabilibus cauſſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debita, tam generaliter, quam ſpecialiter*; & revera ſi Epiſcoporum juriſdictio in foro Sacramentali non eſt immediate a jure Divino, ut oſtendimus in Tractatu de Pœnitentia, quamquam ſit magis neceſſaria, & magis intrinſeca muneri Paſtorali, quam ſit poteſtas concedendi Indulgentias, multo minus hæc poteſtas erit immediate a jure Divino, cum neque ſit actus characteris Ordinis, neque conſecrationis Epiſcopalis, cum Pontifex

tifex illam limitet, vel augeat ad beneplacitum, prohibeanturque Epiſcopi non alias concedere, quam Indulgentias quadraginta dierum, & rariſſime anni unius pro viventibus tantum. Non ſolum hæc poteſtas non eſt in Epiſcopis a jure Divino, ita ut attento hoc jure illi poſſint Indulgentias concedere, ſed neque a jure Divino tenetur Pontifex hanc facultatem Epiſcopis conferre, ut tenetur concedere eiſdem omnem juriſdictionem Paſtorali muneri moraliter neceſſariam, quia præceptum illud nullibi ſpecialiter imponitur Pontifici, quod juriſdictio hæc Epiſcopis non ſit neceſſaria, neque admodum referat ad ſalutem animarum, ſed tantum ad aliquam majorem utilitatem fidelium, & ut communiter dicitur, ad majorem decentiam, & auctoritatem dignitatis Epiſcopalis, & propterea congruum eſt quod Pontifex aliquam facultatem quoad hunc actum Epiſcopis concedat, ne videantur etiam in hoc foro carere omni juriſdictione.

V. Non defuerunt tamen, & non deſunt Theologi, qui ita materiam hanc pertractarunt, ut in duo extrema deſcenderent. Aliqui voluerunt Epiſcopos a Deo immediate habere hoc jus, de quo agitur; alii vero ſoli Pontifici convenire, & præter hunc neminem poſſe concedere Indulgentias, vel ad hoc recipere poteſtatem. Ex dictis, & ex prænotatis in Tractatu de Eccleſiaſtica hierarchica prima ſententia ſuſtineri non poteſt; altera quoque omnino falſa eſt, adverſatur enim traditioni, & uſui Eccleſiarum. Traditionem innuit S. Cyprianus, ubi reprehendens Sacerdotes illos, qui hoc jus ſibi ſumpſerunt ait: *quod enim periculum metuere non debemus de offenſa Domini, cum aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt cum contumelia, & contemptu præpoſiti totum ſibi vindicant*? Uſum probant Synodus Ancyrana in Can. 5. *Epiſcopum* inquiens *hanc habere licentiam oportet*. Nicæna 1. in Can. 12. *Poſtmodum licebit Epiſcopo de his aliquid humanius decernere*, & Lateranenſis IV. in Can. 60., & patet etiam hic uſus ex ſingulis illis regulis quæ habentur in jure, quibus peculiaris ordo præfigitur Epiſcopis, dum illi Indulgentias concedunt. Certum igitur eſt poſſe Epiſcopos Indulgentias concedere auctoritate ſibi a Romano Pontifice demandata, quæ facultas hoc operatur, ut ſtatim ipſi jure ordinario Indulgentias concedant, quod eſt ſecundum eorum, quæ in noſtra Propoſitione affirmantur; ſiquidem hoc ipſo quod Epiſcopus ex ordinatione Eccleſiæ talem, & tantam poteſtatem accepit, tota hæc poteſtas illi convenit tamquam ordinaria ejus juriſdictio: Neque hoc repugnat unitati Theſauri, quæ exigit etiam unicum habere ordinarium diſpenſatorem, nam licet Eccleſiæ Theſaurus unus ſit, & unum habeat diſpenſatorem Chriſti Vicarium, nihilominus ex multis particularibus coaleſcit, cum ſingulæ Eccleſiæ ſuos proprios fideles, & juſtos habeant, quorum ſuperabundantia merita, vel ſatisfactiones in illum Theſaurum deferuntur, & uniuntur, & ideo non repugnat quod qui principalis eſt hujus univerſalis Theſauri diſpenſator clavem ejus ex parte communicet particularibus Epiſcopis, quantum eorum muneri expedit, ut & dependenter ab illo, & ex eorum officio de bonis illius diſpenſent cum juris limitationibus, ut in tertia parte propoſitionis ſtatuitur. Hæ limitationes habentur in cap. *Cum ex eo* de Pœniten. & remiſs. in cap. *Quod autem*, ex capite *noſtro* eod. tit., & ſunt quod non excedant 40. dies, vel annum,

ſi hæc Indulgentia publicatur in die Dedicationis Eccleſiæ: quod ſolum concedantur ſuis ſubditis: quod concedantur pro vivis, non pro defunctis, quia defuncti non ſunt ſubditi Epiſcoporum, niſi ſpecialem poteſtatem a Pontifice delegatam ad id habuerint. Generalis enim regula eſt quod Indulgentia nunquam extenditur ad defunctos, niſi hoc a Papa declaretur, ut Gabriel ſcribit in ſua Lectione 57. in Canonem, Sixtum IV. docuiſſe, & ut praxis Epiſcoporum oſtendit, qui nunquam pro Defunctis Indulgentias concedunt. Antiquitus Epiſcopi Indulgentias quaſcumque ſuis Diœceſanis concedebant, ſi id expedire putaſſent, nec mos erat ad Romanam Sedem confugere ut obtineretur Indulgentia plenaria, Concilium Lateranenſe IV. hanc facultatem cohibuit, eo quod in Eccleſiaſticæ diſciplinæ enervationem abuſus plurimi irrepſiſſent in conceſſione Indulgentiarum. Quod dictum eſt de Epiſcopis, & Archiepiſcopis extenditur etiam ad Primates, Patriarchas, Legatos a Latere, & Cardinales, niſi quod cum in jure communi non conſtet quanta ſit eorum facultas, conſulendæ ſunt ſpeciales ordinationes, vel conſuetudines ex voluntate Pontificum introductæ.

VI. Quemadmodum jura nihil dicunt de his, quos poſtremo loco memoravimus, ita ſilent omnino de reliquis Prælatis, qui ſunt Epiſcopis inferiores, quare de his putamus affirmari poſſe, quod ſi Indulgentias concedunt, ex ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſſa hoc faciunt. Scilicet vel quia a Superioribus ſit illis conceſſa hæc poteſtas, vel a conſuetudine legitime introducta, quæ jurisdictionem confert, quia eſt judicium juriſdictionis aliquando conceſſæ a Summo Pontifice, niſi horum alterutrum ſupponatur, Prælatos inferiores Epiſcopis carere hac facultate habetur in cap. *Accedentibus* de exceſs. Prælatorum, in quo hæc poteſtas cenſetur propria dignitatis Epiſcopalis; & quia in hac dignitate non ſuccedit Capitulum Sede vacante, licet ſuccedat in juriſdictione, neque Capitulum Sede vacante, nec Vicarius Capitularis poterunt Indulgentias diſpenſare.

VII. Extenditur hæc doctrina etiam ad Parochos, ceteroſque Sacerdotes, qui plenam jurisdictionem habent in foro Sacramentali, ſcilicet nec illos poſſe Indulgentias concedere; quod dicimus contra illos, qui exiſtimarunt Indulgentiarum abſolutiones eſſe actum characteris Sacerdotalis, & non animadverterunt abſolutionem Sacramentalem, & abſolutionem Indulgentiæ eſſe actus diverſos, qui a diverſa jurisdictione dependent, ut ſupra probavimus, neque manant a poteſtate Ordinis. Poſſunt in foro pœnitentiæ Sacerdotes, imponendo adæquatas pœnitentias pœnas remittere, ſed hæc pœnæ remiſſio non eſt Indulgentia, eſt Sacramentalis ſatisfactio, de cujus effectu jam diximus in Tractatu de Pœnitentia.

VIII. Ipſi etiam Raligionum Prælati ex vi ſui muneris nullum jus habent concedendi Indulgentias, quod ſi aliquibus applicant bona merita, & ſatisfactiones ſuarum Congregationum, dum illos earum reddunt participes per eorumdem admiſſionem ad ſpecialem unionem cum ſuis Religionibus, hoc nihil aliud eſt quam quædam ſuffragiorum oblatio, ſeu donatio, non vero Indulgentiarum conceſſio, nam illos non admittunt ad participationem alicujus Theſauri, quem nulla privata fidelium congregatio poteſt congregare ex ſuperabundantibus ſatisfactionibus ſuorum membrorum, ut ſit ſub privato dominio talis Congregationis, neque applicant illis aliquas ſatisfactiones ad remiſſionem peccatorum, ſed admittunt illos ad applicationem ſuo-

Digitized by Google

ſtorum meritorum, & operum, præcipue per modum impetrationis, ut per hæc bona pia opera Deus eorumdem miſereatur, eiſdemque ſpecialis beneficia conferat intuitu talium meritorum. Poſſunt etiam Prælati Religionum aliquibus applicare ſatisfactiones ſuas quando eas faciunt, ſive ſuffragium aliquod ſatisfactorium; ad hoc tamen requiritur particularis voluntas operantis, quia ſola Superioris voluntas non ſufficit ad dirigendum moraliter alienum opus, quod non eſt directe, & immediate ſub Dominio illius, licet aliquod jus ad illud habeat; in ordine ſcilicet ad debitum uſum, non tamen ſimpliciter in ordine ad uſum, quia hic abſolute manet ſub dominio ſubditi, qui licet teneatur, præcipiente Prælato, illud opus facere: ſi tamen non facit, infectum manet quid quid alius præcipiat. Ex his colligitur quod non eſt inutile, quod aliquis admittatur ad participationem operum alicujus Religionis, nam hoc ipſo quod aliquis eſt peculiari modo membrum, vel ſocius alicujus Religionis, merita ejuſdem Religionis hanc efficaciam habebunt ut talis perſona a Deo impetret quod petit horum meritorum intuitu, quia hæc merita majorem habent efficaciam reſpectu perſonæ conjunctæ quam extraneæ: Adjuvabitur etiam plurimum orationibus, quæ generaliter fieri ſolent pro ipſa Religione, & membris ejus, in quibus non eſt neceſſaria particularis intentio ſingulorum membrorum, ſed ſola ſufficit Prælatorum intentio: demum lucrabitur Indulgentias a Romanis Pontificibus Religioni conceſſas, ſi ad ejuſmodi perſonas tales Indulgentiæ extenduntur.

IX. Propoſitio 3. *Non repugnat ex poteſtate delegata poſſe quemcumque Clericum Indulgentias concedere.*

Præſupponit hæc Propoſitio poteſtatem hanc poſſe delegari, quod evidentiſſimum eſt, quia poteſtas eſt jurisdictionis, quæ ad quodcumque forum pertineat delegationem non refugit, ſi tamen a legitima perſona fiat, nimirum a Romano Pontifice quoad omnes, & ab Epiſcopo quoad ſuos ſubditos, itemque ab Archiepiſcopo, in quibus poteſtas eſt ordinaria. Verum quo ad hoc nonnulla ſunt notanda, & eos qui a Papa poteſtatem hanc acceperunt non eſſe meros denunciatores, quia in his caſibus Papa non concedit Indulgentias, ſed poteſtatem tantum aliquibus viris inſignibus, & Generalibus Religionum, ut hac poteſtate utantur ſibi conceſſa, quæ eſt mere, delegata, & quam ſubdelegare non poſſunt. 2. Qui obtinuit a Papa ut Indulgentiam in articulo mortis poſſit illi Confeſſor concedere, hoc beneficio uti non poterit in defectum Confeſſarii per miniſterium alicujus Laici, nam numquam Papa conſuevit hoc munus concedere Laico, & generalis conceſſio facta ſine derogatione particulari nunquam fieri intelligitur contra jus commune, neceſſarium tamen non eſt in tali caſu quod ſit rigoroſe Confeſſori, nam ſi copia illius non eſſet, & alter Sacerdos accederet, cum in illo articulo omnis Sacerdos ſit Confeſſor, poterit hic Sacerdos Indulgentiam concedere, ſed non quilibet alter Sacerdote inferior. His præſuppoſitis demonſtratur veritas propoſitionis: etenim iis competit facultas concedendi Indulgentias, quibus in exteriori foro convenire poteſt jurisdictio; cum itaque hæc convenire poſſit Clericis, ut patet in Epiſcopo electo, & non conſecrato, poterunt Clerici ſimplices, & multo magis Presbyteri ex commiſſione eſſe Indulgentiarum miniſtri.

§. II.

Digitized by Google

§. II. *Quicumque ſit Indulgentiarum Miniſter, ne fiant remiſſiores varia Indulgentiarum laxitate fideles, indiſcretam & profuſam earum largitionem illi præcavendum eſſe voluerunt varia Concilia, & poſtremo Tridentini Patres in Decreto de Indulgentiis, quod in XXV. Seſſione promulgarunt.*

X. Hac parcitate uſque ad Sæculum XIII. uſa eſt Eccleſia, quæ cenſuit iis tantum plenarias Indulgentias concedere, qui ad expeditionem contra Saracenos proficiſcerentur, & ad hanc laudabilem antiquam normam Romani recentiores Pontifices, non ſine Divino inſtinctu effuſas nimis Indulgentiarum conceſſiones reſtringere, aggreſſi ſunt, ne Clavium auctoritas in contemptum, & Chriſtianus populus ad peccandum proclivior liberius prolaberetur, & non niſi cognita cauſſa, quæ honeſta eſſet, ac pia de ſpiritualis hujus Theſauri plenitudine ad Chriſtianæ Reipublicæ bonum, pacem dantibus, & accipientibus profuturam conceſſerunt. Neque aliud exigit illa, quæ explicata eſt Indulgentiarum natura, ſive conſideretur, quatenus eſt abſolutio, ſive quatenus eſt diſpenſatio Theſauri per modum ſuffragii. Si Indulgentia eſt Abſolutio, hæc præſupponit cauſſæ cognitionem, nec judex poteſt prudenter abſolvere, niſi integra maneat lex illa juſtitiæ legalis, quam violaret, ſi temere, & ſine cauſſa pœnas peccatorum remitteret. Cauſſa vero proportionata poteſt eſſe aliquid bonum pertinens ad pietatem, & honorem Dei, quæ ſi deſunt, non amplius Indulgentia eſſet benigna remiſſio, nec eſſet liberalitas, ſed crudelitas, ſed prodigalitas vocaretur, quæ ut ait Sixtus IV. in loco cit., Extravagantium communium tit. 9. c. 5. *fideles proclives ad illicita impoſterum committenda redderet, & eis peccandi tribueret incentivum.* Si vero Indulgentia ſpectetur, tamquam diſpenſatio Theſauri per modum Suffragii ad ſublevandam indigentis miſeriam, quod proprium eſt benignitatis, & liberalitatis; etiam in hoc, modus, & ratio concurrere debent, ut nota fiat, quæ ratio tota fundatur in ea legitima cauſſa, contrà quam peccabitur, ſicut per exceſſum, ita & per defectum, niſi eadem fuerit Indulgentiæ, quæ conceditur proportionata, quod magis eſt verum, quando quis non eſt *Dominus*, ſed diſpenſator bonorum, quæ diſtribuit, ut ſunt Miniſtri, vel ordinarii, vel extraordinarii Indulgentiarum, qui non poſſunt ſuo arbitrio facere diſpenſationem validam, ſed ſolum juxta Domini voluntatem: nam facultas Diſpenſatoris ex ratione ſua non amplius extenditur. Hinc ipſi Pontifices nonniſi ſub hac conditione ineſſe illis facultatem concedendi Indulgentias dixerunt, ut Clemens VI. in ſua Clementina *Unigenitus* de Pœnitentia, & remiſſione. Leo X. in Decretali ſupra citata ad Cajetanum, & Martinus V. in Conſtantienſi Concilio, ubi ſuſpectum de hæreſi juſſit interrogari: *utrum credat, quod Papa omnibus Chriſtianis vere contritis, & Confeſſis, ex cauſſa pia, & juſta poſſit concedere Indulgentias in remiſſionem peccatorum.*

XI. Sed undenam inquies colligitur, quod Chriſtus ſuo Vicario ſub hac conditione facultatem conceſſerit diſpenſandi Eccleſiæ Theſaurum; ita ut irrita ſit diſpenſatio, niſi hæc cauſſa juſta, & proportionata diſpenſationem ipſam præceſſerit, ſi aliunde conſtat, quod defectus, qui tantum committitur contra juſtitiam legalem, & non includit injuriam contra juſtitiam commutativam, non irritat actionem?

Licet

Licet nulla ſit peculiaris Revelatio, ex qua oriatur hæc lex præſcribens modum, & ordinem obſervandum in conferendis Indulgentiis, nihilominus ingenita hæc lex eſt fini illi, per quem hæc poteſtas conceditur in ædificationem ſcilicet, non in deſtructionem; ut corroboretur, non ut enervetur Eccleſiaſtica diſciplina, quemadmodum dicitur in cap. *cum ex eo* de Pœnit. & Remiſ. Præterea hæc ipſa lex fundatur in natura ejuſdem poteſtatis conceſſæ alicui ad diſpenſandum in jure ab ipſomet Superiore ſtatuto, cujus rationabilis voluntas eſt, ut a nullo inferiore irrationabiliter illa utatur, alioquin nullius momenti eſſet ipſa lex Superioris, ſi nulla præcedente cauſſa poſſet inferior obligationem ejus cum effectu tollere; quare ſicut irrita eſſet diſpenſatio facta a Pontifice in voto, in matrimonio rato &c., & abſolutio a cenſuris, ſi is, qui abſolvit, inferior eſſet, & ſi ſine cauſſa fieret, ita irrita eſſe debet, & invalida inordinata diſpenſatio Theſauri propter hoc primo, quod juri illi adverſatur, quod a Deo acquiſitum eſt, ut qui peccavit, & nondum plene ſatisfecit tali pœna in Purgatorio afficiatur, quod Divinum jus fundatur in fine juſtitiæ vindicativæ, quæ id exigit, ut efficax eſſe poſſit ad emendanda, & coercenda debita. Secundo vero, quia Pontifex non poteſt facere ſuo arbitratu diſpenſationem validam, ſed ſolum juxta Domini voluntatem, & intentionem, ultra quam diſpenſatoris facultas non extenditur; & in hoc apparet diſcrimen inter Diſpenſationem Divini, & humani juris, in quo quia diſpenſat homo in re propria, & in ſuamet voluntate, ideo factum tenet, quia etiamſi talis voluntas illicite, & ſine cauſſa mutetur, tamen ultro mutatur, & tollit obligationem, quæ ab illa voluntate dependebat, quia tunc diſpenſator ſe gerit, ut judex ſupremus, & non ut gerens vices alterius; ſecus autem accidit in prima diſpenſatione, in qua ſi diſpenſetur ſine cauſſa, non ſolum defectus eſt contra juſtitiam legalem, ſed & contra juſtitiam commutativam, quia Indulgentia, quæ conceditur ſine cauſſa juſta, huic etiam juſtitiæ repugnat; quia vel continet injuſtum judicium contra ſatisfactionem Deo debitam, vel eſt veluti liberalitas quædam facta ex alicujus bonis in caſu non conceſſo, ſiquidem Chriſtus Dominus non vult, ut divitiæ ſuæ indiſcreto modo diſtribuantur, ſive potius diſſipentur. Conſtat igitur de veritate hujus legis, quæ exigit, ut cauſſa diſpenſationis ſit juſta. Modo probatur neceſſitas cauſſæ proportionatæ.

XII. Exigunt hanc proportionem Patres Tridentini, cum in Decreto de Indulgentiis ſupra laudato præcipiunt, quod Indulgentiæ, dum conceduntur, moderatio adhibeatur juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem. Porro in hac conſuetudine nihil aliud invenitur, niſi hæc proportio conſtantiſſime obſervata: hanc nimirum tenuit Paulus in abſolutione Corinthii inceſtuoſi: hanc tradidit Cyprianus, dum Martyres monuit, ut eos, quorum ipſi noſcerent Pœnitentiam proximam ſatisfactioni fuiſſe, libello nominatim deſignarent: & demum eamdem tenuerunt vetera Concilia, & inter cetera Nicænum I., in quo hæc decernuntur can. 12. *Quotquot metu, & lacbrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione demonſtrant; hi demum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare.*

Faciunt

Faciunt item argumentum verba ſæpius relata ex Clemente VI., Leone X., & Martino V., item verba Innocentii III. in ſæpe cit. cap. *cum ex eo*, de pœnit. & remis., in quibus ſuperfluæ Indulgentiæ *indiſcreta* vocantur, & ut perniciosæ reprehenduntur Superfluum autem illud eſt, quod largius conceditur, quam cauſſa poſtulet: igitur præter cauſſam juſtam ad valorem Indulgentiæ requiritur cauſſa proportionata effectui, ſeu quantitati Indulgentiæ, ut Theſaurus Eccleſiæ ſalubriter diſpenſetur, nunc pro totali, nunc pro partiali pœnæ remiſſione, quod præcipue dixit citatus Pontifex Clemens in ſua Conſtitutione ſupra laudata.

XIII. Viſum eſt D. Thomæ validam eſſe omnino Indulgentiam illam, quæ conceditur ex cauſſa pia, quæcumque illa ſit, omni reſpectu neglecto ad cauſſam proportionatam. Hæc ſunt ejus verba in 4. d. 20. q. 1. a. 3. *Cauſſa remiſſionis pœnæ in indulgentiis non eſt, niſi abundantia meritorum Eccleſiæ, quæ ſe habent ſufficienter ad totam pœnam expiandam; non autem cauſſa remiſſionis effectiva eſt, vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut cauſſa, pro qua ſit Indulgentia. Unde non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remiſſionis, ſed ad merita Eccleſiæ, quæ ſemper ſuperabundant, & ideo ſecundum quod applicantur ad iſtum, ſecundum hoc remiſſionem conſequitur. Ad hoc autem, quod applicentur iſti, requiritur auctoritas diſpenſandi hujuſmodi Theſaurum, & unio ejus cui diſpenſatur ad eum, qui merebatur, quod eſt per ſupplem. q. 25. a. 2. charitatem, & ratio diſpenſationis, ſecundum quam ſalvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt, fecerunt enim ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ in generali. Unde quæcumque cauſſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ vergat, & honorem Dei, ſufficiens eſt ratio Indulgentias elargiendi.* Verum itaque eſt, quod hæc omnia ſcribit S. Doctor, dum Altiſſiodorenſis ſententiam confutat, qui in lib. 4. ſummæ Tract. 6. cap. 9. contendebat opus ad lucrandam Indulgentiam præſcriptum debere illi æquivalere quod remittitur per Indulgentias, & exinde inferebat preces, & ſuffragia Eccleſiæ ſupplere iis, quæ operi injuncto deſunt, nam ſi hoc verum eſſet, Indulgentia ſuo charactere privaretur, videlicet neque laborum remiſſio eſſet, neque abſolutio appellaretur; ſed eſſet mera commutatio.

XIV. Abſit vero quod affirmemus Præceptorem Angelicum cauſſam non requirere convenientem, & proportionatam: quod ut intelligitur notandum eſt duo poſſe concurrere in juſtitia cauſſæ Indulgentiæ, quorum alterum habet rationem finis, & alterum rationem operis. Finis ſatisfactioni comparari debet, quæ per Indulgentiam remittitur, qui finis magis aliquando placet quam ipſa ſatisfactio, quod verum eſt (ſuppoſita cauſſa univerſali) ſi intendatur Hæreſum extirpatio, recuperatio Terræ Sanctæ, pax Chriſtianæ Reipublicæ &c. & ſi cauſſa ſupponatur privata, mortis articulus, periculum animæ, doloris acerbitas &c. Opus autem injunctum neque plene debet eſſe ſatisfactorium, vel valde meritorium, & laborioſum, ſed ſatis eſt quod aptum cognoſcatur ad conſequendam Indulgentiam, puta ſi tale opus licet per ſe quid leve eſſet, & non difficile, tamen aut proteſtationi fidei conjungeretur, & reverentiæ Apoſtolicæ Sedi, quæ Indulgentias largitur, aut in commune a multis exigeretur pro obtinenda pace inter Principes Chriſtianos, nam multorum preces ſunt quid notabile. Quando itaque Sanctus Thomas docet quantitatem remiſſionis non eſſe commenſurandam cauſſæ, pro-

Digitized by Google

ſecto loquitur ſecundum æqualitatem abſolutam, non vero excludit quamcumque proportionem, quæ admittit latitudinem, & humano modo æſtimatur, & ita fit, quod qualibet Indulgentia a ſua cauſſa dependeat, & quod eadem cauſſa poteſt eſſe proportionata majori, & minori Indulgentiæ; qua de re idem S. Doctor loco cit. in a. 3. q. 26. ſic loquitur: *Poteſtas faciendi Indulgentias plene reſidet in Papa, quia poteſt facere quod vult, cauſſa tamen exiſtente legitima*; & in ſupplem. p. 3. q. 71. in fine a. 10. *ad hoc*, inquit, *ut Indulgentiæ valeant requiritur cauſſa conveniens Indulgentias faciendi, ut ſupra dictum eſt*, videlicet q. 26 a. 2. ubi ſcripſerat per quamcumque cauſſam piam datas Indulgentias valere. Monemus tamen noſtrum non eſſe cauſſas Indulgentiarum ad examen revocare, nam quiſque vir prudens intelligit quod a ſufficientibus cauſſis Superior ille movetur, qui Indulgentiam largitur, neque illum teneri easdem cauſſas fidelibus declarare, neque propter hoc Eccleſiæ fidem infringi, fides enim quæ de Indulgentiis Eccleſiæ debetur eſt in genere, nempe quod in illa reſidet auctoritas Indulgentias conferendi, & quod non ſine legitima cauſſa ſemper Indulgentias contulerit, easdemque conferat, etiamſi aliquando nullo Opere injuncto, quod ſuo tempore præſtitit Gregorius VII. lib. 1. epiſt. 34. lib. 2. epiſt. 61. lib. 6. epiſt. 15. & deinde alii præſtiterunt, qui hominibus bene meritis de Eccleſia, in Articulo mortis conſtitutis Indulgentias nullo injuncto Opere conceſſerunt, quod cauſſam juſtam cognoverint ipſam extremam neceſſitatem conjunctam eorum meritis præcedentibus.

XV. Dubitare aliquis merito poterit de valore illarum Indulgentiarum, quæ ab illo conceduntur, qui communi æſtimatione creditur habere auctoritatem, nam diverſimode in hac Controverſia loquuntur Doctores diſtinguentes Acta quæ a Judice Ordinario ſunt geſta ab illis, quæ fiunt per Delegatum, juxta varios textus, quos congerunt ex utroque jure, & varias earum interpretationes. Veriſimilius tamen illud cenſemus, quod in hoc argumento concludit Oldradus Conſil. 76. *Quæritur de illo* per totum. Ancharan. in Clemen. *Abuſionis* in princip. *de pœnit*, *& remiſſ.* Felin in ſuo tract. *de Indulgentiis v. ceterum de Indulgentiis Epiſcoporum &c.* hujuſmodi Indulgentias non valere, niſi quando Auctor Indulgentiæ habuiſſet legitimum titulum a Superiore, quo tamen careret ob legitimum aliquod impedimentum, argumento textus in cap. *infamis* §. *verum tamen* 3. q. 7. & juxta Gloſſam fin. in cap. *Nihil* de *Elect.* ubi dicitur idcirco valere acta illius Prælati, *quia fuit in quaſi adminiſtratione, & in quaſi poſſeſſione Prælationis de licentia Papæ, & pro Prælato habitus fuit*. Tunc enim duo concurrunt, & Auctoritas legitimi Superioris, & communis error, ſecus autem ubi ex duobus unum tantum acceſſerit.

XVI. Propoſitio 2. *Delegatus exequitur facultatem ſibi conceſſam ad ferendum Indulgentias cum dicit: Concedo tibi Indulgentiam plenariam, ſeu tot annos Indulgentiæ, aut quid ſimile juxta Privilegii tenorem.*

Fuit aliquorum ſententia, quod cum in Bullis longiſſimæ formæ apponantur ad concedendas Indulgentias, abſolventem debere iiſdem verbis uti, in particulari verbo non poſſe omittere hæc verba: *Auctoritate Sedis Apoſtolicæ mihi commiſſa concedo tibi talem remiſſionem &c.* exiſtimarunt etiam neceſſarium exprimere in eadem forma quantitatem materiæ, vel remiſſionis, ſed revera nihil horum eſt ſimpliciter neceſſarium. Non pri-

ſum quia, illa quæ inſeruntur in Bulla ad inſtructionem magis quam ad uſum abſolutionis apponuntur, & nemo eſt qui ignoret, quod delegatus in hoc utitur auctoritate ſibi facta a Sede Apoſtolica. Neque ſecundum eſt neceſſarium exprimere, quia ſatis eſt, quod qui per delegationem alteri Indulgentiam applicat intentionem habeat cum ceteris circumſtantiis externis, nimirum articuli mortis in illo, in cujus gratiam hæc Indulgentia lata eſt, & ſigni illius exterioris, quod ſignificet remiſſionem de præſenti huic tali perſonæ conceſſam, quia ſine hac determinatione deeſſet completa ſignificatio, ut diximus etiam agentes de forma Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis. Utrum vero concederet Indulgentiam plenariam morituro Confeſſarius, cui a Pontifice hoc eſſet munus demandatum ſub unica abſolutionis forma, dicendo nimirum: Ego abſolvo te cum intentione tum faciendi Sacramentum, tum concedendi Indulgentiam? Affirmat Suarez hic diſp.56. ſect. .. num.6. quia inquit verbum abſolvo de ſe eſt indifferens ad peccata, & ad Indulgentias, & ad alia. Suppoſita vero Confeſſione Sacramentali ex intentione Sacerdotis ſufficienter determinatur ad peccata, etiamſi in ipſa forma non exprimantur, ita ſuppoſita petitione pœnitentis poſtulantis abſolutionem juxta ſuum indultum ex intentione etiam ſufficienter determinatur ad concedendum Indulgentiam in tali vel tanta quantitate. Refragabitur tamen huic opinioni in illa parte, in qua doctiſſimus Auctor aſſerit verba *Ego te abſolvo* ad utrumque ſufficere, prolata ſub duplici intentione faciendi Sacramentum, & concedendi Indulgentiam, & hoc oſtendit ipſa Indulgentiæ definitio, in qua dicitur: *quod eſt quidam actus ſpiritualis juriſdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum*; In hypotheſi autem quod ſeparentur actus, univerſaliter probari poterit: quemadmodum probatur etiam id quod docet de legitima applicatione Indulgentiæ factæ a Confeſſore per nutus ſenſibiles ad inſtantiam pœnitentis illum interrogantis: *Concedis mihi indulgentiam ex vi hujus indulti*? nam in hoc quoque caſu conſtat de intentione delegati, & in omni actu juriſdictionis, qui non requirit præſcriptam formam verborum, hoc ſufficit. Dixi *per ſenſibiles nutus* quia Indulgentia eſt actus poteſtatis ligandi, & ſolvendi, & hæc poteſtas ita data eſt, ut in univerſum per ſenſibiles actus exerceatur, Indulgentia item abſolutio eſt non Divina tantum, ſed humana, & Eccleſiaſtica, non ſolum in foro Dei, ſed & in foro Eccleſiæ, ideoque dari debet humano modo, hoc eſt per ſenſibilia ſigna.

XVII. Hactenus dictis additur, quod quilibet Indulgentiarum Miniſter poteſtatem ſuam ſtricte debet interpretari, nam Summus Pontifex, licet illam habeat ampliſſimam, tamen ea ſemper reſtringitur quantum ratio juſtitiæ commutativæ, & legalis poſtulat, neque meri, & mixti imperii poteſtas eſt, quæ nullis legibus ſubjiciatur, eo vel maxime quod ſpecies quædam diſpenſationis eſt in jure Divino, quæ quantum fieri poteſt reſtringi debet, nec ſine magna cauſſa, & evidenti neceſſitate admittenda eſt. Si in Epiſcopo ſpectetur hæc poteſtas non ſolum a Divino, & naturali jure, ſed ab Eccleſiaſtico, quoque reſtringitur, quare illa tantum uti poſſunt juxta Canonicas regulas, & in caſibus a jure præſcriptis, neque alio modo. Quod a fortiori dicendum erit de illa poteſtate, quæ in delegato reperitur, quæ in terminis a delegante præſcriptis omnino coarctatur; unde qui hac poteſtate gaudet, moderate illa uti debet, ne ſe ad relaxationem inclinatum oſtendat,

&

Digitized by Google

& ne indiſcrete illa utatur, quod accidit, & quando ultra poteſtatem facit, & cum inconſiderate plures Indulgentias præter communem utilitatem concedit.

XVIII. Additur 2. Nullam poteſtatem concedendi Indulgentias eſſe perpetuam, niſi poteſtas illas quæ in Summo Pontifice reperitur, dumodo tamen dignitati non renunciet, quia tunc etiam ab illius perſona hæc facultas ſeparatur. Sequitur itaque quod quamquam in Epiſcopis hæc poteſtas ordinario jure reſideat, abſolute tamen in illis perpetua non eſt, quia per aliquid Pontificium jus poteſt auferri; quod patet conſuleuti antiquam, & recentiorem Eccleſiæ diſciplinam, ante, & poſt tempora IV. Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. Sequitur ulterius neque perpetuam eſſe hanc poteſtatem in delegato, cum ad nutum voluntatis delegantis auferatur. Hoc ipſo vero quod Indulgentia conceſſa eſt, non ultra præfixum tempus durat, ſi perpetua non ſit, vel quandiu per contrarium actum non revocatur vel ſuſpendatur quæcunque illa fuerit. Duratio itaque Indulgentiarum a voluntate Miniſtrorum pendet, quæ tamdiu durat, quandiu non eſt retractata, neque intelligitur retractata per mortem, niſi in ipſamet conceſſione hic terminus illi præfigatur, Indulgentia enim gratia quædam eſt, & beneficium Principis: decet autem Beneficium conceſſum a Principe eſſe manſurum ex regula. *Decet* in 6. Ideo vero ſi retractetur voluntas concedentis Indulgentiam, ſpirat, vel ſuſpenditur, & cenſetur ipſa Indulgentia revocata, vel ſuſpenſa, ſive hæc retractatio fit in concedente, ſive ſit in Succeſſore, qui moraliter idem cum ipſo cenſetur, quia talis gratia neque ex Divino jure, neque ex humano habet immobilitatem, nam *res per quas cauſſas naſcitur, per eaſdem reſolvitur*; & ita ſæpe in Eccleſia factum eſſe colligitur ab Extravaganti *Quemadmodum* de Pœnit. & Remiſſ. & in Clementina *Dudum* §. *Nos autem* de Sepulturis, & ex aliis juribus. Ex quibus monumentis illud etiam colligitur, quod etiamſi poſſint revocari, vel ſuſpendi Indulgentiæ ſine ulla cauſſa, tamen ſemper ſinis aliquis honeſtus exponitur propter conditionem actionis humanæ ex objecto indifferentis. An vero ſtatim ceſſet Indulgentia ac revocatio vel ſuſpenſio fit, & ad revocandum Indulgentiam actus internus contrarius voluntatis ſufficiat, communiter negatur; quia ſupponitur ita velle Pontificem, licet unde hæc voluntas colligatur non ſatis conſtet, nam leges irritantes poſt ſufficientem promulgationem habent ſuum effectum in perſonis etiam, quæ invincibiliter illas ignorant, & tota efficacia Indulgentiæ pendet a voluntate concedentis, qui licet exterius concedat ſi tamen illi deſit interior intentio, nihil facit: Ceterum quia non ſine graviſſima fidelium illuſione, & deceptione hoc contigeret, ideo nunquam Pontifices hoc efficiunt, ſed vel expreſſa revocatione, & ſuſpenſione externa, vel ſpecialibus, & generalibus verbis ſuam voluntatem ſufficienter explicant, ut revocatio, & ſuſpenſio non noceat, priuſquam de illa conſtet, & ne fideles ſpe Indulgentiarum abſque ſua culpa fraudentur.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO INDULGENTIARUM.

I. Effectus ille, ad quem omnis Indulgentia tendit, qui eſt pœnæ temporalis remiſſio debitæ apud Deum poſtquam in Sacramento Pœnitentiæ fuit peccatum quoad culpam deletum, oſtendit illum eſſe capacem obtinendi Indulgentias, qui capax fuit Sacramenti Pœnitentiæ. Homo itaque baptizatus eſt ſubjectum Indulgentiarum, cui culpa remiſſa ſit, & cui poſſit per Indulgentias pœnæ reatus auferri. Angeli, Beati, & Damnati hoc beneficio non gaudent, quia in illis, vel nulla eſt, quæ remitti poſſit culpa, & ſi aliqua ſit, ut in damnatis iremiſſibilis eſt, propter ſubjecti conditiones, in quo perpetuo durat, Ex quo illud etiam evincitur quod viator eſſe debet, aut ſaltem aliqua ex parte ſtatum viatorum participare, ut ille cui poteſtas data eſt ligandi, atque ſolvendi ſuper terram ſubjecta habeat capacia, illius juriſdictionis quæ in Largitore Indulgentiarum cognoſcitur. Quia vero viatores illi ſunt, qui nondum pervenerunt omnino ad terminum, ſed peregrinantur a Domino, & *per fidem ambulant*, ut dixit Abulenſis Matth. 25. q. 724. & tales ſunt viventes in hac vita mortali. & Animæ, quæ in Purgatorio ſunt, quæ per modum cujuſdam Suffragii hujus ſubſidii capaces ſunt, ideo de utriſque dicemus, ſimulque declarabimus diviſionem Indulgentiarum per modum Abſolutionis, & per modum Suffragii, & earumdem efficaciam tum reſpectu Superiorum, quibus ſunt ſubditi quoad talem actum, tum reſpectu eorumdem indigentiæ, num ſcilicet capaces omnes ſint hujus abſolutionis, & ſuffragii, quod dicemus præcipue propter illas animas, quæ in hac vita non habuerunt characterem baptiſmi.

§. I. *Status Fidei, & ſtatus Gratiæ debent neceſſario conjungi, ut homo viator Indulgentiarum omnium ſit capax, quæ a ſuo Superiore conceduntur.*

II. Quod ſtatus Fidei requiratur patet ex iis, quæ ſupra diximus agentes de Eccleſiæ Theſauro, ex quo hauritur pretium illud cui Indulgentiæ nituntur, quarum participatio ad Communionem Sanctorum pertinet, quo Symboli articulo profitemur Fidelium merita, & paſſiones aliis, qui ſint ejuſdem corporis membra applicari, & prodeſſe poſſe: quomodo autem illud membrum erit, quod debito modo corpori conjunctum non ſit per ſtatum Fidei, per quem tantum ſit prima unio membrorum Eccleſiæ? Igitur hic Fidei ſtatus neceſſarius omnino eſt, ut viator Indulgentiarum effectum conſequatur. Hæreticis itaque, & Apoſtatis Indulgentiæ non proderunt, neque iis, qui ore fidem profitentur, intrinſecus autem Fide carent, cum interna, & ſpiritualis communicatio in interna, & ſpirituali unione fundari debeat. Extenditur hæc doctrina ad ipſos Excommunicatos, cum excommunicatio ex natura ſua privet hominem baptizatum omni Eccleſiaſtica communione donec ab excommunicatione abſolvatur, hoc eſt reſtituatur participationi communium Eccleſiæ bonorum.

III.

III. Præter ſtatum fidei, requiritur etiam ſtatus Gratiæ ad lucrandam Indulgentiam, ſeu quod idem eſt ad impetrandam Remiſſionem pœnæ, cum pœna non remittatur niſi prius remittatur Culpa, ſive lethalis ſit, ſive venialis, quia indignus eſt tali remiſſione, & nulla eſt promiſſio, imo in forma conceſſionis Indulgentiarum ſemper additur Contritis, aut Confeſſis, ut Fideles intelligant effectum Indulgentiæ limitatum eſſe ad hujuſmodi ſubjectum, & Clemens VI. in Extravaganti *Unigenitus* de Pœnit. & Remiſſ. *Chriſtum*, ait, *reliquiſſe Petro, ejuſque ſucceſſoribus hunc Theſaurum Fidelibus diſpendum, vere pœnitentibus, & confeſſis miſericorditer applicandum*, & Nicolaus V. in ſua Bulla Jubilæi A. 1450. expreſſa aſſerit *beneficium hoc iis indulgere, qui veris pœnitentiæ doloribus, humiliationibus, gemitibus cordis contritione, eleemoſinis in Dei gratiam redierint*. Eadem docuerunt Nicæni 1. Concilii Patres in Can. 12. & ſcripſit S. Martyr Cyprianus in libro de lapſis, itaut conſtans fuerit in Eccleſia uſus Indulgentias iis tantum concedendi, qui peccatum vere deteſtarentur, & haberent animum ab omni peccato veniali alienum.

IV. Certant tamen plurimum inter ſe Doctores in definiendo illo tempore, in quo hic ſtatus Gratiæ requiritur, ut quis Indulgentiam lucretur. Utrum ſcilicet opera injuncta, ſi quæ, fuerint expleri debeant in ſtatu Gratiæ, aut hic ſufficiat cum Indulgentia percipitur, vel requiratur etiam cum Indulgentiæ publicantur. Placet nihilominus ſententia illa, quæ ſtatum Gratiæ exigit pro illo tempore pro quo Indulgentia conſummatur (niſi forcaſſe opera injuncta eodem tempore fiant, in quo Indulgentiæ effectus confertur, aut talia opera ſint, quæ ad finem Indulgentiæ non conferunt, niſi fiant in gratia, nimirum ſi ſint imperata ad placandum Deum, aut tandem in litteris Pontificiis jubeantur perfici in ſtatu gratiæ, ut ſi dicatur, *qui Indulgentiam conſequi volunt, vere pœnitentes, & Confeſſi viſitent Eccleſiam &c*) ratio vero eſt quia cum ſtatu culpæ, ut ſupra dicebamus repugnat remiſſio temporalis pœnæ: ergo pro illo tempore pro quo Indulgentia conſummatur neceſſaria eſt talis diſpoſitio. Non videtur vero neceſſarium ut opus injunctum ſit opus vivum, quia ut inter ceteros S. Antoninus ait: *Indulgentia non nititur noſtra ſatisfactione, ſed Chriſti*, & revera Cypriani temporibus non erat neceſſe ut lapſi iis laboribus in ſtatu Gratiæ perfuncti fuiſſent, ut Indulgentias conſequerentur. Ideo vero ſtatus Gratiæ eſt neceſſarius aliquando cum Indulgentiæ publicantur, ut contingit cum Sacris peractis ſolemniter ab Epiſcopo datur Indulgentia omnibus, qui Sacro in eo loco interfuerunt, quia idem tempus eſt publicationis, & perceptionis. Utile tamen eſt quod illo etiam tempore, in quo opera injuncta exſolvuntur abſque reatu culpæ lethalis, imo abſque affectu ad peccatum mortale exolvantur, quod antiquiſſimi Eccleſiæ Patres maxime commendabant, nam qui ſic Deo ſatisfecerit in nuper citato libro de lapſis ſcribit Cyprianus, *quam contriſtaverat nuper lætam faciet Eccleſiam, nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam*. Verum non ſolum Antiquiſſimi Patres zelo ſuo, & diligentia id commendabant, ſed etiam nunc expoſcit Eccleſia cum preſcribit quod ab affectu peccati lethalis libero adimpleantur ea onera, quæ ſatisfactionis canonicæ, ſaltem ex parte, locum tenent, & ut inquit, *animo vere pœnitenti*, qua de re poſtea a Theologis diſputatur, ſit ne Confeſſio Sacramentalis neceſſaria ad obtinendam Indulgentiam.

V.

V. Ad hoc tamen dubium videtur opportune reſponſum ab iis, qui cum animadvertant in diplomatibus Indulgentiarum requiri quandoque Confeſſionem, ut partem operis injuncti, aliquando vero ut diſpoſitionem, ſeu medium ad conſequendum ſtatum gratiæ reſpectu eorum qui jacent in peccato mortali, dicunt tantum in primo caſu confeſſionem eſſe præmittendam, in altero vero ſufficere actum Contritionis cum propoſito Confeſſionis. Solum ergo oportet attente inſpicere verba Conceſſionis ut innoteſcat an ſatis expreſſe hanc conditionem exigant, nam eſt conditio valde oneroſa, & non imponenda, niſi ſufficienter exprimatur. Nec placet illarum ſententia, qui volunt non eſſe in Eccleſia poteſtatem applicandi theſaurum per Indulgentias, niſi illis tantum qui fuerint ſua peccata confeſſi, quod credunt traditum a Clemente VI. in Extravag. *Unigenitus*, & a Concilio Conſtantienſi in ultima Seſſione, quia non animadvertunt in locis illis non tradi Doctrinam per ſe ad hunc Articulum pertinentem, ſed illud exprimi quod per ſe requiritur ad culpæ remiſſionem, licet hæc poſſit etiam aliter obtineri, ut revera ſæpe Pontifices concedunt Indulgentias omnibus vere contritis, aliquando ſub disjunctione Contritis, vel Confeſſis, & aliquando etiam nihil de Confeſſione, vel Contritione loquuntur, ſed imponunt tantum nonnulla opera ad lucrandam Indulgentiam. Videtur ergo dicendum quod quando Pontifices dicunt concedere Indulgentiam hominibus contritis, vel confeſſis, nihil aliud innuunt quam velle Indulgentias concedere iis qui in ſtatu Gratiæ ſunt conſtituti, quomodocumque demum id illis contingat. Quomodo vero dignoſcatur an confeſſio imponatur ut pars operis injuncti, aut tamquam mera diſpoſitio, non eſt ita clarum. Multi ergo animadvertentes in Pontificiis Bullis hæc verba legi: *Concedimus &c. omnibus vere Pœnitentibus, & Confeſſis &c.* dicunt Confeſſionem injungi tamquam partem operis cum utramque conjungant, Pœnitentiam, & Confeſſionem, & Indulgentiæ non plus valeant quam ſonent. Alii vero arbitrantur injungi quidem confeſſionem, ſed non principaliter, verum ex conſequenti, nimirum ſi interior pœnitentia, ſeu contritio perfecta non ſit, ita ut non ſufficiat ad tollendum obicem, ſeu ad debitam diſpoſitionem Indulgentiæ; quod maxime videtur confirmari ex verbis Extravag. laudati Clementis VI. quibus Pontifici ineſſe dicitur poteſtas diſpenſandi Theſaurum Eccleſiæ *hominibus contritis, & confeſſis*, & tamen non ſolent Pontifices utramque ſimul conditionem requirere, ut ſupra dictum eſt, ſed ſolum alterutrum requirunt, quatenus conducit ad ſtatum Gratiæ conſequendum. Deinde illa expoſitio vim maximam infert, quia concludit oportere ſemper eam Confeſſionem contritioni perfectæ conjungere, quod non eſt verum, ut oſtendimus in Tractatu de Pœnitentia. Concludit etiam quod ſi quis propter impotentiam, vel ignorantiam inculpabilem Confeſſionem omitteret, fructum Indulgentiæ amitteret, quamtumvis contritus, quod neque videtur verum, quia non habet obicem per quem ab hoc fructu retrahatur. Ceterum Litem omnem diremit Benedictus Pontifex XIV. in ſua Encyclica Epiſtola, quam recurrente Jubilæo A. 1750. edidit, ubi ſub N. VII. §. 1. decrevit formulam *vere Pœnitentibus, & Confeſſis*, tamquam opus injunctam confeſſionem reſpicere, quam certe niſi aliter cogat neceſſitas Generalem eſſe non oportet, ſed Ordinaria ſufficit, & in defectum mortalium, debet eſſe peccatorum venialium, & ita præcipit in Diplomate Indulgentiæ Jubilæi ejuſdem anni, quæ incipit *Convocatis* §. 46.

VI.

VI. Ad poſtrema Concluſioni, verba quod attinet, hæc declarant conditionem Indulgentiarum, quibus ſubjectum illud, de quo nunc agitur capax eſſe exiſtimatur. Ne quid igitur in illis, vel ambiguum, vel obſcurum relinquatur eorum, quæ per hæc verba intelliguntur, explicationem ſubjicimus. Omnis Indulgentia ut alicui proſit a proprio Prælato concedi debet, quas enim alieni concedunt, ſubditis non prodeſſe dicitur in cap. *quod autem* 4. de Pœnit. & Remiſſ. ubi hæc ratio redditur; *quia qui non poteſt ligare, non poteſt abſolvere*. Dubitatur ergo de illis Perſonis, quæ vel Superiorem non habent, vel Indulgentiarum largitori non ſubjiciuntur, num ſcilicat generalis Indulgentia Perſonalis ad ipſum concedentem ſe extendat, & illi excludantur omnino ab Indulgentiarum fructu qui non ſunt ſubditi?

VII. Prima dubii pars affirmative reſolvitur, & ita ſentiunt Doctores, communiter cum D. Thoma in 4. d. 20. q. 1. a. 3. quæſt. 4. & ſatis conſtat ex uſu: & ut exordiamur a Summo Pontifice, ipſe lucratur Indulgentias a ſuis prædeceſſoribus, & a ſe ipſo conceſſas, quomodo autem hoc contingat explicant Theologi, vel quia Pontifex dat alteri facultatem concedendi ſibi Indulgentiam pro ut expedire cenſuerit, a ſimili quando ſe alteri ſubmittit in foro Pœnitentiæ, eique juriſdictionem in ſe ipſum dat: vel quia in ipſum tamquam in partem Communitatis redundat Beneficium directe communitati conceſſum, ut D. Thomas loco ſupra cit. docet: vel demum quia Papa ſibi ipſi Indulgentiam concedit, cum plenariam habeat poteſtatem, & actus ipſe talis nom ſit, qui per ſe, & intrinſece requirat diſtinctionem: perſonarum, agentis ſcilicet, & patientis. Neque modus hic videtur repugnare cum Actus Juriſdictionis non ſemper requirat perſonarum diſtinctionem: & revera ſi rationabilis cauſſa ſit, Pontifex poteſt ſecum diſpenſare in humana lege, aut in voto, cum a nulla lege coarctetur ad exercendam hanc diſpenſationem per alium, ut docet D. Thomas in Supplemento q. 27. a. 4. ad 3. nec rationabile videtur quod ſicuti caret in terris, Superiore, ita carere debebat diſpenſatore, & diſpenſatione, ſi illa indigeat. Satis igitur eſt conſiderare in Pontifice diverſam dignitatem, & poteſtatem, & dicere quod diſpenſat ut Papa, & diſpenſatur ut homo, quod actum juriſdictionis exercet, qui nullam formam judicii requirit, ſed cui ſufficit prudens judicium de ſufficienti cauſſa ad concedendam Indulgentiam, & quod demum ſe ipſum ſubjicit ſuæ dignitati, propter quod participare poteſt actum a ſua poteſtate manantem. Dubitat S. Thomas de ſufficientia hujus cauſſæ, an hæc reperiri poſſit in Pontifice; nam in 4. d. 20. a. 5. q. 4. cauſſam exigit talem, quæ ſuſcipientem Indulgentiam provocet ad aliquem actum qui in utilitatem Eccleſiæ, & in honorem Dei vergat, Pontifex autem a nulla cauſſa provocari poteſt ad hoc, quia illi cura Eccleſiæ utilitatis, & Divini Nominis propagandi commiſſa eſt. Sed hoc non videtur eſſe ſatis, cum non repugnet per eumdem actum poſſe Pontificem ſuo muneri ſatisfacere, & Indulgentiam acquirere, provocando ſe ipſum ad procurandam utilitatem Eccleſiæ, ſicuti poteſt fidelis per Indulgentiam provocare ad illos actus faciendos, quos ex aliis præceptis facere tenetur: præterquamquod quamvis Pontifex teneatur bonum Eccleſiæ promovere, non tamen per quoslibet bonos actus ad hoc cogitur, ſed multi reſpectu illius poſſunt eſſe in conſilio, & ad hos poteſt ſe per Indulgentiam provocare. Quo diximus

de

de Summo Pontifice ceteris paribus, extendimus ad reliquos Prælatos, qui poſſunt, quas aliis concedunt Indulgentias, eaſdem ſibi lucrari.

VIII. Ad alteram dubii partem quid reſponderi poſſit Tertii Alexandri decretum declarat. Hic ad Cantuarienſem Archiepiſcopum reſcribens, *Remiſſiones* ait, *prodeſſe illis tantumodo arbitramur, quibus ut proſint proprii Judices ſpecialiter indulſerunt*: Ergo excluduntur omnino ab Indulgentiarum fructu ii, qui non ſunt ſubditi. Nihilominus dicimus diſtinctione utendum eſſe inter Indulgentias, quæ alicui loco generaliter ſunt conceſſæ, & reliquas, quæ ita conceduntur perſonis, ut illis quaſi inhæreat talis favor, ſeu gratia, quia illis directe fit, & quocumque Perſona pergat illam ſecum defert. Hac præſuppoſita diſtinctione, non eodem modo reſponderi poteſt propoſito dubio, nam Alexandri verba ſecundum caſum reſpiciunt, & quæ ex illis infertur conſequentia legitima eſt; non ita vero ſi primo Caſui inſiſtamus; quare reſpondemus 2. Omnes omnino fideles capaces eſſe Indulgentiarum, quæ a quocumque Prælato conceſſæ fuerint, Populo, Civitati, Eccleſiæ, ſive Laici fuerint, ſive Clerici, ſive Perſonæ exemptæ.

IX. De Indulgentiis a Romano Pontifice conceſſis nulla eſſe poteſt difficultas, quod in quocunque loco quilibet reperiatur tales Indulgentias, ille poteſt lucrari cum quilibet Summo Pontifici in ſpiritualibus ſubjiciatur. Sed neque difficultas eſſe debet in Indulgentiis illis, quæ a Prælatis Pontifice inferioribus Populo, vel Civitati conceduntur, quia talium conceſſio Indulgentiarum inhæret loco, & in illo tantum, & non in alio tales Indulgentiæ obtinentur, nec effectus earum communicatur hominibus, niſi mediante loco; ſicuti ergo privilegium locale reſpicit omnes qui in tali loco morantur; quibus eo uti licitum eſt, ita licitum erit cuique in tali oppido, vel Civitate commoranti, oppido, vel Civitati conceſſas Indulgentias lucrari. Nec obeſt quod interdicto populo non cenſeatur Clericus interdictus, nam interdicti materia odioſa eſt, & ex juris cicumſtantiis conſtat tunc populum ſtricte ſumi pro populo Laico, ut a Clero diſtinguitur, hoc habetur in cap. *Si ſententia* de ſententia excommunicationis in 6. e contra vero Indulgentia eſt materia favorabilis, & proprerea amplianda, tum maxime quia etiam Clericos eſſe partem Chriſtiani populi Hieronymus ad quemdam ſuum Levitam ſcripſit, ut legitur apud Gratianum cauſa 22. q. 1. c. *duo ſunt*. De Religioſis etiam, & exemptis perſonis videri res dubia poteſt, ſed neque hoc eſt verum, quia tales exempti ſunt in favorem, non in detrimentum, & ideo quo ad hæc quæ favorabilia ſunt cenſentur ſubditi eo ipſo, quod ſunt de diſtrictu, ſeu Diœceſi talium Prælatorum. Concludendum igitur eſt quod cum Privilegii verba generalia ſunt, & pro omnibus viſitantibus talem locum, vel Eccleſiam Indulgentia conceditur, Laici omnes, Clerici, & Religioſi comprehenduntur, qui in tali loco oraverint, vel coram tali imagine, non ita vero ſi verba privilegii fuerint limitata.

X. Præter has diſpoſitiones, quas diximus eſſe neceſſarias in eo, qui Indulgentiam eſt lucraturus, non raro exigitur pium aliquod opus ad effectum Indulgentiæ obtinendum. De hoc autem Opere quæſtio eſt, utrum negligi poſſit, ita ut Indulgentiæ quantumcumque plenariæ ſupponantur abſque ulla conditione hujus pii operis conceſſæ, ſuum effectum operentur. Nobis magis arridet affirmativa ſententia, quæ poteſtatem in concedente, gratiam in recipiente, & proportionatam cauſſam requirit, ex generali

Theo-

Digitized by Google

Theologorum dogmate ad valorem Indulgentiarum abſque novo opere, ad quod illi obligentur, quibus Indulgentiæ conceduntur. Id vero patet ex fine in cujus gratiam ſuperior movetur ad concedendum Indulgentiam. poſſunt enim conſiderari obſequia jam exhibita Eccleſiæ ab illo, cui Indulgentiam conceditur, ita ut talis conceſſio, effectus ſit gratitudinis, in qua animadverſione apparent plurima opera bona, quæ illorum excedunt conditionem, quæ poſſent imperari. Haberi inſuper poteſt ratio medicinæ, quam Paulus in 2. ad Cor. 2. habuit cum inceſtuoſum abſolvit, nullo alio indicto opere ſatisfactorio, nimirum ne ille, cui Indulgentia conceditur abundantiori triſtitia abſorbeatur. Poteſt demum Pontifex ex ſua liberalitate, rationabilibus aliis concurrentibus cauſſis, celebritate nimirum alicujus Feſti ex ſolemnioribus, vel in die Coronationis ſuæ, vel propter alicujus Juſti interceſſionem, ut in primitiva Eccleſia uſitatum erat, pœnas lapſis remittere, nullum novum opus injungendo, non ſecus ac ubi alicujus diſpenſationis inſtet neceſſitas, hanc ſolent Pontifices impertiri nullo ſpeciali onere eis impoſito, in quorum favorem fit diſpenſatio, cum id poſtulat, vel gratitudinis ratio, vel medicinæ conditio: In omnibus itaque his caſibus Indulgentiarum beneficio utentur fideles, nullo illis injuncto opere tamquam ſub conditione ad effectum Indulgentiæ conſequendum.

XI. Dixi in *omnibus his caſibus*, ut illum excipiam in quo hæc neceſſitas eſſe poteſt, quando ſcilicet cauſſa Indulgentiæ talis eſt, ut ſine interventu talis operis Indulgentia concedi non valeat, & hoc contingit quando cauſſa quæ proportionata ſupponitur ad finem Indulgentiæ, revera talis non eſt, aut non ſufficit per ſe, ut Indulgentia ſimpliciter concedatur, niſi ſub conditione talis operis, quod verum eſt præſertim tunc cum conceditur Indulgentia ad obtinendum a Deo aliquod beneficium: & huc ſpectant exempla illa, quæ aferri poſſunt ex uſu Eccleſiæ in conceſſione Indulgentiarum, dum legimus Pontifices non alio modo conceſſiſſe Indulgentias. In hypotheſi igitur quod Indulgentia concedatur ſub conditione operis injuncti, certe tale opus aliquo modo dicitur neceſſaria diſpoſitio ad effectum Indulgentiæ, non ex natura Indulgentiæ, ſed ex voluntate ejuſdem concedentis Indulgentiam. Se de his operibus injunctis inferius redibit ſermo cum agemus de Jubilæo.

XII. Advertimus tamen fieri poſſe, ut uno ſolum injuncto opere, ſcilicet eadem oratione, plures, & pluries Indulgentiæ comparentur, ſi ſub conditione talis operis conceſſæ ſint, nimirum Indulgentiæ omnes, quæ conſequuntur viſitantes Eccleſias Romæ, in quibus plurimæ hujuſmodi conceſſiones ſunt, & ratio eſt ipſa concedentis voluntas: nec obeſt dicere, quod quæ erat proportionata cauſſa ad unam Indulgentiam, non eſt proportionata ad totam remiſſionem, quæ per omnes ſimul fit, nam ut ſupra dicebamus, poſſunt hæ Indulgentiæ, quæ ſunt in Eccleſiis Romæ, concedi viſitantibus ſemel in die ſuam Eccleſiam, ſi Eccleſia fuerit Regularium, & Regularibus ipſis conceſſum fuerit, ut dicitur, hoc privilegium *per modum gratitudinis propter obſequia ab his Ordinibus Eccleſiæ præſtita, in quibus poteſt eſſe ſufficiens ratio ad totam hanc remiſſionem abſolute faciendam* ſub conditione unius tantum operis injuncti, quia illa obſequia tanta eſſe creduntur, ut ſuperent alia pia opera, quæ communiter poſtulari ſolent in Indulgentiis. Non ita vero poſſet aliquis uno opere exhibito lucrari plures Indulgentias, quæ pluribus

rebus ſimilibus conceſſæ eſſent, ut ſi aliquis haberet duas cruces, duo numiſmata, vel plura grana benedicta, & in ſingularum benedictionibus conceſſa eſſet unius anni Indulgentia dicto uno Pater, & Ave, hic ſemel orando non conſequeretur iſtorum omnium annorum Indulgentias, quia aliter non ſentire Pontificem ex eo conjicitur, quod opus bonum plerumque ſolet adjungi ad ſupplendam juſtitiam Indulgentiæ, qui finis non ita obtineretur, ſi uno opere exhibito plures Indulgentias ſimilibus rebus premiſſas lucrari liceret. Aliqui nihilominus oppoſitum tuentur hoc ducti Principio, quod uno eodemque actu, & tempore plura præcepta impleri poſſunt: ergo ſimiliter, plures Indulgentiæ comparari, cum præſertim major ratio non inveniatur cur exhibito tali opere una magis, quam alia obtineatur.

XIII. Peculiaris etiam eſt aliquorum ſententia quod inter diſpoſitiones ad fructum Indulgentiæ ſollicitudo ad ſatisfaciendum pro propria pœna requiratur, hoc autem neque colligitur ex litteris Papalibus, quæ ſæpe dicunt Indulgentias concedi pœnitentibus, & Confeſſis, nunquam vero ſatisfacientibus, neque habetur in opinione Canoniſtarum, ut Navarrus ipſe fatetur, licet in Commentariis de Jubilæo notabili 21. oppoſitum tueatur & D. Thomas in quodlibet. 2. Articulo ultimo nihil aliud requirit in illo qui lucrari vult Indulgentiam, niſi ſtatum gratiæ, & quod opus injunctum impleat. Neque admitti poteſt, quod vere pœnitentes non ſint, qui voluntatem ſatisfaciendi non habent; nam hanc voluntatem ſatisfaciendi in hac vita pro pœna temporali per ſe, non eſſe de ratione pœnitentiæ præter ea quæ congerit Soto diſt. 20. q. 2. ad 5. Vega lib. 13. in Tridentinum cap. 22. oſtendunt etiam verba Tridentini Concilii in cap. 8 Seſſ. 1v. in quibus dicitur ſatisfactionem non eſſe in præcepto extra Sacramentum, ſed tantum eſſe ſecuriorem viam, & neceſſariam, non ſimpliciter, ſed ad perfectam animæ liberationem, ſeu puritatem. Poteſtas itaque concedendi Indulgentias ad eos ſolos non coarctatur, qui in ſatisfaciendo diligentes ſunt, neque hæc ſollicitudo ad ſatisfaciendum, diſpoſitio eſt in univerſum neceſſaria ad fructum Indulgentiæ. Dixi *in univerſum*, ut monerem, negligentes in hoc habere quamdam minorem proportionem, ideoque Superioris liberalitatem in concedendo illis Indulgentias reſpectu eorum eſſe majorem, nam illi profecto videntur indigni tanto beneficio; quod in tantum illis prodeſt, quia hoc eſt in poteſtate, & voluntate concedentis. Non infertur vero ex hoc quod eorum tepiditati, & torpori ſerviatur foveatur, ſed ſuppletur potius, & juvatur eorum fragilitas, unde melius poſſint ad tutioris, & ſanctioris vitæ præſidia inquirenda, & laudabilius excitari.

§. II. *Licet Defuncti proprie non ſint Indulgentiarum ſubjectum, tamen iis proſunt, quæ pro ipſis conceſſa fuerint.*

XIV. Quamvis communis modo hæc opinio ſit, nulluſque ſine maxima temeritatis nota ſuſtinere contrarium poſſit, Catholicis tamen illis auctoribus parcendum eſt, qui eliquata nondum hac controverſia, circa illam errarunt, vel in hoc dubitarunt. Oſtienſis in Summa lib. 5. ſub tit. de Remiſſionibus primus negavit Indulgentias ſimpliciter prodeſſe defunctis, hunc ſequutus eſt Gabriel Biel in Canone Miſſæ lect. 57. Joan. item Gerſon in 4.
tom.

tom. Serm. 2. de defunctis q. 9. ubi de hac materia agens *Indulgentias*, dixit, *utiles illis, qui ſubmittunt ſe Curiæ miſericordiæ, quæ datur uſque ad mortem, non vero poſt mortem*. Graviſſimis itaque his Auctoribus perſuaſum fuit Defunctis ad Jurisdictionem Eccleſiæ non pertinere, & ſolum Deum Judicem habere, quod jam Magnus ſcripſerat Leo in epiſt. 91., & S. Bernardus epiſt. 7. *Si aliquis eorum*, inquit S. Leo, *pro quibus Domino ſupplicamus quocumque interceptus obſtaculo a munere præſentis Indulgentiæ exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus a carne non poterit. Nec neceſſe eſt nobis eorum, qui ſic obierint, merita, actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter, cujus Judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit ſuæ juſtitiæ reſervavit*: quare abuti Auctoritate Scripturæ dicunt, quotquot ex illis Scripturæ verbis Matt. 16. *Quodcumque ſolveritis ſuper terram, &c.* putant hanc jurisdictionem oſtendere, cum reſpectu perſonarum certum ſit ſolum in verbis illis eſſe promiſſam jurisdictionem in homines viatores, & ſuper terram degentes, quod Christus Dominus uberius declaravit cum Joann. 21. implevit promiſſionem Petro datam Matt. 16. dicens illi: *Paſce oves meas*, ut intelligeret ſuam omnem jurisdictionem circa eos tantum verſari, qui ad mundanum, & terrenum Christi ovile pertinent, cum nec pabulo defuncti indigeant, nec vocem hominis audiant propter immane Chaos, quod nos inter, & illos extenditur. Facit etiam plurimum pro hac ſententia, quod Animæ Defunctorum per Eccleſiaſticam poteſtatem non excommunicantur, neque ab Excommunicatione abſolvuntur, ſed vel viventes prohibentur, ne ſuffragia pro illis Defunctis offerant, vel liberantur ab onere non communicandi cum illis: quod ſi Innocentius III. in cap. *a Nobis* 2. de Senten. excomm. *Eccleſiam*, ait, *aliquando ligare, & ſolvere defunctos*, id non dicit quod revera credat Defunctos Jurisdictioni Eccleſiæ ſubjici, ſed quia actus Jurisdictionis, qui directe cadunt in viventes, indirecte, vel ut ajunt Scholaſtici, *quaſi objective* redundant in defunctos, hoc eſt Defuncti ſunt materia circa quam ſuos actus poſſunt viventes exercere. His fundamentis non obſtantibus vera eſt expoſita Concluſio, quam inveteratus probat uſus Eccleſiæ, & Canoniſtarum, & Theologorum Auctoritas

XV. Eccleſiæ uſum idem Gabriel Biel loco citato refert, citans Paſchaſium, quem vocat V. (Bellarmino eſt I., & Sambovio II.) talem Indulgentiam conceſſiſſe, ut videtur in Eccleſia S. Praxedis, in introitu Capellæ S. Zenonis, additque undecim alios Pontifices eamdem gratiam confirmaſſe, & Sixtum IV. contra Petrum Oxomienſem declaraſſe Indulgentiam mortuis prodeſſe. Poſt hæc tempora uſque ad X. Leonem ſimilem gratiam conceſſerunt, Alexander VI., Clemens VII., Julius II., & XIII. Gregorius. Leo vero X cum audiſſet inter alios errores Lutherum docere ſex generibus hominum Indulgentias non eſſe neceſſarias, nec utiles, videlicet mortuis &c. hunc quoque damnavit. Deinde vero hæc veritas, & hic uſus adeo propagatus eſt, ut paſſim a Summis Pontificibus fidelibus permittatur poſſe ipſis conceſſas Indulgentias Animabus in Purgatorio degentibus applicare per modum *Suffragii*. Eccleſiam autem in re tanti momenti errare quis audeat affirmare? *Inſolentiſſimæ inſaniæ*, eſt inquit Auguſtinus epiſt. 34. *Si quid tota per Orbem frequentat Eccleſia quin ita faciendum ſit diſputare*. Ratio

 nihil-

nihilominus hujus veritatis, & uſus reddi poteſt: inter viventes nimirum, & defunctos eſſe communionem ſuffragiorum, quia fideles defuncti ita conjuncti ſunt cum fidelibus viventibus ejusdem fidei, & charitatis vinculo, ut quemadmodum ſcripſit Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 9. ab Eccleſia non ſeparentur, quæ eſt regnum Chriſti: quare ſemper conſueviſſe fideles orare pro mortuis, eleemoſinis, jejuniis, & oblationibus, aliiſque piis operibus eorumdem Animas Deo commendare, jam oſtenſum eſt, cum ageremus de Sacrificio Miſſæ, & in Tractatu de Purgatorio. Cur ergo, & non potuit Eccleſia eisdem Animabus ſubvenire per Indulgentias? quæ nihil aliud ſunt quam ſuffragium quoddam, quod non magis repugnat pro defunctis offerri, quam cetera.

XVI. Dixi per *modum Suffragii*, quia præter hunc modum, nullus alius hactenus inventus eſt, deinde quia ita Pontifex poteſt publica auctoritate Animabus defunctorum ſuccurrere, ex communi theſauro ſatisfactionum Eccleſiæ, ut quilibet privatus poteſt auctoritate privata eisdem ſuccurrere, cum alter modus conveniens non ſit ſtatui earumdem, qui ſolus non requirit juriſdictionem in perſonam, quæ ſit ſubdita ſuffraganti, ſed ſatis eſt poteſtas in ipſum theſaurum, qualis revera reſidet apud Summum Pontificem. Argumenta autem ſupra facta pro ſententia veterum Theologorum, modum hunc non impugnant, ſed alterum tantum, qui appellatur, modus abſolutionis, qui exigit auctoritatem judiciariam, quæ ſolum exercetur erga ſubditos, unde quoad hanc partem nihil differt Antiquorum ſententia ab opinione Recentiorum.

XVII. Hunc eumdem explicandi modum ratum fuiſſe Canoniſtis, & præclaris Theologis patet ex cap. *quod autem* de Pœnit., & remiſs., & docuit Felinus in Sermone de Indulgentiis, & plerique alii apud Navarrum Comm. de Indulgen. notab. 22. Theologos præclariſſimos modum eumdem probantes recenſet laudatus Gabriel. inter quos habet Alexandrum de Hales, S. Bonaventuram, S. Thomam, Ægidium, Durandum, Petrum de Tarantaſia, Richardum de Mediavilla, Thomam de Argentina, & alios plurimos ſub ſilentio præterit, qui profecto tot tantique ſunt, ut quamvis hæc ſententia non conſtituat Dogma fidei, cum nondum Eccleſia hoc definiverit, tamen ſi Sylvio credimus. propoſitio certa eſt, & ad fidem pertinet. Sed modo explicandum eſt, quid ſit Indulgentiam concedere Defunctis per modum ſuffragii, & quomodo ſuffragium, & abſolutio inter ſe differant.

XVIII. Diſcrimen illud quod nonnulli Theologi ſtatuerunt inter utrumque modum concedendi Indulgentias eſt, quod Indulgentia per modum abſolutionis conceſſa infallibilem habet effectum, illa vero quæ conceditur per modum ſuffragii non ita infallibilis eſt, ſed pendet ex libera acceptatione, & miſericordia Dei.

XIX. Verum hæc diſtinctio communiter non admittitur, atque in primis S. Thomas qui d. 47. q. 2. a. 3. q. 2. æque Indulgentiam prodeſſe ait vivis, & mortuis, ſi ſub hac forma fiat: *quicumque fecerit hoc, vel illud, ipſe, & pater ejus, vel quicumque ei adjunctus in Purgatorio detentus. tantum de indulgentia habebit*. Efficaciam ejuſdem Indulgentiæ agnoſcit. S. Bonaventura in 4. d. 20. par. 2, q. 5. ubi dicit. *Si quis velit crucem pro mortuo patre aſſumere, non eſt aliqualiter negandum, quod ſi voluntas ſit Summi Pontificis, quin Indulgentia illa proſit*. Aliorum Theologorum auctoritates recenſere

Digitized by Google

ſere ſuperſedeo, cum ex Decretali Leonis X. ad Cajetanum eadem veritas ſatis eruatur. Leo igitur X. cum ſcripſiſſet Papam poſſe fidelibus ſive in hac vita ſint, ſive Defunctis, tollere impedimenta peccatorum, quorum unum eſt reatus pœnæ temporalis, Apoſtolica auctoritate Theſaurum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſando, & per modum abſolutionis Indulgentiam ipſam concedendo, vel per modum ſuffragii illam transferendo, tandem concluſit: *omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujuſmodi conſequuti fuerint a tanta temporali pœna ſecundum Divinam juſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita liberari, quanta conceſſæ, & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet*. Porro Leo X. non ita indiſtincte loquutus fuiſſet ſi defunctis, & viventibus conceſſæ Indulgentiæ abſolute non prodeſſent utriſque. Nec exemplum eſt, quod Pontifices Auctoritatem Apoſtolicam interponant niſi in iis, quæ dum concedunt certi ſunt de eorum infallibili exitu, quod contingere debet in hoc caſu, in quo certi ſunt quod bona, & Theſaurus Eccleſiæ eſt in eorum poteſtate, *quod illi, qui cum pietate dormitiorum acceperunt* idonei ſunt ſpiritualia Beneficia recipere, quod Papa poteſt eis bona Eccleſiæ comunicare, favores omnes, omneſque gratias, ſi hoc fiat ex rationabili cauſſa, ut ſupponitur, & clave non errante, ideſt ſi rationabiliter id intendat, & demum, quod effectui Indulgentiæ per modum ſuffragii infallibilitas deeſſe non poteſt ex parte pretii oblati, cum ſint ſatisfactionea Chriſti, & Sanctorum, neque ex defectu Divinæ promiſſionis, nam effectus promiſſus a Criſto, & propter merita ejus infallibilis eſt, conditione impleta;

XX. Nec facit contra hanc Aſſertionem ſingularis illa locutio per quam Pontifices ſolent ſive pro vivis, ſive pro defunctis Indulgentias concedere, ſiquidem hæc differentia vocum ſolum exprimit modum, ſecundum quem utraque Indulgentia operatur, qui modus in hoc conſiſtit, quod Indulgentia pro defunctis non remittit proprie pœnam, ſed offert Deo pretium æquivalens, ut ipſe remittat. Illa vero Indulgentia, quæ viventibus conceditur, proxime, & immediate remittit pœnam.

XXI. Opportunior itaque videtur illa diſtinctio, quam S. Thomas in nuper laudato loco inſinuat, quod videlicet Indulgentia pro defunctis non dicatur abſolutio, ſed per modum ſuffragii, quia hæc Indulgentia non conceditur directe, ſed indirecte, & ſecundario non principaliter, nam conceditur alicui vivo, concedendo illi, ut poſſit illam applicare defuncto; & quia ſatisfactiones propriæ, quas viventes offerunt pro defunctiſ vocantur ſuffragia, ita ſuffragium appellari debuit illa donatio alteri facta ſatisfactiònum ex communi theſauro, & ab hoc applicata defunctis. Quamquam non ob ſolam hanc cauſſam appellatur ſuffragium hæc Indulgentia, nam Pontifex nulla etiam interveniente tertia perſona, vel actione ejus, poteſt illam concedere, quia, ut diximus in ſuperioribus, non eſt de ratione Indulgentiæ, ut exigatur aliquod opus ad illam obtinendam, ſi aliunde ſupponatur cauſſa ſufficiens; ſed ideo Pontifex dum hanc Indulgentiam concedit, hac clauſula ſemper utitur, ut declaret ſe poteſtate ſibi conceſſa non abuti, ſe cognoſcere animas defunctorum ad ſuum forum non pertinere, ſed charitate ſolum ſibi conjungi, & propterea illis ſe poſſe ſubvenire immediate offerendo Deo ſatisfactionem de Theſauro Eccleſiæ, & ipſam generaliter omnibus, vel aliquibus ſpecialiter applicando, quæ dum viverent meruerunt adjuvari.

juvari. Sed quid quid ſit de hac diſtinctione Indulgentiarum, utraque tamen vera Indulgentia eſt, tum quia in alterutra actus juriſdictionis clavium intervenit, propter potaſtatem quam exercet Pontifex in diſpenſandis, ſeu diſtribuendis communibus Eccleſiæ bonis, tum etiam quia æquivalens illa accedit ſolutio, propter quam obex tollitur, ſeu quod idem eſt virtuali, & morali modo pœna, & omnia reatus ejus remittitur, quo quis retardatur ad ingrediendum in Regnum Cœlorum, & demum quia in utraque intercedit ratic juſtitiæ, licet diverſo modo, nam in Indulgentia per modum abſolutionis intercedit juſtitia, quaſi vindicativa ex parte abſolventis, in illa vero quæ conceditur per modum ſuffragii, ſolum intervenit juſtitia per modum cujusdam æquivalentis commutationis fundatæ in pacto, & promiſſione Divina, quæ ſufficienter continetur in illis verbis: *quodcumque ſolveris ſuper terram ſolutum erit & in Cœlis*, quid quid loquantur diſputantes, vel etiam prædicantes.

XXII. Sed oritur difficultas utrum ex parte vivorum aliquid requiratur ad lucrandam hanc Indulgentiam, & aliquid aliud ex parte Defunctorum, quibus app'icari debet per modum ſuffragii.

Cum perficienda a fidelibus opera nonnulla præſcribantur ad effectum Indulgentiæ conſequendum, ut ſuo loco eſt dictum, certum eſſe fatemur hæc opera debito modo oportere perfici, ita ut nihil minus requiratur ex parte viventium ad acquirendam hanc Indulgentiam, quam requireretur ſi eſſet Indulgentia vivorum. Non eſt igitur hic laborandum in his operibus, vel conditionibus recenſendis, cum ex ſuperioribus reperi poſſint. In quo plurimum certant Doctores unum eſt, an ſtatus juſtitiæ requiratur, quem alii volunt, alii vero non neceſſarium credunt. In hoc ego dicerem attendendam eſſe Indulgentiæ formam, nam ſi Indulgentia concedatur vere pœnitentibus, & confeſſis ut poſſint illam applicare per modum ſuffragii Defunctis, liquet profecto debere viventes eſſe in ſtatu gratiæ, ſed ſi concedatur ſine hac conditione, & opera injuncta id non requirant, dici poterit hanc Indulgentiam 7. annorum, & totidem quadragenarum, quam Benedictus XIV. iis conceſſit quoties recitaverint Actus fidei juxta formam ab eodem Pontifice imperatam prodeſſe Defunctis, nam is qui Defuncto talem Indulgentiam lucratur nullo modo prius ſibi lucratur aliquam ſatisfactionem, ut eam alteri præbeat, ſed ſolum exhibet conditionem poſtulatam, ut Pontifex Defuncto Indulgentiam concedat, quæ conditio nihil aliud eſt quam executio talis operis quoad ejus ſubſtantiam, non quo ad ejus modum, cum ita ſufficienter cauſſa proportionata talis Indulgentiæ impleatur. Reliqua videri poſſunt in Tractatu de Purgatorio Cap. IV. §. 3.

XXIII. Etiam ex parte Defunctorum conditiones aliquæ requiruntur, quas etiam attigimus agentes de ſuffragiis pro mortuis. Inter ceteras autem 1. requiritur ſtatus gratiæ, & hinc eſt quod pro ſolis animabus Purgatorii Indulgentia poteſt offerri. 2. Requiritur character baptiſmalis, agentes enim de ſacrificio Miſſæ vidimus illud pro Catecumenis defunctis offerri non poſſe, ex quo colligitur non baptizatum non eſſe capacem effectus ex opere operato, etiam ſi juſtificatio ſit qualis oritur ex Sacrificio, & ex Indulgentia, & non habere majorem amplitudinem, poteſtatem quam dicimus Clavium, poteſtate offerendi Sacrificium pro vivis, & defunctis, cum utraque coarctetur ad baptizatos, etiam ſi id quod offertur ſit per modum ſuffragii.

ſtagii. 3. Requiritur ſpeciale meritum, quod in hac vita præceſſerit, ut docuit Auguſtinus in libro de cura pro mortuis cap. 1., & S. Thomas 3. p. q. 52. a. 8. ubi agens de Chriſti deſcenſu ad inferos, *non omnes animas illum a Purgatorio liberaſſe, ait, ſed illas, quæ jam ſufficienter purgatæ erant, vel etiam, quæ dum actu viverent meruerunt per fidem, & devotionem ad mortem Chriſti, ut eo deſcendente liberarentur a temporali Purgatorii pœna.* Addunt nonnulli quod in anima etiam requiratur notitia, & acceptatio beneficii ſibi impenſi, ſed ſine fundamento hoc aſſeritur, cum hæc notitia per ſe loquendo nihil conferat ad effectum Indulgentiæ, & nullum documentum in promptu eſt, quo probetur Deum non ſolum mortuis, ſed neque viventibus revelare ſe illis Indulgentiam contuliſe. Acceptatio vero inutilis omnino eſt ex parte Animarum, ſed neceſſaria eſt ex parte Dei, nam ab hac ſola acceptatione pendet, quod Indulgentia proſit Defunctis. quæ res, quia a nobis ignoratur ſatis intelligitur, non ita certo ſtatuendam eſſe alicujus animæ, pro qua data ſit Indulgentia a Purgatorio liberationem, ut jam non amplius pro ea orandum ſit, vel tollenda ſint Anniverſaria, vel cetera, quæ ad juvandum defunctis fieri ſolent omittenda, quia videlicet certo nobis conſtare non poteſt ea omnia ſubſiſtere, & completa eſſe quæ ad Indulgentiæ hujuſmodi effectum, eumque plenum aſſequendum, requiruntur.

CAPUT V.

DE JUBILÆO.

§. I. *Generalis eorum prænotio quæ pertinent ad Jubilæum Anni Sancti.*

I. AMpliſſimam Indulgentiarum ſpeciem huic loco reſervavimus, quippe quæ plurima habeat, itidemque ſingularia privilegia Plenariis cæteris Indulgentiis non communia, & Theologico examine non indigna. Ante Boniſacium VIII. nullum reperire eſt authenticum hujus Indulgentiæ monumentum, præter antiquorum fidam relationem, quod unoquoque recurrente centeſimo anno accedentibus ad honorabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe conceſſæ eſſent magnæ remiſſiones, & Indulgentiæ peccatorum, ideoque communiter Bonifacius ipſe Indulgentialis hujus formulæ primus auctor reputatus eſt, quia omnium primus ſolemni Bulla, quæ incipit *Antiquorum* relata inter Extravag. Communes die 22. Februarii anni 1300. hanc Indulgentiam promulgavit, edixitque ut centeſimo uno quoque anno decurreret, & conditiones inſuper addidit a fidelibus obſervandas, qui voluerint ejuſdem participes fieri. Bonifacii vota ad brevius tempus contraxit Clemens hujus nominis VI. qui magnum Jubilæum mutavit de anno quinquageſimo in quinquageſimum. Legitur hujus Jubilæi Diploma in Extravaganti *Unigenitus* de Pœnitentiis, & Remiſſionibus, & rationem contracti temporis reddit 1. quod Jubilæum Judaicum non quovis anno centeſimo dumtaxat, ſed quovis quinquageſimo recurreret, ipſumque fuiſſe imaginem Jubilæi Chriſtiani. 2. quod numerus quinquagenarius in Teſtamento veteri ex Legis publicatione, in novo ex viſibili Spiritus Sancti in Diſci-

pulos miſſione, per quam datur remiſſio peccatorum, ſingulariter honorantur. 3. Quod vellet quamplurimos ejuſmodi Indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum reſpectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centeſimum pervenire.

Paulus II. Jubilæi Indulgentias eſſe voluit quovis anno 25. quam reductionem Sixtus IV. confirmavit ſua Conſtitutione, quæ refertur in Extravaganti *Quemadmodum* de Pœnit., & Remiſs. in Communibus, & inſuper omnes qualcumque Indulgentias, etiam plenarias ad inſtar Jubilæi quibuſcumque Eccleſiis, aut locis extra Urbem, & ſub quacumque forma a Sede Apoſtolica conceſſas, durante anno Jubilæo ſuſpenſas eſſe voluit, nec interim alicui ſuffragari. Nullus deinceps Romanorum Pontificum diſpoſitionem hanc Pauli II., & Sixti IV. immutavit, & eam nunc obſervat Eccleſia. Voluiſſet VI. Urbanus Jubilæi tempus protrahere ad annum 33., & propterea conſtituit quod anno D. 1388. in feſto Natalis Domini inciperet annus Jubilæus in Urbe, & duraret per annum incluſive, sed ipſe Urbanus illum non vidit, quia prius ab hac luce migravit, & Romana Eccleſia extincto Schiſmate poſt Concilium Conſtantienſe illam Urbani reformationem abjecit, rediitque ad Decretum Clementis VI., & ita fuit uſque ad Paulum II. ut diximus. Nihilominus Bonifacius IX. immediatus Urbani VI. ſucceſſor Jubilæum a ſuo prædeceſſore publicatum approbavit, & ex hujus approbatione plurimi, qui obedientiam Bonifacio præſtabant pro Indulgentiis anni Jubilæi conſequendis de univerſis Mundi partibus ad Urbem Romanam confluxerunt.

II. His de origine Indulgentiæ prælibatis ad ejus nomen explicandum progredimur. Jubilæi nomen *Remiſſionem*, ſeu *Dimiſſionem* S. Hieronymus interpretatur in cap. 3. Iſaiæ. Joſeph vero lib. 3. Antiquitatum cap. 10. *libertatem* ſignificare docet, quia ut legitur in Levitico cap. 25. Anno Jubilæi revertebatur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redibat ad familiam priſtinam; quare manumiſſio ſervorum omnium Hebræorum, qui detenti anno Sabbatico fuerant Exodi 21. vel deinceps defectu pretii quo redimerentur Levitici 26. erat primum Privilegium hujus anni. Addebatur alterum, per quod venditæ & alienatæ poſſeſiones ſuis dominis reſtituebantur ſine pretio, & compenſatione prorſus ulla. Accedebat etiam tertium, & erat Clangor tubarum in univerſa terra Iſrael a decima die menſis, quæ omnia cum tunc contingerent in figura plenariæ per Chriſtum manumiſſionis ex ſervitute peccati, & mortis, reditus item noſtri, ſeu reductionis per Chriſtum ad Regnum Cœlorum, tamquam ad avitam Poſſeſſionem, qua per peccatum excidimus; & demum clangoris Tubæ Evangelicæ per Orbem univerſum, qua enunciatur manſuetis contritio cordis, prædicatur captivis Indulgentia, clauſis aperitio, & annus placabilis Domino; mirum eſſe non debet, quod cum hæc omnia videantur compleri in hac pleniſſima Indulgentia, in qua pœnæ peccatis debitæ remittuntur, & peccati ſervus vi meritorum Chriſti Domini manumittitur, aliiſque gratiis pluribus cumulatur, hæc ipſa Indulgentia Jubilæum appelletur.

III. Continet itaque 1. Jubilæum pleniſſimam omnium peccatorum Indulgentiam, & hujus vocis ſenſum ſupra explicavimus in Cap. I. §. III. Confert 2. facultatem eligendi confeſſarium, & abſolvendi a reſervatis, etiam Romano Pontifici, & commutandi vota, exceptis Caſtitatis, & Religionis. 3. Suſpendit Indulgentias omnes, & ſingulas tam plenarias, quam non

non plenarias, ac facultates, & indulta, quæ retardare poſſunt Jubilæi conſecutionem, quo anno durante nulli prodeſſe debent, aut ſuffragari. 4. Exigit, quod fideles omnes quatuor Baſilicas viſitent, videlicet S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranenſis, ac Sanctæ Mariæ Majoris; ſemel ſaltem in die per triginta continuos, aut interpolatos dies, ſive naturales, ſive etiam Eccleſiaſticos, nimirum a primis Veſperis unius diei, uſque ad integrum ipſius ſubſequentis diei Veſpertinum crepuſculum computandos, ſi Romani, vel incolæ Urbis, ſi vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim ſaltem hujuſmodi dies. 5. Demum requirit quod dolentes confiteantur peccata ſua, & ſacra communione reficiantur.

IV. Non ita vero dicuntur hæc ſingula cujuslibet Jubilæi eſſe privilegii, favores, & injuncta opera, ut pro ſuæ voluntatis arbitrio non poſſint Pontifices illa augere, vel immutare. Bonifacius Papa VIII. a quo ut dicebamus Jubilæum primum expreſſa Conſtitutione promulgatum eſt, decrevit ut eo anno Baſilicæ SS. Petri, & Pauli inviſerentur, addidit Clemens VI. Templum S. Joannis Lateranenſis, & Gregorius XI. Baſilicam S. Mariæ Majoris. Sixtus item IV. ſine ſuorum prædeceſſorum exemplo, in anno Sancto plenarias omnes Indulgentias ſuſpendit facultateſque, conceſſiones, & Indulta ab Apoſtolica Sede, vel illius Auctoritate conceſſa deputandi Confeſſores cum poteſtate abſolvendi etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Primus quoque fuit Clemens VI. qui in ſua citata Conſtitutione *Unigenitus* conceſſit iis qui pro Jubilæo conſequendo ad prædictas Baſilicas, & Eccleſias *accedunt, ſi poſt iter ſuſceptum impediti legitime quominus ad Urbem illo anno valeant pervenire, aut in via, vel dierum prætaxato numero non completo in dicta Urbe deceſſerint vere pœnitentes, & confeſſi, eamdem Indulgentiam conſequantur*, & poſtremus omnium Benedictus XIV. licet nunquam antea contigiſſet operibus injunctis pro lucrando Jubilæo Sacramentalem Communionem accenseri, ipſe hanc recenſuit in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Peregrinantes* in ſolemniis Aſſenſionis Domini publicata die 15. Maji anno 1749. Quod laudatis licuit Pontificibus licebit, & ſucceſſoribus, ſi recta ratio, & optimum Chriſtianæ Reipublicæ Regimens id poſtulaverit.

V. Illud tamen plerumque ſolet accidere, quod favoribus illis, quos Pontifices per Bullam Jubilæi concedunt, ſubtiliores Theologi offundunt tenebras, unde poſtea inutiles erumpunt, & inextricabiles controverſiæ; e contra vero laxiores eadem ad ſuos ſenſus, & non tutas opiniones detorquent. Hinc videtur aliquibus quod ſi verba Jubilæi ſunt dubia, quoad remiſſionem, Bulla tamquam favorabilis late interpretanda eſt, quemadmodum latam volunt interpretationem, quando dubium eſt circa favores, & gratias in Jubilæo conceſſas, & ex his concludunt vigore Jubilæi abſolvi poſſe peccata commiſſa in confidentiam illius, ſicut commiſſa poſt Jubilæum ſuſceptum, & toties remitti poſſe, quoties clavibus ſubjiciuntur. Alii e contra negant Jubilæi favores obtineri poſſe, quando probabilis opinio de Jubilæi conceſſione, aut conſecutione eſt falſa: quod ita explicat Viva in ſuo tractatu de Jubilæo q. 3. a. 3. *Demus falſo, ſed probabiliter aſſeri, quod lucretur Jubilæum ille qui aliquod opus injunctum, dummodo non ſit ultimum, poſuerit in mortali, quia in hoc caſu is qui probabili huic opinioni ſe accomodat revera non lucratur Indulgentiam*: ita inquiunt illi Doctores, quod is Jubilæum aſſequitur, ſcilicet validam abſolutionem a reſervatis, & commuta-

tiones votorum, quos favores non pauci etiam Doctores negant concedi, ſi in Bulla Anni Sancti ſolum exprimatur tribui Plenariam Indulgentiam ponentibus opera injuncta, at alii negant ſuſpendi Indulgentias, & Privilegia in vi Bullæ Cruciatæ conceſſa, ceteraſque perſonales Indulgentias pro iis conceſſas, qui Jubilæum lucrati ſunt, ut ſunt Indulgentiæ conceſſæ Numiſmatibus, Granis benedictis &c. Nunc autem in his ſimilibuſque controverſiis immorari, & vanum opus eſt, & labor inutilis, ſiquidem præcipua jam quæſtionum capita ſuſtulit, & diſſidentium Theologorum lites diremit nunquam ſatis laudandus Benedictus XIV. in Bullis quas edidit occaſione Jubilæi anni 1749. Nihilominus quia Theologo viro hæc ignorare indignum eſt, quæſtiones ipſas hic ſubjicimus, ut ex ipſis elicita veritas Pontificio oraculo confirmetur.

§. II. *De Indulgentiis, & facultatibus quæ in Jubilæo Anni Sancti ſuſpenduntur, & de operibus injunctis.*

VI. Quæritur 1. *Quænam Indulgentiæ per Bullam Jubilæi ſuſpendantur?*

Inter effectus Jubilæi haberi Indulgentiarum ſuſpenſionem Numero 4. & 5. notavimus: Hujus ſuſpenſionis cauſſam Sixtus IV. expreſſit in Extrav. *Quemadmodum* de Pœnit. & Remiſſ *ne uſu earum impediatur acceſſus ad Urbem*. Credebatur olim inutilis hæc ſuſpenſionis enunciatio facienda in Bulla Jubilæi, quod non conſtaret de revocatione ejuſdem ſuſpenſionis factæ per eundem Sixtum IV. vel per quemcumque alium ex ſuis Succeſſoribus, ſed prævaluit tandem contraria opinio, & formulam verborum, qua prædeceſſores Pontifices uſi fuerant, ut Indulgentias declararent ſuſpenſas, Clemens VIII. immutavit, *eaſdemque* ait tum ipſe, tum XII. Innocentius, tum Benedictus XIII. *eodem anno Jubilæo durante nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere*. Solum itaque poſt VIII. Clementis tempora dubitatum eſt: utrum Indulgentiæ non plenariæ, & Stationum ſuſpenderentur, natumque Theologorum diſſidium eſt, quod alii negativæ, & alii affirmativæ adhærerent opinioni, & eo percrebuit, ut opus fuerit prudentiorum, ſapientiorumque Conſilio, & Pontificia Auctoritate ad litem hanc dirimendam. Negativæ opinionis auctores maxime movebat principium illud fundatum in L. *Præcipimus* Cod. de Appellat. *Quid quid in poſteriori lege non fuerit expreſſum ſpecialiter, id veterum legum, Conſtitutionumque regulis relictum eſſe intelligendum eſt*. Cum itaque non viderint in Bullis Clementis VI, Sixti IV., Julii III., Gregorii XIII. & Innocentii XII. non plenarias Indulgentias comprehendi, has minime eſſe ſuſpenſas affirmarunt; eo vel maxime quia ſuſpenſionis hæc eſt natura, quod ſemper accipi debet juxta jus commune, in quo jure non videtur quod hæc ſuſpenſio ſit quo ad non plenarias Indulgentias extenſa. Affirmativæ vero ſententiæ maximum robur accedebat, quod quidam Pontifices Anno Jubilæi ad aliquorum preces nonnullas ex his plenariis Indulgentiis conceſſerunt, quod certe alterutris, petentibus ſcilicet, & concedentibus ſupervacaneum fuiſſet, ſi revera in ſuo robore non plenariæ Indulgentiæ remanſiſſent. Illud etiam Argumento erat hujus affirmativæ ſententiæ defenſoribus, quod quæ olim non credebantur ſuſpenſæ Indulgentiæ, quas poterant ſibi conſequi vivi, ut eas poſſent con-

ce-

Deduce Animabus Purgatorii per modum Suffragii, poſtea revera pro ſuſpenſis habendas eſſe Clemens X. explicavit, ut legitur in Notificatione a Cardinali Gaſpero de Carpineo tunc temporis in Urbe Vicario publicata: quare opus erat ut in difficultate tam ardua certum tandem aliquod proferretur Judicium, quod tandem maximo Chriſtiani orbis, Defunctorumque commodo prodiit, dum Benedictus XIV. prædeceſſoris ſui tertii decimi Benedicti inhærendo veſtigiis, ſuæ Conſtitutioni, quæ incipit: *Cum nos nuper* datæ ſub die 17. Maii A. 1749. hæc inſeruit: *Itaque præſervatis, & firmis remanentibus Indulgentiis conceſſis, in Articulo mortis &c. iis pariter, quas fel. rec. Prædeceſſor Benedictus XIII. concedit cunctis Fidelibus Salutationem Angelicam ſeu alias preces de tempore, mane, aut meridie ſeu Veſpere ad Campanæ pulſum de genu, vel juxta dierum, & temporum rationem ſtando recitantibus. Item Indulgentia 7. annorum, & totidem quadragenarum iis conceſſa, qui Sacramentaliter confeſſi, & ſacra Communione refecti, vel ſaltem vere contriti, & cum firmo propoſito confitendi, Eccleſias, in quibus Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro Oratione quadraginta horarum eo anno durante expoſitum eſſet, devote viſitaſſent, ibique juxta S. Matris Eccleſiæ mentem oraſſent toties quoties, id egiſſent. Item Indulgentiis illis, quas XI. & XII. Innocentius conceſſit fidelibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum ad Infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen, aut facem per ſe, vel per alios ea occaſione deferant, ſeu deferendum mittentibus. Item ſalvis Indulgentiis a S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, ac Epiſcopis in uſu, ſeu exercitio Pontificalium, aut impertienda benedictione, aliave forma conſueta, concedi ſolitis. Item ſalvis, & firmis remanentibus Indulgentiis Altarium Privilegiatorum pro Fidelibus Defunctis, aliiſque eodem modo pro ſolis ipſis Defunctis conceſſis, atque etiam aliis quibuſcumque Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, alias pro vivis conceſſis ad effectum dumtaxat ut Chriſti Fideles illas Animabus Fidelium Defunctorum per modum Suffragii directe applicare valeant &c. Cæteras omnes, & ſingulas Indulgentias tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas, &c. & ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus.* Quam ſuſpenſionem tenere etiam quo ad eos, qui Jubilæum ſemel lucrati ſunt certo credimus (quamquam aliqui contrarium putent de Indulgentiis perſonalibus, quorum rationem affert Viva in ſuo citato Tractatu q. 4. a. 5. n. 3. quia ceſſante adæquate fine legis in particulari, etiam negative, nedum contrarie, ceſſat lex L. *quod dictum* de jure patronatus) cum caſum hunc Papa in ſua Bulla non excipiat, e contra vero dicat Indulgentias omnes, quæ non excipiuntur manere ſuſpenſas; quare ad legem quæ in contrarium citatur reſponderi poteſt, quod importune citatur, quia in noſtro caſu, ex hoc quod aliquis Jubilæum lucratus ſit, finis legis adæquate non ceſſaret, nam pertinet etiam ad finem a Papa intentum, quod durante anno Jubilæi nullus poſſit alias Indulgentias lucrari præter illas, quas declaravit non eſſe ſuſpenſas, & præter ipſam Indulgentiam Jubilæi, quam ſi injuncta opera iterentur, denuo, & pluries Fideles lucrari poſſe clementer indulget in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Convocatis* ſub numero 52. habita ratione annui ſpatii ad quod hujuſmodi Jubilæum protenditur.

VII. Quæritur 2. *Num ſub ſuſpenſione Indultorum, & facultatum, quæ per Annum Sanctum fit, ſuſpenſæ remaneant facultates abſolvendi a Caſi-*

reſervatis , & vota commutandi ? ſive collata fuerint intuitu, aut occaſione Indulgentiarum, ſive fuerint aliis de cauſſis attributa.

Generalem ſuſpenſionem facultatatum omnium, & Indultorum, ſive intuitu Indulgentiarum, ſive ob alias cauſſas, conceſſa fuerint, tuentur illi Theologi, quibus innotuit Julium III. per annum Jubilæi facultatem abſolvendi a Caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis pro ſpeciali gratia conceſſit Patribus Societatis Jeſu, quibus a Paulo III. jam non intuitu, & occaſione Indulgentiarum, ſed ob alias rationes elargita fuerat. Alii vero animadvertentes ad finem legis ſuſpendentis hæc indulta, & facultates, ut videlicet Fideles ad capiendas Indulgentias Romam ſe conferant, non facultates omnes, & indulta remanere ſuſpenſa dixerunt, ſed illa ſolum, quæ fuerant conceſſa ad faciliorem Indulgentiarum conſecutionem, & ad impedimenta removenda. Huic rationi robur addit interpretatio Intentionis Gregorii XIII. per Præſulem tunc temporis Datarium a Navarro impetrata, in qua dicebatur Intentionem Sanctiſſimi fuiſſe ſuſpendere ſolas, & omnes Indulgentias plenarias, ſola & omnia earum quærendarum cauſſa conceſſa; & indulta; ita quod nulla Indulgentia, quæ non eſſet plenaria, nec ulla facultas quæ non eſſet cauſſa Indulgentiæ plenariæ quærendæ conceſſa, cenſeretur ſuſpenſa. Primum harum ſuſpenſionum documentum legitur in Decretali *Quemadmodum*, in qua Sixtus IV. ſic ait: *Omnes & ſingulas plenarias Indulgentias &c. deputando Confeſſores cum poteſtate abſolvendi etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, facultates, conceſſiones, & indulta a Nobis, & eadem Sede, vel illius auctoritate conceſſas &c. ſuſpendimus.* Quis autem audens his generalibus verbis audebit ſuſpenſiones reſtringere ad facultates abſolvendi ratione Indulgentiarum conceſſas? Hanc Sixti formulam tenuerunt Alexander VI., Clemens VII., Julius III., Clemens VIII., Urbanus VIII. & Clemens X. aliique. Primus & unicus illam immutavit Gregorius XIII., nam agens de his facultatibus in Brevi ſuſpenſionis Indulgentiarum ſic loquitur: *De Apoſtolica Poteſtatis plenitudine ſuſpendimus omnes, & quaſcumque plenarias Indulgentias, etiam ad inſtar Jubilæi, & earum cauſſa facultates, conceſſiones, & indulta quocumque &c.* Sed ex Succeſſoribus Romanis Pontificibus nullus ab antiqua receſſit, & facto hujus Controverſiæ examine in Actis ſupra citatæ Congregationis Cardinalium a Clemente X. convocatæ, obſervatum eſt quod nullus eorum qui Congregationi interfuit opinatus eſt, quod ſuppreſſio in Bulla his verbis: *& eorum cauſſa*, revocatæ tantum cenſeri debeant facultates in ordine ad Indulgentias conceſſæ, ſed dixerunt *eſſe revocatas omnes*: perſuaſum ſiquidem fuit eorum ſingulis magnam eſſe vim generalitatis verborum. Hinc eſt quod ipſe Pontifex Benedictus XIV. qui in ſuis Bullis Gregoriana formula non eſt uſus, ſed veterem retinuit in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Convocatis* ſub numero 56. declaravit: *quod ſalvis facultatibus expreſſe, & nominatim exceptis in ſua Bulla, quæ incipit Cum nos nuper, ſuſpenſæ remaneant durante Anno Sancto, extra Urbem, aliæ facultates omnes, & indulta abſolvendi a Caſibus Apoſtolicæ Sedi etiam in Bulla Cœnæ reſervatis, ſive indulgentiarum cauſſa, & intuitu, ſive ob alias cauſſas conceſſa ſint.* Generali itaque huic reſervationi non ſubjiciuntur facultates Tribunalis Officii Inquiſitionis, ejuſque Officialium: Miſſionariorum quoque & Miniſtrorum Congregationis Propagandæ Fidei, quibus potiſſimum conceſſa eſt facultas abſolvendi ab hæreſi illos, qui abjuratis eorum erroribus

Digitized by Google

bus capaces ejuſmodi abſolutionis redduntur: facultates item quæ ab Officio Pœnitentiariæ conceduntur Miſſionariis in locis Miſſionum, earumque occaſione: facultates inſuper Epiſcopis conceſſæ aliiſque Superioribus Antiſtitibus in ſuis reſpective Diœceſibus circa diſpenſationes, & abſolutiones ſuorum Subditorum in caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, pro ut ipſis a Sacra Tridentina Synodo, ſeu alias etiam in publicis a jure communi Eccleſiaſtico, & ab eadem Apoſtolica Sede pro certis Perſonis, & Caſibus indultæ, permiſſæque: & demum præſervantur facultates Superioribus Ordinum Regularium, quæcumque pariter ipſis in Regulares ſibi ſubjectos a Sede Apoſtolica ſunt tributæ.

VIII. Quæritur 3. *In operibus injunctis quidnam opus ſit animadvertere?*

Una ex operibus injunctis eſt *viſitatio Eccleſiarum*. De hac Bonifacius VIII. in citata Decretali *Antiquorum* agens præcepit, quod fiat ſaltem ſemel in die. Hanc locutionis formulam expendentes Theologi in duas abiere opiniones, ut aliqui velint ſingularum Baſilicarum viſitationem fieri debere in uno die: alii vero has viſitationes dividi poſſe dixerunt, hac lege, ut duarum Baſilicarum viſitatio, in uno die, aliarum in altero fieret, ita tamen ut numerus viſitarionum uniuſcujuſque Baſilicæ trigeſimus ſit quo ad Romanos, & decimus quintus quo ad exteros. Quidquid ſit de Conciliatoriali horum verborum declaratione Bonifacio VIII. attributa a Gloſſatore Decretalis, quam melius ſpecialem gratiam appellaſſet, vel diſpenſationem in ſua lege; hoc unum certum eſt, primam Doctorum opinionem verbis Bullæ utpote magis conformem, ita etiam eſſe tutiorem. Nec aliud tenuit Congregatio Cardinalium, cui Innocentius XII. A. 1700. hoc dubium examinandum commiſit, ut videre eſt apud Rigautium in Commentar. ad Regulas Cancelleriæ Tomo 4. reg. 53. n. 22. & in citata notificatione edita a Cardinali de Carpinio: Nec contrariæ opinioni licitum eſt amplius adhærere, ex quo Benedictus XIV. in ſua epiſtola Encyclica ſcripta ad Pœnitentiarios, & Confeſſarios pro Anno Sancto in Urbe deputatos §. 8. proteſtatus eſt viſitationem quatuor Baſilicarum in ſua Bulla *Peregrinantes* imperatam in uno die fieri debere.

IX. Nec illi quæſtioni amplius locus eſt, quam acriter pertractarunt Navarrus de Jubilæo, & Indulgentiis n. 43. Quartus in Tractatu de Jubilæo Anni Sancti pag. 26. & Conſtantinus in ſuo Tractatu de anno Sancto pag. 119. ut innoteſceret quinam venirent ſub his vocibus *Urbis incolæ*, quas poſt Clementem VII. in indictione Jubilæi Pontifices uſurparunt. Utrum ſcilicet illi, qui annum integrum Romæ morati ſunt, quod putavit Navarrus, an illi, qui Romæ minime nati, neque ex ea oriundi, in ea domicilium contraxerunt, in qua ſententia fuit Quartus: aut poſtremo omnes quot quot itineris incommodo caruerunt, quod non diſplicuit Conſtantino. Siquidem Romanorum appellatione, quoad viſitationes Baſilicarum per 30. dies peragendas, Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione *Convocatis* n. 54. definivit quod comprehenduntur omnes, & ſinguli nati, atque habitantes Romæ, ſive etiam nati atque habitantes in Suburbano Vinearum tractu intra quintum ab Urbe Lapidem. Incolarum autem nomine ad eumdem effectum intelligi dixit omnes qui certum aliquod Officium in Urbe continent, ſeu cum ſpe illud obtinendi moram ibidem trahant, ideoque in ipſa quaſi domicilium acquiſiverunt. Omneſque itidem, qui ad eamdem Urbem, vel ad aliquem Suburba-

num

Digitized by Google

num locum intra quintum lapidem ſe contulerunt alia quacunque de cauſſa, quam Jubilæi lucrandi, vel ſi ipſius Jubilæi lucrandi cauſſa ad Urbem acceſſerint, eo tamen animo ſunt, ut per majorem anni partem, ſeu ultra ſex menſes ibi commorentur. Reliquos vero omnes Peregrinorum, aut externorum nomine quo ad viſitationem earumdem Baſilicarum per 15. dies comprehenſos eſſe dixit. Patet etiam ex his Navarrum meliora ſcripſiſſe quam ſcripſerit Benzonius in ſuo de Anno Jubilæi Tractatu lib. 5. dubit. 3. cum ait Natum Romæ qui alio domicilium tranſtulit, & occaſione Jubilæi in Urbem reverſus eſt, non teneri per 30. dies, ſed tantum per 15. viſitare Baſilicas, quia in hoc caſu domicilium prævalere debet origini. Meliora item Boſſio ſcripſerunt Leo puncto 3. de Jubilæo n. 114. & Paſqualigus q. 84. cum negarunt illum, qui ſemel omittat Eccleſias viſitare, adhuc Jubilæum lucrari, petito argumento ex natura conditionis, quæ cum inducat rationem formæ ex cap. *Dilectus* de Præbendis, debet ſtricte ſervari. Conditio autem poſita ſub qua Indulgentia conceditur conſiſtit in numero triginta, aut 15. dierum, deficiente igitur hoc numero, conditio ſimpliciter appoſita a Pontifice deficit, & conſequenter forma Indulgentiæ a Pontifice requiſita. Vanum etenim, & inutile eſt inniti in præſumpta voluntate Papæ, & in ejus æquitate, & benignitate, in qua ſola fundatur Boſſii ſententia, quam exponit in ſuo Tractatu de Jubilæo, Sectione 4. caſu 13. cum obſtat in contrarium expreſſa illius intentio, nec liceat procedere a tacito, vel præſumpto ad expreſſum, ut notat Decius Conſilio 34. quod fundamentum Paſqualigum ipſum urget cum in quæſt. 86. contendit poſſe Eccleſias pluries viſitari, eodem die in ordine ad implendum numerum viſitationum, cum præſcribatur in Bulla, quod Eccleſiæ per 30. dies viſitentur, non vero præſcribantur triginta viſitationes.

X. Caſus eſſe poteſt in illis, qui lucraturi Indulgentiam Romam venerunt, ſed infirmitate correpti, vel nimia egeſtate, vel alia urgenti cauſſa, aut iter, aut injunctas, viſitationes non compleverunt, quibus non ſolum Clemens VI. ut diximus Num. v. ſed etiam Benedictus XIV. indulget, ut poſſint Jubilæum lucrari, ſi fuerint tamen confeſſi, & ſacra Communione refecti, commutata interim Eccleſiarum viſitatione in aliquod aliud pium opus juxta eorumdem ſtatum, & conditionem. Quam gratiam ſub iiſdem conditionibus altera Bulla, quæ incipit *Paterna Charitas* iis quoque elargitur Perſonis, quæ non minoris devotionis ſpiritu incenſæ, vel etiam animarum ſuarum neceſſitatibus impulſæ, Romanum iter avide aggrederentur, ut Sacras Apoſtolorum memorias, & Patriarchales ejuſdem Urbis Baſilicas reſpective viſitantes, permiſſarum abſolutionum, conceſſuque plenarii Jubilæi participes efficerentur, niſi eos, aut ſuſceptum ſanctioris vitæ propoſitum certis locorum ſpatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas detineret, & hujuſmodi ſunt Moniales, Oblatæ, Tertiariæ, Puellæ, atque Mulieres in Conſervatoriis degentes, ubique locorum, & gentium exiſtentes: Anachoretæ item, & Eremitæ, qui in continua, licet non omnimode perpetua Clauſura, & ſolitudine contemplativæ vitæ exercitio dediti, alter ab altero ſeorſum degunt, etiam ſi Monaſtici, aut Regularis Ordinis, & Inſtituti Profeſſores exiſtant. Illi item, qui ex Civilibus, aut Criminalibus cauſſis in Carceribus. etiam Clauſtralibus, non tamen S. Inquiſitionis, incluſi ubique detinentur, vel ex Superiorum quorumcunque præcepto aliquem locum, aut Civitatem Carceris, & Cuſto-

Digitized by Google

rodiæ, ſeu exilii, & deportationis loco, habent, aut Triremibus, ſeu alibi ad opus damnati, eique addicti reperiuntur. Senes tandem ſeptuagenario majores.

XI. Verum non tantum qui ſemel, ſed fieri etiam poteſt, quod qui pluries has Baſilicarum viſitationes omiſerit Jubilæi Indulgentiam, & favores omnes aſſequatur, & hic caſus eſt, ſi ſuperveniat indultum, quo præſcriptus initio viſitationum numerus ad minorem redigatur, quem caſum advertens laudatus Pontifex in ſua Bulla *Convocatis* num. 50. decernit: quod quiſquis ante id Indultum viſitationes peregiſſet, paucioribus numero diebus, quam qui in Indulto præſcribuntur: *Viſitationes a ſe jam peractas utiliter computare poterit ad conficiendum numerum viſitationum hujuſmodi Indulto præſcriptarum, ſuperaddendo nimirum alias, quæ deſint ad explendam ſummam Indulto præfinitam. Si vero eam ſummam, ſeu numerum ante jam explevifſet, vel etiam exceſſiſſet, unum ſaltem diem viſitationi quatuor Baſilicarum præterea adjunget, ut Indulti beneficio frui valeat.*

XII. Quo ad modum hujus viſitationis dubitatum etiam aliquando fuit quid intelligendum eſſet per illa verba Bullæ *Devota viſitaverint*, qualis nempe devotio requiratur in hac viſitatione: utrum illa, quæ tendit ad gratiæ conſecutionem per Sacramentalem Confeſſionem ab illo obtinendam, qui ſe apud Deum reum eſſe cognoſcit peccati lethalis. In Actis Eccleſiæ Mediolanenſis parte 7. hoc Sancti Caroli monitum legitur: *Ante omnia autem unicuique ſedulo curandum eſt ut conditiones a Sanctitate ſua in litteris conceſſionis ipſius Jubilæi expreſſas diligenter obſervet, quoniam minime illud conſequeretur, qui eaſdem non obſervaret. Harum prior eſt, ut vere contritus, & confeſſus ſit, quod unuſquiſque facere debet antequam viſitationes Eccleſiarum incipiat pro majori ſecuritate S. Jubilæi acquirendi. Ob eandem cauſſam ſi quis poſtquam confeſſus eſſet, & Eccleſiarum viſitationem incapiſſet, in mortale aliquod, quod Jeſus avertat, peccatum prolaberetur, mortale peccatum confiteri debet, ac deinceps reliquum dierum numerum perſequi, qui ſupererunt ad completum uſque numerum dictum, quibus quatuor Eccleſiarum viſitatio ab eo facienda erit.* Hanc agendi rationem probatam fuiſſe a S. Antonino patet ex iis, quæ ſcripſit in Summa par. 1. tit. 10. c. 3. §. 5. in fine, advioreſque ex Theologis eamdem tetam agnoverunt: & ſi verborum ordo in Pontificum Bullis adæquata eſſet regula pro ordine factorum, de veritate hujus opinionis nulli liceret amplius dubitare, cum Benedictus XIV. in ſua Bulla *Peregrinantes* viſitationi Eccleſiarum Confeſſionem, & Communionem præmiſerit. Verum cum Theologi omnes in hoc conſpirent tria tantum requiri in Indulgentiis, Auctoritatem in concedente, pietatem in cauſſa, gratiam in recipiente, hinc eſt quod gratiæ ſtatus, ut in ſuperioribus probavimus, pro illo tempore requiretur, quo ultimum opus quis poſuerit, ut Indulgentiam Jubilæi conſequeretur; unde præcedentes Baſilicarum viſitationes pro ſufficienti operum injunctorum complemento haberi, & cenſeri poterunt, non aliter ac optima, cenſebantur olim a Patribus ea, quæ a lapſis aſſumebantur opera, & pœnitentiæ labores antequam abſolutionem obtinerent, cum hujuſmodi opera eſſent moraliter bona, quamquam æternæ vitæ non meritoria, ut piæ ſunt Baſilicarum viſitationes, licet opera inimicorum Dei ſint, quia inimicorum ſunt, qui ſe ad reconciliationem cum Deo comparant, atque diſponunt, ſi ab his cum debitis circumſtantiis

adim-

Digitized by Google

adimpleantur. Ne itaque impoſterum de hac re quilibet dubitaret ſub N.48. ſuæ Conſtitutionis. quæ incipit *Convocatis*, ita ſcripſit Benedictus XIV. *Confeſſionem, & Communionem pro Jubilæo conſequendo injunctas non neceſſe eſt viſitationi quatuor Baſilicarum præmittere. Satis erit, vel in hujuſmodi viſitationum decurſu, vel etiam poſt eaſdem viſitationes expletas, Confeſſionis, & Communionis Sacramentum ſuſcipere.* Vocabulum igitur *Devote*, aut aliud æquivalens, quod in Bullis legitur, cum Navarro de Jubilæo n. 44. dici poterit *ſignificare viſitationes has Eccleſiarum fieri debere bene, & quidem recte, nam licet per aſſerta cum communi. non ſit neceſſarium ut fiant in ſtatu Gratiæ, neceſſarium tamen eſt quod ſint actus boni moraliter*: quare idem Benedictus in ſua laudata Encyclica N. 76. verſus finem ait: *ad injunctum igitur viſitationum opus adimplendum neceſſe eſt ut viſitatio, fiat conſilio, atque animo exhibendi honorem Deo, aut Sanctis ejus, ut tam in itinere, quod ad Baſilicas habetur, quam in eaſdem ingrediendo* (hic obiter notetur quod Sanctitas Sua ſub Num. 49. nuper citatæ Conſtitutionis ait; *ad injunctam Baſilicarum viſitationem perficiendam non opus eſt in eaſdem Baſilicas per Portas Sanctas vel per harum aliquam ingredi. vel egredi*) *modeſte incedatur, atque in hiſce aliquis Religionis actus exerceatur.* Ex quo deduci poteſt quod ſi quis nullo pio fine, ſed mera ductus curioſitate viſitatum Eccleſias ſe confert, aut animi relaxandi, ſeu quod dicitur deambulationis habendæ iter conficit Jubilæum minime conſequitur. Illum vero omnino omittimus, de quo dicere ſupervacaneum eſt, qui in actuali peccato mortali animo ex. gr. alios ad peccatum inducendi Eccleſiam viſitaret.

XIII. Perperam etiam ab aliquibus ſtatuitur per adverbium *Devote* intellexiſſe Pontifices mentales oportere eſſe preces, quas ipſi præcipiunt ad conſequendam Indulgentiam. Vel oportere eſſe vocales; in alterutra ſiquidem verificatur natura Orationis, & utraque tendit ad finem a Pontifice, & ab Eccleſia intentum ſi debito modo fiat, ſive poſtea diuturna ſit ſive brevis oratio. Qua pietate, quo ordine, qua forma prioribus Eccleſiæ ſæculis Stationes celebrarentur docet Tertullianus in libro de Jejunio c. 10. ut neceſſe ſit quod pudore ſuffundantur ii, qui modo deberi ſibi Indulgentias putant, quod oretenus in templis oratiunculas recitent. Imitari igitur primos illos fideles non pigeat, quantum patitur horum temporum infirmitas, ut certius, & quantum eſt ex parte noſtra cum majori efficacia Indulgentiæ fructum conſequamur, & ne quam par eſt in hoc negotio ſcrupuloſius inſiſtamus devotionis noſtræ fauſtum exitum metuentes, declarat Sanctitas ſua in Numero 51. ſæpe repetitæ Conſtitutionis. *Convocatis quod injunctæ piæ preces in ſingularum viſitatione Baſilicarum ſatis erit ſi vocales fuerint*: qui ſola mente ad fines propoſitos orare voluerit laudandus eſt, aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungat.

XIV. Operum injunctorum alterum eſt *Confeſſio*, de qua plura diximus in ſuperiori Capite iv §. 1. quæ collata in hunc locum ſufficiunt ad dubitationem illam tollendam, utrum ſit neceſſaria nec ne ad lucrandum Jubilæum in Anno Sancto. His itaque præſuppoſitis, in ſolutione alterius dubii immoramur, in quo quæritur: Utrum Papa poſſit peccatorum venialium Confeſſionem imponere? & affirmativæ parti ſe ſubſcribit Benzonius de Anno Jubilæi lib 5. cap. 15. dub. 6. ubi hæc ſcribit. *Poſſet autem Papa ſi vellet expreſſis verbis injungere, ut qui Indulgentiam conſequi vellet venialia pecca-*

ca-

Digitized by Google

cata confiteretur, ſicut injungit alia opera ſupererogationis, neque tamen hoc eſſet facere venialia materiam neceſſariam Confeſſionis, ſed cum alias venialia ſint congrua materia Confeſſionis, illam quoque exigeret, ſi vellet in acquiſitione Indulgentiæ. Favent huic opinioni verba, quæ leguntur in Clementina *Ne in agro* de ſtatu Monachorum, quibus Monachis onus imponitur ſaltem in menſe confitendi, quod certe quis non credit imperatum, quia lethalibus culpis ſint irretiti, ſed ut ait Gloſſa *propter Religionis perfectionem, propterquam aliquid debent ad penſum Sanctæ inſtitutionis adjicere*. Favet uſus, imponendi pro Indulgentiis lucrandis opera non alias præcepta ut jejunia, peregrinationes, eleemoſinæ &c. Favet demum Benedicti XIV. auctoritas, qui in ſupra cit. Conſtitutione num. 4. decernit: *Cum Confeſſio Sacramentalis in Jubilæo ſit opus injunctum, peragenda eadem erit etiam ab eo qui ſolis peccatis venialibus teneatur, ſi lucrari Jubilæum velit*. Ex his vero non ſequitur, quod teneatur quis confiteri omnia peccata venialia, ut tenetur confiteri omnia mortalia, & ratio evidens eſt, quia omiſſio etiam voluntaria venialium non irritat Confeſſionem, quemadmodum nulla eſt, imo ſacrilega per voluntariam omiſſionem peccati mortalis. Nec illud ſequitur quod quis rurſum confiteri teneatur, ſi ante illud momentum in quo fructus Indulgentiæ obtinendus eſt, iterum peccet venialiter, quia peccatum veniale non tollit ſtatum gratiæ, qui ſolus requiritur ad lucrandam Indulgentiam, ut ſupra diximus, licet in hac hypotheſi hoc peccatum veniale impediret integrum Indulgentiæ effectum, niſi alioquin per generalem contritionem tollatur. Iterum confiteri ſolum ille tenetur, qui in facta hypotheſi iterum peccaſſet mortaliter, nec illi ſatis eſſet conteri de tali peccato, quia ex vi verborum Bullæ requiritur confeſſio omnium mortalium, quæ uſque ad tempus Indulgentiæ commiſſa ſunt, quia talis Confeſſio ad Indulgentiam refertur, & totum tempus comprehendit, ut docet Suarez Diſput. 52. Sect. 3. N.7 uſque ad prædictum terminum, & conſequenter omnia etiam peccata intra illud tempus commiſſa, quam doctrinam laudatus Auctor extendit ad illum caſum, in quo quis bona fide oblitus ſit alicujus peccati, cujus tamen recordatur ante lapſum Jubilæi tempus ne fructu Jubilæi defraudetur. Eoſdem caſus Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione notavit, & perpenſis pro utraque ſententia momentis num. 47. ita definivit: *Si quis poſt Confeſſionem peractam in lethale peccatum, quod Deus avertat, inciderit, antequam omnia omnino opera pro Jubilæo lucrando injuncta expleverit, Confeſſionem denuo præmittere debebit prius quam ultimum ſaltem ex aliis injunctis operibus expleat ut Indulgentiam Jubilæo conceſſam conſequatur*. Igitur Contritionis actus ad conſequendum Jubilæum minime ſufficiens eſt; imo neque ſufficere ad alias indulgentias lucrandas, quæ conceduntur vere pœnitentibus, & confeſſis Sacra Indulgentiarum Congregatio ſuper hoc dubio alias requiſita reſcripſit, reſolutionemque Clemens XII. approbavit, ut teſtatur P. Theodorus Congregationis ejuſdem Conſultor in ſuo Opere de Indulgentiis par. 1. cap. 11. a. 5. in fine.

XV. Operum injunctorum poſtremum eſt Sacramentalis Communio, quam ut diximus primus omnium Romanorum Pontificum Benedictus XIV. Confeſſioni adjecit; cum vero quidam ſint, qui per eorum ætatem, ac naturalem mentis captum ad hanc admitti non poſſint, dubitari poteſt an hi Jubilæi capaces ſint?

Non pauci ſunt Theologi, qui difficultatem hanc ſibi dirimendam propoſuerunt cum agerent de injuncta Communione tamquam conditione ad alias Plenarias Indulgentias acquirendas, & communis fuit eorum opinio, quod Indulgentiæ eſſent capaces, illi qui impedimentum haberent ætatis, propter quod a Sacra Communione arcerentur. Ita Boſſius Sect. 4. caſu 20. Hurtadus lib. 9. c. 10. Lavorius parte 1. cap. 21. de Jubil. n. 31. Vaſquez quæſt. 78. Cardinalis de Lugo de Sacram. Pœnit. Diſput. 27. Sect. 7. n. 118. Vanranſt. de Indul. q. 7. n. 32. aliique, qui præterea addunt Confeſſarios facultate carere hoc injunctum opus commutandi, quod in Bulla non comprehendatur hæc facultas, neque inter perſonas, quæ his commutationibus gaudere poſſunt pueri recenſeantur, quia a jure, ſeu a conſuetudine, Pueri Communionem ſumere prohibentur, & relate ad Pueros iſta conditio quod communicent, eſt de jure impoſſibilis, & relate ad illos habetur pro non appoſita; tum etiam quia facultas opera commutandi eſt relate ad eos, qui habent impedimentum aliquod accidentale, & fortuitum, non relate ad perſonas a jure impeditas; unde in Bullis fit mentio Infirmitatis, vel Carceris, & ſubdunt: *aut aliud quodcumque impedimentum*, quæ vox *aliud* appellat ad conſimile impedimentum: ut eruitur ex lege *Quidam relegatus &c.* de rebus dubiis, & notatur a Surdo Deciſ. 265. n. 24. & a Rota deciſ. 91. num. 5. Pro contraria opinione nullus reperire eſt Theologus. Citantur a Paſſerino in tractatu de Indulg. q. 46. aliqui Pontificiæ mentis benigni interpretes, qui Confeſſariis facultatem ineſſe dixerunt cum Pueris diſpenſandi, revera tamen hujus conceſſæ facultatis nullum extat documentum in jure antiquo: Unde mirum eſſe non debet ſi docuerunt Theologi, quod qui communionis minime capaces ſunt, etiam conſequendæ Indulgentiæ incapaces remanet, quod nequeunt præſcriptum ad Indulgentiæ conſecutionem opus adimplere. Ne igitur a tanti Theſauri participatione in poſtremo elapſo Anni Sancti Jubilæo Pueri arcerentur eadem Sanctitas Sua ſub num. 48 nuper laudatæ Conſtitutioni ita ſancivit: *Quamvis injuncta pro hoc Jubilæo Communio ſit, Pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admiſſi fuiſſent, neque intra hunc annum Sanctum Parochi proprio, vel Confeſſarii Judicio admittendi videntur, cenſeri poſſunt ab iſto injuncto opere largitione impediti, eiſdemque Communionem in aliud pium opus arbitrio Confeſſoris præſcribendum, commutari permittimus*. In ſimilibus itaque caſibus hac facultate opus erit ſi Pueri lucrari debebunt Indulgentias, quia Indulgentia quælibet ſolum operatur juxta voluntatem concedentis, quæ exprimitur per formam, ſive per conceſſionem ejuſdem; Conceſſio autem, quæ conditionata eſt, non impleta conditione nihil operatur, quia conditionalis non impleta conditione nihil ponit in eſſe. Neque enim placet illorum ſententia, in qua dicitur aliquid de Indulgentia illum conſequi, qui partem injuncti operis implet, nam niſi hoc ipſum in conceſſione Indulgentiæ exprimatur, ſatis non eſt ad aliquem fructum ratione talis Indulgentiæ conſequendum. Siquidem conceſſio, quæ unita eſt ſub tali determinata conditione, eſt etiam indiviſibilis, conſequenter qui totum opus impoſitum non implet, nihil conſequitur, quia non implet conditionem, ex vi cujus nihil illi promiſſum eſt, qui partem implet. Neque placet aſſerere quod Actio unius principalis agentis poſſit alteri prodeſſe ad Indulgentiam, itant poſſit unus pro alio Jejunare, Orare, Templum viſitare, & Sacramentalem Com-

mu-

munionem recipere, niſi id eruatur, ex forma Indulgentiæ, quæ tamen ſolet requirere ut opera injuncta ab ipſo lucrante fiant, hoc eſt perſonaliter impleantur ab eo qui lucraturus eſt Indulgentiam per ſe ipſum, quia proprie loquendo tale opus non fit ab aliquo, quando per alium fit. Idem vero dicendum non eſt ſi opus injunctum per alium fiat tamquam per inſtrumentum, quod nomine alterius operatur, quo modo aliquis eleemoſinas largitur per ſuum famulum, quia tale opus vere, & abſolute eſt ipſius Domini, famulo autem materialiter attribuitur, nihilque refert, ſive in gratia, ſive in peccato, ſive hac, ſive illa intentione operetur ut ipſius Dominus Indulgentiæ effectum obtineat, quia in eo non attenditur niſi ipſa executio, quæ eſt quaſi actio exterior Domini præcipientis, in quo tantum neceſſaria eſt gratiæ diſpoſitio pro eo tempore, quo applicandus eſt fructus Indulgentiæ.

§. III. *De facultatibus, & favoribus Pœnitentiariis, & Pœnitentibus reſpective conceſſis in Jubilæo Anni Sancti.*

XVI. Quæritur 4. *Quantum proſint facultates Pœnitentiariis conceſſæ, & ad quid ſe extendant durante Jubilæo.*

Agens de his facultatibus Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione *Convocatis*, ſubſequentes Pœnitentiariis per Majorem Cardinalem Pœnitentiarium deputatis, conceſſit, videlicet 1. quod abſolvere poſſint per ſe ipſos tantum, & in Foro dumtaxat Conſcientiæ quaſcumque perſonas ſibi confitentes, etiam Regulares cujuſcumque ſint Ordinis, Congregationis, & Inſtituti a quibuſcumque ſententiis Excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis Cenſuris a Jure, vel ab homine, etiam Summo Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ quomodolibet, & ſpecialiſſime reſervatis, & a Sacris Canonibus fulminatis, quamvis publicæ in partibus ſint, & quamvis deductæ, aut nominatim declaratæ, ac denunciate in eiſdem partibus ſint, & quamvis incurſæ propter hæreſim formalem externam, dummodo tamen pœnitens neminem habeat hæreſis complicem, prævia coram ipſo Confeſſario abjuratione ſecreta: atque etiam pro caſu, quo pœnitens habeat quidem hæreſis complicem, vel complices, ſed hujuſmodi complex, ſeu complices in Regionibus ubi hæreſis impune graſſatur exiſtant, & degant. Nec non ab omnibus peccatis, & exceſſibus quantumcumque gravibus, & enormibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

2. Quod omnia, & ſingula ſimplicia vota, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervata, etiam jurata, in quibus non agitur de præjudicio tertii commutare diſpenſando poſſint in alia pia opera, & quo ad votum perpetuæ Caſtitatis, & Religionis, nonniſi cum mulieribus tantummodo ad effectum nubendi ob periculum incontinentiæ, vel ob timorem pudicitiæ, aut ad effectum vitam tantum cœlibem in ſæculo ducendi, vel dote ſufficiente ad ingrediendum Religionem careant, vel Religionis onera ſufferre rationabiliter diffidant.

3. Quod diſpenſare poſſint ſuper irregularitate occulta, & violatione Cenſurarum, dumtaxat contracta, cum Sacerdotibus, aut in Sacris conſtitutis tam Sæcularibus, quam Regularibus: item in impedimentis matrimonii pro foro tantum Conſcientiæ, vel ignoranter cum impedimento (dummodo hoc occultum remaneat) ſecundi, & tertii, vel tertii ſolum, aut tertii, & quarti gradus Conſanguinitatis, vel Affinitatis ex copula tamen licita prove-

 nientis

nientis matrimonium jam contraxerunt: vel cum illis, qui a Dataria Apoſtolica diſpenſationem obtinuerunt ſuper aliquo impedimento publico, & præ verecundia copulam inter eos ſecutam in eadem Dataria tacuerunt, dummodo non ſit primus, & ſecundus, vel ſecundus tantum gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, & dummodo nullitas prædictæ diſpenſationis ex hujuſmodi reticentia proveniens occulta ſit: vel cum illis, qui impedimento derimente occulto tam primi, & ſecundi, quam primi tantum, aut ſecundi tantum gradus affinitatis ex copula illicita provenientis, tam ad remanendum in matrimonio, quam ad illud contrahendum: quod diſpenſare item poſſint pro eodem foro, & quo ad eumdem effectum ſuper impedimento criminis occulto, neutro tamen machinante, ideſt quando ſolum concurrunt adulterium, & fides data de matrimonio contrahendo poſt conjugis mortem; & quod poſſint quandocunque opus fuerit pro foro Conſcientiæ legitimare prolem, non tamen ex adulterio ſuſceptam: quod etiam diſpenſare poſſint ad petendum debitum in caſu affinitatis inceſtuoſæ matrimonio ſupervenientis: tum ad petendum tantum debitum cum illis, qui cum voto ſimplici Caſtitatis matrimonium contraxerunt: Item ſuper viſitatione Baſilicarum cum Civibus, & incolis Romanis, qui morbo, vel aliquo legitimo impedimento detenti ſunt, & cum exteris, qui vel ob paupertatem, vel ob aliam urgentem cauſſam in Urbe remanere non poſſunt, vel reducendo, quo ad exteros ad tres ſaltem dies, viſitationes earumdem. IV. Baſilicarum, vel quo ad utroſque viſitationes præſcriptas in alia pia opera commutando, quæ illorum poſſibilitati proportionata eſſe videantur.

Eadem Sanctitas Sua limitavit has facultates Confeſſariis a Cardinali Vicario deſignatis, ceteriſque Confeſſariis Regularibus, qui ab eodem Cardinali Vicario, ſeu ipſius Viceſgerente adprobationem ad audiendas Confeſſiones habuerunt; ſiquidem Prioribus facultatem quo ad abſolvendum a Cenſuris, ad occultas tantum extendit, & quæ non ſint incurſæ propter hæreſim formalem externam etiam occultam, quo vero ad diſpenſandum, voluit tantum poſſe diſpenſare circa viſitationes quatuor Baſilicarum. Confeſſariis vero Regularibus conceſſit, ut prædictis facultatibus uterentur tantum erga ſolos proprii reſpective Ordinis pœnitentes Religioſos, cum quibus in Sacris Ordinibus conſtitutis, poſſe etiam diſpenſare conceſſit ſuper irregularitate ob Cenſurarum violationem contracta, dummodo eſſet occulta.

XVII. His prænotatis circa facultates a Pontifice Confeſſariis conceſſas pro anno Jubilæi ſequitur. 1. Quod ut quis ab occultis incurſis cenſuris abſolvatur, parti læſæ primo ſatisfacere tenetur, aut jurare ſe ſatisfacturum cum primum poterit. Læſa pars eſt Perſona immediate offenſa; quod ſi damnum illatum in alios diffundatur ſingulis his ſatisfaciendum erit antequam delinquens a Cenſuris abſolvatur: quod verum eſt dummodo impotentia non excuſet, qua probata, ſicuti non retardatur abſolutio in foro externo ex capite *qua fronte* de appellationibus, ita non negabitur in foro interno, dummodo ligatus cenſura paratus ſit ad ſatisfacendum quamprimum poterit: ſiquidem excommunicatio non plus obligat ad ſatisfaciendum, quam obliget præceptum juſtitiæ, quod impotentes excuſat, qui abſolvi poſſunt etiam ſi non ſatisfecerint, puta, ſi res ablatas non reſtituerint. Ex hoc vero quod Summus Pontifex præcipit in laudata Conſtit. n. 27. juratoriam cautionem antequam Pœnitens abſolvatur falſa redditur Navarri, Boſſii,

Digitized by Google

ſi, Henriquez, & illorum omnium ſententia, quæ hanc cautionem ſolum pro foro externo requirit, non ſecus ac falſa eſt altera ſententia, quæ docet clauſulam, qua utitur Pontifex *ſatisfacta parte* non tradere formam ſervandam, ſed ſolum monitionem de eo, quod faciendum eſt, quia dum hoc exprimitur a Pontifice, ſenſus ſit conditionatus ex l. *a Teſtatore* ff. de condit & demonſtrat. ut demum falſum eſt tam dicere ſufficere ſi excommunicatus proponat ſatisfactionem, quia verba Bullæ id ſignificant quod ſonant, quam aſſerere facultatem abſolvendi a Cenſuris in Jubilæo limitari ad reincidentiam, quia in hypoteſi illius, qui juravit ſatisfactionem, & poſtea non ſatisfecit reincidentia non habet locum, ut neque habet in quocunque alio caſu, niſi in jure exprimatur, argumento cap. *ad reprimendam* de Officio Ordinarii, & hanc reincidentiam Summus Pontifex vult in illo, qui abſolutus a Cenſuris ob violationem Clauſuræ incurſis, impoſitam prohibitionem non accedendi impoſterum ad quævis Monaſteria, & Eccleſias Monialium non ſervaverit, ut decernit n. 28., & in caſu etiam, quem n. 6. exponit, quando contracta cenſura prodiit nominatim ab homine, ſeu a quocumque Judice de partibus, a qua, qui abſolutionem obtinuit ad effectum dumtaxat conſequendi Indulgentias Jubilæi, prohibetur ne illi detur teſtimonium abſolutionis, & Confeſſionis, quod numero 5. illi concedit, qui abſolutus eſt a Cenſuris in jure latis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, quamvis publicæ in partibus ſint, quamvis deductæ, aut nominatim declaratæ, ac denunciatæ in iiſdem partibus ſint per locorum Ordinarios, aut alios quoſcumque Judices, & inferendum decernit in ſupplici libello per abſolutum Pœnitentem conficiendo, expreſſo ejus nomine, cognomine, ejuſdemque Diœceſi, & caſu hujuſmodi publicæ Cenſuræ ſubjecto ad effectum deferendi libellum eumdem ad Officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ, ut recipere poſſit Breve in forma ***Miſſi***, vel *remiſſi abſoluti* juxta praxim ejuſdem Officii Pœnitentiariæ.

Ex hoc etiam quod in laudata Bulla dicatur Abſolutionem a Cenſuris prodeſſe tantum pro foro interno, inferri non debet, quod occulta Cenſura a qua quis in vi harum facultatum fuit abſolutus ſi tractu temporis innoteſcat, Pœnitentem in foro externo non afficiat, ſiquidem pro hoc foro abſolutio illa eſt nulla, neque ſecundum Avilam part. 2. c. 7. diſp. 3. alioſque tenetur Judex intuitu atteſtationis Confeſſarii de abſolutione præſtita hanc abſolutionem pro foro interno collatam acceptare. Prodeſſe poterit eadem abſolutio in caſu, quod Judex ex ſua benignitate velit illam admittere, quando ſufficienter illi conſtiterit revera eam pro foro interno fuiſſe collatam, & hoc profecto conſtabit per teſtimonium Confeſſarii, qui de licentia Pœnitentis hoc teſtetur, cui teſtimonio credendum eſſe Suarez, Boſſius aliique dicunt propter hoc, *quia in iis, quæ nemini nocent, & alteri proſunt unus teſtis ſufficit* ex cap. *Parvulis* de Conſecrat. diſt. 4. & maxime cum teſtis eſt omni exceptione major, & ex Officio teſtatur cap. *ad audientiam* de præſcriptionibus, in quo dicitur quod *Officiali creditur in iis, quæ ad officium ſuum ſpectant etiam ſi ſit ſolus*. In hypotheſi igitur quod Judex hoc probationis genus non admittat, qui abſolutus eſt in foro interno ſe geret in foro externo ac ſi eſſet excommunicatus, donec ſufficienter ſe fuiſſe abſolutum non probabit, unde ſi fuerit Sacerdos abſtinebit a celebratione Miſſarum ad evitandam in eodem externo foro irregularitatem.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Sequitur 2. non eſſe aſſentiendum illis, qui docent quod cum in Jubilæo conceditur facultas abſolvendi a reſſervatis in Bulla *Paſtoralis* Regiminis conceditur etiam facultas illum abſolvendi, qui interius Fidei articulo diſſentitur, ſuumque diſſenſum aliquo exteriori ſigno pandit, quin tamen idcirco ſit ad forum judiciale deductus. Nulla enim habent momenta niſi valde ambigua, & quæ legitima eſſe omnino non conſtat, qualia ſunt, quod Pœnitentieria ita reſcripſerit ex relatione Filliucii tract. 8. n. 265. an. 1617, occaſione Jubilæi a Paolo V. conceſſi, & ita in praxi ſervarit: e contra vero noſtra ſententia efficaciſſimis fulcitur documentis, inter quæ illud eſt, quod in *Generali conceſſione ea non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veroſimiliter conceſſurus*, ut dicitur in cap. *in generali* de Regulis Juris in 6., & præcipue Alexandri VII. decretum ſub die 23. Martii 1656. in quo Pontifex inhærendo declarationibus alias a Prædeceſſoribus ſuis factas, ad removendam omnem dubitandi occaſionem, & ne circa id impoſterum ullo tempore hæſitari contingat, cum crimen hæreſis præ ceteris graviſſimum, ſpeciali nota dignum ſit, voluit facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus, non cenſeri comperehenſam, niſi expreſſis verbis concedatur. Et certe volunt illi Theologi quod conceſſio abſolvendi a reſervatis omnibus non inferat facultatem abſolvendi a Caſibus Bullæ Benedictinæ, niſi id exprimatur propter ſtrictam, & ſpecialem reſervationem, quam habent prædicti caſus; ita pariter quia caſus hæreſis habet reſervationem ſtrictiſſimam, ita ut nec ipſi Epiſcopi pro foro conſcientiæ illum poſſint abſolvere, ut S. Pius V. & Gregorius XIII. de hac re interrogati indubitanter reſponderunt: nulli præter Papam hodie integrum eſſe quemquam abſolvere ab hæreſi etiam occultiſſima, & ſæpe deciſum eſt a Sacris Urbis Congregationibus, ut tradiderunt Penna in notis ad Eymericum 3. p. q. 92. Comment. 141. §. *Equidem*, Albitius in ſuo Tractatu de incoſtantia in fide cap. 25. n. 4. & ſequent. Fagnanus in cap. *Quoniam* n. 29. de Conſtitut., & Petra in Commentar. ad Conſtit. 18. Innocentii IV. tom. 3. n. 19., & ſequent. Caſus inquam hæreſis non veniet in generali conceſſione caſuum Bullæ *Paſtoralis &c.* Unde tam Sixtus V. an. 1589. quam Clemens VIII. an. 1594. cum conceſſerunt Caſus Sedi Apoſtolicæ reſervatos, in ſpecie etiam crimen hæreſis conceſſerunt, & noviſſime ut dictum eſt Benedictus XIV. eumdem in ſpecie conceſſit Pœnitenriariis per majorem Cardinalem Pœnitentiarium deputatis, licet ſub aliquibus limitationibus.

Quod dictum eſt de crimine Hæreſis non creditur extendendum ad crimen illorum, qui receptatores, & fautores quomodocumque hæreticorum nuncupantur, quia hoc crimen aliud eſt a crimine hæreſis, quod errorem continet contra fidem in intellectu cum pertinacia voluntatis, quare hujus exceptio extendi non debet ad illud, quod licet hæreſim concernat, proprie tamen non eſt hæreſis. Conſequenter Schiſmaticus purus. hoc eſt non habens admixtam hæreſim, Jubilæi tempore poterit abſolvi, ut abſolvi poterit ille, qui exterius tantum fidem negat, aut fingit ſe eſſe hæreticum excluſo errore in intellectu; ſiquidem lata excommunicatio contra hæreticos, delictum conſummatum requirit, & quamquam hi excommunicentur, excommunicatio hæc alia eſt ab excommunicatione hæreticorum, nam non ut hæretici excommunicantur, ſed ut fautores hæreticorum, & hæc excommunicatio inter illas recenſetur, a quibus Jubilæi tempore quiſque poteſt abſolvi

Digitized by Google

ſolvi præſuppoſitis facultatibus, de quibus dictum eſt ſupra. Extenditur etiam hæc facultas abſolvendi ad crimen illud, quod committitur quando aliquis in fide hæſitans mere negative ſe habet, neque poſitive, & cum pertinacia vult dubitare in rebus fidei, qui ſolus in capite 1. de hæreticis infidelis dicitur, quia qui ita dubitat non eſt vere diſſentiens in rebus fidei, ſine quo diſſenſu non ſtatuitur hæreſis: quare Paſqualigus quæſt. 231. hujuſmodi hæſitantem in fide vult poſſe etiam extra Jubilæum abſolvi.

XIX. Sequitur 3. quod harum facultatum beneficio gaudere ii non poſſunt, qui cenſuris irretiuntur propter unumquemque illorum quatuor caſuum, qui in Benedictina *Paſtoralis &c.* continentur, cum earum quælibet ſoli Pontifici reſervetur ab eodem Benedicto XIV. in Bulla edita idibus Aprilis an. 1744. quæ incipit *Paſtor bonus*, in qua agitur de facultatibus Majori Pœnitentiario conceſſis, & de officio Pœnitentieriæ, ut pote qui caſus excipiuntur in laudata Bulla *Convocatis* ſub num. 24. ubi dicitur *quod ſi aliquis ex his contingat onus erit majoris Pœnitentiarii ad quem Pœnitentiarii minores, & Confeſſarii recurſum habebunt Apoſtolatum noſtrum ſuper illis conſulere*.

XX. Nequaquam vero, ut patet ex n. 4. Benedictinæ Conſtitut. *Convocatis* impeditur abſolutio Conjurationis contra Pontificis Perſonam, ejuſque Statutum, adulteationi, literarum, & Commiſſionum Apoſtolicarum: translationis armorum, aliarumque rerum vetitarum, ad loca, & regiones Infidelium, & injectionis manuum violentarum in Cardinales, Epiſcopos, alioſque Prælatos, & Superiores Eccleſiaſticos, quamquam horum caſuum exceptionem fecerint Alexander VI. in Conſtitutione, quæ incipit *Cum in principio*, & Clemens VIII. per Annum Sanctum, quem ipſe celebravit in Conſtitutiotione cujus initium eſt *Paſtoris æterni*; deinde Paulus II. in Conſtitutione *Etſi Dominici gregis* ſub titulo de Penitent. & Remiſs.

XXI. Peccata etiam Epiſcopo, aliiſque Prælatis inferioribus reſervata in vi facultatum Anni Sancti abſolvi poſſunt, cum Pontifex tribuat facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus, a quibus ipſe poteſt, & hic valet illa ratio quæ exponitur in lege *Filius familias* D. de donationibus, quod nimirum conceſſo majori, conceſſum etiam intelligitur illud quod minus eſt, ſi in illo majori comprehendatur, cum itaque in Bulla Anni Sancti Papa concedat, ut ab exceſſibus omnibus, etiam enormibus Pœnitentes abſolvantur, profecto etiam concedit quod abſolvantur, ab illis exceſſibus, quorum abſolutionem ſibi reſervarunt Prælati inferiores, præſertim cum Bulla caſus hos non excipiat, ut alios excipit, auferendo Pœnitentiariis, aliiſque Confeſſariis juriſdictionem ne ab illis abſolvant. Exceptionem hanc jam audivimus a Pontifice factam in aliquibus Cenſuris, addimus modo aliam, quam legimus ſub numere 23. ejuſdem Bullæ *Convocatis*, ubi Pontifex dicit quod nequaqnam etiam conceſſa unquam intelligatur auctoritas abſolvendi perſonam complicem in Peccato turpi, & inhoneſto, quamvis alio tempore communis opinio ſtaret pro ejuſdem abſolutionis validitate, & nulla eſſet lex, quæ illius invaliditatem induceret. Cum igitur nihil dicat de Reſervatis Ordinariis, locorum, concedens facultatem generalem abſolvendi a reſervatis, etiam ab hujuſmodi reſervatis abſolvendi tribuit facultatem, maxime quia facultas hæc eſt pro unica vice, nec ſe habet per modum legis, ſed per modum diſpenſationis, quæ cum univerſalis ſit, ſe extendit ad omnia. Et

quod

quod dici poſſet in contrarium, videlicet legem univerſalem non derogare ſtatutis particularibus hic non habet locum, quia non eſt paritas inter legem univerſalem, & diſpenſationem pariter univerſalem, quæ eſt pro una vice, e contra vero illa eſt perpetua, & in caſu obeſſe poſſet auferendo quæ neceſſaria ſunt pro utilitate alicujus Communitatis. Nec obſtat etiam VIII. Clementis Statutum *neminem poſſe abſolvere a reſervatis Ordinariis locorum prætextu cujuſcumque privilegii, aut facultatis*, quia Pontifex ibi loquitur de Privilegiis, & facultatibus particularibus, quæ certe non debent Epiſcoporum juribus officere, non vero loquitur de privilegiis, & facultatibus, quæ proveniunt a Jubilæo, & univerſali diſpenſatione, quæ pro una vice datur, & ex cauſſa urgentiſſima. Patet itaque quod tempore Jubilæi Anni Sancti poteſt quis a peccatis omnibus, quibuſcumque, etiam reſervatis abſolvi: quod dicitur etiam de illis reſervatis, in quæ aliquis incidit in ſpem Jubilæi, cum talia peccata ſpecialem non habeant reſervationem, ut advertit D. Thomas 2. 2. q. 1. a. 1. ad 3. & tam de illis, quæ poſt Jubilæi publicationem commiſſa ſunt, licet Gloſſa in Extravaganti *Antiquorum* de Pœnit. & Remiſs. contrarium tradat, quia facultas, quæ Jubilæi tempore conceditur ampliſſima eſt nec limitatur ad illa ſpecie, & tempore perpetrata peccata. Ab illis exceſſibus, Cenſuris, & reſervatis peccatis non impenditur abſolutio in quæ quis incidit poſtquam Jubilæum lucratus eſt, etiamſi nonnulli Theologi aliquando contrarium defenderint, ut videre eſt apud Vivam de Jubilæo q. 11. a. 3. n. 3. hoc fundamento, quod quilibet toties lucrari poteſt Jubilæum, quoties injuncta opera implet, quod fundamentum licet ſit verum, illud tamen quod ex hoc infertur non admittitur, quia Sanctitas Sua hoc prohibet in numero 52. nuper citatæ Conſtitutionis his verbis: *Nos habita ratione annui ſpatii, ad quod hujuſmodi Jubilæum protenditur, ita de Apoſtolicæ liberalitatis plenitudine concedimus, & indulgemus bis, aut pluries Jubilæum poſſe lucrari, hoc tamen declarantes neminem poſſe niſi ſemel, ideſt prima tantum vice frui, ſeu potiri favoribus huic Jubilæo adjunctis*: quare poſt primam vicem nullus gaudere amplius poteſt beneficio, aut abſolutione a novis Cenſuris, & caſibus reſervatis, de novo fortaſſe contractis, aut commutationem, aut diſpenſationem in facultatibus ſuperius poſitis contentarum. Gaudebit favoribus Jubilæi ille, qui in vi ejuſdem abſolutus a peccatis quorum meminit abſolutus directe non fuit a reſervatis, quorum fuit oblitus, & id continget quando extra Jubilæum hæc peccata clavibus ſubjiciet, non enim neceſſe eſt, quod is tunc adeat Confeſſarium, qui hac facultate gaudeat abſolvendi a reſervatis, ſed abſolvi poterit a quocumque habente juriſdictionem abſolvendi in foro pœnitentiæ a peccatis, & ratio eſt, quia per abſolutionem vi Jubilæi collatam penitus tollitur peccatorum oblitorum reſervatio, ut communiter docent Doctores contra paucos, quibus arridet contraria ſententia, ideo vero tollitur, quia licet talis Pœnitens abſolutionem a Reſervatis explicite non petat, petit tamen interpretative, nam proculdubio illam peteret, ſi reſervata menti occurrerent; & præterea abſolvens, abſolutionem confert quoad ejus fieri poteſt, poteſt autem reſervationem oblitorum tollere, de facto ergo illam tollit. Licet indirecte, quemadmodum indirecte tollit culpam oblitorum. Neque ex hoc ſequitur Sacerdotem, judicare de peccatis oblitis, ſed ſolum ſequitur, quod permittit judicium inferioribus, qui per accidens poſſunt judicium fere ſuper peccatis reſerva-

Digitized by Google

ſervatis, quando Pœnitens eorum recordatur, & eadem clavibus ſubjicit, & ita ſalvatur Trident. Concilii ſententia, quæ exponitur in Cap 5. Seſſ. XXIV. ubi dicitur: *quod nullus poteſt proferre ſententiam abſolutionis, niſi cognita cauſſa*, nam Confeſſarius Jubilæi non profert ſuper oblitis ſententiam. ſed ſolum aufert onus adeondi pro abſolutione ad Superiorem, unde poſſit in ea cauſſa quilibet Confeſſarius iudicare.

XXII. Quod de his Abſolutionibus dictum eſt hactenus, valet ſi Pœnitentiarii, aliique Confeſſarii in his impendendis ſua facultate utantur, cum iis Pœnitentibus, qui ſerium Jubilæi acquirendi conſilium, & propoſitum habent, & qui ad injuncta opera pro eiuſdem conſecutione adimplenda parati ſunt, *Gratia non conceditur*, ſcribit Suarez de Religione Tom. 2. lib 6. c. 16. num. 6. *niſi in ordine ad hunc finem, & per modum praeparationis ad effectum Jubilæi*: ergo qui non habet animum implendi, & obtinendi Jubilæum, non poteſt gaudere facultate, & licet non probetur pactum explicitum. ſufficienter probatur implicitum, quaſi intrinſece, & ex natura rei incluſum in tali actione, ſeu miniſterio, ut recte, & fideliter fiat; nec videtur dubium quin hæc ſit præſumpta intentio Pontificis talem facultatem concedentis. Quam dixit Suarez eſſe præſumptam intentionem Pontificis, nos claram, & explicitam dicimus, quod conſtat legenti verba citatæ Conſtitutionis ſub numero 34. Ex hoc tamen non ſequitur, quod ſi is, qui antea in animo ſibi propoſuerat omnia, quæ ad hunc finem neceſſaria ſunt adimplere, conſilium mutet, & præſcripta opera non adimpleat, in Cenſuras, a quibus abſolutus fuit, reincidat, ac cbtentæ in caſo ab eo votorum commutationes, ac diſpenſationes abolitæ intelligantur; nam ita ſenſit Sanctitas Sua loco cit. num. 54. Abſolutio enim non datur ad reincidentiam, ſed abſolute, hunc tamen peccare graviter laudatos Suarez Diſpot. 31. de Pœnitent. Sect. 4. Vaſquez, & alii cenſent hac potiſſimum ratione, quam Viva exponit loc. cit. a. 3. num. 2. Quia Pontifex concedit Confeſſariis facultatem abſolvendi a reſervatis ad hoc, ut pœnitens poſſit Indulgentiam Jubilæi lucrari, atque adeo concedit facultatem illam tamquam medium ad talem finem: ergo pœnitens acceptans hæc media, conſentit tacite in hunc finem. Unde videtur intervenire tacitum pactum inter Pontificem, & pœnitentem; ita ſcilicet, ut Pontifex concedat huiuſmodi media, & pœnitens ea acceptet obligando ſe ad finem ponendum: ergo ſi abſque cauſſa omittat deinde ponere opera iniuncta, & lucrari Jubilæum, violabit pactum tacitum in re gravi, & conſequenter peccabit graviter.

XXIII. Aliud vero dicendum eſſet ſi abſolutio a Reſervatis, & Cenſuris datur extra Sacramentalem Confeſſionem, aut præmiſſa invalida Confeſſione, ſiquidem in his caſibus hæ abſolutiones eſſent nullæ, cum abſolutio a Caſibus reſervatis extra Sacramentalem Confeſſionem dari non poſſit; cum abſolutio a Cenſuris ſit conceſſa tamquam prævia diſpoſitio ad abſolutionem a Peccatis; cum denique Confeſſio invalida ex defectu actuum Pœnitentis, ex defecto intentionis, vel iuriſdictionis in Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, revera Confeſſio non ſit, e contra vero hanc Confeſſionem requirat Summus Pontifex, qui loc. cit. n. 25. ſic loquitur: *Pœnitentiarii, & reliqui Confeſſarii deſignandi advertant ſupradictas abſolutiones, commutationes, diſpenſationes non poſſe a ſe exercere extra actum Sacramentalis Confeſſionis, neque extra ſuam cujuſque Baſilicam, niſi in caſibus alias ſibi a majore Pœnitentiario permiſſis*,

 vel

vel permittendis, vel in caſu adminiſtrandi Pœnitentiæ Sacramentum alicui infirmo &c.

XXIV. Sequitur 4. quod in vi earumdem facultatum, non commutatio omnium votorum dempto Continentiæ, aut Religionis ſolemni conceditur, quod Privilegium Pœnitentiariis minoribus ad earum preces Alexander VI. conceſſit dum Jubilæum annum celebrabat, ſed hoc tantum eiſdem Pœnitentiariis conceſſum eſt, quod omnia, & quæcumque vota ſimplicia, etiam quinque illa, quæ Apoſtolicæ Sedi ſunt reſervata in alia pia opera commutare diſpenſando poſſint. Scilicet in votis ingrediendi Religionem: perpetuam continentiam ſervandi: peregrinationis ad S. Urbem Jeruſalem: ad Sanctuarium S. Jacobi de Compoſtella: item ad Urbem Romam, viſitandi gratia Baſilicas Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ quinque vota etſi publice facta eſſent, tamen ſimplicia vota vocari oportere intelligimus ex Decretali Bonifacii VIII. in cap. unico de voto, & voti redemptione in 6. in qua Pontifex ſolemnia tantum vocat vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ in ſolemni Religioſa Profeſſione, ſive in Ordinis ſacri ſuſceptione emiſſa, & eadem etiam eſſe reſervata Summo Pontifici habemus, ſive ex conſuetudine, ſive ex Canonica diſpoſitione Sixti IV. in cap. *Etſi Dominici* de Pœnit. & Remiſſ. inter Extravag. Communes; non ſecus ac Summo Pontifici reſervatum eſt, inſpecta Innocentii III. reſponſione in cap. *Niſi cum pridem* de Renunciatione votum perpetuum illius, qui Epiſcopatum accepit, eidemque onus injunctum curæ animarum.

XXV. Ut vero ſenſus intelligatur horum verborum *commutare diſpenſando poſſint* advertendum eſt vocem *commutare* non extinguere obligationem voti, ſed transferre materiam voti in aliam materiam, quæ illi ſubrogatur, verbum *diſpenſare* omnino tollere voti obligationem ſine ulla alia ſubrogatione, ut igitur innoteſcat conditio facultatis, quæ a Papa in Jubilæo Anni Sancti Pœnitentiariis conceditur, utrumque verbum conjungitur, ut ſciant oportere commutationem diſpenſationi miſcere, ne ſcilicet Voto materiam aliam ſubrogantes, majorem, aut ſaltem æqualem exigant, ſed moderatione utantur, ita ut non vereantur, ſi perſonarum conditio, aut alia circumſtantia id exigat, materiam etiam minorem votis ſubrogare. Ponitur *commutare* ut principale (ſic prædictorum verborum ſubſtantiam explicat Sirus ubi agit de facult. minor. Pœnitent. par. 1. c. 6. rub. 2.) & ut acceſſorium jungitur *diſpenſando*, ita ut eſſe debet eſſentialiter commutatio, quæ de ſui natura eſt in majus, vel in æquale, & per acceſſorium diſpenſatio quæ a rigore naturæ ſuæ aliquantiſper recedat; ergo moderata, & non exorbitans debet eſſe inæqualitas materiæ ſubrogatæ in commutatione Voti, cum acceſſoria diſpenſatio ſequi debeat naturam ſui principalis, ſcilicet commutationis, ejus naturam non multum immutando, ne quod acceſſorie ponitur locum habeat principalis, nempe plus diſpenſando, quam commutando, quod eſſet contra intentionem Pontificis, qui facultatem dat Pœnitentiario, ut poſſit diſpenſando commutare, non commutando diſpenſare. Legitimam hujus explicationis indolem demoſtrarunt III. Alexander in ſua Decretali *Venientis* de Voto, itemque III. Innocentius in Decretali *Magna* eodem tit. uterque enim illorum Sedi Apoſtolicæ Votum reſervatum, in alia pia opera diſpenſando commutavit, Votum autem fuerat Hieroſolymam ſe conferendi. Alter erat Clericus, qui ſe huic Voto obſtrinxerat, alter erat Epiſcopus Trecenſis, &

utrumque laudati Pontifices diſpenſarunt ſub his conditionibus, ut Clericus per totum ſuæ vitæ tempus propriis ſumptibus tam in victu, quam in veſtitu pauperem aleret, ſi ad hoc opus ferendum facultates ejus non eſſent impares: Epiſcopus vero, ut omnes expenſas, quas fuerat in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui Religioſo committeret in neceſſarios uſus Terræ Sanctæ ſine diminutione qualibet transferendas, deinde labores etiam laboribus racompenſaret, ſollicitius inſtando vigiliis, devotius vacando orationibus, & jejuniis fortius ſe exercendo, ac ſuper Grege ſuo vigilando ſollicitudine Paſtorali. Satis igitur ex duobus his exemplis indicatum eſt aberrare Theologos illos, qui poteſtatem commutandi vota excludere, inquiunt, poteſtatem ſuper ipſis diſpenſandi, itemque illos qui ex facultate conceſſa diſpenſandi ſuper votis, aſſerebant deduci non poſſe poteſtatem commutandi, præſertim ſi agatur de poteſtate delegata, ut docebat Pignatellus in ſuo Tractatu de Anno Sancto. Sed nunc ſupereſt inquirere utrum ſi neutra hæc facultas expreſſa ſit in Bulla Jubilæi Anni Sancti, adhuc intelligatur conceſſa, & quatenus ſit expreſſa, utrum ſe extendat ad vota etiam juramento corroborata.

XXVI. Reſpondetur ad 1. breviter id non cenſeri conceſſum, quod in ſua Bulla Papa non concedit, juxta regulam: verba Bullæ id ſignificant, quod ſonant. Secus vero dicendum eſſet, ſi a Bulla permitteretur Pœnitentiariis illud, quod majus eſt, nam qui majus vult, ab illo negari id quod eſt minus, nullus ſibi facile perſuadebit, & hoc potiſſimum eſt fundamentum illorum, qui cum D. Thoma 2. 2. q. 29. a. 8. agnoſcentes majus vinculum in vota, quam in juramento,

Reſpondent ad alteram quæſiti partem, illum qui accepit a Papa facultatem abſolvendi a Votis ſimplicibus, poſſe eadem vota juramento firmata diſpenſando commutare; quid quid alii velint, qui cum agnoſcunt in voto per juramentum firmato duo diverſa vincula, voti nimirum, & juramenti, docent facultates conceſſas non poſſe confundi, ſed oportere quod utraque diſtincte concedatur; præferimus enim illorum opinioni clariſſimorum Theologorum ſententiam, Leandri nimirum par. 1. Tract. de Sacram. Pœnit. diſp. 14. q. 101. Azorii Inſtit. Moral. tom. 1. lib. 11. cap. 10. q. 2. Siri loc. ſup. part. 1. c. 6. dub. 4. quam ſuo Oraculo Benedictus XIV. confirmavit loc. cit. n. 8. ubi ſic dicit: *Omnia, & ſingula ſimplicia vota, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervata, etiam jurata commutare diſpenſando poſſint in alia opera pia: tametſi privato juramento confirmata* alibi dixerat, ſcilicet in Conſtitutione *Paſtor bonus*, agens de facultatibus Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, idemque repetit in ſua Encyclica epiſt. numero 44. ubi in hujus conceſſionis exemplum refert ſimilem facultatem Gregorium XIII. conceſſiſſe Confaſſoribus Societatis Jeſu, qui a Paulo III. ſolum obtinuerunt poſſe a votis ſimplicibus abſolvere, verumtamen Sedi Apoſtolicæ non reſervatis, quibus propterea Gregorius conceſſit, firma permanente Pauli III. reſtrictione, ut poſſent a votis etiam juratis abſolvere.

XXVII. Quod dictum eſt de votis juratis, extenditur ad vota de non petenda commutatione votorum, aut diſpenſatione, cum intentio voventium non poſſit reddere hujuſmodi vota incommutabilia, nec privare Superiorem ſua juriſdictione: & generaliter etiam eadem facultas extenditur ad vota Caſtitatis, & Religionis conditionalia, ſive hæc commutatio, vel diſpenſatio quæratur ante, vel petatur poſt conditionem

K 2 imple-

Digitized by Google

impletam, qualia ſunt vota ab illo facta, qui vult ingredi in Religionem ſi ab aliquo periculo eripietur, eo quod motivum hujus voti eſt affectus ad ſerviendum Deo in Religione, & conſequenter tale votum in rigore reſervatum non eſt, aut ſi tale evadit, ex conditionato abſolutum, conditione adimpleta, nihilo tamen minus, quia ab imperfecto principio provenit, de ſe imperfectum eſt, quia ſemper procedit ex affectu materiæ in conditione poſitæ. In his tamen votis advertendum eſt ne particula conditionalis æquivaleat particulæ temporis, & convertatur in illam, quia in hoc caſu votum directe prodiret ex affectu in ipſam Religionem promiſſam, & tunc commutari non poſſet, ut ſi quis diceret voveo Religionem, ſi Pater meus conſenſerit, aut quid ſimile. Reddit etiam commutabilia hæc vota Caſtitatis, & Religionis metus, quamquam levis, qui ea extorſit, aut disjunctiva materia pro voto electa, videlicet Caſtitatis, & Peregrinationis, Religionis, aut ſeceſſus in Eremum, licet ulterius vovens propoſuerit potius Caſtitatem, & Religionem: primo quia etiam metus levis tollit perfectam promiſſionis obbligationem, quia tollit perfectam deliberationem: ſecundo, quia pars in diſiunctione poſita poteſt eligi, & electa cum fuerit reddit votum commutabile, nec propoſitum ad aliam partem eligendam præſuppoſiti voti rationem immutat, quod votum ad commutabilium votorum naturam refertur. Quod ab aliquibus etiam dicitur ſi Peregrinatio, aut ſeceſſus in Eremum reddatur impoſſibilis, quia hæc impoſſibilitas, voti conditionem nec lædit, nec tollit. Subjiciuntur eiſdem facultatibus vota Religionis Ordinum militarium, qui ſolum ſervant Caſtitatem Conjugalem, & juxta nonnullos adhuc votum Religionis in Ordine S. Joannis Jeroſolymitani, eo quod Paupertas, quæ in hoc Ordine vovetur, valde eſt imperfecta. Votum item Religionis laxioris in ſtrictiorem commutari poteſt, *dummodo in commutatione ſervetur proportio debita*; quemadmodum poteſt pro aliquo tempore quoad executionem commutari, quia hujuſmodi dilatio non ſupra voti ſubſtantiam, ſed cedit ſupra temporis circumſtantiam. De juramento Caſtitatis, & Religionis dubitatum eſt utrum in vi prædictarum facultatum hoc poſſit commutari propter hanc regulam, quod *in æquiparatis diſpoſitum de uno, cenſetur etiam de altro diſpoſitum* cap. *poſtquam* de elect. in 6. & leg. 1. ff. de leg. Unde qui cenſent juramentum, & votum de eadem materia æquiparari, quia relate ad Deum ad eamdem obligationem tendunt, negant poſſe commutari. Illi vero Theologi, qui vota, & juramenta de eadem materia æquiparari negant, quod D. Thomas l. ſup. c. dicat majorem eſſe obligationem voti quam juramenti, *quia illa tum ex fidelitate Deo debita oriuntur, tum etiam ex reverentia, hæc vero ex ſola reverentia*, dicunt quod virtute facultatum Jubilæi anni Santi poſſunt commutari, tum etiam quia proprie juramentum non continet promiſſionem, ut illam continet votum, ſed Numinis invocationem in teſtem propoſiti de Caſtitate ſervanda, aut ingreſſus in Religionem. Quod ulterius confirmant, quia animadvertunt quod niſi facultas conceſſa diſpenſandi in votis extendatur ad vota jurata hæc ſub data facultate non comprehenduntur: ita cohærenter, ſi reſervantur in Jubilæo anni Sancti vota Caſtitatis, & Religionis non cenſentur eatenus reſervata juramenta, niſi hæc reſervatio exprimatur.

XXVIII. Cum ſupra diximus in Commutatione votorum ſervandam eſſe debitam proportionem, intelligimus, quod in commutatione votorum attendendum

dendum

ſtendum præſertim eſt, quod magis confert ad ſpiritualem voventis profectum, & ad Dei obſequium, perpenſis omnibus circumſtantiis; unde ut hæc proportio, & æqualitas ſervetur tam virtutis excellentia, quam conditio voventis attendenda eſt. Difficultates etiam per ſe annexæ in operis executione attendendæ ſunt, nam quo majoribus incommodis obnoxia eſt hæc operis executio, eo major exigitur commutatio; & demum attendenda eſt cauſſa ob quam fieri debet commutatio, quæ quo major eſt, eo minor materia debet ſubrogari. Porro materia quæ ſubrogari debet maxime apta cenſetur uſus frequentiæ Sacramenti Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quia per hæc Sacramenta magis voventes proficiunt, & ex eorumdem frequentia majus oritur Deo obſequium. Jejunium quoque Eleemoſina, Oratio mentalis, & vocalis, Eccleſiarum viſitatio, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, materia maxime apta ſunt, in quam vota commutentur, ſed quid expediat ii melius viderint, qui in Sacramentali Confeſſione, extra quam commutari hæc vota non poſſunt, ſtatum Pœnitentis agnoverint, qui his commutationibus, vel diſpenſationibus indigebit, cui tamen nihil ſuffragabitur Votorum pœnalium diſpenſatio, niſi forte circumſtantiæ adſint, quæ aliquam commutationem ſuadeant, & commutatio futura judicetur ejuſmodi, ut non minus a peccato committendo refrenet quam voti materia. Ita Sanctitas Sua l. c. n. 28.

XXIX Sequitur 5. poſt citatam Conſtitutionem Benedicti XIV. quæ numero 4 Pœnitentiariis minoribus concedit facultatem abſolvendi a quibuſcumque ſententiis Excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis Cenſuris, & quæ numero 6. permittit quod diſpenſare poſſint ſuper Irregularitate ob violationem Cenſurarum dumtaxat contracta, & occulta manente, non amplius dubitari poſſe, ut Gonzales docet in Commentariis Decretalis *Quærenti* de Verborum ſignificatione, de carentia facultatis diſpenſandi in irregularitate ex delicto contracta, ſive ſpecies Cenſuræ ſit, ut in loco citato ipſe Gonzales exiſtimavit, ſive non, cum hæc ſpeciali mentione digna ſit, & difficilius remitti conſueverit: non idem vero dicendum eſt de diſpenſatione ab irregularitate contracta a Clerico in minoribus Ordinibus conſtituto, & excommunicato miniſtrante, quod ſcilicet Pœnitentiarii non poſſint cum his diſpenſare; licet enim Summus Pontifex hanc irregularitatem non memoret, tamen quilibet ſatis intelligit, quod ſi concedit, quod eſt majus, nequaquam vetitum velle debet illud, quod eſt minus, quapropter ſi Pœnitentiariis dantur a Pontifice facultates diſpenſandi cum Sacerdotibus, aut in Sacris Ordinibus conſtitutis ſuper occulta irregularitate ob violationem Cenſurarum contractis, eadem facultate uti iidem Pœnitentiarii poterunt cum Clericis, qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti, & Pontifex non erit invitus; ita profecto ſentit Sanctitas Sua, quæ hoc argumentum exponit in ſuis citat. Encyclicis litteris ad Pœnitentiarios minores num. 50.

Non deſunt, & aliæ ad diſpenſandum in foro Conſcientiæ facultates Pœnitentiariis occaſione Jubilæi conceſſæ, quas n. XVI. recenſuimus, ſed de his nihil aliud addendum cenſeo præter ejuſdem Sanctiſſimi monitum, quod legitur ſub n. 51. ſuæ Encyclicæ Epiſtolæ. *Oportere in his quod Pænitentiarii attente conſiderent, quam ipſis, & quibus terminis concluſa facultates illæ concedantur*, ne de miniſterio ſuo in præjudicium animarum ſuorum Pænitentium male geſto ante Dei tribunal rei fiant.

XXX. Sequitur 6. Tempore Jubilæi Anni Sancti, poſſe Regulares in vi facultatum eiſdem conceſſarum ſine Superiorum ſuorum licentia eligere Confeſſarium, vel Sæcularem, vel Regularem alterius Ordinis ab Ordinario approbatum. Plures olim Theologi pro ſententia negativa ſteterunt, tum quia Benedictus XI. in cap. *Igitur juncta* de Privilegiis prohibuit, ne quis Religioſos abſolveret invitis eorum Superioribus; tum etiam quia Gregorius XIII. idem pro Patribus Societatis decrevit, *ne ſcilicet abſque ſuorum Superiorum expreſſa licentia facultatibus Jubilæorum uterentur*. Prævaluit nihil ominus affirmativa opinio, his præcipue fundamentis 1. quia in Bulla Jubilæi Pontifex derogat omnibus Privilegiis cum ampliſſimis clauſulis: *Etiamſi de eorum tenoribus ſpecialis, ſpecifica, ſeu quævis alia mentio facienda eſſet, atque aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret*. 2. Quia Privilegium Jubilæi, eſt tranſiens, favens omnibus, nulli nocens, & aliud a Privilegiis, quæ conceduntur a Bulla, quæ Cruciata nuncupatur, cujus cauſſa ſæpe Pontifices declararunt ſe noluiſſe revocare Privilegia Religioſorum, quæ tamen declaratio non habetur contra Privilegia Bullæ Jubilæi. 3. Quia Privilegium ſpeciale, quale illud eſt, quod concedit liberam Confeſſarii electionem particularibus Perſonis, derogat generali, quod reſpicit immediate Religionem; & hoc magis verum eſſe ſentit Rotarius in Theolog. Morali Regular. tom. 3. lib. 1. c. 1. puncto 2. n. 18. cum Regulares confiteantur minoribus Pœnitentiariis, qui a Papa jurisdictionem habent ſuper ſingulos, qui ad illos accedunt. Deſiit omnis controverſia ex quo Benedictus XIV. Pœnitentiariis Baſilicarum indulſit per ſuam Conſtitutionem ſub n. 16. poſſe abſolvere quaſcumque perſonas ſibi confitentes etiam Regulares cujuſcumque ſint Ordines, Congregationis & Inſtituti, etiamſi ex præſcripto Superiorum, vel ſuarum Conſtitutionum, etiam a Sede Apoſtolica approbatatum, vel alias ex indulto, decreto, aut præcepto Apoſtolico extra propriam Religionem peccata ſua confiteri prohibeantur.

XXXI. Verum non ſolum Pœnitentiariis hæc facultas conceditur, ut Regulares ad ipſos accedentes abſolvant, ſed indiſcriminatim omnibus Confeſſariis ab Ordinariis locorum approbatis, qui abſolvere Regulares poſſunt, quos legitimum impedimentum arcet ab Urbe, & hoc privilegio Moniales ipſas gaudere vult Sanctitas Sua, ut patet ex ejus litteris, quarum hoc eſt initium *Paterna Charitas*; dummodo tamen Confeſſarii electi a Monialibus ſint ex approbatis ab eiſdem Ordinariis ad audiendas earumdem Monialium Confeſſiones. Innutilis modo redditur illorum Theologorum ſententia, qui apud Vivam l. c. q. 9. n. 3. docent approbationem factam ab Ordinario Pœnitentis eſſe ſatis, ut ſic approbatus poſſit eligi in quocumque loco ab eodem, aut ſufficere approbationem factam a quocumque Epiſcopo cujuſcumque loci ſit; aut factam ab Epiſcopo ejuſdem Confeſſarii, nam quælibet harum ſententiarum a Papa repellitur, qui vult eſſe Confeſſarium approbatum ab Ordinariis locorum, in quibus Confeſſiones audiuntur. Ex hoc autem non ſequitur, quod eligi non poſſit in Confeſſarium ille, qui habet Beneficium curatum, utpote qui, licet ab Ordinario loci approbatus non fuit eo approbationis genere, quo alii Sacerdotes per examen approbantur, nihilominus rite eſt approbatus ad audiendas Confeſſiones a jure communi, a Pontifice, ab Eccleſia, & univerſali conſuetudine, nec certe Bulla Jubilæi hanc approbationem excludit, licet a Tridentinis Patribus diſtinguatur ab

illa,

Digitized by Google

illa, quæ habetur per examen, & ſententiam Epiſcopi, cum utraque approbatio comprehendatur ſub approbatione facta ab Ordinario locorum, eo ipſo enim quod aliquis a ſuo Epiſcopo recipit Beneficium Parochiale, ab illo approbatur ad Confeſſiones audiendas, quod valet etiam ſi Beneficium Parochiale conferatur a Legato Pontificis, vel ab aliis, qui poſſunt canonice illud conferre, & multo magis ſi immediate a Pontifice conferatur. Idem dicendum eſt de Canonico Pœnitentiario, qui eligibilis eſt etiam abſque ulla Epiſcopi approbatione, imo licet Epiſcopus non conſenſerit in ejus electionem, quia ratione ſui muneris debet Confeſſiones audire, nec poteſt Epiſcopus diſſentire, ne tale munus exerceat, hoc ipſo enim quod a Capitulo electus eſt, dicitur ab Epiſcopo approbatus, aut approbatus a Pontifice, quatenus ſupremus Ordinarius eſt ejus loci. Si vero tam Parochus, quam Pœnitentiarius ſuo muneri renunciaverint nullus eorum in vi Bullæ Jubilæi poterit eligi in Confeſſarium, quia eorum approbatio non amplius perſeverat.

XXXII. Non putent autem Regulares in vi facultatum Jubilæi Anni Sancti ſine Superiorum ſuorum licentia poſſe Romam proficiſci ad conſequendum Jubilæum, ſed ſciant ſine ipſa venientes peccare mortaliter, quanquam cum Romam pervenerint, ſi hoc peccatum una cum aliis omnibus, vero cum dolore confeſſi fuerint, ac quantum ad conſequendam Indulgentiam præſcriptum eſt, præſtiterint, illam conſequi poſſint. *Perſonis Romam ad hoc Jubilæum conſequendum venire volentibus* (verba ſunt Sanctiſſimi in ſua Bulla cit. n. 43.) *non intelligitur data veniendi libertas ſine obtento, alias neceſſario, ſuorum reſpective Superiorum conſenſu*. Hinc Joannes Ananıa in ſuo Tractatu de Jubilæo. *Non juvare*, ait, *Epiſcopo Jubilæum, qui non obtenta prius a Summo Pontifice licentia ejus conſequendi gratia Romam proficiſcitur, neque Parocho, qui ſine Epiſcopi ſui venia diſcedit, neque viro, qui ſine aſſenſu uxoris, ſi ejus abſentia, & diuturna, & gravis incomodi, aut detrimenti uxori, & familiæ futura ſit. Æque ex hoc capite anomala eſſet*, ut ſcribit Theophilus Raynaudus Tom. 15. ſuorum Operum in Tractatu, qui inſcribitur. *Heteroclita ſpiritualia* pag. 217. n. 13. *Peregrinatio Patris familias, qui cum neceſſarius eſſet domi ad ſuſtentationem familiæ, deberetque quis laborare, & theſaurizare, vellet tamen domo abeſſe, & ad hæc, aut illa ſacra monumenta diſcurſare. Idem pronunciatum eſto de eo, qui obæratus, nec habens aliunde unde ſolvat debita, quam ſi alicubi hæreat, & laboret, eligit tamen viſere loca Sancta*. Optimum itaque eſt conſilium, quod hujuſmodi Perſonis, antequam itineri ſeſe committant opportuna ſuperiorum ſuorum voluntas accedat, ſi Epiſcopi, Regulares, aut Parochi fuerint; ſi vero Laici a Parocho, aut Confeſſario quid ſibi expediat intelligant. Scire etiam oportet omnes quot quot hoc Jubilæum lucrari volunt illos non eximi a ſubeundis ſatisfactoriis, & medicinalibus pœnitentiis a Confeſſariis injunctis, ex eo quod hæc obligatio eſt juris Divini, neque truncari debet Sacramentum pœnitentiæ quadam ſua integrali parte, qualis eſt nimirum jure Divino ſatisfactio ipſius pœnitentia, ut confirmatur ex communi ſenſu, & uſu Eccleſiæ, ſiquidem in nullis Indulgentiis ſolet hæc negligi a Confeſſariis, & Pœnitentibus; imo expreſſe a Pontificibus ſolet requiri, quemadmodum revera hanc exigit Sanctitas Sua in numero 26. laudatæ Conſtitutionis, ut vere pœnitens ille dignoſcatur qui aſſequi Jubilæum conten-

tendit. Sciant præterea ii qui Apoſtatæ ſunt ab Ordinibus, ſeu Religionibus approbatis, in vi prædictarum facultatum eſſe abſolutos ad reincidentiam, ipſiſque prohiberi exercitium ſuorum Ordinum, ſi ſint Sacerdotes, & in Sacris conſtituti, donec ad Religionem redierint, ſuiſque intra Clauſtra Superioribus ſe præſentaverint. Item illos non diſpenſari ſuper inhabilitate contracta ad dignitates, & officia ſui Ordinis conſequenda, qui abſolvuntur a Cenſuris ob ſuam violatam Clauſuram per mulierum introductionem ad malum finem; neque demum illos eximi ab onere reſtitutionis Religioni faciendæ quam primum poterunt, qui munera a Regularibus acceperunt, exceptis rerum medicinalium, ſeu devotionis muneribus, ultra valorem decem ſcutorum monetæ.

XXXIII. Quæritur 5. *Utrum omnes facientes opus ad Jubilæum requiſitum æqualiter fructum ejus conſequantur, magiſque mereantur accedentes ad Urbem ac impediti, ſi per ipſos non ſtat quominus accedant.*

D. Thomas in 4. diſt. 20. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 2. ad 4. dicit *quod ille, qui eſt vicinus Eccleſiæ, & etiam Sacerdotes, & Clerici conſequuntur tantam Indulgentiam ſicut illi, qui venirent a mille dietis, quia remiſſio non proportionatur labori, ſed meritis, quæ diſpenſantur,* quia vero Bonifacius VIII. in Extravag. *Antiquorum* de Pœnit. & Remiſ. hæc ſcribit: *Unuſquiſque autem plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conſequetur qui Baſilicas ipſas amplius, & devotius frequentabit*, non immerito audiuntur Theologi ut id quod quæritur explicetur. Exiſtimant aliqui inæqualitatem eſſe poſſe in effectu Indulgentiarum, quando in forma conceſſionis earumdem non fit pro omnibus eadem conceſſio, ſed plus conceditur pro his, qui plus laborant, vel conferunt, & minus pro aliis: quod verum eſſe idem S. Thomas in loco proxime citato dicit in ſolutione ad 3. & 4. quando datur Indulgentia indeterminate, v.g. qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ, intelligitur tale auxilium quod ſit conveniens ei, qui auxilium dat, & ſecundum illud, plus, vel minus de Indulgentia conſequitur: ſecus vero dicendum eſt, quando in forma conceſſionis Indulgentiæ eadem fit conceſſio pro omnibus. Primus modus innotuit aliquibus interpretibus verborum Bonifacii VIII. qui propterea dixerunt a Pontifice conceſſam fuiſſe pleniſſimam Indulgentiam iis, qui maxima devotione Sanctorum Petri, & Pauli Baſilicas in Anno Sancto, & frequentius viſitaſſent, minorem vero ceteris pro quantitate devotionis, & frequentiæ. Verum ſi attente conſideretur quod Papa promittebat pleniſſimam Indulgentiam omnibus accedentibus reverenter ad dictas Baſilicas, pietatis ſcilicet, & Religionis cauſſa, & iis qui ſi Romani eſſent per 30. dies ſaltem ſemel in die, ſi vero Peregrini, aut forenſes, ſaltem per 15. dies dictas Baſilicas viſitaſſent, nemini jam licebit dubitare de vera forma conceſſionis hujus Indulgentiæ, & de cauſſa adæquata, ſufficienti ad effectum conſequendum totius Indulgentiæ ad quem certe effectum non reſpiciunt citata ex Decretali Bonifacii verba, in quibus difficultas continetur, quæ propterea a Papa proferuntur, non ad fructum exprimendum Indulgentiæ ex opere operato, ſed ut eruat meritum operis operantis, majus in illo, qui frequentius, & devotione prædicta Religionis opera exercet, propter quod certius, & quantum eſt ex parte ſui efficacius ejuſdem Indulgentiæ effectum conſequitur.

XXXIV. Hoc vero Meritum majus locum non habet in caſu propoſito ejus, qui Romam verſus peregrinatur ad Jubilæum lucrandum, & alterius, qui impeditus non accedit, ſed tamen in ſuis actibus interioribus illi omnino eſt æqualis, ſiquidem exterior actio per ſe loquendo non addit novum meritum, aut demeritum actioni interiori, eo quod non competit illi libertas, niſi quatenus ab interiori actione dirigitur, quæ ſola proprie, & formaliter libera eſt, & ſola meriti capax eſt, & demeriti. Accedit inſuper quod apud Deum voluntas ipſa pro facto reputatur, & *affectus magis*, ut ſcribit S. Gregorius in cap. 19. Matth. *quam Cenſus attenditur* cum Apoſtoli dicantur reliquiſſe omnia, qui tamen ſolum Rete ſciſſum reliquerunt, Dixi *per ſe loquendo*, nam per accidens poteſt magis mereri ille qui peregrinatur, quam ille qui non accedit invitus; quia nimirum voluntas illius qui peregrinatur repetit novos actus meritorios internos in itinere, dum peregrinationes moleſtas ſubit, qui actus diu durant, quouſque opus perficiatur. Secundum quod igitur eſt hæc voluntas diuturnior in bono, neceſſe etiam eſt quod ſit melior, & ita per accidens bonitas exterioris actus, quam habet ex bonitate finis, addit ad bonitatem actus interioris. Hanc diſtinctionem ſuppeditat D. Thomas 1. 2. q. 20. a. 4. in corpore. *Reſpondeo dicendo, quod ſi loquamur de bonitate exterioris actus, quam habet ex bonitate finis, tunc actus exterior nihil addit ad bonitatem, niſi contingat ipſam voluntatem ſecundum ſe fieri meliorem in bonis, vel pejorem in malis, quod quidem, videtur poſſe contingere tripliciter: uno modo ſecundum numerum, puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine, vel malo, & tunc quidem non facit; poſtmodum autem vult, & facit, duplicatur actus voluntatis, & ſic fit duplex bonum, vel duplex malum. Alio modo quantum ad extenſionem, puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine, vel malo, & propter aliquod impedimentum deſiſtit, alius autem continuat motum voluntatis quouſque opus perficiat: manifeſtum eſt quod hujuſmodi voluntas eſt diuturnior in bono, vel malo, & ſecundum hoc eſt peior, vel melior. Tertio ſecundum intenſionem; ſunt enim quidam actus exteriores, qui inquantum ſunt delectabiles, vel pænoſi nati ſunt intendere voluntatem, vel remittere, conſtat autem quod quanto voluntas intenſius tendit in bonum vel malum, tanto eſt melior, vel peior.* Igitur ex D. Thoma evidenter colligitur quod voluntas manens in eodem gradu intenſionis, & perſeverantiæ non fit melior cum opere, quam ſine illo, quoties opus ſolum deeſt propter impedimentum, & fieri poſſe intenſiorem, & poſſe magis perſeverare quoties oblata opportunitate operatur, & inde fieri poſſe meliorem, quod erat probandum.

§. IV. *Jubilæi Anni Sancti beneficia, ad Univerſum Orbem Catholicum extenduntur.*

XXXV. Extenſionis Jubilæi Bonifacius IX. communiter auctor reputatur, cum ante ipſum nullum hujus extenſionis ad alias Civitates veſtigium extet, cum ſolum legatur Clementem VI. A. 1350 plenariam Indulgentiam conceſſiſſe Fratribus Ordinis S. Auguſtini Baſileæ in Comitiis Generalibus congregatis. Colonienſi primum Civitati poſt celebratum Romæ Jubilæum A. 1400. eamdem Indulgentiam laudatus Bonifacius IX. conceſſit, ita ut venientes Coloniam, vel ibidem habitantes, & certas viſitantes Eccleſias cum

oblationibus ſuis, poſſent conſequi indulgentias, quæ viſitantibus Urbem Romanam in Anno Jubilæo conceſſæ erant, videlicet pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum. Elapſo anno 1401. ſub eadem forma eamdem Indulgentiam conceſſit Civitati Magdeburgenſi, deinde multis aliis Alemanniæ locis. Bonifacium IX. imitatus eſt Pontifex Nicolaus V. qui expleto Romæ Iubilæo A. 1450. ad inſtantiam illuſtris Ducis Burgundiæ Philippi unum annum, ſub anni Iubilæi Urbis Romæ Indulgentiarum forma conceſſit Oppido Mechlinienſi, ſed necdum Iubilæa Indulgentia ad omnes Civitates Oppida, & Pagos extendebatur, ſed dumtaxat ad unam Regni, aut Provinciæ Civitatem, & quidem ad preces Regias, ac de ſingulari gratia. Harum generalium conceſſionum Exempla poſt Jubilæi celebrationem Romæ peractam habemus ſub Pontificatu Alexandri VI. Cregorii XIII. Clementis VIII. Urbani VIII. Jnnocentii X. Clementis X. & poſtremo Benedicti X V. ut videre eſt in ejus Bulla, quæ incipit *Benedictus Deus* 17. Mai. Tom. 3. Bullarii. Neque uſque ad Sixtum V. ullus Pontificum Jubilæi Indulgentiam ad alias Eccleſias extenderat, niſi tantum in anno, qui ſequebatur immediate annum Jubilæi Romæ abſolutum, neque nota erat alia indictio Generalis Jubilæi ex quacumque cauſa. Primus omnium in initio ſuæ aſſumptionis Bullam Jubilæi publicavit Sixtus V. neque alia anterior hujuſmodi Jubilæi indictio in Bullario occurrit, & hanc indictionem ſequentes Pontifices in exemplum ſumpſerunt. Non ſolum in Pontificatus exordis ad implorandum Dei auxilium pro bono regimine Reipublicæ Chriſtianæ, ſed etiam aliis ex cauſſis ſubſequentes Pontifices Generale Jubilæum indixerunt, inter quos Innocentius XII. Benedictus item XIV. & Clemens XIII. illud iterato publicarunt. Hujus Jubilæi forma, & conditiones eædem ſunt, quas in ſua Bulla Sixtus V. expreſſit, ut dici poſſit Sixtum V. ſucceſſoribus Pontificibus exemplum hoc reliquiſſe. In uno tantum a Jubilæo anni Sancti differt hæc Indulgentia, ſcilicet in ejus duratione per 15. tantum dies, ex quo fit, quod quilibet fidelis aliarum Indulgentiarum adinſtar ſemel tantum illud lucratur, ſi injunctis operibus ſatisfaciat, viſitationi ſcilicet Eccleſiarum, jejuniis trium dierum, & erogationi eleemoſinæ, quantum pro ſua facultate viſum cuique fuerit. Quæ ſingula opera una cum ſacramentali Confeſſione, & Sacræ Euchariſtiæ ſumptione in altera duarum hebdomadarum impleri debent, niſi neceſſitas per Confeſſarium dignoſcenda, aliud agendum eſſe decernat. Quamquam nulla etiam occurrente cauſa Layman, Navarrus, Boſſius, aliique velint injuncta hæc opera, partim una, partim altera hebdomada poni poſſe, quod inferunt ex Verbis Bullæ: *Qui prima vel ſecunda hebdomada Eccleſias viſitaverint, ac feria* 4. 6. *& Sabbato, alterius hebdomadæ jejunaverint, pariterque confeſſi, & Sanctiſſima Communione refecti fuerint, & Eleemoſinas* &c. Nam per hæc verba Pontifices ponunt duo tempora, quibus Jubilæum lucrari poſſumus poſitis operibus injunctis, non vero ſtatuunt unum tempus quindecim dierum, quo poſſint opera præſcripta poni, & dividi, hoc enim operatur particula *vel*, quæ ut notat Gloſſa in caput *cum plures* de Officio Delegati in 6. tribuit actum cuilibet in ſolidum, & facit ſenſum disjunctivum explicatum.

XXXVI. Neque deſunt Thologi qui putant ad opus injunctum Eleemoſinæ Pauperes, & Religioſos non teneri, & jejunia poſſe commutari in tr e Eleemoſinas, ſi Jubilæum celebratur tempore Paſchali. Primum dicunt quia im-

Digitized by Google

impoſſibile videtur illis Pontificem velle obligare impotentem. Alterum dicunt quia Sixtus V. A. 1585. pro jejuniis hanc triplicem Eleemoſinam impoſuit. Sed Alterutra ratio inſufficiens eſt, quia quando conceſſio facta eſt ſub conditione, deficiente conditione, conceſſio habetur pro non facta ex lege *pecuniam* ff. ſi certum petatur; quapropter in primo caſu formalis impotentiæ, tam Pauper, quam Religioſus tenentur petere commutationem injuncti operis, in aliud, quo nil facilius. In ſecundo vero caſu factum habemus contrarium, nam Urbanus VIII. eodem tempore Jubilæum indicens A. 1634. impoſuit conſueta Jejunia, quæ quocumque tempore aſſumi poſſunt, tamquam exercitium voluntariæ virtutis, ut dicitur in cap. *poſt Paſcha*, & in cap. *utinam* diſt. 76. & ut docet innixus auctoritati Hieronymi epiſt. 28. ad Lucinium S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 5. ad 3. ubi ait quod *Jejunium ſecundum ſe conſideratum omni tempore laudabile eſt*: quare ſi concurrat Jejunium Jubilæi cum Feſto ex ſolemnioribus, poterit Epiſcopus in alium diem transferre, non vero in aliud pium opus commutare, ut Urbanus VIII. apud Paſqualigum q. 263. declaravit Iejunium Vigiliæ Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ coincidens cum feſto Corporis Chriſti debere anticipari.

XXXVII. Cum Pontifex dicat tantum eleemoſinæ erogandum eſſe, quantum pro ſua facultate alicui viſum fuerit, ſtatim intelligitur, quod ſi dives tam parvum auxilium tribuat, ut non attingat minimam quantitatem ſibi proportionatam, nihil omnino illum de Indulgentia comparare, quia ſimpliciter non implet conditionem poſtulatam, reſpective intellectam pro ut intelligenda ſupponitur, quod dicendum eſt etiam quando opus Eleemoſinæ indefinite injungitur, ſi tamen forma Indulgentiæ, quæ in ſpecie verborum unica, & indefinita appsret, in virtute, & in ſenſu ſit multiplex, quia tunc includit plures quantitates proportionales reſpectu diverſarum perſonarum juxta earum qualitatem, ſeu facultatem, nam tunc in unaquaque illarum quantitatum intelligitur latitudo incluſa in illa locutione indefinita, quæ exigit majus auxilium a Divite quam a Paupere, quod a praxi quoque alienum non eſt. Si vero ex forma Indulgentiæ proportio hæc non erueretur, tunc minima Eleemoſina, non ſecus ac minima oratio ſufficeret ad implendam conditionem, & conſequenter ad effectum Indulgentiæ acquirendum.

XXXVIII. Quo ad injuncta jejunia notare ſolent Doctores majorem cauſſam requiri, ut hæc commutentur, quam ut quis diſpenſetur in Jejuniis ad quæ fideles Eccleſiaſtico præcepto tenentur, quia lex Eccleſiaſtica etiam nolentes obligat, non ita vero Jejunium Jubilæi ad quod ii ſolum obligantur, qui illud volunt lucrari, ad hoc autem ut Jejunium hoc ſit valde oneroſum major cauſa requiritur quam requiratur in ceteris, quæ ne nimis ſint gravia, lex quæ illa præcipit, præſuppoſita legitima cauſa, obligare ceſſat, & ita ſi cauſa ſenectutis ab Eccleſiaſtico jejunio excuſat, non ſemper hæc ſufficit, ut commutatio petatur a Jejunio Jubilæi, quando nimirum ſine notabili incommodo homo ſenex poteſt Jejunare. Quod multo magis dicendum eſt de adoleſcente, a quo tria jejunia facile impleri poſſunt tempore Jubilæi, ut magna tribulatione imminente in ſignum pœnitentiæ arctioris etiam pueris olim fuiſſe indicta jejunia nos Sacræ litteræ doceant, ſicut etiam de Jumentis legitur Jonæ 3. *Homines, & Jumenta ne guſtent quidquam, nec aquam bibant*: quare ſi adoleſcentibus a Confeſſario cauſa exiſtente dubia hæc jejunia in alia pia opera commutarentur abſque recurſu ad Superiorem

qui

qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi, ipſi Jubilæum non acquirerent; quia ſine facultate inducta eſſet commutatio, quæ facultas ad exiſtentiam legitimæ cauſæ coarctatur.

XXXIX. Quæritur ultimo *an expectanda ſit Jubilæi publicatio facta ab Ordinario loci, ut impleri poſſint Opera injuncta*? Hanc Quæſtionem plerique Theologi, inter quos Buſſius Lectione 4. c. 3. reſolvunt negative argumento petito a natura legum Eccleſiaſticarum, quæ publicatæ in Romana Curia ſtatim omnes obligant, ad quos eorum notitia pervenerit, abſque eo quod in ſingularibus Oppidis, & Civitatibus publicentur. Nihilominus affirmativæ parti longe plures ſe ſubſcribunt Theologi, non ſolum quia hoc exigit praxis, verum etiam quia licet ſit favor perſonalis, præſupponit tamen publicationem, quæ per Ordinarios fit, quia ipſis Ordinariis a Papa jus conceditur deputandi duas hebdomadas, ut patet legenti litterarum Apoſtolicarum exemplar, in quo dicitur: *Qui Eccleſias per Ordinarios deſignatas viſitaverint, & feria quarta, & ſexta, ac Sabbato alterius hebdomadæ ab eiſdem deputandæ jejunaverint*. Nec valet tranſitus a Lege Eccleſiaſtica ad Bullam Jubilæi, quia non reperitur in Superiore eadem voluntas; imo in Jubilæo, eſt omnino contraria, quia non intendit illud elargiri antequam in Diœceſibus publicetur, præſertim in Regionibus in quibus degunt fideles, nam ſi Regiones eſſent infidelium, in hoc ſolo caſu ſufficeret cognitio publicatæ Bullæ in Urbe Roma abſque nova publicatione, ut ipſam non ignorantes poſſent Jubilæum lucrari, obtenta a Confeſſariis permutatione viſitationis Eccleſiarum in alia ſpiritualis vitæ exercitia, cum Eccleſiæ deſignatio in illis locis impoſſibilis judicetur. Si vero Confeſſarios deeſſet, ex defectu Perſonæ hoc præſidio deſtitutæ commutandi opera injuncta, deeſſet modus Jubilæi acquirendi, & tunc Papalis Bullæ cognitio redderetur inutilis. Extendunt nonnulli ad Religioſos exemptos idem privilegium lucrandi Jubilæi antequam per Epiſcopum publicetur, hoc argumento, quia Ordinarii non ſunt Superiores Regularium, ut dicit Gloſſa in cap. *Animarum* de Conſtitut. in 6. & eo magis quia deficientibus Ordinariis, committitur iis, qui curam gerunt Animarum Jubilæi Publicatio, inter quos habentur Superiores Monaſteriorum Exemptorum, cum penes hæc Monaſteria deſint Epiſcopi, qui Juriſdictionis actus in eadem Monaſteria exerceant; Perperam tamen hæc proferuntur, quia ſolis Epiſcopis hæc commiſſio dirigitur, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis.

FINIS.

005673782

Digitized by Google

Digitized by Google